AVGVSTAE
ISAACVS
CASAVBONVS



13

Warn Campbell

HISTORIAE AVGVSTAE SCRIPTORES SEX.

Aelius Spartianus,
Iulius Capitolinus,
Aelius Lampridius,
Vulcatius Gallicanus,
Trebellius Pollio, &
Flauius Vopiscus.

ISAACVS CASAVBONVS
ex vett. libris recensuit: idemque librum adiecit
EMENDATIONVM ac NOTARVM.



PARISIIS,
Apud AMBROSIVM & HIERONYMVM DROVART,
sub scuto Solari via Iacobæa.

M. DCIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

HENRICO IIII.
CHRISTIANISSIMO GALLORVM ET NAVARRENORVM REGI.

PAREO ecce imperio tuo, REX Chriſtianiſſime: & congeſtas pridem opes à tuis maioribus, æternæ memoriæ principibus, in opulentiſſimæ Bibliothecæ tuæ forulos, ad publicam omnium vtilitatem publicas facio. Quod munus cum tua Maieſtas annò mihi impoſuiſſet, ínque eo negotio otium iſtud quod tua nobis liberalitas facit, iuſſiſſet occupari: toties poſtea mandatæ prouin-

ciæ memoriam refricuiſti, vel dicam, rationem exegiſti, facile vt appareat, diuinam animi tui mentem, quæ omnia nunc vndiq; pacis ornamenta conquirit, de literis quoq; & literarum inſtauratione non leuiter cogitare. Nempe ita eſt: quò ſe cunque tua Maieſtas vertit, non inchoata, ſed perfecta numeris omnibus gloria, ſicut vmbra corpus, ſemper illam comitatur. Eſt in ore totius Orbis terrarum, qua virtute, quibus quantiſque laboribus ſuperiora bella, quæ tuo nomini decus hoc tantum pepererunt, antea geſſeris, confeceris. Poſtea verò quam victori tibi Ianum claudere, quod pro ingenita bonitate nunquã non optaueras, tandem aliquãdo cælitus eſt datum: incredibile dictu, quo ſtudio, qua inſtantia pacis omnes artes diu intermortuas, & tantumnon conclamatas, ab interitu ceperis vindicare. ceperis, dico? tu vero

iam ferme in totum, Rex maxime, vindicasti: vsus etiam in hoc incepto familiari illa tibi numinis facilitate: quod tuis pro Reipub. salute votis plurimùm adesse, sæpe illa anteuertere, interdum & superare, palàm est, cunctisque adeo persuasissimum. Deum immortalem, quàm paucis annis quàm alia Regno tuo facies ab ea quæ tum fuit, cum illud tua Maiestas quia suscepit seruauit! Incubuerat vniuersæ tuæ Galliæ nox quædam atra: quam boni horrebant & perpetuam metuebant, mali optabant ac sperabant. Tua, Henrice Magne, tua Pax aurea perditis rebus, ceu alter Sol, illuxit: densissimasque tenebras clarissima luce mox mutauit. ô dulce, & semper apud sapientes sacratissimum PACIS nomen! ô nos tuo hoc animo, his consiliis omni, prope dixerim, ex parte beatissimos! Nam quod superabat vnicum, flagrantissimè perdiu tuis nostris-

que precibus à ſuperis poſtulatum, vt quaſi pignus aliquod manſuræ etiam in poſterum huius felicitatis haberemus: id verò qua primum die lucem hanc vidit Princeps exoptatiſsimus DELPHINVS tuus, abundè ſumus conſecuti. Itaque ergo fultam hoc ſubſidio tuam illam vetuſtate ipſa auguſtiſsimā domum, velut æternis radicibus & vouemus & ſperamus eſſe fūdatam. Deum veneror, glorioſiſsime Principum, ſit in verbis omen. Quod ſupereſt, peto à te, pérq; illā ſemper-lenitatē tuam, te obſecro obteſtorq;, vt tenue hoc munus, magnam partem è libraria tua ſupellectile noſtro labore cōcinnatum, placido ſuſcipias vultu. Proſit nobis ad illius apud te commendationē, quod non in vili aliquo vel obſcuro aut plebeio argumento noſtra heic opera verſatur. Vitas enim tibi afferimus, Rex maxime, Cæſarum & Auguſtorum, qui ſpa-

tio centum & ſexaginta circiter annorum decantatiſsimum olim Romanorum imperium tenuerunt. Opus, & ſubiecti nobilitate & varietate caſuum, cum omniũ notitia digniſsimum: tum vt mihi perſuadeo, à magnitudine fortunæ tuæ non alienũ. Quemadmodum enim res regum afflictæ reges maximè mouent: ſic & principum quondam potentiſsimorum velle conſeruatam memoriam, & ab iniuria temporis, mirè omnia deprauantis, aſſertam: fallor, aut nemini potius quàm potẽtiſsimo principi conueniat. Eximiè autem tibi, Rex Chriſtianiſsime: cuius præſtantiſsimæ virtutes & merita ſumma, non magis fruendo, vt ſunt hominũ ingenia, quàm comparando poſſunt intelligi. Solent autem plerique mortalium, animi vitio præſentia faſtidientes, vetuſta ſolùm mirari. Iſti igitur, ſi nouitate editionis huius illecti, ſua cognitione iſtorum

imperatorum vitas fuerint dignati: aut erunt ingratiſsimi, aut ſeculi tui felicitatem omni laude & gratulatione proſequentur. Viuas, valeas, magne Heros, multiſque luſtris imperes.

N. M. Q. T. æternùm deuotiſsimus,
IS. CASAVBONVS.

ISAACI CASAVBONI
DE SEX ISTIS SCRIPTORIBVS HISTORIAE AVGVSTAE,
& de hac editione,

PROLEGOMENA.

ILLVSTRIVM virorum vitas literis mandare, & antiquissimum institutum est, & cum ad instruendam præclaris exemplis vitam adprime vtile: tum etiam ad historiæ ipsius omnes numeros explendos, plane res necessaria. Est enim historia nihil aliud, nisi philosophia quædam exemplis vtens, vt antiqui sapientes pronuntiarunt. illa autem non Respublicas tantum instituit, legibusque ornat: verùm mores quoque singulorum suis præceptis separatim informat. Quemadmodum igitur Annales & quæ de publicis rebus scriptæ sunt historiæ τῷ πολιτικῷ τῆς φιλοσοφίας τόπῳ *sunt* ἀντίστροφοι*: ita* τῷ ἠθικῷ *vitæ singulorum. vtique priuatorum, & eorum hominum, quos vel sapientia, vel literarum, aut scientiæ ciuilis, militarisve rei, aut cuiuscunque alìus peritia insignis, aut casus denique aliquis, fecit illustres, & dignos qui posteris narrarentur. At qui virorum principum vitas com-*

ē

posuerunt, necessariò duos quasi parietes de vna fidelia dealbantes, mixtam scriptionem ediderunt, non τῶν ἠθικῶν solum τῆς φιλοσοφίας εἰδῶν, sed etiam τῶν πολιτικῶν ἀντιστρέφουσαν. Neque enim imperatoris alicuius aut regis vitam ad plenum poßis explicare, vt non de Republica simul agas, cuius ille velut anima est ac forma. Quamobrem omnium generis huius scriptionum duæ sunt ὁλοσχερεῖς partes: publicè gesta, & priuatim: siue, vt loquitur Suetonius, qualis quisque fuerit in imperio, & interior ac familiaris vita. In harum duarum partium temperamento vario positam fere videas differentiam præcipuam, quæ inter historiæ Augustæ veteres scriptores potest obseruari. quippe alij, quæ ad publicæ rei statum spectabant susceperunt προηγουμένως dicenda: quæ propriè ad principem, κατὰ δεύτερον καὶ περιστατικὸν λόγον, vt dicerent Stoici. alijs contra, precipua cura & operis potior pars princeps ipse, quæque ad illius originem, educationem, mores, gestas res, & mortem pertinent: Respublica, κατ' ἐπακολούθημα illis attingitur, & quasi per occasionem. Priorem viam ingreßi sunt Cornelius Tacitus, Dio Caßius, (Xiphilinus enim Dionis vmbram exhibet, non Dionem:) Herodianus, Ammianus Marcellinus, & similes: posteriorem, Suetonius Tranquillus, & alij olim quàm plurimi: qui è re libros suos Vitas Cæsarum, siue De Cæsaribus inscripserunt: nam illi priores monumenta sua Historias vel Annales iure dixerunt. Vtriusque generis auctores non male Historiæ Augustæ scriptores appellaueris: quomodo Vopiscus Cornelium Tacitum nominat: nec multo aliter Herodianus opus suum ἱστορίαν βασιλείας Κομμόδου vel Σεβήρου.

poſsis etiam Cæſareorum temporum ſcriptores : qui titulus apud eundem Vopiſcum in Aureliano legitur. qui etiam in Probo cum ita ſcribit, imitatum ſe Suetonium in vita principum & temporibus diſſerendis, partem vtramque huiuſmodi hiſtoriarum, de qua modo dicebamus, diſtinctè expreſsit. Ad poſterius referri genus debent ſex βιογράφοι Cæſarum hi, quos ſimul pridem iungi ſuetos, ſimul nunc edimus. Ante aliquot retro ſecula factum, vt veteris hiſtoriæ Romanorum principum ſtudioſus aliquis hoc corpus concinnaret, Suetoniano operi ſubnectendum: quod & exinde obtinuit. Antiquitatem eius critici ex eo coniicimus, quod illius adhuc ætate integra horum omnium opera extarent: quorum hodie tantum videmus ſupereſſe, quantum illi placitum. periiſſe autem iam olim cætera ſcriptorum iſtorum omnia, argumento illud eſt, quod in tanta χρονογράφων copia, qui Eccleſiæ & Imperij tempora vnâ operâ deſcripſerunt, neminem adhuc inuenimus, qui cuiuſquam iſtorum aliud quid præter contenta hoc volumine laudaret. Scripſerant autem, (inſtituerant quidem certè) quatuor ex his, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Vulcatius Gallicanus, & Aelius Lampridius integram ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς omnium purpuratorum hiſtoriã, orſi à Iulio Cæſare. extant Spartiani & Vulcatij de ſuo conſilio luculenta teſtimonia: illius in principio & fine Aelij Veri Cæſaris: huius in ea quæ ſola ex omnibus ipſius ſcriptis ſupereſt, Commodi vita. de Capitolino & Lampridio etiam ſi tacerent ipſi, certum ſit tamen è Vopiſci Probo. Sed quouſque hiſtorias ſuas omnes hi perduxerint, meritò dubites: nam cum vixerint omnes ſub

Diocletiano & inſecutis principibus, quod in Notis probauimus, videtur horum nemo ad eum finem quem ſibi propoſuerat perueniſſe: proximos enim ætati ſuæ principes neminem eorum attigiſſe, manifeſtiſſimè euincunt quæ ſcribit Vopiſcus initio Aureliani. negat ibi præcisè expoſitam adhuc cuiquam Latinorum eius Auguſti vitam: cui querellæ nullus omnino fuiſſet locus, ſi non dicam omnes quatuor, ſed vel vnus ſaltem eorum quod propoſuerat impleſſet. fuit autem Vopiſcus omnium natu minimus: qui etiam præter Spartianum & Gallicanum reliquorum meminit omnium. Neque hic neque Trebellius Pollio aliud quicquam in hoc genere, quàm quod hodie extat, videntur ſcripſiſſe. Quid fuerit conſilij collectionis huius auctori, quando in iſtam formam hoc corpus digeſſit, vatibus relinquimus diuinandum. Suſpicamur tamen, totius hiſtoriæ principalis à Iulio ad ſua vſque tempora tres illum partes diſtinctas, velut ἐποχὰς quaſdam, animo concepiſſe: quarum primam vellet è Suetonij Cæſaribus cognoſci: alteram ex his libris hoc modò à ſe comparatis: tertiam quæ fere de principibus Chriſtianis erat, à ſcriptoribus Chriſtianis, niſi fallimur coniecturæ, reliquit petendam. Cum igitur ex illis tot hiſtoricis qui comprehenſos hoc ſecundo volumine principes in literas miſerant, nullum inueniret, quem vel propter ἀσυμμετρίαν, aut neſcio quam malum aliam ob cauſſam, inſtituto ſuo accommodaret: ipſe decerpens ex ſingulis quæ vellet, hoc audaci facinore voti ſui compotem ſe fecit. Atque ego non dubito Tribonianum iſtum cum hoc feciſſet, viſum ſibi bellum hominem, qui erat ſaperda merus. Nam quare in alieno opere

voluit esse ingeniosus? quare vetustam sapientissimi Pythagoræ legem migrauit? ὁ νόμος οὐκ ἐᾷ, Synesii sunt verba, τοῖς βιβλίοις ἐπιποιεῖν· ἀλλὰ βούλεται μένειν αὐτὰ ἐπὶ τῆς πρώτης χειρὸς ὁπώς ποτε ἔχει τύχης ἢ τέχνης. ô legem publicæ rei literariæ salutarem, & tota cupiditate expetendam! hanc qui ignorant aut contemnunt, pestes sunt & venena literarum. sed de Pythagoreæ legis vi & necessitate seriò disputamus alibi. Sciolus igitur iste operæ suæ egregium istud præmium tulit: vt sequens ætas, hoc Catone contenta, cæteros eiusdem historiæ scriptores, aut horumdem etiam libros alios, non desideraret: quo facilius fuit, vt tot vigiliæ tot historicorum, (nam quinquaginta minimùm possumus nominare:) cum æterno superiorum seculorum dedecore, penitus interirent. Aperiret saltem nobis consilij sui rationem: diceret cur operis initio Neruam & Traianum duos bonitate insignes principes omitteret. nam de hiatu qui est inter Gordianum III. & Valerianum, satis suo loco actum à nobis. diceret quid fuerit caussæ, cur coniunctissimas vitas, puta Macrini patris, & Macrini filij, è diuersis auctoribus promeret. Postremò doceret nos quî sit factum, vt in nonnullis vitis, tam multa non suo loco posita, aut sine caussa repetita, sæpius hodie inueniantur: cuius culpæ vt non absoluimus in totum ipsos auctores: ita non dubitamus maximam eius partem quà penes hunc alienæ mercis institorem, quà penes librarios, genus hominum perdendis literis natum, hærere. Planè libri heic nonnulli sunt, quos iure dicas centonum instar è diuersi coloris pannis fuisse consutos. Nemo leget, quæ notamus ad Marci vitam, quin nobis assentiatur. possis & de aliquot

aliis idem facere iudicium. Sed de βιβλιογράφου istius flagitio satis. Quod autem modò dicebamus, auctores ipsos excusari penitus hac in parte non posse: ita prorsus est. Alibi iudicium desideres limatius: alibi diligentiam exquisitiorem: in quinque præsertim primis, & omnium maxime in Capitolino. nam de scriptore oppidò erudito, & præ cæteris accurato, Flauio Vopisco minus licet queri. Quæ meo iudicio dos historiæ est primæ proxima, perspicua rerum explicatio, & quod Græci melius dicunt, τὸ εὐπαρακολούθητον, id nos in illis prioribus non inuenimus. Eius σαφηνείας duæ sunt viæ, tritæ ambæ maximis scriptoribus: cum res explicantur vel per tempora, vel per species, vt ait Suetonius in illa diuina Augusti vita. Dionysius Hal. appellat τὰς περιοχὰς τῶν πραγμάτων. harum neutrã cum isti satis tenuerint, haut mirũ si τὸ εἰρόμενον καὶ ἀπερίσπαστον, quibus tanto commendatur opere historica narratio, non sunt assecuti. Fatetur Capitolinus vitam se Marci scripsisse breuiter & congestè. verè ille quidem: multa enim carptim congerit non digerit: neque id in illo tantum libro, qui miris modis est conturbatus: sed etiam in aliis. at non solus hic in eo luto hæret: habet culpæ socios & Spartianum, & Vulcatium & Lampridium, nonnihil & Trebellium Pollionem. Dicam clarius, & quod volo exponam sub exemplo. Poterat Spartianus in contexenda Hadriani vita, vel temporum seruare seriem: vel per partes sic dicenda distinguere, vt de publicè gestis, de peregrinationibus déque priuata cætera illius vita separatim ageret: nunc cum in principio visus esset temporum rationem seruaturus, non longè post rationes conturbat. Vulcatij qui

solus superest liber ita contextus est, vt videatur auctor quid diceret fortasse pensi habuisse: at quo modo, ne minimum quidem. In Lampridij Alagabalo, & Alexandro etiam, vestigia sunt initæ tributionis in species, vt auctoris quem amamus valde vocem retineamus. sed lucis scintillam eam esse, non plenam lucem, intelligent, qui cum illa Suetonij quam diximus vita contenderint. Iam quod eadem reponantur sæpius, est vbi peccatum iure censeas alienum: est vbi indiligentiam auctorum agnoscas. quoties Seruiani cædem legas in Hadriano Spartiani? & tamen præstare ausim omnia ἀκίβδηλα. adoptio Marci à Pio facta, & Aelij Veri à Marco quàm sæpe quàm varie cum Spartiano tum Capitolino exponitur? iteratio ab incuria est: varietas narrationis ex eo, quod modò hunc, modò illum sequerentur auctorem. Maximum & Pupienum *non diuersarum personarum, sed eiusdem hominis esse nomina, non semel & iterum, neque bis aut ter, verùm sæpius inculcat* Capitolinus: *vt qui vel optimo stomacho sint, ad hanc cramben non poßint non nauseare. idem cum in extremo de Maximinis libro Aquileiensium pro Romanis eam fuisse deuotionem scripsisset, vt etiam crines mulierum pro neruis ad sagittas emittendas tonderent: in eo quem de Maximo & Balbino fecit, hoc ipsum bis posuit: credo, vt vetus dictum tolleret,* δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. *Cum autem tot imperitißimorum grammatistarum versibus suas lucubrationes inquinarunt, quid aliud quàm per alienas ineptias sese ipsi traducere, &* ἐξ ἀλλοτρίων κακῶν, *vt ait* Cous *senex,* ἰδίας καρποῦσθαι ὀνείδη, *voluisse videantur? Nam & in hoc genere malus iudex litem suam facit.*

Verumenimuero hos velut in bona forma næuos, facile excusabunt, qui sic natura esse comparatum meminerint, nullum vt cuiusquam mortalium sine venia placuerit vnquam ingenium quamuis maximū. Lectione enim nostra & commendatione dignissimos esse hos sex historicos, nemo tam vel imperitus vel iudicij nullius qui negare ausit. Subiectum primò nobilissimum: vniuersæ namque Augustorum historiæ pars magna necessariò hinc petenda: nisi quis forte tanta ἀκρισίᾳ laboret, vt aliorum è Latinis compendiosa Breuiaria cum horum luculentis narrationibus putet comparanda. Ne Græci quidem post decurtata τοῦ κορυφαιοτάτου Dionis monumenta, vllum è suis nominauerint, cum his nostris in eadem lance ponendum. Herodianum aliquis fortasse dicat excipiendum, politissimum & iudicij non vulgaris rerum conditorem: sed eius historia, contentæ his libris pars solummodo est. Annos enim sexaginta ibi, heic paulominus centum & sexaginta inuenies descriptos. Porrò autem ea conditio fuit temporum, de quibus libris istis agitur, vt in incerto sit, plúsne Romanus populus cum illa fierent, quæ tum acciderunt, ærumnarum sit expertus: an vtilitatis & oblectationis qui hæc legent, sint percepturi. nam vbi maior rerum varietas? vbi illustriora ludentis in rebus humanis fortunæ exempla? quàm notabiles maximorum principum exitus? Herodianus quidem ante omnia in opere suo τὰς τῶν βασιλειῶν οὕτω ποικίλους διαδοχὰς admonet obseruandas: verùm hæ tam variæ, tam frequentes principum mutationes, in nostris, vt in longioris temporis spatio, apparent non paullò euidentius. Est inuenire septuaginta & eo plures in horum temporum serie, qui

vel

vel iuſtè vel iniuſtè aut Cæſarum aut imperatorum nomen habuerint. adeo erant in illo principatu, quem omnes tamen mirantur, comitia imperij incerta. Tumultuario populi concurſu, aut incondito militum ſtrepitu, interdum & per iocum ac ludum, imperatores creabantur: & Orbis terrarum dominatio, in ſceleris ac parricidij, (principem enim ſuum occidere, teterrimum parricidij genus eſt:) præmium cedebat. occidebant igitur & occidebantur, immanitate pari: cum in armis eſſet ius omne regnandi. Inde hæc tam ſpiſſa principatuum mutatio: qua re nulla alia miſeris populis ne dici quidem aut fingi queat pernitioſior. Vt quoties venit huius in mentem nobis, Franciæ patriæ meæ felicitatem non poßim non prædicare; quæ ſub imperio Regum LXIII. non dicam CLX. annos: ſed paullo minus CIƆ. & CC. (rem omnibus ſeculis inauditam:) & beata egit, & egiſſet beatior, ſi ſua ſemper bona intellexiſſet. Tanti eſt, iura regiæ ſucceßionis trabali lege ſemel fixiſſe. Sed redeo ad noſtros auctores: quorum lectio cum omnibus & hiſtoriæ & morum antiquorum ſtudioſis neceſſaria, nedum vtilis: tum vel maxime iis qui cognitione iuris ciuilis Romanorum delectantur. quàm multa enim toto ſparſim opere inuenias, quæ ad Iuriſprudentiæ ſtudia propriè pertineant? quàm multis locis aut nouum ius aliquod introductum, aut vetus antiquatum obſeruatur? vt taceam, quod abſque his ſcriptoribus fuiſſet, plurimos prudentes quorum extant in Pandectis & nomina & fragmenta, ignoraremus: taceam item dictionis genus, in multis commune cum antiquis iuriſconſultis. Quid? tot principum pulcherrimas epiſtolas, tot grauißima Senatuſ-

consulta, tot alia publica monumenta, è scriniis Augustorum, Actis senatus & populi, aut nescio vnde ex abdito eruta, quanti censemus facienda? aut quem mihi dabis ex omni veterum auctorum numero, cui propter similem vel fidem, vel diligentiam tantum debeamus? Nec prætermiserim eruditas illas, neque longè petitas, sed è re natas digressiones, quibus hi libri, tanquam segmentis purpuræ veri luminis, variis locis sunt ornati. Hi igitur tam boni tam vtiles scriptores, cum à priorum seculorum barbarie pessimè fuerint accepti: mirati sæpe sumus, quid caussæ sit, cur post renatas literas nemo adhuc extiterit, qui seriò se illorum vindicem profiteretur. nam & Egnatij & Vrsini, eruditissimorum hominum, conatus, etsi sua laude non carent: minoris tamen molitionis esse omnes intelligunt, quàm vt inter serias ipsorum curas haberi mereantur. Inuitauerat nos quidem ante hos sex septem annos aliorum cessatio, vt post nauatam Suetonio operã, manum & his eius comitibus admoueremus: sed qui animati melius quàm parati negotium suscepissemus: non multo post, gnari quid sit sine librorum veterum ductu & auxilio cum vulgatarum editionum monstris pugnare velle, γνωσιμαχήσαντες consilium mutaueramus. quod postea tamen iterum mutauimus: nacti enim manu exaratum codicem, quem ditissima Regis Christianissimi Bibliotheca nobis suggessit, ausi sumus repetere auspicia, móxque operi nos accinximus. Ei libro ferri acceptum volumus quidquid nostra hæc editio studiosis potest imputare. non quia tanta sit illius bonitas: verùm eo nomine, quod ille primus scriptionis huius occasionem nobis præbuit: nam

ipſe quidem nec vetuſtate præſtat, nec fide : imò verò deformiter etiam ipſe eſt deprauatus. quia tamen aliter fere corruptus eſt quam vulgata lectio, locis innumeris ipſa vitij diuerſitas viam nobis ad verum aperuit. multa igitur in ipſo textu ope regij codicis emendauimus : plura in NOTARVM *libro, vel certa ratione ducti, vel probabili ſaltem coniectura. Omnino autem veterum exemplarium horum ſcriptorũ non magna in Europa copia eſt : & illa ipſa quæ reperiuntur, ſcias indidem pleraq. fuiſſe deſcripta, quia ſimillime ſunt deprauata. Quare etſi mendis grauiſſimis noſtrum ſcatet : nihilo tamen Italica illa ſunt meliora, quorum ſuperioris æui criticos mentionem video feciſſe. Planè illud quo vſus olim Angelus Politianus in codice ſuo emendando, cuius fecit nobis copiam Richardus Thomſon amiciſſimus noſter, regio fuit geminum. & quis ſcit an illud ipſum? nam hoc ex Italia maximus & ſapientiſſimus princeps Ludouicus XII. (aliter ſcripſimus alibi : ſed falſi ſumus :) capta Mediolano in ſuam librariam multarum Italicarum ſpoliis ſuperbam intulit. Nihilo etiam melius eſt Auguſtanũ illud, vnde excerptas ſcripturæ varietates ampliſſimus Marcus Velſerus, & doctiſſimus Hœſchelius ad nos miſerunt. Idem & de illo poſſumus pronuntiare, quod ante* XXXIII. *annos penes Vincentiũ Pinellum, meritis in rem publicam literariam inſignem virum, ſcimus fuiſſe. Leuiùs aliquanto quàm cæteri à mendis laborat, quod Romæ in Vaticana ſeruatur. His duobus codicibus vſus fuit in Italia* V. C. CL. *Puteanus, inter præcipua Galliæ ornamenta, dum viueret merito ſuo ſemper habitus : qui etiam ſcripturæ diſcrepantias omnes curioſè in*

ſchedis adnotauerat: quo illius labore vti nobis contigit beneficio Chriſtophori Puteani Cl. F. viri eruditiſsimi, & non minus propter virtutes ſuas, quàm propter patris memoriam nobis chariſsimi. cum autem diu ignoraſſemus ex quibus Italiæ bibliothecis eos codices ὁ μακαρίτης Puteanus eſſet conſecutus: inuenimus tandem manu ipſius adnotatum, altero ſe vſum Venetiis, Pinelli munere: altero Romæ ex Vaticana, cum anno CIↃIↃLXX. hiemem ibi ageret. atque hoc eo libentius referimus, quia non ſemel mirati ſumus, Fuluium Vrſinum cum ſuas in hos auctores Notas Romæ ſcriberet, Vaticano libro, omnium facile optimo, non eſſe vſum. Quare hoc ſaltem nomine Vrſinianis præſtant quas hic ſtudioſis parauimus epulas: quòd ferculis Italicis & quidem Romanis ſunt inſtructæ, quæ ciuis Romanus vel ignorauit, vel ſine cauſſa eſt aſpernatus.

FINIS.

AELII SPARTIANI

ADRIANVS IMP. AD DIOCLETIANVM AVG.

ORIGO imperatoris Adriani vetuſtior à Picentibus, poſterior ab Hiſpanienſibus manat: ſiquidem Adria ortos maiores ſuos, apud Italicam, Scipionum temporibus, reſediſſe, in libris vitæ ſuæ Adrianus ipſe cõmemorat. Adriano pater Ælius Adrianus cognomẽto Afer fuit, cõſobrinus Traiani imperatoris: mater Domitia Paulina Gadibus orta, ſoror Paulina nupta Seruiano, vxor Sabina: auus Marillinus, qui primus in ſua familia ſenator populi Romani fuit. Natus eſt Romæ IX. Cal. Feb. Veſpaſiano ſepties & Tito quinquies COSS. Ac decimo ætatis anno patre orbatus, Vlpium Traianum prætorium virum, conſobrinum ſuum, qui poſtea imperium tenuit, & Cælium Tatianum equitem Romanum, tutores habuit. Imbutúſque impenſius Græcis ſtudiis, ingenio eius ſic ad ea declinante, vt à nonnullis Grȩculus diceretur. quintodecimo anno ad patriam rediit, ac ſtatim militiam iniit, venandi vſque ad reprehenſionem ſtudioſus. Quare à Traiano abductus à patria & pro filio habitus, nec multo pòſt decemuir litibus iudicandis datus, atque inde tribunus ſecũdæ adiutricis legionis creatus, poſt hoc in inferiorem Mœſiam tranſlatus, extremis iam Domitiani temporibus. ibi à mathematico quodam de futuro imperio id dicitur comperiſſe quod à patruo ma-

A (margin, beside "Rigo imperatoris"); B (beside "qui primus"); C (beside "filio habitus")

A gno Ælio Adriano peritiam cœlestium callēte, prædictum esse compererat. Traiano à Nerua adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinans ad Traianum vt primus nuntiaret excessum Neruę, à Seruiano sororis viro (qui & sumptibus & ære alieno eius prodito Traiani odium in eū mouit) diu detentus, fractóque consultè vehiculo tardatus, pedibus iter faciēs eiusdem Seruiani beneficiarium anteuenit: fuítque in amore Traiani, nec tamen ei per pædagogos puerorum quos Traianus impensius diligebat, Gallo fauente de-
B fuit. Quo quidem tempore quum solicitus de imperatoris erga se iudicio, Virgilianas sortes consuleret,

Qui procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines incanáque menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundauit, Curibus paruis & paupere terra,
Missus in imperium magnum, cui deinde subibit,

sors excidit, quam alij ex Sibyllinis versibus ei prouenisse dixerunt. Habuit autem præsumptionem imperij mox futuri ex fano quoque Nicephorij Iouis manante responso,
C quod Apollonius Syrus Platonicus libris suis indidit. Denique statim suffragante Sura, ad amicitiam Traiani pleniorem rediit, nepte per sororem Traiani vxore accepta, fauēte Plotina, Traiano leuiter (vt Marius Maximus dixit) volente. Quæsturam gessit Traiano quater & Arunculeio coss. in qua quum orationem imperatoris in senatu agrestius pronuntians risus esset, vsque ad summam peritiam & facundiam Latinis operam dedit. Post quæsturam, acta senatus curauit: atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius prosequutus est. quandoquidem & indulsisse vi-
D no se dicit, Traiani moribus obsequentem: atque ob hoc se à Traiano locupletissimè muneratum. Tribunus plebis factus est Candido & Quadrato iterum coss. in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quòd penulas amiserit quibus vti tribuni plebis pluuiæ tempore solebant, imperatores autem nunquam. Vnde hodiéque imperatores sine penulis à togatis

videntur. Secunda expeditione Dacica, Traianus eum primæ legioni Mineruiæ præposuit secúmque duxit: quando quidem multa egregia eius facta claruerunt. Quare adamante gemma quam Traianus à Nerua acceperat, donatus, ad spem successionis erectus est. Prætor factus est Sura bis, Seruiano iterum COSS. quum sestertiûm vicies ad ludos edendos à Traiano accepit. Legatus postea prætorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, procuratores latius euagantes coercuit: ob hoc COS. est factus. In quo magistratu, vt à Sura comperit adoptandum se à Traiano esse, ab amicis Traiani contemni desiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Traiani ei familiaritas creuit, causa præcipuè orationum quas pro imperatore dictauerat. Vsus Plotinæ quoq; fauore, cuius studio etiam legatus, expeditionis Parthicæ tempore, destinatus est. Qua quidem tempestate vtebatur Adrianus amicitia Sosij Pappi & Pletorij Nepotis, ex senatorio ordine: ex equestri autem Tatiani tutoris quōdam sui & Liuiani Turbonis. In adoptionis spōsionē venit Palma & Celso inimicis semper suis: & quos postea ipse insequutus est in suspicionē affectatæ tyrannidis lapsos. Secūdò cos. fauore Plotinæ factus, totā præsumptionem adoptionis emeruit. Corrupisse eū Traiani libertos, curasse delicatos, eosdémque sepelisse per ea tempora quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmauit. Quinto Iduum Augusti die, legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari iussit. Tertio Iduum earūdem, quando & natalē imperij instituit celebrandū, excessus ei Traiani nuntiatus est. Frequens sanè opinio fuit, Traiano id animi fuisse vt Neratium Priscum nō Adrianū successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus, vsque eò vt Prisco aliquando dixerit, *Commendo tibi prouincias, siquid mihi fatale contigerit.* Et multi quidem dicunt, Traianum in animo id habuisse vt exemplo Alexandri Macedonis, sine certo successore moreretur: multi ad senatum eum orationem voluisse mittere, petiturum vt siquid ei euenisset, principem Romanæ reip. senatus daret,

B C D

A additis duntaxat nominibus,ex quibus optimum idem ſenatus eligeret. Nec deſunt qui factione Plotinæ mortuo iam Traiano, Adrianum in adoptionem adſcitum eſſe prodiderint,ſuppoſito qui pro Traiano feſſa voce loqueretur. Adeptus imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit, & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit. Nā deficientibus his nationibus quas Traianus ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant, Ægyptus ſeditionibus vrgebatur, Lycia denique ac Palæſtina rebelles
B animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit,exemplo (vt dicebat) Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiauit quia teneri non poterant. Pſamatoſſirim,quem Traianus Parthis regem fecerat, quòd eum non magni ponderis apud Parthos videret,proximis gentibus regem dedit. Tantum autem ſtatim clementiæ ſtudiū habuit,vt quum ſub primis imperij diebus ab Tatiano per epiſtolas eſſet admonitus vt & Bebius Macer præfectus vrbis ſi reniteretur eius imperio, necaretur, & Laberius Maximus qui ſuſpectus imperio in inſula exulabat, & Frugi
C Craſſus, neminem læderet. quamuis Craſſum poſtea procurator egreſſum inſula,quaſi res nouas moliretur, iniuſſu eius occiderit. Militibus ob auſpicia imperij duplicem largitionem dedit. Luſium Quietum,ſublatis gentibus Mauris,quos regebat,quia ſuſpectus imperio fuerat,exarmauit, Martio Turbone Iudæis compreſſis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ deſtinato. Poſt hoc Antiochia digreſſus eſt ad inſpiciēdas reliquias Traiani,quas Tatianus, Plotina & Mattidia deferebant. Quibus exceptis & naui Romam dimiſſis, ipſe Antiochiam regreſſus, præpoſitóque
D Syriæ Catilio Seuero,per Illyricum Romam venit. Traiano diuinos honores,datis ad ſenatum & quidem accuratiſſimis literis poſtulauit, & cunctis volentibus meruit ita, vt ſenatus multa quæ Adrianus nō poſtulauerat,in honorem Traiani ſponte decerneret. Quum ad ſenatum ſcriberet, veniam petiit quòd de imperio ſuo iudicium ſenatui non dediſſet, ſalutatus ſcilicet præpopere à militibus impera-

tor, quòd esse respub. sine imperatore non posset. Quum A
triumphum ei senatus, qui Traiano debitus erat, detulisset,
recusauit ipse, atque imaginem Traiani curru triumphali
vexit, vt optimus imperator ne post mortẽ quidem triumphi amitteret dignitatem. Patris patriæ nomẽ sibi delatum
statim & iterum postea, distulit: quòd hoc nomẽ Augustus
serò meruisset. Aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit, & quidem difficultatibus ærarij ambitiosè
ac diligenter expositis. Audito dein tumultu Sarmatarum
& Roxolanorũ, pręmissis exercitibus Mœsiam petiit. Martium Turbonem post Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum rege Roxolanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur,
cognito negotio pacem composuit. Nigrini insidias, quas
ille sacrificanti Adriano, conscio sibi Lusio & multis aliis
parauerat, quum eum etiam successorem sibimet Adrianus
destinasset, euasit. Quare Palma Terracinæ, Celsus Baiis,
Nigrinus Fauẽtiæ, Lusius in itinere, senatu iubente, inuito
Adriano (vt ipse in vita sua dicit) occisi sunt. Vnde statim
Adrianus ad refellendam tristissimam de se opinionem,
quòd occidi passus esset vno tempore quatuor consulares, C
Romam venit, Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ
præfecturæ, quo plus haberet auctoritatis, ornato: & ad
comprimendam de se famam, congiarium duplex præsens
populo dedit, ternis iam per singulos aureis se absente diuisis. In senatu quoque excusatis quæ facta erant, iurauit se
nunquam senatorem nisi ex senatus sententia puniturum.
Statim Cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere
grauarentur. Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam quæ fisco debebatur, priuatis
debitoribus in vrbe atque Italia, in prouinciis verò etiam D
ex reliquis ingẽtes summas remisit, syngraphis in foro diui
Traiani, quò magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit,
omni summa in ærario publico recepta. Pueris ac puellis,
quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum
liberalitatis adiecit. Senatoribus qui non vitio suo decoxe-

A rant, patrimonium pro liberorum modo ſenatoriæ profeſſionis expleuit, ita vt pleriſque in diem vitæ ſuæ dimenſum ſine dilatione reſtituerit. Ad honores explendos nõ ſolùm amicis, ſed etiam paſſim aliquantis multa largitus eſt. Fœminas nonnullas ad ſuſtentandam vitam ſumptibus iuuit. Gladiatorium munus per ſex dies continuos exhibuit, & mille feras natali ſuo edidit. Optimos quoſque de ſenatu in contubernium imperatoriæ maieſtatis adſciuit. Ludos circenſes, præter natalitios, decretos ſibi ſpreuit: & in cõcione & in ſenatu ſæpe dixit, *Ita ſe rempub. geſturum vt ſciret po-*
B *puli rem eſſe, non propriam.* Tertiò conſules, quum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit. Infinitos autem ſecundi conſulatus honore cumulauit. Ipſum autem tertium conſulatum, & quatuor menſibus tantùm egit, & in eo ſæpe ius dixit. Senatui legitimo quum in vrbe vel iuxta vrbem eſſet, ſemper interfuit. Senatus faſtigium in tantùm extulit, difficilè faciens ſenatores, vt quum Tatianum ex præfecto prætorij, ornamentis conſularibus præditum, faceret ſenatorem, nihil ſe amplius habere quod in eum conferri poſſet, oſtenderit. Equites Romanos, nec ſine ſe de ſenatoribus nec ſe-
C cum iudicare permiſit. Erat enim tunc mos, vt quum princeps cauſas cognoſceret, & ſenatores & equites Romanos in cõſilium vocaret, ſententiam ex omnium deliberatione proferret. Execratus eſt denique principes qui minus ſenatoribus detuliſſent. Seruiano ſororis viro, cui tantum detulit vt ei venienti de cubiculo ſemper occurrerit, tertium conſulatũ, nec ſecum tamen, quum ille bis ante Adrianum fuiſſet, ne eſſet ſecundæ ſententiæ, non petenti ac ſine precatione conceſſit. Inter hæc tamen & multas prouincias à Traiano acquiſitas reliquit: & theatrũ quod ille in campo
D Martio poſuerat, contra omniũ vota deſtruxit. Et hæc quidem eo triſtiora videbantur quòd omnia quæ diſplicere vidiſſet Adrianus, mandata ſibi vt faceret decreto Traiani eſſe ſimulabat. Quum Tatiani, præfecti ſui & quondam tutoris, potentiam ferre nõ poſſet, niſus eſt eum obtruncare: ſed reuocatus eſt, quia iam quatuor conſulariũ occiſorum, quorum quidem necem in Tatiani cõſilia refundebat, pre-

mebatur inuidia. Cui quum succeſſorē dare nō poſſet quia non petebat, id egit vt peteret: atque vbi primùm petiit, in Turbonē tranſtulit poteſtatem: quum quidem etiā Simili alteri præfecto, Septicium Clarum ſucceſſorē dedit. Summotis his à præfectura quibus debebat imperium, Campaniam petit: eiúſq; omnia oppida beneficiis & largitionibus ſubleuauit, optimum quenq; amicitiis ſuis iungens. Romæ verò prętorū & conſulum officia frequētauit, cōuiuiis amicorum interfuit. Ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos, viſitauit, ſolatiis refouit, conſiliis ſubleuauit, cōuiuiis ſuis ſemper adhibuit. omnia deniq; ad priuati hominis modum fecit. Socrui ſuæ honores præcipuos impēdit ludis gladiatoriis cæteríſq; officiis. Poſt hæc profectus in Gallias, omnes cauſariis liberalitatibus ſubleuauit. Inde in Germaniam trāſiit: pacíſq; magis quàm belli cupidus, militem, quaſi bellū immineret, exercuit, tolerantiæ documētis eum imbuens, ipſe quoq; inter manipulares vitam militarem magiſtrans, cibis etiā caſtrenſibus in propatulo libenter vtens, hoc eſt, larido, caſeo & poſca, exēplo Scipionis Æmiliani & Metelli, & autoris ſui Traiani: multos præmiis, nonnullos honoribus donans, vt ferre poſſent ea quę aſperius iubebat: ſiquidem ipſe poſt Cæſarem Octauium, labantem diſciplinam incuria ſuperiorū principum, retinuit, ordinatis & officiis & impēdiis: nunquā paſſus aliquē à caſtris iniuſtè abeſſe, quum tribunos non fauor militum ſed iuſtitia commēdaret: exemplo etiā virtutis ſuę cæteros adhortatus, quum etiā vicena milia pedibus armatus ambularet, triclinia de caſtris & porticus & cryptas & topia dirueret: veſtem humillimā frequenter acciperet, ſine auro balteū ſumeret, ſine gemmis fibulas ſtringeret, capulo vix eburneo ſpatham clauderet: ægros milites in hoſpitiis ſuis videret, locum caſtris caperet: nulli vitem, niſi robuſto & bonæ famæ daret, nec tribunum niſi plena barba faceret, aut eius ætatis quę prudentia & annis tribunatus robur impleret, nec pateretur quicquam tribunum à milite accipere: delicata omnia vndique ſummoueret, arma poſtremò eorum ſupellectilémque corrigeret. De militum etiam

A ætatibus iudicabat, nequis aut minor quàm virtus poſceret, aut maior quàm pateretur humanitas, in caſtris contra morem veterem verſaretur: agebátque vt ſibi ſemper noti eſſent, & eorum numerus ſciretur. Laborabat prætereà vt condita militaria diligenter agnoſceret: reditus quoque prouinciales ſolerter explorans, vt ſi alicubi quippiam deeſſet, expleret. Ante omnes tamē enitebatur ne quid otioſum vel emeret aliquando vel paſceret. Ergo conuerſis regio more militibus, Britanniam petiit: in qua multa correxit, murúmque per octoginta milia paſſuum primus duxit, B qui barbaros Romanóſque diuideret. Septicio Claro præfecto prætorij, & Suetonio Tranquillo epiſtolarum magiſtro, multíſq; aliis qui apud Sabinam vxorem, iniuſſu eius, familiarius ſe tunc egerant quàm reuerentia domus aulicæ poſtulabat, ſucceſſores dedit: vxorem etiam vt moroſam & aſperam dimiſſurus (vt ipſe dicebat) ſi priuatus fuiſſet. Et erat curioſus non ſolùm domus ſuæ, ſed etiam amicorum, ita vt per frumentarios occulta omnia exploraret: nec aduerterent amici, ſciri ab imperatore ſuam vitam priuſquam ipſe hoc imperator oſtenderet. Vnde non iniu- C cundum eſt rem inſerere, ex quò conſtet eum de amicis multa didiciſſe. Nam quū ad quendam ſcripſiſſet vxor ſua, quòd voluptatibus detentus & lauacris ad ſe redire nollet, atque hoc Adrianus per frumētarios cognouiſſet, petente illo commeatum, Adrianus ei lauacra & voluptates exprobrauit. Cui ille, *Num & tibi vxor mea, quod & mihi, ſcripſit?* Et hoc quidam vitioſiſſimum putant, atque huic adiungūt quæ de adultorum amore ac nuptarum adulteriis, quibus Adrianus laboraſſe dicitur, afferunt: iungentes quòd ne amicis quidem ſeruauerit fidem. Compoſitis in Britannia D rebus, tranſgreſſus in Galliam Alexandrina ſeditione turbatus, quæ nata eſt ob Apin: qui quum repertus eſſet poſt multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari omnibus ſtudioſè certantibus. Per idem tempus in honorem Plotinæ baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extruxit. poſt hæc Hiſpanias petit, & Tarracone hyemauit, vbi ſumptu ſuo ædem Auguſti reſtituit, omnibus Hiſpa-

Hiſpanis Tarraconem in conuẽtum vocatis: delectúmque ioculariter, vt verba ipſa ponit Marius Maximus, detrectãtibus Italicis, vehementiſſimè, cæteris, prudenter & cautè conſuluit. Quo quidem tempore, non ſine gloria grauiſſimum periculum adiit, apud Tarraconẽ ſpatians per hoſpitiua viridaria, ſeruo in ſe hoſpitis cum gladio furioſiùs irruente: quem retentum ille miniſtris accurrẽtibus tradidit: & vbi furioſum eſſe conſtitit, medicis curandum dedit, in nullo omnino commotus. Per ea tempora & aliàs frequẽter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus ſed limitibus diuiduntur, ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus iactis atque connexis, barbaros ſeparauit: Germanis regem conſtituit motus Maurorum compreſſit, & à ſenatu ſupplicationes emeruit. Bellum Parthorum per idem tẽpus in motu tantùm fuit, ídque Adriani colloquio repreſſum eſt. Poſt hoc per Aſiam & inſulas ad Achaiam nauigauit, & Eleuſinia ſacra exemplo Herculis Philippíq; ſuſcepit: multa in Athenienſes contulit, & pro agonotheta reſedit. & in Achaia quidem illud obſeruatum ferũt, quòd quum in ſacris multi cultros haberent, cum Adriano nullus armatus ingreſſus eſt. Pòſt in Siciliam nauigauit, in qua Ætnam montem conſcendit, vt ſolis ortum videret arcus ſpecie, vt dicitur, varium. Inde Romam venit, atque ex ea in Africam tranſiit, ac multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit. Nec quiſquam ferè principum tantum terrarum tam celeriter peragrauit. Denique quum poſt Africam Romam rediſſet, ſtatim ad oriẽtem profectus per Athenas iter fecit, atque opera quæ apud Athenienſes cœperat, dedicauit: vt Iouis Olympij ædem & aram: ſibi eodémque modo per Aſiam iter faciens, templa ſui nominis conſecrauit. Deinde à Cappadocibus ſeruitia caſtris profutura ſuſcepit. Toparchas & reges ad amicitiam inuitauit, inuitato etiam Coſdroe rege Parthorum, remiſſáque illi filia quam Traianus ceperat, ac promiſſa ſella quæ itidem capta fuerat. Quumque ad eum quidam reges veniſſent, ita cum his egit vt eos pœniteret qui venire noluerunt, cauſa ſpeciatim Pharaſmanis, qui eius inuitationem ſuperbè ne-

A glexerit. Et circumiens quidem prouincias, procuratores & præsides pro factis supplicio affecit, ita seuerè vt accusatores per se crederetur immittere. Antiochenses inter hæc ita odio habuit vt Syriam à Phœnice separare voluerit, ne tot ciuitatum metropolis Antiochia diceretur. Mouerunt ea tempestate & Iudæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia. Sed in monte Cassio quum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto, fulmen decidens hostiam & victimarium sacrificanti afflauit. Peragrata Arabia Pelusium venit, & Pompeij tumulum magnificentius extruxit.
B Antinoum suum dum per Nilum nauigat, perdidit, quem muliebriter fleuit: de quo varia fama est, aliis eum deuotum pro Hadriano asserentibus, aliis quod & forma eius ostentat & nimia voluptas Adriani. & Græci quidem volente Adriano eum consecrauerunt, oracula per eum dari asserentes: quæ Adrianus ipse composuisse iactatur. Fuit enim poematum & literarum omnium studiosissimus, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritissimus. Iam psallendi & cantandi scientiam præ se ferebat: in voluptatibus nimius. Nam & de suis dilectis multa versibus composuit,
C amatoria carmina scripsit. Idem armorum peritissimus, & rei militaris scientissimus, gladiatoria quoque arma tractauit. Idem seuerus, lætus: comis, grauis: lasciuus, cunctator: tenax, liberalis: simulator, sæuus, clemens, & semper in omnibus varius. Amicos ditauit, & quidem non petentes, quum petentibus nihil non negaret. Idem tamen facilè de amicis quicquid insusurrabatur, audiuit. atque ideo propè cunctos vel amicissimos, vel eos quos summis honoribus euexit, postea vt hostium loco habuit, vt Tatianũ & Nepotem, & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem
D prius conscium imperij, ad egestatem perduxit: Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coegit. Heliodorum famosissimis literis lacessiuit. Titianum vt conscium tyrannidis, & argui passus est & proscribi. Numilium Quadratum, & Catilium Seuerum, & Turbonem grauiter insequutus est. Seruianum sororis virum nonagesimum iam annum agentem, ne sibi superuiueret, mori coegit. Liber-

tos denique & nonnullos milites insequutus est. Et quam- A
uis esset oratione & versu promptissimus, & in omnibus
artibus peritissimus, tamē professores omnium artium sem-
per vt doctior risit, contempsit, obtriuit. Cum his ipsis pro-
fessoribus & philosophis, libris vel carminibus inuicem
editis, sæpe certauit. Et Fauorinus quidem, quum verbum
eius quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille
cessisset, arguentibus amicis quòd malè cederet Adriano,
de verbo quod idonei autores vsurpassent, risum iucundis-
simum mouit. Ait enim, *Non rectè suadetis familiares, qui non
patimini me illum doctiorem omnibus credere qui habet triginta* B
legiones. Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit vt libros
vitæ suę scriptos à se, libertis suis literatis dederit, iubens vt
eos suis nominibus publicarēt: nam Phlegōtis libri Adria-
ni esse dicuntur. *Catacrianos* libros obscurissimos, Antima-
chum imitando, scripsit. Floro poetæ scribenti ad se,

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas. rescripsit,
Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas, C
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Amauit præterea genus dicendi vetustum, controuersias
declamauit. Ciceroni Catonē, Virgilio Ennium, Sallustio
Cælium prætulit. Eadémq; iactatione de Homero ac Pla-
tone iudicauit. Mathesin sic scire sibi visus est, vt serò Ca-
lendis Ianuariis scripserit quid ei toto anno posset euenire:
ita vt eo anno quo periit, vsq; ad illam horam qua est mor-
tuus, scripserit quid acturus esset. Sed quamuis esset in re-
prehendendis musicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhe- D
toribus, oratoribus, facilis: tamen omnes professores & ho-
norauit & diuites fecit, licet eos quæstionibus semper agi-
tauit. Et quum ipse autor esset vt multi ab eo tristes recede-
rent, dicebat se grauiter ferre siquem tristem videret. In
summa familiaritate Epictetum & Heliodorū philosophos,
& (ne nominatim de omnibus dicam) grammaticos, rhe-

A thores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit: præ cæteris (vt multi asserunt) eminente Fauorino. Doctores qui professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratósque à professione dimisit. Quos in priuata vita inimicos habuit, imperator tantùm neglexit: ita vt vni quem capitalẽ habuerat, factus imperator diceret, *Euasisti*. Iis quos ad militiã ipse per se vocauit, equos, mulos, vestes, sumptus, & omnem ornatum semper exhibuit. Saturnalitia & sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libẽter accepit, & alia inuicem dedit. Ad deprehendendas
B obsonatorum fraudes quum plurimis sumẽtibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam vltimis quibusque iussit apponi. Omnes reges muneribus suis vicit. Publicè frequenter & cum omnibus lauit: ex quo ille iocus balnearis innotuit. Nam quum quodam tempore veteranum quendam notum sibi in militia, dorsum & cæteram partem corporis vidisset atterere, percontatus cur se marmoribus destringendum daret, vbi audiuit hoc idcirco fieri quòd seruum non haberet, & seruis eum donauit & sumptibus. Verùm alia die quum plures senes ad prouocandam liberalitatem
C principis pariter & se attererent, euocari eos iussit, & alium ab alio inuicem defricari. Fuit & plebis iactantissimus amator. Peregrinationis ita cupidus, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere. Frigora & tempestates ita patienter tulit vt nunquam caput tegeret. Regibus multis plurimum detulit: à plerisque verò etiam pacem redemit, à nonnullis contemptus est, multis ingentia dedit munera, sed nulli maiora quàm Hiberorum: cui & elephãtum & quinquagenariam cohortem post magnifica dedit dona. Quum à Pharasmane ipse quoque ingẽtia
D dona accepisset, atque inter hęc auratas quoq; chlamydes, trecẽtos noxios cum auratis chlamydibus in harenam misit ad eius munera deridenda. Quum iudicaret, in consilio habuit nõ amicos suos aut comites solùm, sed iurisconsultos, & præcipuè Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratiũ Priscum, aliósque, quos tamẽ senatus omnis probasset. Constituit inter cætera, vt in nulla ciuitate domus aliquæ

transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ causa dirue- A
rentur. Liberis proscriptorum duodecimas bonorum cō-
cessit. Maiestatis crimina non admisit. Ignotorum hæredi-
tates repudiauit: nec notorum accepit. si filios haberent.
De thesauris ita cauit, vt siquis in suo reperisset, ipse poti-
retur: siquis in alieno, dimidium domino daret: siquis in
publico, cum fisco æqualiter partiretur. Seruos à dominis
occidi vetuit, eósque iussit damnari per iudices, si digni es-
sent. Lenoni & lanistæ seruum vel ancillam vendi vetuit
causa non præstita. Decoctores bonorum suorum, si suæ
autoritatis essent, catamidiari in amphitheatro & dimitti B
iussit. Ergastula seruorum & libertorum tulit. Lauacra pro
sexibus separauit. Si dominus in domo interemptus esset,
non de omnibus seruis quæstionem haberi, sed de his qui
per vicinitatem poterāt sentire, præcepit. In Hetruria præ-
turam imperator egit. Per Latina oppida dictator & ædilis
& duumuir fuit. Apud Neapolin demarchus, in patria sua
quinquennalis: & item Adriæ quinquennalis quasi in alia
patria, & Athenis archon fuit. In omnibus penè vrbibus,
& aliquid ædificauit, & ludos edidit. Athenis mille ferarū
venationem in stadio exhibuit. Ab vrbe nunquam vllum C
venatorem aut scenicum auocauit. Romæ post cæteras
immensissimas voluptates, in honorem socrus suæ, aro-
matica populo donauit. In honorem Traiani balsama &
crocum per gradus theatri fluere iussit: fabulas omnis ge-
neris more antiquo in theatro dedit: histriones aulicos pu-
blicauit. In circo multas feras, & sæpè centum leones, in-
terfecit. Militares pyrrhichas populo frequenter exhibuit:
gladiatores frequenter spectauit. Quum opera vbique infi-
nita fecisset, nunquam ipse, nisi in Traiani patris templo,
nomen suum scripsit. Romæ instaurauit Pantheum, Septa, D
basilicam Neptuni, sacras ædes plurimas, forum Augusti,
lauacrum Agrippæ: eáque omnia propriis & veteribus no-
minibus consecrauit. Fecit & sui nominis pontem, & se-
pulcrum iuxta Tiberim, & ædem Bonæ deæ transtulit: &
colossum stantem atque suspensum per Detrianum archi-
tectum de eo loco in quo nunc templum vrbis est ingenti

A molimine,ita vt operi etiam elephãtes XXIIII exhiberet. Et quum hoc simulacrum post Neronis vultum cui antea dicatum fuerat Soli consecrasset,aliud tale Apollodoro architecto autore facere Lunæ molitus est.In colloquiis etiã humillimorum ciuilissimus fuit,detestans eos qui sibi hanc voluptatem humanitatis quasi seruantes fastigium principis inuiderent. Apud Alexandriam in musio, multas quæstiones professoribus proposuit: & propositas ipse dissoluit. Marius Maximus dicit eum natura crudelem fuisse, & idcirco multa piè fecisse,quòd timeret ne sibi idem quod B Domitiano accidit,eueniret. Et quum titulos in operibus non amaret, multas ciuitates *Adrianopolis* appellauit, vt ipsam Carthaginem,& Athenarum partem. Aquarum etiã ductus infinitos hoc nomine nũcupauit. Fisci aduocatum primus instituit.Fuit memoriæ ingentis,facultatis immensæ: nam & ipse orationes dictauit, & ad omnia respondit. Ioca eius plurima extant:nam fuit etiam dicaculus. Vnde illud quoque innotuit,quòd quum cuidã canescenti quiddam negasset,eidem iterum petenti, sed infecto capite, respondit,*Iam hoc patri tuo negaui.* Nomina plurimis sine no- C menclatore reddidit, quæ semel & congesta simul audiuerat,vt nomenclatores sæpius errantes emendauerit. Dixit & veteranorum nomina quos aliquãdo dimiserat. Libros statim lectos & ignotos quidem plurimis memoriter reddidit.Vno tempore scripsit,dictauit,audiuit,& cum amicis fabulatus est. Omnes publicas rationes ita complexus est, vt domum priuatam quiuis paterfamiliâs diligens non satis nouit. Equos & canes sic amauit vt eis sepulcra constitueret. Oppidum Adrianotheras in quodam loco,quòd illic & feliciter esset venatus & vrsam occidisset aliquando, D constituit. De iudicibus omnibus semper cuncta scrutando,tamdiu requisiuit quamdiu verum inueniret. Libertos suos nec sciri voluit in publico, nec aliquid apud se posse, dicto suo omnibus superioribus principibus vitia imputans libertorũ, damnatis omnibus libertis suis quicunque se de eo iactauerãt. Vnde extat etiam illud seuerè quidem, sed propè ioculare de seruis.Nam quum quodam tempore

seruum suum inter duos senatores è cõspectu ambulare vi- A
disset, misit qui ei colaphum daret, & diceret, *Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes seruus.* Inter cibos vnicè amabat tetrapharmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna & crustulo. Fuerunt eius temporibus fames, pestilẽtia & terræmotus: quæ omnia quantum potuit, procurauit: multísque ciuitatibus vastatis perista, subuenit. Fuit etiam Tiberis inundatio, Latium multis ciuitatibus dedit, tributa multis remisit. Expeditiones sub eo graues nullæ fuerunt. Bella etiã silentio penè transacta. A militibus propter curam exercitus nimiam multùm amatus est, simul B
quòd in eos liberalissimus fuit. Parthos in amicitia semper habuit, quòd inde regem retraxit quẽ Traianus imposuerat. Armenis regem habere permisit, quum sub Traiano legatum habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum quod Traianus imposuit. Albanos & Hiberos amicissimos habuit, quòd reges eorum largitionibus prosequutus est, quum ad illum venire contempsissent. Reges Bactrianorum legatos ad eum amicitiæ petendæ causa supplices miserunt. Tutores sæpissimè dedit. Disciplinam ciuilem non aliter tenuit quàm militarem. Senatores & equites Rom. C
semper in publico togatos esse iussit, nisi si à cœna reuerterentur. Ipse quum in Italia esset, semper togatus processit. Ad conuiuium venientes senatores, stans excepit: sempérque aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa. Iudicum sumptus constituit & ad antiquum modũ redegit. Vehicula cum ingentibus sarcinis vrbem ingredi prohibuit. Sederi equos in ciuitatibus nõ siuit. Ante octauam horam in publico neminem nisi ægrum lauari passus est. Ab epistolis & à libellis, primus equites Romanos habuit. Eos quos pauperes & innocentes vidit, sponte ditauit: quos verò calli- D
ditate ditatos, etiam odio habuit. Sacra Romana diligentissimè curauit: peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit. Causas Romæ atque in prouinciis frequenter audiuit, adhibitis consilio suo consulibus atque prætoribus & optimis senatoribus. Fucinum lacum emisit. Quatuor consulares per omnem Italiam iudices cõstituit.

A Quando in Africam venit, ad aduentum eius poſt quinquennium pluit: atque ideo ab Africanis delictus eſt. Peragratis ſanè omnibus orbis partibus capite nudo, & in ſummis plerumque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit lethalem. Factúſque de ſucceſſore ſolicitus, primùm de Seruiano cogitauit: quem poſtea, vt diximus, mori coegit. Fuſcum, quòd imperium præſagiis & oſtentis agitatus ſperaret, in ſumma deteſtatione habuit: Pletorium Nepotem quem tantopere antè dilexit, vt veniens ad eum ægrotantem Adrianus impunè non admitteretur, ſuſpicionibus B adductus: eodem modo & Terentium Gentianum: & hũc vehementius, quòd à ſenatu diligi tunc videbat. Omnes poſtremò de quorum imperio cogitauit, quaſi futuros imperatores deteſtatus eſt, & omnem quidem vim crudelitatis ingenitæ vſq; eò repreſſit donec in villa Tiburtina profluuio ſanguinis penè ad exitum venit. Tunc liberè Seruianum quaſi affectatorem imperij, quòd ſeruis regis cœnam miſiſſet, quòd in ſedili regio iuxta lectum poſito ſediſſet, quòd erectus ad ſtationes militũ ſenex nonagenarius proceſſiſſet, mori coëgit: multis aliis interfectis vel apertè, vel C per inſidias: quando quidem etiam Sabina vxor non ſine fabula veneni dati ab Adriano defuncta eſt. Tunc Ceioniũ Commodum, Nigrini generum inſidiatoris, quondam ſibi forma commendatum, adoptare conſtituit. Adoptauit ergo Ceionium Commodum. Verum inuitis omnibus, eúmque Ælium Verum Cæſarem appellauit. Ob cuius adoptionem ludos circenſes dedit, & donatiuum populo ac militibus expendit: quem prætura honorauit, ac ſtatim Pannoniis impoſuit, decreto conſulatu cum ſumptibus, eundem Commodum ſecundùm conſulem deſignauit. D Quem quum minus ſanum videret, ſæpiſſime dictauit, *In caducum parietem nos inclinauimus, & perdidimus quater millies H-S. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Commodus autem præ valetudine, nec gratias quidem in ſenatu agere potuit Adriano de adoptione. Denique accepto largius antidoto, ingraueſcente valetudine, per ſomnũ periit, ipſis calendis Ianuariis. Quare ab Adriano votorum

causa

causa lugeri est vetitus. Et mortuo Ælio Vero Cæsare, A
Adrianus ingruente tristissima valetudine, adoptauit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est: sed ea demum lege, vt ille sibi duos adoptaret, Annium Verum & Marcũ Antoninum. Hi sunt, qui postea duo pariter augusti, primi rempub. gubernauerunt. Antoninus quidem Pius idcirco appellatus dicitur, quòd socerum fessum ætate, manu subleuarit. quamuis alij cognomentum hoc ei dicant inditum: quòd multos senatores Adriano iam sæuienti eripuisset: alij quòd ipsi Adriano magnos honores post mortem detulisset. Antonini adoptionem plurimi tunc factam B
esse doluerunt, speciatim Catilius Seuerus præfectus vrbis, qui sibi præparabat imperium. Qua re prodita, successore accepto, dignitate priuatus est. Adrianus autem vltimo vitæ tædio iam affectus, gladio se transfigi à seruo iussit. Quod quum proditum esset, & in Antonini vsque notitiam venisset, ingressis ad se præfectis & filio, rogantibúsque vt æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis, autorem proditionis iussit occidi, qui tamen ab Antonino seruatus est. Statimque testamentum scripsit: nec tamen actus reipub. prætermisit, dicente Antonino, parricidam C
se futurum si Adrianum adoptatus ipse pateretur occidi. Et post testamentum quidem iterum se conatus occidere, subtracto pugione, sæuior factus est: petiit & venenum à medico, qui se ipse, ne daret, occidit. Ea tempestate superuenit quædam mulier quæ diceret somnio se monitam, vt insinuaret Adriano ne se occideret quòd esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cæcatam. Iussam tamẽ iterum Adriano eadem diceret, atque genua eius oscularetur, receptura visum si id fecisset. Quod quum insomnium implesset, oculos recepit, quum aqua quæ in fano erat, ex D
quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eúmque contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quamuis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret. Post hoc Adrianus Baias petiit, Antonino Romæ ad imperandum relicto. Vbi quum nihil pro-

A ficeret, accersito Antonino, in conspectu eius apud ipsas Baias periit, die sexto Iduum Iuliarum. Inuisúsque omnibus sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis. Sub ipso mortis tempore & Seruianum nonaginta annos agentem, vt suprà dictum est, ne sibi superuiueret, atque (vt putabat) imperaret, mori coëgit: & ob leues offensas plurimos iussit occidi, quos Antoninus reseruauit. Et moriens quidem, hos versus fecisse dicitur,

Animula vagula, blandula,
Hospes, comésque corporis,
B *Quæ nunc abibis in loca*
Pallidula, rigida, nudula,
Nec vt soles, dabis iocos.

Tales autem nec multo meliores fecit & Græcos. Vixit annis LXXII, mensibus V, diebus XVII. Imperauit annis XXI mensibus XI. Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, vt vulnera quæ in facie naturalia erant, tegeret: habitudine robusta. Equitauit ambulauítque plurimum. Armísque & pilo se semper exercuit. Venatu frequentissimè leonem manu sua occidit. venando autem iugulum & costam fregit. venationem semper cum amicis participauit. In conuiuio tragœdias, comœdias, Atellanas, sambucas, lectores, poëtas, pro re semper exhibuit. Tiburtinam villam mirè exædificauit, ita vt in ea & prouinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilen, Tempe vocaret. Et vt nihil prætermitteret, etiam inferos finxit. Signa mortis hæc habuit: Natali suo vltimo quum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei operuit. Annulus in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito delapsus est. Ante diem natalis eius, nescio quis ad senatum vlulans venit: contra quem Adrianus ita motus est, quasi de sua morte loqueretur, quũ eius verba nullus agnosceret. Idem quum vellet in senatu dicere, *Post filij mei mortem*, *Post mortem meam* dixit. Somniauit præterea se à patre potionem soporiferam impetrasse. Item somniauit à leone se oppressum esse. In mortuum

cum à multis multa ſunt dicta. Acta eius irrita fieri ſenatus A volebat: nec appellatus eſſet diuus niſi Antoninus rogaſſet. Templum denique ei pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit, & quinquennale certamen, & flamines & ſodales, & multa alia quæ ad honorem quaſi numinis pertinerent. Quare, vt ſuprà dictum eſt, multi putant ob hæc Antoninum Pium dictum.

AELII SPARTIANI B

ÆLIVS VERVS AD DIOCLETIANVM AVG.

Diocletiano Aug. Aelius Spartianus ſuus Sal.

IN animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot principum maxime, non ſolùm eorum qui principũ locũ in hac C ſtatione quã temperas, retẽtarunt, vt vſq; ad diuũ Adrianũ feci, ſed illorum etiã qui vel Cæſarũ nomine appellati ſũt, nec principes aut Auguſti fuerũt, vel quolibet alio genere aut in famam aut in ſpẽ principatus venerũt, cognitioni numinis tui ſternere: quorũ pręcipuè de Ælio Vero dicẽdũ eſt, qui primus tantùm *Cæſaris* nomen accepit, adoptione Adriani familiæ principũ adſcriptus. Et quoniã nimis pauca dicẽda ſũt, nec debet prolog⁹ enormior eſſe quã fabula, de ipſo iã loquar. D

CEIONIVS COMMODVS, qui & ÆLIVS VERVS appellatus eſt, quem ſibi Adrianus æuo ingraueſcente morbis triſtioribus preſſus, peragrato iam orbe terrarum, adoptauit, nihil habet in ſua vita memorabile niſi quod tantùm *Cæſar* eſt appellatus: non teſtamento, vt antea ſolebat, neque eo modo quo Traianus eſt adoptatus: ſed eo

A propè genere quo noſtris temporibus à veſtra clementia Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt: quaſi quidam principum filij viri, & deſignati auguſtæ maieſtatis heredes. Et quoniam de *Cæſarum nomine* in huius præcipuè vita eſt aliquid diſputandum, qui hoc ſolum nomen adeptus eſt, Cæſarem vel ab elephanto (qui lingua Maurorum *cæſa* dicitur) in prælio cæſo, eum qui primus ſic appellatus eſt, doctiſſimi & eruditiſſimi viri putant dictum: vel quia mortua matre, ventre cæſo ſit natus: vel quòd cum magnis crinibus ſit, vtero parentis effuſus: vel quòd oculis B cæſiis & vltra humanũ morem viguerit. Certè quæcunque illa, felix neceſſitas fuit, vnde tam clarum & duraturũ cùm æternitate mundi nomen effloruit. Hic ergo de quo ſermo eſt primùm Lucius Aurelius Verus eſt dictus, ſed ab Adriano aſcitus in Æliorum familiã, hoc eſt in Adriani tranſcriptus, & appellatus eſt Cæſar. Huic pater Ceionius Commodus fuit, quem alij Verum, alij Lucium Aurelium, multi Annium prodiderunt: maiores omnes nobiliſſimi, quorum origo pleraque ex Hetruria fuit, vel ex Fauentia. Et de huius quidem familia plenius in vita Lucij Aurelij Ceio-C nij Commodi Veri Antonini, filij huiuſce, quem ſibi adoptare Antoninus iuſſus eſt, differemus. Is enim liber debet omnia quæ ad ſtemma generis pertinent, continere, qui habet principem de quo plura dicenda ſunt. Adoptatus autem Ælius Verus ab Adriano eo tempore quo iã (vt ſuperius diximus) parum vigebat, & de ſucceſſore neceſſariò cogitabat, ſtatimq; prætor factus, & Pannonius dux ac rector impoſitus, mox conſul creatus. Et quia erat deputatus imperio, iterũ conſul deſignatus eſt. Datũ etiã populo cõgiariũ cauſa eius adoptionis, collatumq; militibus H-S ter D millies, circenſes editi: neq; quicquã prætermiſſum quod poſſet lætitiã publicã frequentare. Tantumq; apud Adrianum principem valuit, vt præter adoptionis affectum quo ei videbatur adiunctus, ſolus omnia quæ cuperet etiam per literas impetraret. Nec prouinciæ quidem cui præpoſitus erat, defuit. Nam bene geſtis rebus vel pòtius feliciter, etſi non ſummi, medij tamen obtinuit ducis famã. Hic

tamen valetudinis adeo miſeræ fuit, vt Adrianum ſtatim A
adoptionis pœnituerit, potueritque eum amouere à familia imperatoria, quum ſæpe de aliis cogitaret, ſi fortè vixiſſet. Fertur denique ab his qui Adriani vitam diligentius in literas retulerunt, Adrianum Veri ſciſſe genituram: & eum quem non multum ad rempublicam gerendam probaret, ob hoc tantùm adoptaſſe, vt ſuæ ſatisfaceret voluntati: &, vt quidam dicũt, iuriiurando quod interceſſiſſe inter ipſum ac Verum ſecretis conditionibus ferebatur. Fuiſſe enim Adrianum peritum matheſeos, Marius Maximus vſqueadeo demõſtrat, vt eum dicat cuncta de ſe ſciſſe, ſic, vt om- B
nium dierum vſque ad horam mortis futuros actus antè præſcripſerit. Satis præterea conſtat eum de Vero ſæpe dixiſſe,

Oſtendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Eſſe ſinent.

Quos verſus quum aliquando in hortulo ſpatians cantitaret, atque adeſſet vnus ex literatis quorum Adrianus ſpecioſa ſocietate gaudebat, vellétque addere,

—nimium vobis Romana propago
Viſa potens ſuperi, propria hæc ſi dona fuiſſent. C

Adrianus dixiſſe fertur, *Hos verſus vita non capit Veri.* illud addens,

--manibus date lilia plenis:
Purpureos ſpargam flores, animámque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Quum quidem etiam illud dicitur cum irriſione dixiſſe, *Ego mihi diuum adoptaui, non filium.* Eum tamen quum conſolaretur vnus de literatis qui aderãt, ac diceret, *Quid ſi non rectè conſtellatio eius collecta eſt quem credimus eſſe victurum?* D
Adrianus dixiſſe fertur, *Facilè iſta dicis tu qui patrimonij tui non reip. quæris heredem.* Vnde apparet eum habuiſſe in animo alium deligere, atque hunc vltimo vitæ ſuæ tempore à rep. ſubmouere: ſed haud eius conſilia iuuit euentus. Nam quum de prouincia Ælius rediſſet, atque orationem pulcherrimam, quæ hodieque legitur, ſiue per ſe ſiue per ſcri-

A niorum aut dicendi magiſtros paraſſet, qua Cal. Ianuariis Adriano patri gratias ageret, accepta potione qua ſe exiſtimaret iuuari, Calē d. ipſis Ianuariis periit. iuſſúſq; ab Adriano, quia vota interueniebant, non lugeri. Fuit hic vitæ lætiſſimæ, eruditus in literis, Adriano (vt maleuoli loquũtur) acceptior forma quàm moribus. In aula diu nō fuit, in vita priuata, etſi minus probabilis, minus tamen reprehendendus, ac memor familiæ ſuæ, comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celſioris, verſu facilis, in rep. etiam non inutilis. Huius voluptates ab iis qui vitam
B eius ſcripſerunt, multæ feruntur, equidem non infames ſed aliquatenus diffluentes. Nam tetrapharmacum ſeu potius pentapharmacum, quo poſtea ſemper Adrianus eſt vſus, ipſe dicitur reperiſſe, hoc eſt, ſumen, faſianum, pauonem, pernā cruſtulatam & aprugnam. De quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentapharmacum, ſed tetrapharmacum appellans: vt & nos ipſi in eius vita proſequuti ſumus. Fertur etiam aliud genus voluptatis quod Verus inuenerat. Nam lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat, minuto reticulo vndique incluſum, cúmque foliis
C roſæ quibus demptum eſſet album, replebat, iacénſq; cum concubinis, velamine de liliis facto ſe tegebat, vnctus odoribus Perſicis. Iam illa frequentantur à nonnullis, quòd & accubationes ac menſas de roſis ac liliis fecerit, & quidem purgatis: quæ etſi non decora, non tamen ad perniciem publicam prompta ſunt. Atque idem Ouidij libros amorum in lecto ſemper habuiſſe, idem Martialem epigrammaticū poetam, Virgilium ſuum dixiſſe. Iam illa leuiora quòd curſoribus ſuis exemplo cupidinum alas frequenter appoſuit, eóſque ventorū nominibus ſæpe vocitauit, Boream alium,
D alium Notum, & item Aquilonem aut Circium, cæteríſq; nominibus appellans, & indeféſsè atq; inhumaniter faciēs curſitare. Idem vxori conquerenti de extraneis voluptatibus, dixiſſe fertur, *Patere me per alias exercere cupiditates meas: vxor enim dignitatis nomen eſt, nō voluptatis.* Eius filius eſt Antoninus Verus, qui adoptatus eſt à Marco. Verus certè cum Marco æquale geſſit imperium. Nam ipſi ſunt qui primi

duo Augusti appellati sunt : & quorum fastis consularibus A sic nomina præscribuntur, vt dicantur non tantùm duo Antonini, sed duo Augusti : tantúmque huius rei & nouitas & dignitas valuit, vt fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum. Pro eius adoptione infinitam pecuniam populo & militibus Adrianus dedit. Sed quum eum videret homo paulo argutior miserrimæ valetudinis, ita vt scutum solidius iactare non posset, dixisse fertur, *Ter milies perdidimus quod exercitui populóque dependimus : siquidem satis in caducum parietem incubuimus : & qui non ipsam remp. sed nos ipsos sustentare vix possit.* Et hæc quidem Adria- B nus cum præfecto suo loquutus est. Quæ quum prodidisset præfectus, ac per hoc Ælius Cæsar indies magis magísque solicitudine, vt pote desperati hominis, aggrauaretur, præfecto suo Adrianus qui rem prodiderat, successorē dedit, volens videri quòd verba tristia temperasset : sed nihil profuit. Nam, vt diximus, *Lucius Ceionius Commodus Verus AElius Cæsar* (nam his omnibus nominibus appellatus est) periit : sepultúsque est imperatorio funere : neque quicquam de regia, nisi mortem, habuit dignitate. Doluit ergo illius mortem vt bonus pater, non vt bonus princeps. C Nam quum amici soliciti quærerent qui adoptari posset, Adrianus dixisse fertur his, *Etiam viuente adhuc Vero decreueram* : ex quo ostendit aut iudicium suum aut scientiam futurorum. Post hunc denique Adrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptauit, Pium cognomine appellatum : cui conditionem addidit vt ipse sibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret, filiámque suam Vero non Marco daret. Nec diutius vixit, grauatus languore ac diuerso genere morborum, sæpe dicens, *Sanum principem mori debere, non debilem.* Statuas sanè Ælio Vero per totum or- D bem colosseas poni iussit, templa etiam in nonnullis vrbibus fieri. Denique illius merito, filium eius Verum, nepotem vtpote suum, qui pereunte Ælio in familia ipsius Adriani remanserat, adoptandum Antonino Pio cum Marco, vt iam diximus, dedit : sæpe dicens, *Habeat respub. quodcunque de Vero* : quod quidem contrarium his quæ de

A adoptionis pœnitẽtia per autores plurimos intimata ſunt, quum Verus poſterior nihil dignum præter clementiam in moribus habuerit quod imperatoriæ familiæ lumen afferret. Hæc ſunt quæ de Vero Cæſare mandata literis fuerũt: de quo idcirco nõ tacui, quia mihi propoſitum fuit omnes qui poſt Cæſarem dictatorem, hoc eſt diuum Iulium, vel Cæſares vel Auguſti, vel principes appellati ſunt, quíque in adoptionem venerunt, vel imperatorum filij, aut parentes Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere, meæ ſatisfaciens conſcientiæ, etiamſi multis nulla ſit
B neceſſitas talia requirendi.

IVLII CAPITOLINI

ANTONINVS PIVS
ad Diocletianum Aug.

C TITO AVRELIO FVLVIO BOIONIO ANTONINO PIO, paternum genus è Gallia Tranſalpina, Nemauſenſe ſcilicet, auus Titus Aurelius Fuluius, qui per honores diuerſos ad ſecundum conſulatum & præfecturam vrbis peruenit. Pater Aurelius Fuluius, qui & ipſe fuit conſul, homo caſtus & integer. auia materna Bouinia Procilla, mater Arria Fadilla. auus maternus Arrius Antoninus, bis cõſul, homo ſanctus, & qui Neruam miſeratus eſſet quòd imperare cœpiſſet. ſoror vterina, Iulia Fadilla. vitricus Iulius Lupus conſularis. ſocer Annius Verus. vxor Annia Fauſti-
D na. filij mares duo, duæ fœminæ. gener per maiorẽ filiam, Lamia Syllanus: per minorem, Marcus Antoninus fuere. Ipſe Antoninus Pius natus eſt tertiodecimo Cal. Octobres, ſub Domitiano duodecimò, & Cornelio Dolabella coss. in villa Lanuuina: educatus Lauri in Aurelia: vbi poſtea palatium extruxit, cuius hodiéque reliquię manent. Pueritiã egit cum auo paterno, mox cum materno, omnes

ſuos

est annos qui nutricum fouentur auxilio, magnis præce- A
ptoribus traditus ad philosophiæ scita peruenit. Vsus est magistris ad prima elementa Euphorione literatore, & Gemino comœdo, musico Androne eodémque geometra: quibus omnibus vt disciplinarum autoribus plurimum detulit. Vsus præterea grammaticis, Græco, Alexandro: quotidianis Latinis, Trosio Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Siccẽsi. Oratoribus vsus est, Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuã in senatu petiit: Proculum verò vsque ad proconsulatũ B
prouexit. Honoribus in se receptis, philosophiæ operã vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimũ annum ingressus, habitũ philosophi assumpsit: & deinceps tolerantiam, quum studeret in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. Vsus est etiam Commodo magistro, cuius ei affinitas fuerat destinata. Vsus est & Apollonio Chalcedonio Stoico philosopho. Tãtùm autem studium in eo philosophiæ fuit, vt adscitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij discẽdi causa veniret. Audiuit & Sextum C
Chæronẽsem Plutarchi nepotem: Iunium Rusticũ, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos. Peripateticæ verò studiosos audiuit Claudium Seuerum, & præcipuè Iunium Rusticum. quẽ & reueritus est & sectatus: qui domi militięque pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimum, cum quo omnia communicauit publica priuatâque consilia. Cui etiam ante præfectos prætorio semper osculum dedit: quem & consulem iterum designauit, cui post obitum à senatu statuas postulauit. Tantum autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in larario habe- D
ret, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret. Studuit & iuri, audiens L. Volusium Metianum: tantúmque operis & laboris studiis impendit, vt corpus afficeret, atq; in hoc solo pueritia eius reprehenderetur. Frequentauit & declamatorũ scholas publicas: amauitque ex cõdiscipulis præcipuos senatorij ordinis Seium Fuscianũ,

A & Aufidium Victorinum: ex equestri, Bebium Longum & Calenum, in quos maximè liberalis fuit: & ita quidem vt quos nõ posset ob qualitatem vitæ reip. præponere, locupletatos teneret. Educatus est in Adriani gremio, qui illũ (vt suprà diximus) Verissimum nominabat: & qui ei honorẽ etiam publicè sexenni detulit: octauo ætatis anno in Saliorum collegium retulit. In saliatu omen accepit imperij. Coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ aliis locis hæserunt, huius, velut manu, capiti Martis aptata est. Fuit in eo sacerdotio & præsul & vates & magister, & B multos inaugurauit atque exaugurauit, nemine præeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset. Virilẽ togam sumpsit quintodecimo ætatis anno, statimq; ei L. Ceionij Cõmodi filia desponsata est ex Adriani volũtate. Nec multo pòst præfectus feriarum Latinarum fuit. In quo honore præclarissimè se pro magistratibus agẽtem, & in conuiuiis Adriani principis ostendit. Post hoc patrimonium paternum sorori totum concessit: quum eum ad diuisionẽ mater vocaret, respondit, aui bonis se esse cõtentum: addens, vt & mater si vellet, in sororem suum patrimoniũ cõferret, ne infe- C rior esset soror marito. Fuit autẽ ea vitæ indulgentia vt cogeretur nonnunquam vel in venationes pergere, vel in theatrum descendere, vel spectaculis interesse. Operã præterea pingendo sub magistro Diogneto dedit. Amauit pugilatũ, luctamina, & cursum, & aucupatus. & pila lusit apprimè, & venatus est. Sed ab omnibus his intentionibus studium eum philosophiæ abduxit, seriúmque & grauem reddidit: nõ tamen prorsus abolita in eo comitate, quam præcipuè suis mox amicis atque etiam minus notis exhibebat: quum frugi esset sine contumacia, verecũdus sine ignauia, D sine tristitia grauis. His ita se habẽtibus, quum post obitum L. Cæsaris Adrianus successorẽ imperij quæreret, nec idoneus, vtpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur, amitæ Marci virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit, vt sibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen vt & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret. Sanè ea die qua adoptatus est, Verus in somnis se humeros

eburneos habere vidit: sciscitatúsq; an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores. Vbi autem comperit se ab Adriano adoptatũ, magis est deterritus quàm lætatus: iussúsque in Adriani priuatam domũ migrare, inuitus de maternis hortis recessit. Qúmque ab eo domestici quærerẽt cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputauit quæ mala in se contineret imperium. Tunc primùm pro Annio Aurelius cœpit vocari, quòd in Aureliam, hoc est Antonini, adoptionis iure transisset. Octauodecimo ergo ætatis anno adoptatus, in secundo cõsulatu Antonini iam patris sui, Adriano ferente, gratia ætatis facta, quæstor est designatus. Adoptatúsque in aulicam domum, omnibus parẽtibus suis tantam reuerentiam quantam priuatus exibuit. Erátque haud secus rei suæ quàm in priuata domo parcus ac diligens, pro instituto patris volẽs agere, dicere, cogitate. Adriano Baiis absumpto, quum Pius ad vehendas eius reliquias esset profectus, relictus Romę, auo iusta impleuit: & gladiatorum, quasi priuatus quæstor, edidit munus. Post excessum Adriani statim Pius per vxorẽ suã Marcũ sciscitatus est: & quum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucii Ceionii Commodi filia desponderi voluerat, impar adhuc ætati esset, habita deliberatione cogitare velle se dixit. His ita gestis, adhuc quæstorem & cõsulem secum Pius Marcũ designauit, & Cęsaris appellatione donauit: & seuirum turmis equitum Romanorum iam cõsulem designatum creauit: & edenti cum collegis ludos seuirales adsedit, & in Tiberianam domum transgredi iussit, & aulico fastigio renitentem ornauit, & in collegia sacerdotum iubente senatu recepit, secundùm etiam consulem designauit, quum ipse quartùm pariter iniret. Per eadem tempora quum tantis honoribus occuparetur, & quum formandus ad regẽdum statum reipub. patris actibus interesset, studia cupidissimè frequentauit. Post hæc Faustinam duxit vxorem, & suscepta filia, tribunitia potestate donatus est, atque imperio extra vrbem procõsulari, addito iure quintæ relationis: tantúmque apud Pium valuit vt nunquam quenquam sine eo facilè promouerit. Erat autem in summis obsequiis

A patris Marcus, quamuis non deessent qui aliqua aduersum eum insusurrarent, & præ cæteris Valerius Omulus: qui quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurrauit, *Illa nunc rogat vt diem tuum claudas, & filius imperet.* quod omnino apud Pium nihil valuit: tanta erat Marci probitas, & tanta in imperatorio principatu modestia. Æstimationis autem tantam curam habuit, vt & procuratores suos puer semper moneret nequid arrogantius facerēt, & hæreditates delatas reddens proximis aliquando respuerit: denique per viginti & B tres annos in domo patris ita versatus, vt eius quotidie amor cresceret: nec præter duas noctes per tot annos ab eo mansit diuersis vicibus. Ob hoc Antoninus Pius quum sibi adesse finem vitæ videret, vocatis amicis & præfectis, vt successorem eum imperij omnibus commendauit atque firmauit, statímq; signo Æquanimitatis tribuno dato, Fortunam auream quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit. Bonorum maternorum partem Mummio Quadrato sororis filio (quia illa iā mortua erat) tradidit. Post excessum diui Pij à senatu coactus regimen C publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designauit: quē *Lucium Aurelium Verum Commodum* appellauit, Cęsarémque atq; Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt rempublicam regere. Tuncq; primùm Romanum * imperium duos Augustos habere cœpit lictum cum alio participasset. Antonini mox ipse nomen recepit. & quasi pater L. Commodi esset, & Verum eum appellauit, addito Antonini nomine: filiámque suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominū frumētariæ perceptioni ascribi præceperūt. Actis D igitur quæ agenda fuerant in senatu, pariter castra prætoria petiuerunt, & vicena millia nummûm singulis ob participatum imperium militibus promiserunt, & cæteris pro rata. Adriani autem sepulcro corpus patris intulerūt magnifico exequiarū officio: mox iustitio sequuto, publicè quoq; funeris expeditus est ordo. Et laudauere vterq; pro rostris patrē, flaminemq; ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis

Aurelianos creauere. Adepti imperium, ita ciuiliter se ambo egerunt, vt lenitatem Pij nemo desideraret, quum eos Marullus sui temporis mimographus cauillando impunè perstringeret. Funebre munus patri dederunt. Dabat se Marcus totum & philosophiæ, amorem ciuium affectans. Sed interpellauit istam felicitatem securitatémque imperatoris prima Tiberis inundatio, quæ sub illis grauissima fuit: quæ res & multa vrbis ædificia vexauit, & plurimum animalium interemit, & famem grauissimam peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarunt. Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus patratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. Imminebat etiam Britannicum bellum, & Catti in Germaniam ac Rhetiam irruperant. Et aduersus Britannos quidem Calphurnius Agricola missus est, contra Cattos Aufidius Victorinus. Ad Parthicum verò bellum senatu consentiente, Verus frater eius missus est: ipse Romæ remansit, quòd res vrbanæ imperatoris præsentiam postularent. Et Verum quidem Marcus Capuam vsque prosequutus, amicis comitantibus è senatu ornauit, additis officiorum omnium principibus. Sed quum Romam redisset Marcus, cognouissétque Verum apud Canusium ægrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in senatu votis: quę posteaquam Romam rediit, audita Veri transmissione, statim reddidit. Et Verus quidem posteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, armísque se gladiatoriis & venatibus exercuit, quum per legatos bellum Parthicũ gerens, imperator appellatus esset, quum Marcus horis omnibus reipublicæ actibus incubaret, patientérque delicias fratris & propè inuitus ac nolens ferret. Denique omnia quæ ad bellum erant necessaria, Romę positus & dispo suit Marcus & ordinauit. Gestæ sunt res in Armenia prosperè per Statium Priscum Artaxatis captis: delatúmq; *Armeniacum* nomen vtrique principum: quod Marcus per verecundiam primò recusauit, postea tamen recepit. Profligato autem bello, vterque *Parthicus* ap-

A pellatus est. sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiauit, quod postea recepit. *Patris patriæ* autem nomen delatum fratre absente, in eiusdem præsentiam distulit: medio belli tempore & Ciuicam patruum Veri & filiam suam nupturam commissam sororis suæ curæ, eandem locupletatam, Brundusium vsq; deduxit, & ad eum misit. Romam verò statim rediit, reuocatus eorum sermonibus qui dicebant Marcum velle finiti belli gloriam sibimet vendicare, atque idcirco in Syriam proficisci. Ad proconsulem scribit, nequis filiæ suæ iter facienti occurreret. Inter hæc liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos

B ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito. Per prouincias tabulariorũ publicorũ vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret quod Romæ apud præfectos ærarij: vt si fortè aliquis in prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hãc totam legem de assertionibus firmauit: aliásq; de mensariis & auctionibus tulit. Senatum multis cognitionibus, & maximè ad se pertinentibus, iudicem dedit. De statu etiam defunctorũ intra quin-

C quennium quæri iussit: neque quisquam principum amplius senatui detulit. In senatus autem honorificentiam, multis & prætoriis & consularibus priuatis decidenda negotia delegauit, quò magis eorũ cum exercitio iuris autoritas cresceret. Multos ex amicis in senatum allegit cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus: multis senatoribus vel pauperibus sine crimine, dignitates tribunitias ædilitiásq; cõcessit: nec quemquam in ordinem legit nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoque senatoribus detulit, vt quoties de eorum capite esset iudicãdum, secretò pertractaret, atque ita

D in publicum prodiret: nec pateretur equites Romanos talibus interesse causis. Semper autem quum potuit, interfuit senatui etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit: si verò aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitiis præterea etiam vsque ad noctem frequẽter interfuit: neque vnquam recessit de curia nisi consul dixisset, *Nihil vos moramur Patres conscripti*: senatum appellationibus à

consule factis, iudicem dedit. Iudiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit: fastis dies iudiciarios addidit, ita vt ducentos triginta dies annos rebus agendis litibúsque disceptandis constitueret. Prætorem tutelarẽ primus fecit, quum antè tutores à consulibus poscerentur, vt diligentius de tutoribus tractaretur. De curatoribus verò, quũ antè nonnisi ex lege Lectoria vel propter lasciuiam vel propter dementiam darentur, ita statuit vt omnes adulti curatores acciperent non redditis causis. Cauit & sumptibus publicis, & calumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus augeretur, cõtempsit. De alimentis publicis multa prudenter inuenit. Curatores multis ciuitatibus, quò latius senatorias tẽderet dignitates, è senatu dedit. Italicis ciuitatibus famis tempore frumentũ ex vrbe donauit: omníque frumentariæ rei consuluit. Gladiatoria spectacula omnifariam temperauit. Temperauit etiã scenicas donationes, iubens vt quinos aureos scenici acciperent: ita tamen vt nullus editor decem aureos egrederetur. Vias etiam vrbis atque itinerum diligentissimè curauit. Rei frumentariæ grauiter prouidit. Datis iuridicis, Italiæ consuluit, ad id exemplum quo Adrianus cõsulares viros reddere iura præceperat. Hispaniis exhaustis Italica allectione contra Traiani præcepta, verecundè consuluit. Leges etiam addidit de vicesima hęreditatum, de tutelis libertorum, de bonis maternis, & item de filiorum successionibus pro parte materna, vtque senatores peregrini quartã partem in Italia possiderent. Dedit præterea curatoribus regionum ac viarum potestatẽ, vt vel punirent, vel ad præfectum vrbi puniendos remitterent eos qui vltra vectigalia quicquã ab aliquo exegissent. Ius autem magis vetus restituit quàm nouum fecit. Habuit secum præfectos, quorum & autoritate & periculo semper iura dictauit. Vsus autem est Scæuola pręcipuè iuris perito. Cum populo autem non aliter egit quàm est actum sub ciuitate libera. Fuítque per omnia moderatissimus in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecítque ex malis bonos, ex bonis optimos:

A moderatè etiam cauillationes nonnullorum ferens. Nam quum quendam Veterasinum famæ detestandæ honorem petentem moneret vt se ab opinionibus populi vendicaret, & ille contrà respondisset, multos qui secum in harena pugnassent, se prætores videre, patienter tulit. Ac ne in quenquam facilè vindicaret, prætorem quoque dum pessimè egerat, non abdicare se prætura iussit, sed collegæ iurisdictionem mandauit. Fisco in causis compendij nunquam iudicans fauit: sanè quamuis esset constans, erat etiã verecundus. Posteaquam autẽ à Syria victor frater rediit,
B patris patriæ nomen ambobus decretum est, quum se Marcus absente Vero erga omnes senatores atq; homines moderatissimè gessisset. Corona præterea ciuica oblata est ambobus, petiítque Lucius vt secum Marcus triumpharet. Petiit præterea Lucius vt filij Marci Cæsares appellarẽtur. Sed Marcus tanta fuit moderatione vt quum simul triumphasset, tamen post mortem Lucium tantùm Parthicum, Germanicũ se vocaret, quod sibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci vtriusque sexus secum vexerunt, ita tamen vt & puellas virgines veherent. Ludos
C etiam ob triumphum decretos spectauerunt habitu triumphali. Inter cætera pietatis eius hæc quoque moderatio prædicanda est: Cunabulis post puerorum lapsum culcitras subiici iussit: vnde hodiéque rete prætenditur. Dum Parthicũ bellum geritur, natum est *Marcomannicum*, quod diu eorũ qui aderant arte suspensum est, vt finito iam orientali bello Marcomannicum agi posset. Et quum famis tempore populo insinuasset de bello, fratre post quinquẽnium reuerso, in senatu egit, ambos necessarios dicẽs bello Germanico imperatores. Tantus autem terror belli Marco-
D mannici fuit, vt vndique sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere lustrauerit, retardatúsque à bellica profectione sit. celebrauit & Romano ritu lectisternia per septem dies. Tanta autem pestilentia fuit vt vehiculis cadauera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorúmque asperrimas sanxerunt: quandoquidem cauerunt ne

ſuos religioſè colens: atque adeo & conſobrinorum & vitrici & multorum affinium hæreditate ditatus eſt. Fuit vir forma conſpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, ſingularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipuè ſobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abſtinens, & omnia hæc cum menſura & ſine iactantia. In cunctis poſtremò laudabilis, & qui meritò Numæ Pompilio ex bonorum ſententia comparatur. *Pius* cognominatus eſt à ſenatu, vel quòd ſocerũ feſſa iam ætate, manu, præſente ſenatu, leuauerit: (quod quidem non ſatis magnæ pietatis eſt argumentum, quum impius ſit magis qui iſta non faciat, quàm pius qui debitum reddat) vel quòd eos quos Adrianus per malam valetudinem occidi iuſſerat, reſeruauit: vel quòd Adriano contra omnium ſtudia, poſt mortem infinitos atque immenſos honores decreuit: vel quòd quum ſe Adrianus interimere vellet, ingenti cuſtodia & diligentia fecit ne id poſſet admittere: vel quòd verè natura clementiſſimus, & nihil temporibus ſuis aſperum fecit. Idem fœnus trientarium, hoc eſt minimis vſuris exercuit, vt patrimonio ſuo plurimos adiuuaret. Fuit quæſtor liberalis, prætor ſplendidus, conſul cum Catilio Seuero. Hic in omni vita priuata in agris frequentiſſimè vixit: ſed clarus in locis omnibus fuit. Ab Adriano inter quatuor cõſulares, quibus Italia committebatur, electus eſt ad eam partem Italiæ regendam in qua plurimùm poſsidebat, vt Adrianus viri talis & honori conſuleret & quieti. Huic quum Italiam regeret, imperij omen factũ eſt. Nam quum tribunal aſcendiſſet, inter alias acclamationes dictum eſt, *Auguſte, dij te ſeruent*. Proconſulatum Aſiæ ſic egit, vt ſolus auum vinceret. In proconſulatu etiam ſic imperij omen accepit. Nam quum ſacerdos fœmina Trallis ex more proconſules ſemper hoc nomine ſalutaret, non dixit, *Aue proconſul*, ſed *Aue imperator*. Cyzici etiam de ſimulacro dei ad ſtatua eius corona tranſlata eſt. Et poſt conſulatum in viridario taurus marmoreus, cornibus ramis arboris accreſcẽtibus, appenſus eſt. Et fulgur cœlo ſereno ſine noxa in eius domũ venit. Et in Hetruria dolia quæ defoſſa fuerãt, ſupra

A terram reperta ſunt. Et eius ſtatuas in omni Hetruria examen apum repleuit. Et ſomnio ſæpe monitus, ſe penitus eius Adriani ſimulacrum inſerere. Proficiſcens ad proconſulatum, filiam maiorem amiſit. De huius vxore multa dicta ſunt ob nimiam libertatem & viuendi facilitatem, quæ iſte cum animi dolore compreſſit. Poſt proconſulatum, in conſiliis Adriani Romæ frequens vixit, de omnibus de quibus Adrianus conſulebat, mitiorem ſententiam ſemper oſtendens. Genus ſanè adoptionis tale fertur: Mortuo Ælio Vero quem ſibi Adrianus adoptauerat & Cæſarem nuncupa-
B uerat, dies ſenatus habebatur. Eò Arrius Antoninus ſoceri veſtigia leuans venit, atq; idcirco ab Adriano dicitur adoptatus: quæ cauſa ſola eſſe adoptionis nec potuit omnino nec debuit, maximè quum & ſemper rempub. bene egiſſet Antoninus, & in proconſulatu ſe ſanctum grauémq; præbuiſſet. Ergo eum quum Adrianus adoptare ſe velle publicaſſet, acceptum eſt ſpatium deliberandi vtrum arrogari ab Adriano vellet. Adoptionis lex huiuſmodi data eſt: vt quēadmodum Antoninus ab Adriano adoptabatur, ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum fratris vxoris ſuę filium, & L. Ve-
C rũ, Ælij Veri qui ab Adriano adoptatus fuerat, filium, qui poſtea Verus Antoninus eſt dictus. Adoptatus eſt v. Calend. Martias die, in ſenatu gratias agens quòd de ſe ita ſenſiſſet Adrianus: factúſque eſt patri & in imperio proconſulari & in tribunitia poteſtate collega. Huius primum hoc fertur, quòd quũ ab vxore argueretur quaſi parum neſcio quid ſuis largiens, dixerit, *Stulta poſteaquam ad imperium trãſiuimus, & illud quod habuimus antè perdidimus.* Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ pater promiſerat. Et ad opera Adriani plurimum contulit: & aurum
D coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit. Et patri quoad vixit, religioſiſſimè paruit. Sed Adriano apud Baias mortuo, reliquias eius Romam peruexit ſanctè ac reuerenter, atque in hortis Domitiæ collocauit: etiam repugnantibus cunctis, inter diuos eum retulit. Vxorem Fauſtinam, *Auguſtam* appellari à ſenatu permiſit: *Pij* appellationem re-

cepit. Patri & matri atque auis & fratribus iam mortuis, A
ſtatuas decretas libenter accepit. Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit, aliis honoribus refutatis. Clypeũ Adriano magnificentiſſimum poſuit, & ſacerdotes inſtituit. Factus imperator, nulli eorũ quos Adrianus prouexerat, ſucceſſorem dedit. Fuítque ea conſtantia vt ſeptenis & nouenis annis in prouinciis bonos præſides detineret. Per legatos ſuos plurima bella geſſit. Nam & Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio muro ceſpititio ſubmotis barbaris ducto: & Mauros ad pacem poſtulandam coegit:
& Germanos & Dacos & multas gentes atque Iudæos re- B
bellantes cõtudit per præſides ac legatos. In Achaia etiam atq; Ægypto rebelliones repreſſit. Alanos molientes ſæpe refrenauit: procuratores ſuos modeſtè ſuſcipere tributa iuſſit: excedentes modum, rationem factorum ſuorum reddere præcepit: nec vnquam lætatus eſt lucro quo prouincialis oppreſſus eſt. Contra procuratores ſuos conquerentes libenter audiuit. His quos Adrianus damnauerat, in ſenatu indulgentias petiit, dicens, etiam ipſum Adrianũ hoc fuiſſe facturum. Imperatorium faſtigium ad ſummam ciuilitatem deduxit. Vnde plus creuit recuſantibus aulicis mi- C
niſtris, qui illo nihil per internuntios agente, nec terrere poterant homines aliquando, nec ea quæ occulta nõ erant vendere. Senatui tantùm detulit imperator quantũ quum priuatus eſſet deferri ſibi ab alio principe optauit. Patris patriæ nomen delatum à ſenatu, quod primò diſtulerat, cum ingẽti gratiarum actione ſuſcepit. Tertio anno imperij ſui Fauſtinam vxorem perdidit: quæ à ſenatu conſecrata eſt, delatis circenſibus atque templo, & flaminicis & ſtatuis aureis atque argenteis: quum etiam ipſe hoc conceſſerit vt
imago eius cunctis circẽſibus poneretur. Statuam auream D
delatam à ſenatu poſitam ſuſcepit. M. Antoninum quæſtorem, conſulem petente ſenatu creauit. Annium Verum, qui poſtea dictus eſt Antoninus, ante tempus quæſtorem deſignauit: neque de prouinciis neque de vllis actibus quicquam conſtituit niſi quod prius ad amicos retulit: atque ex eorum ſententia formas compoſuit. Viſus eſt ſanè ab ami-

A cis,& cum priuatis veſtibus,& domeſtica quædam gerens. Tanta ſane diligētia ſubiectos ſibi populos rexit vt omnia & omnes, quaſi ſua eſſent,curaret. Prouinciæ ſub eo cunctæ fluerunt. Quadruplatores extincti ſunt. Publicatio bonorum rarior quàm vnquam fuit, ita vt vnus tantùm proſcriberetur affectatæ tyrannidis reus, hoc eſt,Attilius Tatianus ſenatu puniente, à quo conſcios requiri vetuit,filio eius in omnibus ſemper adiuto. Periit & Priſcianus reus affectatæ tyrannidis,ſed morte voluntaria. De qua coniuratione quæri vetuit. Victus Antonini Pij talis fuit,vt eſſet B opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus,& menſa eius per proprios ſeruos, proprios aucupes,piſcatores & venatores inſtrueretur. Balneum quo vſus fuiſſet, ſine mercede populo exhibuit: nec omnino quicquam de vitæ priuatæ qualitate mutauit. Salaria multis ſubtraxit, quos otioſos videbat accipere, dicens, *Nihil eſſe ſordidius, imò crudelius,quàm ſi remp. ij arroderent qui nihil in eam ſuo labore conferrent.* Vnde etiam Meſomedi lyrico ſalarium imminuit. Rationes omnium prouincialium apprimè ſciuit & vectigalium. Patrimonium priuatum in filiam contulit: C ſed fructus reipub. donauit. Species imperatorias ſuperfluas & prędia vendidit:& in ſuis propriis fundis vixit variè ac pro temporibus: nec vllas expeditiones obiit niſi quòd ad agros ſuos profectus eſt ad Campaniam,dicens, *grauem eſſe prouincialibus comitatum principis etiam nimis parci*: & tamen ingenti autoritate apud omnes gentes fuit, quum in vrbe propterea ſederet,vt vndiq; nuntios medius, vt pote citius, poſſet accipere. Congiarium populo dedit,militibus donatiuum addidit. Puellas alimentarias in honorem Fauſtinæ, Fauſtinianas conſtituit. Opera eius hæc extant D Romæ, Templum Adriani honori patris dicatum, Græcoſtadium poſt incendium reſtitutum, inſtauratum amphitheatrum,ſepulcrum Adriani,templum Agrippæ,pons ſublicius, phari reſtitutio, Caietæ portus, Tarracinenſis portus reſtitutio, lauacrum Oſtienſe, Antiatum aquæ ductus, templa Lanuuiana. Multas etiam ciuitates adiuuit pecunia,vt opera vel noua facerent,vel vetera reſtituerent:

ita vt & magiſtratus adiuuaret, & ſenatores vrbis ad functiones ſuas. Hæreditates eorum qui filios habebant, repudiauit. Primus conſtituit ne pœnæ cauſa legatum relictum maneret: ſucceſſorem viuenti bono iudici nulli dedit, niſi Orphito pręfecto vrbi, ſed petenti. Nam Gauius Maximus præfectus prætorij vſque ad xx annum ſub eo peruenit, vir ſeueriſſimus, cui Tatius Maximus ſucceſſit. In cuius demortui locum duos præfectos ſubſtituit, Fabium Repentinum & Cornelium Victorinum. Sed Repentinus famoſa voce percuſſus eſt quòd per concubinam principis ad pręfecturam veniſſet. Vſqueadeo ſub eo nullus percuſſus eſt ſenator, vt etiam parricida confeſſus in inſula deſerta poneretur, quia viuere illi naturæ legibus non licebat. Vini, olei, & tritici penuriam per ærarij ſui damna emēdo & gratis populo dando, ſedauit. Aduerſa eius temporibus hæc prouenerunt: Fames de qua diximus, circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida cōciderunt: quæ omnia mirificè inſtaurauit. Et Romæ incendium, quod trecētas quadraginta inſulas vel domos abſumpſit. Et Narbonenſis ciuitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe forum arſit. Fuit & inundatio Tiberis. Apparuit & ſtella crinita. Natus eſt & biceps puer, & vno partu mulieris quinque pueri editi ſunt. Viſus eſt in Arabia iubatus anguis maior ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mœſia in culminibus arborum natum eſt. Quatuor præterea leones manſueti, ſponte ſe capiendos in Arabia prębuerunt. Pharaſmanes rex ad eum Romam venit, plúſque illi quàm Adriano detulit. Pacorū regem Ladis dedit. Parthorum regem ab Armeniorū expugnatione ſolis literis repulit. Abgarum regem ex orientis partibus ſola autoritate deduxit. Cauſas regales terminauit. Sellam regiam Parthorum regi repetenti quam Traianus ceperat, pernegauit. Rimethalcen in regnum Boſphoranum, audito inter ipſum & curatorem negotio, remiſit. Olbiopolitis contra Tauroſcythas in Pontum auxilia miſit: & Tauroſcythas vſque ad dādos Olbiopolitis obſides vicit. Tantum ſanè autoritatis apud exteras gētes ne-

A mo habuit, quum ſemper amauerit pacem, eouſque vt Scipionis ſententiam frequentarit, qua ille dicebat, *Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere.* Menſes Septẽbrem atque Octobrem, Antonianum atque Fauſtinianum appellãdos decreuit ſenatus, ſed id Antoninus reſpuit. Nuptias filiæ ſuæ Fauſtinæ, quum Marco Antonino eam coniungeret, vſque ad donatiuum militum celeberrimas fecit. Verum Antoninum poſt quæſturam cõſulem fecit. Quum Apolloniũ quem Chalcide acciuerat, ad Tiberianam domum in qua habitabat vocaſſet, vt ei Marcum Antoninum B traderet, atque ille dixiſſet, *Non magiſter ad diſcipulum debet venire, ſed diſcipulus ad magiſtrum*, riſit eum dicens, *Facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam venire quàm à domo ſua in palatium:* cuius auaritiam etiam in mercedibus notauit. Inter argumenta pietatis eius & hoc habetur, quòd quum Marcus mortuum educatorem ſuum fleret, vocaretúrque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, ipſe dixerit: *Permittite* (inquit) *illi vt homo ſit: neque enim vel philoſophia vel imperium tollit affectus.* Præfectos ſuos & locupletauit & ornamentis conſularibus donauit: ſiquos repetundarum dã-C nauit, eorum liberis bona paterna reſtituit, ea tamen lege vt illi prouincialibus redderent quod parentes acceperãt. Ad indulgentias proniſſimus fuit. Edita munera, in quibus elephantos, & crocutas, & ſtrepſicerotas, & crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarũ cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones vna miſſione edidit. Amicis ſuis in imperio ſuo non aliter vſus eſt quàm priuatus: quia & ipſi nũquam de eo cum libertis ſuis per fumum aliquid vendiderunt: ſiquidem libertis ſuis ſeueriſſimè vſus eſt. Amauit hiſtrionum artes: piſcando ſe & D venando multùm oblectauit, & deambulatione cum amicis atque ſermone. Vindemias priuati modo cum amicis agebat. Rhetoribus & philoſophis per omnes prouincias & honores & ſalaria detulit. Orationes plerique alienas eſſe dixerunt quæ ſub eius nomine feruntur: Marius Maximus eius proprias fuiſſe dicit. Conuiuia cum amicis & priuata communicauit & publica: nec vllum ſacrificium per

vicarium fecit, nisi quum æger fuit. Quum sibi & filiis honores peteret, omnia quasi priuatus fecit. Frequentauit & ipse amicorum suorum conuiuia. Inter alia etiam hoc ciuilitatis eius præcipuum argumentum est, quòd quum domum Omuli visens, mіránsque columnas porphyreticas, requisisset vnde eas haberet: atque Omulus ei dixisset, *Quũ in domum alienam veneris, & mutus & surdus esto*, patienter tulit. cuius Omuli multa ioca semper patiẽter accepit. Multa de iure sanxit, vsúsque est iuris peritis, Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello, & Iaboleno. Seditiones vbicunque factas, non crudelitate, sed modestia & grauitate compressit. Intra vrbes sepeliri mortuos vetuit. Sũptum muneribus gladiatoriis instituit. Vehicularium cursum summa diligentia subleuauit. Omniũ quę gessit, & in senatu & per edicta rationem reddidit. Periit anno septuagesimo: sed quasi adolescens desideratus est. Mors autem eius talis fuisse narratur: Quum Alpinum caseum in cœna edisset auidius, nocte reiectauit, atque alia die febre commotus est. Tertia die quum se grauari videret, M. Antonino remp. & filiam præsentibus præfectis commendauit, Fortunámque auream quæ in cubiculo principũ poni solebat, transferri ad eum iussit: signũ tribuno Æquanimitatis dedit: atque ita conuersus quasi dormiret, spiritũ reddidit apud Lorium. alienatus in febri, nihil aliud quàm de republ. & de his regibus quibus irascebatur, loquutus est. Priuatum patrimonium filiæ reliquit. Testamento autem omnes suos legatis idoneis prosequutus est. Fuit statura eleuata decorus. Sed quum esset lõgus & senex, incuruareturq;, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, vt rectus incederet. Senex etiã antequã salutatores venirẽt, panẽ siccũ comedit ad sustentandas vires. Fuit voce rauca & sonora, cum iucunditate. A senatu diuus est appellatus, cũctis certatim adnitẽtibus: quum omnes eius pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarẽt, decreti etiam sunt omnes honores qui optimis principibus antè delati sunt. Meruit & flaminem & circenses & templũ & sodales Antoninianos: solusq; omnium propè principum prorsus

A sine ciuili sanguine & hostili, quantum ad seipsum pertinet, vixit: & qui rite comparatur Numæ, cuius felicitatem pietatémque & securitatem ceremoniásque semper obtinuit.

IVLII CAPITOLINI

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.

B

MARCO ANTONINO in omni vita philosophanti viro, & qui sanctitate vitæ omnibus principibus antecellit, pater Annius Verus, qui in prætura decessit: auus Annius Verus, iterum cõsul & præfectus vrbi, adscitus in patritios à principibus Vespasiano & Tito censoribus: patruus Annius Libo consul: amita Galeria Faustina Augusta: mater Domitia Caluilla, Caluisij Tulli bis consulis filia:
C proauus pater Annius Verus prętorius ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator: proauus maternus Catilius Seuerus, bis consul & præfectus vrbi: auia paterna Rupilia Faustina, Rupilij Boni consularis filia, fuere. Natus est Marcus Romæ sexto Cal. Maias in monte Celio in hortis, auo suo iterum & Augure COSS. Cuius familia in originem recurrens, à Numa probatur sanguinem trahere, vt Marius Maximus docet. Item à rege Salentino Malennio Dasummi filio, qui Lupias condidit. Educatus est in eo loco in quo natus est, & in domo aui sui Veri iuxta ædes Laterani.
D Habuit & sororem natu minorem Anniam Cornificiam: vxorem Anniam Faustinam consobrinam suam. M. Antoninus principio aui sui nomen habuit, & Catilij Seueri materni proaui. Post excessũ verò patris ab Adriano *Annius Verissimus* vocatus est: post virilem autem togã, *Annius Verus*, patre mortuo, ab auo paterno adoptatus est & educatus. Fuit à prima infantia grauis. At vbi egressus est

ne vti quis vellet fabricaret sepulcrum: quod hodiéque seruatur. Et multa quidem milia pestilentia consumpsit, multósque ex proceribus: quorum amplissimis Antoninus statuas collocauit. Tantáque clementia fuit vt & sumptu publico vulgaria funera iuberet efferri: & vanò cuidam qui diripiẽdæ vrbis occasionẽ cum quibusdam consciis requirens, de caprifici arbore in campo Martio cõcionabundus, ignem de cælo lapsurum, finémque mundi affore diceret, si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur: quum statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, perducto ad se atque confesso veniam daret. Profecti itaque sunt paludati ambo imperatores, Victoualis & Marcomannis cuncta turbantibus, aliis etiã gentibus quę pulsæ à superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellũ inferentibus. Nec parum profuit ista profectio, quum Aquileiam vsque venissent. Nam plerique reges & cum populis suis se retraxerũt, & tumultus autores interemerũt. Quadi autem amisso rege suo, non prius se cõfirmaturos eũ qui erat creatus, dicebãt, quàm id nostris placuisset imperatoribus. Lucius tamẽ inuitus profectus est, quũ plerique ad legatos imperatorũ mitterẽt, defectionis veniam postulantes. Et Lucius quidem quòd amissus esset præfectus prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interisset, redeundum esse censebat: Marcus autem fingere barbaros existimãs & fugã & cætera quę securitatem bellicam ostenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse dicebat. Denique trãscensis Alpibus longius processerunt, composuerúntque omnia quæ ad munimẽ Italiæ atq; Illyrici pertinebant. Placuit autẽ, vrgente Lucio, vt præmissis ad senatum literis Lucius Romam rediret. Via quoque posteaquã iter ingressi sunt: sedẽs cum fratre in vehiculo Lucius, apoplexi arreptus periit. Fuit autẽ consuetudo Marco vt in circensiũ spectaculo legeret, audirétq; ac subscriberet: ex quo quidẽ sæpe iocis popularibus dicitur lacessitus. Multum sanè potuerunt liberti sub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus. Tantæ autem sanctitatis fuit Marcus, vt Veri vitia & celauerit & defenderit, quũ ei vehementissimè displicerẽt,

F

A mortuúmque eum diuum appellauerit: amitásq; eius & sorores honoribus & salariis decretis subleuauerit atque prouexerit, sacrísq; eum plurimis honorauerit: flaminē & Antonianos sodales, & omnes honores qui diuis habentur, eidem dedicauit. Nemo est principum quem nō grauis fama perstringat, vsqueadeo vt etiam Marcus in sermonē venerit quòd Verum vel veneno ita sustulerit, vt parte cultri veneno lita vuluam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & sibi innoxiam reseruans: vel certè per medicum Posidippum, qui ei sanguinem intempestiuè dicitur

B emisisse. Cassius post mortem Veri à Marco desciuit. Iam in suos tanta fuit benignitate Marcus, vt cum in omnes propinquos cuncta honoris ornamenta contulerit, tum in filium Commodum, & quidem scelestum atque impurum, citò nomen Cæsaris, & mox sacerdotium, statímque nomē imperatoris ac triumphi participationem & consulatum. quo quidem tempore sine imperatoris filio ad triumphalem currum in circo pedes cucurrit. Post Veri obitū Marcus Antoninus solus remp. tenuit, multo melior & feracior ad virtutes: quippe qui nullis Veri iam impediretur aut si-

C mulatis callidæ seueritatis (quo ille ingenito vitio laborabat) erroribus, aut his quibus præcipuè displicebat Marco Antonino iam inde à primo ætatis suæ tempore, vel institutis mentis prauæ, vel moribus. Erat enim ipse tantæ tranquillitatis vt vultum nunquam mutauerit mœrore vel gaudio, philosophiæ deditus Stoicæ, quā & per optimos quosque magistros acceperat, & vndique ipse collegerat. Et Adrianus vt dictum est hūc eundem successorē parauerat, nisi & ætas puerilis obstitisset. Quod quidem apparet ex eo quòd generum Pio hunc eundem delegit, vt ad eum, di-

D gnum vtpote virum, quandoque Romanū perueniret imperium. Ergo prouincias post hæc ingenti moderatione ac benignitate tractauit. Contra Germanos res feliciter gessit. Specialiter ipse bellū Marcomannicum, sed quātum nulla vnquā memoria fuit, tum virtute tū etiā felicitate transegit, & eo quidem tempore quo pestilentia grauis multa milia & popularium & militū interemerat. Pannonias ergo Marco-

mannis, Sarmatis, Vvandalis, ſimul etiã Quadis extinctis, A
ſeruitio liberauit: & Romæ cum Commodo, quem iam Cæſarem fecerat, filio vt diximus ſuo, triumphauit. Quum autem ad hoc bellum omne ærariũ exhauſiſſet ſuũ, neque in animum induceret vt extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, in foro diui Traiani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendidítque aurea pocula & cryſtallina & myrrhina, vaſa etiam regia & veſtem vxoriam ſericam & auratam, gemmáſq; etiã quas multas in repoſtorio ſanctiore Adriani repererat: & per duos quidẽ menſes hæc venditio celebrata eſt, tantúmque auri redactum vt reli- B
quias belli Marcomannici ex ſententia perſequutus, poſtea dederit poteſtatem emptoribus, vt ſiquis vellet empta reddere atque aurum recipere, ſciret licere. Nec moleſtus vlli fuit qui vel nõ reddidit empta, vel reddidit. Tunc viris claris permiſit vt eodem cultu quo & ipſe, vel miniſteriis ſimilibus conuiuia exhiberent. In munere autem publico tam magnanimus fuit, vt centũ leones vna miſſione ſimul exhiberet ſagittis interfectos. Quum igitur in amore omnium imperaſſet, atque ab aliis modò frater, modò pater, modò filius, vt cuiuſque ætas ſinebat, & diceretur & amaretur, C
octauodecimo anno imperij ſui, ſexageſimo & primo vitæ, diem vltimũ clauſit. Tantúſque illius amor eo die regij funeris claruit, vt nemo illum plangendum cenſuerit, certis omnibus quòd à diis commodatus, ad deos rediſſet. Denique priuſquam funus conderetur, vt plerique dicunt (quod nunquam antea factum fuerat neq; poſtea) ſenatus populúſque, non diuiſis locis, ſed in vna ſede propitium deum dixit. Hic ſanè vir tantus & talis, ac diis vita & morte coniunctus, filium Commodum dereliquit: qui ſi felix fuiſſet, filium non reliquiſſet. Et parum ſanè fuit quòd illi honores D
diuinos omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio ac dignitas dedit, niſi quòd etiam ſacrilegus iudicatus eſt, qui eius imaginem in ſua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere vel debuit. Denique hodiéque in multis domibus M. Antonini ſtatuæ conſiſtunt inter deos penates: nec defuerunt homines qui ſomniis eum multa prædixiſſe

A futura & vera concinuerunt. Vnde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani, & sodales & flamines, & omnia quæ de sacratis decreuit antiquitas. Aiunt quidam (quod verisimile videtur) Commodum Antoninum successorem illius ac filium non esse de eo natum, sed de adulterio: ac talem fabellam vulgari sermone cõtexunt: Faustinam quondam Pij filiam, Marci vxorem, quũ gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam, quum longa ægritudine laboraret, viro de amore cõfessam. Quod quum ad Chaldæos Marcus retulisset, illorum fuisse consi-
B liũ vt occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublauaret, atque ita cum viro concumberet. Quod quum esset factum, solutum quidem amorẽ, natum verò Commodum gladiatorẽ esse non principem: qui mille propè pugnas publicè populo inspectante gladiatorias imperator exhibuit, vt in vita eius docebitur. Quod quidẽ verisimile ex eo habetur quòd tam sancti principis filius his moribus fuit quibus nullus lanista, nullus scenicus, nullus harenarius, nullus postremò ex omniũ dedecorum ac scelerũ colluuione cõcretus. Multi autẽ ferũt Commodum omnino ex adulterio
C natũ: siquidem Faustinã satis constat apud Caietam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse: de qua quum diceretur Antonino Marco, vt repudiaret, si nõ occideret, dixisse fertur, *Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem.* Dos autem quid erat, nisi imperium quod ille ab socero, volente Adriano adoptatus, acceperat? Tantum sanè valet boni principis vita, sanctitas, tranquillitas, pietas, vt eius famam nullius proximi decoloret inuidia. Deniq; Antonino quũ suos mores semper teneret, neque alicuius insusurratione mutaretur, non obfuit gladiator filius, vxor infamis: deus
D vsque etiã nunc habetur, vt vobis ipsis sacratissime imperator Diocletiane, & semper visum est & videtur: qui eũ inter numina vestra, non vt cæteros, sed specialiter veneramini, ac sæpe dicitis vos vita & clementia tales esse cupere qualis fuit Marcus, etiamsi philosophia nec Plato esse possit, si reuertatur in vitam: & quidem hæc breuiter & congestè. Sub Marco Antonino hæc sunt gesta. Post fratrẽ primùm

corpus eius Romam deuectum est. & illatum maiorum sepulcris: diuini honores decreti. Deinde quum gratias ageret senatui quòd fratrem consecrasset, occultè ostendit omnia bellica consilia sua fuisse quibus superati sunt Parthi. Addidit præterea quædam quibus ostendit nunc demum se quasi à principio acturum esse remp. amoto eo qui remissior videbatur. Nec aliter senatus accepit quàm Marcus dixerat, vt videretur gratias agere quòd Verus excessisset vita. Omnibus deinde sororibus & affinibus & libertis, iuris & honoribus & pecuniæ plurimum detulit. Erat enim famæ suæ curiosissimus, & requirens ad verum quid quísque de se diceret, emendans quæ bene reprehensa viderentur. Proficiscẽs ad bellum Germanicum, filiam suam non decurso luctus tempore, grandæuo equitis Romani filio Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochensi, nec satis nobili: quem postea bis consulem fecit, quum filia eius Augusta esset & Augustæ filia. Sed has nuptias & Faustina & ipsa quæ dabatur, inuitæ habuerũt. Quum Mauri Hispanias propè omnes vastarent, res per legatos benè gestæ sunt. Et quum per Ægyptum Bucolici milites grauia multa fecissent, per Auidium Cassium retusi sunt, qui postea tyrannidem arripuit. Sub ipsis profectionis diebus in secessu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæsarem execto sub aure tubere septennem amisit, quem nõ plus quinque diebus luxit, consolatúsque etiam medicos actibus publicis se reddidit. Et quia ludi Iouis optimi maximi erãt, interpellari eos publico luctu noluit: iussítque vt statuæ tãtummodo filio mortuo decernerentur, & imago aurea circensibus per pompam ferenda, & vt saliari carmini nomen eius insereretur. Instante sanè adhuc pestilentia, & deorum cultum diligentissimè restituit, & seruos quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parauit, quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellauit. Armauit etiam gladiatores, quos *Obsequentes* appellauit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ, milites fecit. Armauit & Diocmitas. emit & Germanorum auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentia parauit legiones ad Germanicum &

A * B C D

A Marcomannicum bellum: & ne prouincialibus esset molestus, auctionem rerũ aulicarũ, vt diximus, fecit in foro diui Traiani, in qua præter vestes & pocula & vasa aurea, etiam signa cum tabulis magnorum artificum vendidit. Marcomannos autẽ in ipso transitu Danubii deleuit, & prædam prouincialibus reddidit. Gentes omnes ab Illyrici limite vsque Galliã conspirauerãt, vt Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Victoualis Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci. Imminebat & Parthicum bellum & Britannicum. Magno igitur labore etiã B suo gentes asperrimas vicit, militibus sese inuitantibus, ducentibus etiam exercitum legatis & pręfectis prætorio: accepítque in deditionem Marcomannos, plurimis in Italiã traductis. Semper sanè cum optimatibus, non solùm bellicas res, sed etiam ciuiles priusquã faceret aliquid, cõtulit. Denique sentẽtia illius pręcipua semper hæc fuit, *AEquius est vt ego tot & talium amicorum consilium sequar quàm vt tot & tales amici meam vnius voluntatem sequantur.* Sane quia durus videbatur ex philosophiæ institutione Marcus ad C militiæ labores atque ad omnem vitam grauiter arpebatur: sed malè loquentium dictis, vel literis vel sermone respondebat. Et multi nobiles bello Germanico siue Marcomannico, imò plurimarum gentium, interierunt: quibus omnibus statuas in foro Vlpio collocauit. Quare amici frequenter suaserunt vt à bellis discederet, & Romã veniret: sed ille contempsit ac perstitit, nec prius recessit quàm omnia bella finiret. Prouincias ex proconsularibus cõsulares, aut ex consularibus proconsulares, aut prætorias pro belli necessitate fecit. Res etiam in Sequanis turbatas, censura D & autoritate repressit. Compositæ res in Hispania quę per Lusitaniam turbatæ erant. Filio Commodo accersito ad limitem, togam virilem dedit: quare congiarium populo diuisit, & eum ante tempus cõsulem designauit. Siquis vnquam proscriptus esset à præfecto vbi, non libenter accepit. Ipse in largitionibus pecuniæ publicæ parcissimus fuit: quod laudi potius datur quàm reprehensioni: sed tamen

& bonis viris pecunias dedit, & oppidis labentibus auxiliũ tulit, & tributa vel vectigalia vbi necessitas cogebat remisit. Absens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores. Fuit enim populo hic sermo, quum sustulisset ad bellum gladiatores, quòd populum sublatis voluptatibus vellet cogere ad philosophiam. iusserat enim, ne mercimonia impedirentur, tardius pantomimos exhiberi non votis diebus. De amatis pantomimis ab vxore fuit sermo, vt superius diximus: sed hæc omnia per epistolas suas purgauit. Idem Marcus sederi in ciuitatibus vetuit in equis siue vehiculis: lauacra mixta submouit. Mores matronarum composuit diffluentes. Et iuuenũ nobilium sacra Serapidis à vulgaritate Pelusiæ submouit. Fama fuit sanè quod sub philosophorum specie quidam remp. vexarent & priuatos: quod ille purgauit. Erat mos iste Antonino vt omnia crimina minore supplicio quàm legibus plecti solent, puniret: quanuis nonnunquam cõtra manifestos & grauium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales causas hominum honestorum ipse cognouit, & quidem summa æquitate, ita vt prætorem reprehenderet qui citò reorum cusas audierat: iuberétque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens vt ab eo audirentur qui pro populo iudicaret. Æquitatem etiam circa captos hostes custodiuit. Infinitos ex gẽtibus in Romano solo collocauit. Fulmẽ de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuia impetrata quum siti laborarẽt. Voluit Marcomanniam, prouinciam, voluit etiam Sarmatiam facere: & fecisset nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in Oriente, qui imperatorem se appellauit (vt quidam dicunt) Faustina volente, quæ de mariti valetudine desperaret. Alii dicunt, ementita morte Antonini, Cassium imperatorem se appellasse, quum diuũ Marcum appellasset. Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii, nec in eius affectus sæuiit, sed per senatum hostis est iudicatus, bonáque eius proscripta per ærarium publicum. Relicto ergo Sarmatico Marcomannicóque bello, contra Cassium profectus est Romæ, turbæ

A etiam fuerũt, quaſi Caſſius abſente Antonino aduentaret: ſed Caſſius ſtatim interfectus eſt: caput eius allatum eſt ad Antoninum. Marcus tamen non exultauit interfectione Caſſij, capútque eius humari iuſſit. Metianum etiam filium Caſſij, cui Alexandria erat commiſſa, exercitus occidit: nã & præfectum præt. ſibi fecerat. qui & ipſe occiſus eſt. In conſcios defectionis vetuit ſenatum grauiter vindicare: ſimul petiit ne quis ſenator tempore principatus ſui occideretur, ne eius pollueretur imperium: eos etiam qui deportati fuerant reuocari iuſſit, quum pauciſſimi centuriones B capite eſſent puniti. Ignouit & ciuitatibus quæ Caſſio cõſenſerant: ignouit Antiochenſibus qui multa in Marcum pro Caſſio dixerant. quibus & ſpectacula & conuentus publicos tulerat, & omnium concionum genus, contra quos edictum grauiſſimum miſit. Seditioſos autem eos & oratio Marci indicat indita à Mario Maximo, qua ille vſus eſt apud amicos. Denique noluit Antiochiam videre quum Syriam peteret: nam nec Cyprũ voluit videre, ex qua erat Caſſius. Fuit Alexandriæ, clementer cum is agens. poſtea tamen Antiochiam vidit. Multa egit cum regibus, & pa-C cem confirmauit ſibi occurrentibus cunctis regibus & legatis Perſarum: omnibus orientalibus prouinciis chariſſimus fuit: apud multas etiam philoſophiæ veſtigia reliquit. Apud Ægyptios ciuem ſe egit & philoſophum in omnibus ſtudiis, templis, locis. Et quum multa Alexandrini in Caſſium dixiſſent fauſta, tamen omnibus ignouit, & filiam ſuam apud eos reliquit. Fauſtinam vxorem ſuam in radicibus montis Tauri, in vico Halale exanimatam ſubito morbo amiſit. Petiit à ſenatu vt honores Fauſtinæ ædémque decernerent, laudata eadem, quum tamen impudicitiæ fa-D ma grauiter laboraſſet: quę Antoninus vel neſciuit vel diſſimulauit. Nouas puellas Fauſtinianas inſtituit in honorem vxoris mortuæ. Diuam etiam Fauſtinam à ſenatu appellatam gratulatus eſt: quam ſecum & in æſtiuis habuerat, vt matrem caſtrorum appellaret. Fecit & coloniam vicum in quo obiit Fauſtina, & ædem illi extruxit. ſed hæc poſtea ędes Heliogabalo dedicata eſt. Ipſum Claſſium pro cle-

clementia occidi paſſus eſt, non occidi iuſſit. Deportatus A
eſt Heliodorus filius Caſſij, & alij liberum exilium accepe-
runt cum bonorũ parte. Filij autẽ Caſſij & amplius media
parte acceperunt paterni patrimonij, & auro atque argẽto
adiuti, mulieres autem etiam ornamentis, ita vt Alexandria
filia Caſſij & Druncianus gener, liberam vagandi poteſta-
tem haberent, commendati amitæ marito. Doluit denique
Caſſium extinctum, dicens voluiſſe ſe ſine ſenatorio ſan-
guine imperium tranſigere. Orientalibus rebus ordinatis,
Athenis fuit, & inter alia Cereris templum adiit vt ſe inno-
centem probaret, & ſacrarium ſolum ingreſſus eſt. Reuer- B
tens ad Italiam nauigio, tempeſtatẽ grauiſſimam paſſus eſt.
Per Brunduſium veniens in Italiam, togam & ipſe ſumpſit,
& milites togatos eſſe iuſſit: nec vnquã ſagati fuerũt ſub eo
milites. Romam vt venit, triumphauit. Exinde Lauinium
profectus eſt. Commodum deinde ſibi collegam in tribu-
nitiam poteſtatem iunxit: congiarium populo dedit & ſpe-
ctacula mirifica: dein ciuilia multa correxit. Gladiatorij
muneris ſumptus modum fecit. Sententia Platonis ſemper
in ore illius fuit, *Florere ciuitates, ſi aut philoſophi imperarent,
aut imperatores philoſopharentur.* Filio ſuo Brutij Præſentis C
filiam iunxit, nuptiis celebratis exemplo priuatorum. qua-
re etiam congiarium populo dedit. Deinde ad conficien-
dum bellum conuerſus, in adminiſtratione eius belli obiit,
labentibus iam filij moribus ab inſtituto ſuo. Triennio bel-
lum poſtea cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis,
Quadis etiam egit: & ſi anno vno ſuperfuiſſet, prouincias
ex his feciſſet. Ante biduum quàm expiraſſet, admiſſis ami-
cis dicitur oſtendiſſe ſententiã de filio eandem quam Phi-
lippus de Alexandro, quum de hoc malè ſentiret, addens
minimè ſe ægrè mortẽ ferre, filium ſuperſtitem relinquẽs. D
nam iam Commodus turpem ſe & cruentum oſtentabat.
Mors autẽ talis fuit: Quum ægrotare cœpiſſet, filium aduo-
cauit, atque ab eo primùm petiit vt belli reliquias non con-
temneret, ne videretur remp. prodere: & quum filius ei re-
ſpondiſſet cupere ſe primùm ſanitatem, vt vellet, permiſit,
petẽs tamẽ vt expectaret paucos dies, aut ſimul proficiſce-

A retur. Deinde abstinuit cibo potúque, mori cupiens, auxítque morbum. Sexta die vocatis amicis, & ridẽs res humanas, mortem autem contemnens, ad amicos dixit, *Quid me fletis, & non magis de pestilentia & communi morte cogitatis?* Et quum illi vellent recedere, ingemiscens ait, *Si iam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens.* Et quum ab eo quæreretur cui filium commendaret, ille respondit, *Vobis, si dignus fuerit, & diis immortalibus.* Exercitus cognita mala valetudine, vchementissimè dolebant, quia illum vnicè amabant. Septimo die grauatus est, & solum filium admisit: quem statim dimisit ne in eum morbus trãsiret. Dimisso filio, caput operuit quasi volens dormire: sed nocte animam efflauit. Fertur illum mori voluisse quum filium talem videret futurum qualis extitit post eius mortẽ, ne, vt ipse dicebat, similis Neroni, Caligulę & Domitiano esset. Crimini ei datum est quod adulteros vxoris promouerit, Tertullum & Vtilium & Orphitum & Moderatum, ad varios honores: quũ Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. de quo mimus in scena præsente Antonino dixit, quũ stupidus nomen adulteri vxoris à seruo quæreret, & ille diceret *ter Tullus*, & adhuc stupidus quęreret, respondit ille, *Iam dixi ter, Tullus dicitur.* Et de hoc quidem multa populus, multa alij dixerũt, patientiam Antonini incusantes. Ante tempus sanè mortis priusquam ad bellum Marcomãnicum rediret, in Capitolio iurauit, nullum senatorem se sciente occisum, quum etiam rebelles dixerit se seruaturum fuisse, si scisset. Nihil enim magis & timuit & deprecatus est quàm auaritiæ famam: de qua se multis epistolis purgat. Dederũt ei vitio quod & fictus fuisset, nec tam simplex quàm videretur, aut quàm vel Pius vel Verus fuisset. Dederunt etiam D crimini quòd aulicam arrogantiam confirmauerit submouendo amicos à societate communi & à conuiuiis. Parentibus consecrationem decreuit. Amicos parentum etiam mortuos statuis ornauit. Suffragatoribus nõ citò credidit, sed semper diu quæsiuit quod erat verum. Enisa est Fabia vt Faustina mortua in eius matrimonium coiret, sed ille cõcubinam sibi asciuit procuratoris vxoris suæ filiam, ne tot liberis superduceret nouercam.

A

IVLII CAPITOLINI

VERVS IMPERATOR ad Diocletianum Aug.

SCIO plerosque ita vitam Marci ac Veri, literis atq; historiæ dedicasse, vt priorem Verum intimandum legentibus darent, nō imperandi sequuti ordinem, sed viuēdi. Ego verò, quòd prior Marcus imperare cœpit, deinde Verus qui superstite periit Marco, priorem Marcum, dehinc Verum credidi celebrandum. Igitur L. Ceionius, Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Adriani voluntate Ælius appellatus est, ex Antonini coniunctione Verus & Antoninus: neque inter bonos, neque inter malos principes ponitur, quem cōstat non inhorruisse vitiis, nec abundasse virtutibus: vixisse deinde non in libero principatu, sed sub Marco in simili ac pari maiestatis imperio. à cuius secta, lasciuia morum & vitæ licentioris nimietate dissensit. erat enim morum simplicium, & qui adumbrare nihil posset. Huic naturalis pater fuit L. Ælius Verus, qui ab Adriano adoptatus, primus *Cæsar* est dictus, & in eadem statione constitutus periit. Aui ac proaui & item maiores plurimi consulares. Natus est Lucius Romæ in prætura patris sui, XVIII. Calend. Ianuarias, die quo & Nero qui rerum potitus est. Origo eius paterna pleraque ex Hetruria fuit, materna ex Fauentia. Hac prosapia genitus, patre ab Adriano adoptato, in familiam Æliam deuenit: mortuóq; patre Cæsare, in Adriani familia remansit. A quo Aurelio datus est adoptandus, quum sibi ille Pium filium, Marcum nepotem esse voluisset, posteritati satis prouidens, & ea quidem lege vt filiam Pij Verus acciperet: quæ data est Marco idcirco quia hic ad hoc impar videbatur ætate, vt in Marci vita exposuimus. Dixit autem vxorem Marci filiam Lucillam: educatus est in domo Tiberiana. Audiuit Scaurum grammaticum

B

C

D

A Latinũ, Scauri filium, qui grammaticus Adriani fuit: Græcos, Telephum, Hephæstionẽ, Harpocrationem: rhetores Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum: Latinum, Cornelium Frontonem: philoſophos, Apollonium & Sextum: hos omnes amauit vnicè, atq; ab his inuicem dilectus eſt, nec tamẽ ingenioſus ad literas. Amauit autem in pueritia verſus facere, pòſt orationes: & melior quidẽ orator fuiſſe dicitur quàm poeta: imò (vt verius dicam) peior poeta quàm rhetor. Nec deſunt qui dicant eum fuiſſe adiutum ingenio amicorũ, atq; ab aliis ei illà qualiacunq; ſunt, B ſcripta. Siquidẽ multos diſertos & eruditos ſemper ſecum habuiſſe dicitur. Educatorem habuit Nicomedẽ. Fuit voluptuarius & nimis lætus, & omnibus deliciis, ludis, iocis decẽter aptiſſimus. Poſt ſeptimum annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus & autoritate formatus eſt. Amauit venatus, palæſtras, & omnia exercitia iuuentutis. Fuítque priuatus in domo imperatoria viginti & tribus annis. Qua die togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ea occaſione qua patris templum dedicabat, populo liberalis fuit, mediúſque inter Pium & Marcum idem reſedit, C quum quęſtor populo munus daret. Poſt quæſturam ſtatim conſul eſt factus cum Sextilio Laterano: interiectis annis, cum Marco fratre iterũ factus eſt conſul. Diu autem & priuatus fuit, & ea honorificentia caruit qua Marcus ornabatur. Namque in ſenatu ante quæſturam non ſedit: neque in itinere cum patre, ſed cum pręfecto prætorij vectus eſt: nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adiunctum eſt quàm quòd Auguſti filius eſt appellatus. Fuit ſtudioſus etiã Circenſium haud aliter quàm gladiatorij muneris. Hic quum tantis deliciarum & luxuriæ quateretur erroribus, ab An- D tonino videtur ob hoc retentus quòd eum pater ita in adoptionem Pij tranſire iuſſerat vt nepotem appellaret: cui, quantum videtur, fidem exhibuit, non amorem. Amauit tamen Antoninus Pius ſimplicitatem ingenij puritatémq; viuendi: hortatúſque eſt vt imitaretur & fratrem. Defuncto Pio Marcus in eum omnia contulit, principatu etiam imperatoriæ poteſtatis indulto: ſibíque conſortem fecit,

quum illi soli senatus detulisset imperium. Dato igitur imperio & indulta tribunitia protestate, proconsulatus etiam honore delato, *Verum* vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, quum antè *Commodus* vocaretur. Lucius quidem Marco vicem reddens suscepit, obsequutus vt legatus procõsuli vel præses imperatori, iam primùm quum Marcus pro ambobus ad milites est loquutus, & pro consensus imperio grauiter se ad Marci mores egit. Vbi verò in Syriam profectus est, non solùm licentia vitæ liberioris, sed etiam adulteriis & iuuentutis amoribus infamatus est. Siquidem tantæ luxuriæ fuisse dicitur vt etiam posteaquã de Syria rediit, popinam domi instituerit, ad quam post conuiuium Marci diuertebat, ministrantibus sibi omni genere turpium personarum. Fertur & nocte perpeti alea lusisse, quum in Syria concepisset id vitium: atque intantum vitiorum Caianorum & Neronianorum ac Vitellianorum fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commisceretur cum triconibus, & committeret rixas, dissimulans quis esset, sępéque afflictum liuida facie redisse, & in tabernis agnitum quum sese absconderet. iaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret. Amauit & & aurigas Prasino fauens. Gladiatorum etiam frequentius pugnas in conuiuio habuit, trahens cœnam in noctem: & in thoro conuiuali cõdormiens, ita vt leuatus cum stromatibus in cubiculum perferretur. Somni fuit permodici, digestionis facillimæ. Sed Marcus hæc omnia quasi nesciens dissimulabat rem, pudore illo ne reprehenderet fratrem. Et notissimum eius quidem fertur tale conuiuium, in quo primùm duodecim accubuisse dicitur, quum sit notissimũ dictum de numero conuiuarum, *Septem, conuiuium: nouem verò, conuitium.* donatos autem pueros decoros qui ministrabant singulis. donatos etiam structores & lances singulis quibusque: donata & viua animalia, vel cicurum vel ferarum auium vel quadrupedum quorũ cibi appositi erant. donatos etiam calices singulis per singulas potiones, murrhinos & crystallinos Alexandrinos, ac quoties bibitũ est.

A data etiam aurea atque argentea pocula & gemmata. Coronas quinetiā datas, lemniſcis aureis interpoſitis, & alieni temporis floribus. data & vaſa aurea cum vnguētis ad ſpeciem alabaſtrorum. data & vehicula cum mulabus ac mulionibus cum iunctūris argenteis, vt ita de conuiuio redirent. Omne autem conuiuium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus H-S. Hoc conuiuium poſteaquam Marcus audiuit, ingemuiſſe dicitur & doluiſſe publicū fatum. Poſt conuiuium luſum eſt teſſeris vſque ad lucem. Et hæc quidem poſt Parthicum bellum, ad quod cum miſiſſe dici-
B tur Marcus, ne vel in vrbe ante omnium oculos peccaret, vel vt parſimoniam peregrinatione addiſceret, vel vt timore bellico emēdatior rediret, vel vt ſe imperatorem eſſe cognoſceret. Sed quātum profecerit, cum alia vita tum hæc quam narrauimus cœna monſtrauit. Circenſium tātam curam habuit, vt frequēter prouincialibus literas cauſa circenſium & miſerit & acceperit. Denique etiam præſens & cum Marco ſedēs, multas à venetianis eſt paſſus iniurias, quod turpiſſimè contra eos faueret. Nam & Volucri equo praſino aureum ſimulacrum fecerat quod ſecū por-
C tabat. Cui quidem paſſas vuas & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat, quem ſagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad ſe adduci iubebat. cui mortuo ſepulcrum in Vaticano fecit. In huius equi gratiam primùm cœperūt equi aurei vel brauîa poſtulari. In tanto autē equus ille honore fuit, vt ei à populo praſinianorū ſæpe modius aureorum poſtularetur. Profectum eum ad Parthicum bellum, Marcus Capuam proſequutus eſt. Qúmque inde per omnium villas ſe ingurgitaret, morbo implicitus, apud Canuſium ægrotabat, quò ad eum viſendum frater contendit.
D Multa in eius vita ignaua & ſordida, etiā belli tempore, deteguntur. Nam quum interfecto legato, cæſis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus, oriens vaſtaretur, ille in Apulia venabatur: & apud Corinthum & Athenas inter ſymphonias & cātica nauigabat: & per ſingulas maritimas ciuitates Aſię, Pamphilyę, Cilicięque clariores, voluptatibus immorabatur. Antiochiā poſteaquam venit, ipſe qui-

dem se luxuriæ dedit: duces autem confecerunt, Parthicũ bellũ Statius Priscus, & Auidius Cassius, & Martius Verus quadriennium, ita vt Babylonem & Mediam peruenirent, & Armeniam vendicarent: partúmque est ipsi nomẽ *Armenici, Parthici, Medici*, quod etiã Marco Romæ agenti delatum est. Egit autem per quadriennium Verus hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ. Risui fuit omnibus Syriis, quorum multa ioca in theatro in eum dicta extant. Vernas in triclinium Saturnalibus & diebus festis semper admisit. Ad Euphratẽ tamẽ impulsu comitum suorum secũdò profectus est. Ephesum etiam rediit, vt Lucillam vxorẽ missam à patre Marco susciperet: & idcirco maximè, ne Marcus cum ea in Syriam veniret ac flagitia eius agnosceret. Nam senatui Marcus dixerat se filiam in Syriam deductorũ. Confecto sanè bello, regna regibus, prouincias verò comitibus suis regendas dedit. Romam inde ad triumphum inuitus, quòd Syriam quasi regnum suum relinqueret, rediit, & pariter cum fratre triumphauit, susceptis à senatu nominibus quæ in exercitu acceperat. Fertur præterea ad amicę vulgaris arbitrium in Syria posuisse barbam: vnde in eum à Syris multa sũt dicta. Fuit eius fati vt in eas prouincias per quas rediit, Romam vsque, luem secum deferre videretur. Et nata fertur pestilentia in Babilonia: vbi de templo Apollinis ex arcula aurea quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens euasit, atque inde Parthos orbémque complesse. Et hoc non Lucij Veri vitio, sed Cassij, à quo contra fidem Seleucia, quę vt amicos milites nostros receperat, expugnata est. Quod quidẽ inter cæteros etiam Quadratus belli Parthici scriptor, incusatis Seleucenis qui fidẽ primi ruperant, purgat. Habuit hanc reuerentiam Marci Verus, vt nomina quæ sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triũphi, quem pariter celebrarunt. Reuersus è Parthico bello, minore circa fratrem cultu fuit Verus nã & libertis inhonestius indulsit, & multa sine fratre disposuit. His accessit quòd quasi reges aliquos ad triũphũ adduceret, sic histriones eduxit è Syria: quorũ præcipuus fuit Maximinus, quẽ

A Paridis nomine nuncupauit. Villam præterea extruxit in via Clodia famosissimã, in qua permultos dies & ipse ingenti luxuria debacchatus est cum libertis suis & amicis paribus, quorum præsentiæ nulla inerat reuerẽtia. Et Marcum rogauit: qui venit vt fratri venerabilem morum suorum & imitandam ostenderet sanctitudinem: & quinque diebus in eadem villa residens, cognitionibus continuis operam dedit, aut conuiuante fratre, aut conuiuia comparante. Habuit & Agrippum histrionem, cui cognomentũ erat Memphi, quem & ipsum è Syria veluti trophęum Parthicum adduxerat, quem Apolaustũ nominauit. Adduxerat secum & fidicinas & tibicines & histriones, scurrásque

B mimarios & præstigiatores, & omnia mancipiorum genera quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate, prorsus vt videretur bellum non Parthicum sed histrionicum confecisse. Et hæc vitæ diuersitas atque alia multa, inter Marcum & Verum simultates fecisse, non aperta veritas indicabat sed ocultus rumor insusurrabat. Verùm illud præcipuum, quòd quum Libonem quendam patruelem suum Marcus legatum in Syriam misisset, atque ille se insolẽtius

C quàm verecundus senator efferret, dicens, ad fratrem se scripturum esse si quid fortè dubitaret, nec Verus præsens pati posset, subitóque morbo notis propè veneni existentibus interisset, visum est nonnullis, non tamen Marco, quòd eius fraude putaretur occisus. Quæ res simultatum auxit rumorem. Liberti multum potuerunt apud Verum, vt in uita Marci diximus, Geminas & Agaclytus, cui dedit inuito Marco, Libonis vxorem. Denique nuptiis ab Vero celebratis, Marcus cõuiuio interfuit. Habuit & alios liber-

D tos Verus improbos, Codẽ & Eclectum, cæteró sque quos omnes Marcus post mortem Veri, specie honoris abiecit, Eclecto retento qui postea Commodum filium eius occidit. Ad bellum Germanicum, quòd Marcus nollet Luciũ sine se vel ad bellũ mittere, vel in vrbe dimittere causa luxuriæ, simul profecti sunt, atque Aquileiam venerunt: inuitóque Lucio Alpes transgressi, quum Verus apud Aquileiam tantùm vectatus cõuiuatúsque esset, Marcus autem omnia

omnia prospexisset. De quo bello quid per legatos barbarorum pacem petentium, quid per duces nostros gestũ est, in Marci vita plenissimè disputatum est. Composito autẽ bello in Pannonia, vrgẽte Lucio Aquileiam rediret, quòd vrbanas desiderabat Lucius voluptates, in vrbem destinatus est: sed non longè ab Altino subitò in vehiculo morbo quẽ apoplexin vocant, corruptus Lucius, depositus è vehiculo, detractosanguine Altinum perductus, quum triduo mutus vixisset, apud Altinum perit. Fuit sermo quòd & socrum Faustinam incestasset. Et dicitur Faustine socrus dolo, aspersis ostreis veneno extinctus esse: idcirco quòd consuetudinem quam cum matre habuerat, filiæ prodidisset: quanuis & illa fabula quæ in Marci vita posita est, abhorrens à talis viri vita sit exorta: quum multi etiam vxori eius, flagitium mortis assignent, idcirco quòd Fabiæ nimium indulserat Verus: cuius potentiam vxor Lucij vel Marci ferre non posset. Tanta sanè familiaritas inter Luciũ & Fabiam sororem fuit, vt hoc quoq; vsurpauerit rumor, quòd inierint consilium ad Marcum è vita tollendum. Idque quum esset per Agalcytum libertum proditum Marco, ante aduentum, Lucium Faustina nece præuenerat. Fuit decorus corpore, vultu gemmatus, barba propè barbarice demissa procerus, & fronte in supercilia adductiore venerabilis. Dicitur sanè tantam habuisse curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta respergeret, quò magis coma illuminata flauesceret. Lingua impeditior fuit. aleæ cupidissimus, vitę semper luxuriosæ, atque in pluribus Nero, præter crudelitatẽ & ludibria. Habuit inter aliũ luxuriæ apparatũ calicem crystallinũ nomine Volucrem, ex eius equi nomine quem dilexit, humanę potionis modum surpergressum. Vixit annis quadraginta duobus. Imperauit cum fratre annis vndecim. Illatúmque eius corpus est Adriani sepulcro, in quo & Cæsar pater eius naturalis sepultus est. Nota est fabula quam Marci nõ capit vita, quòd partem vuluæ veneno illitam, quum eam execuisset cultro vna parte venenato, Marc⁹ Vero porrexit: sed hoc nefas est de Marco putari, quanuis Veri & cogitata & facta merean-

A tur: quod nos non in medio relinquimus, ſed totam purgatam confutatámque reſpuimus, quum adhuc poſt Marcum, præter veſtram clementiam, Diocletiane Auguſte, imperatorem talem nec adulatio videatur potuiſſe cõfingere.

VVLCATII GALLICANI V. C.

AVIDIVS CASSIVS.

B AVIDIVS CASSIVS, vt quidã volunt, ex familia Caſſiorum fuiſſe dicitur, per matrẽ tamen auo genitus Auidio Seuero: qui ordines duxerat, & pòſt ad ſummas dignitates peruenerat. Cuius Quadratus in hiſtoriis meminit: & quidem grauiter, quum illum ſummum virum & neceſſarium reipub. aſſerit, & apud ipſum Marcum Antoninum præualidum. Nam iam eo imperante periſſe fatali ſorte perhibetur. Hic ergo Caſſius ex familia (vt diximus) Caſſiorum qui in Curia in Iuliũ cõ-
C ſpirarunt, oderat tacitè principatum, nec ferre poterat imperatorium nomen: dicebátque nihil eſſe grauius nomine imperij quod non poſſet è rep. tolli niſi per alterum imperatorem. Denique tentaſſe in pueritia dicitur extorquere etiam Pio principatum, ſed per patrem virum ſanctum & grauem, affectationem tyrannidis latuiſſe, habitum tamen ſemper à ducibus ſuſpectum. Vero autem illum paraſſe inſidias, ipſius Veri epiſtola indicat quam inſerui. Ex epiſtola Veri: *Auidius Caßius auidus eſt imperij, quãtum & mihi videtur & iam inde ſub auo meo patre tuo innotuit, quem velim obſeruari*
D *iubeas. Omnia ei noſtra diſplicent. opes non mediocres parat, literas noſtras ridet. Te philoſopham aniculam, me luxurioſum morionem vocat. Vide quid agendum ſit: ego hominem non odi: ſed vide ne tibi & liberis tuis non bene conſulat, quum tales inter præcinctos habeas quales milites libenter audiunt, libenter vident.* Reſcriptum Marci de Auidio Caſſio: *Epiſtolam tuam legi, & ſolicitam potius quàm imperatoriam, & non noſtri temporis. Nam ſi ei diuini-*

tuus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamſi velimus. A
Scis enim proaui tui dictum, Succeſſorem ſuum nullus occidit. ſin minus, ipſe ſponte ſine noſtra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quòd non poſſumus reum facere quem nullus accuſat, & (vt ipſe dicis) milites amant. Deinde in cauſis maieſtatis hæc natura eſt, vt videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim ipſe quid auus tuus Adrianus dixerit, Miſera conditio imperatorum, quibus de affectata tyrannide niſi occiſis non poteſt credi. Eius autem exẽplum ponere quam Domitiani qui hoc primus dixiſſe fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum autoritatis quantum debent. Sibi ergo habeat ſuos mores, maximè quum bonus B
dux ſit & ſeuerus, & fortis & Reip. neceſſarius. Nam quod dicis, liberis meis cauendum eſſe morte illius, planè liberi mei pereant ſi magis amari merebitur Auidius quàm illi, & ſi Reipub. expediet Caſsium viuere quàm liberos Marci. Hæc de Caſſio Verus, hęc Marcus. Sed nos hominis naturam & mores breuiter explicabimus. Neque enim plura de his ſciri poſſunt quorũ vitã illuſtrare nullus audet, & eorũ cauſa à quibus oppreſſi fuerint. Addemus autem quemadmodum ad imperiũ venerit, & quẽadmodum ſit occiſus, & vbi victus. Propoſui
enim Diocletiane Auguſte, omnes qui imperatorũ nomẽ C
ſiue iuſtè ſiue iniuſtè habuerunt, in literas mittere, vt omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres. Fuit his moribus vt nonnunquã trux & aſper videretur, aliquando mitis & lenis, ſæpè religioſus, aliàs contemptor ſacrorum, auidus vini, interim abſtinens, cibi appetens & inedię patiens, veneris cupidus & caſtitatis amator. Nec defuere qui illũ Catilinam vocarent: quum & ipſe ſe íta gauderet appellari, addens futurum ſe Sergium, ſi dialogiſtam occidiſſet, Antoninũ hoc nomine ſignificans: qui tantùm enituit in philoſophia vt iturus ad bellum Marcomannicũ, timentibus D
cunctis ne quid fatale proueniret, rogatus ſit non adulatione ſed ſeriò, vt præcepta philoſophiæ ederet: nec ille timuit, ſed per ordinem paræneſeos, hoc eſt præceptionum, per triduum diſputauit. Fuit præterea diſciplinæ militaris Auidius Caſſius tenax, & qui ſe Marium dici vellet. Quoniam de ſeueritate illius dicere cœpimus, multa extãt cru-

A delitatis potius quàm seueritatis eius indicia. Nam primùm milites qui prouincialibus aliquid tulissent per vim, in illis ipsis locis in quibus peccauerant, in crucem sustulit. Primus etiam in supplicij genus inuenit vt stipitem grandem poneret pedem octoginta & cētum, id est materiam, & à summo vsque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensísque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, vel in mare. Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites, dicens maius exemplum esse viuentis miserabiliter criminosi quàm occisi. Quum exercitum duceret, & inscio ipso manus auxiliaria centurionibus suis autoribus, tria millia Sarmatarum negligentius agentium in Danubij ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum redissent, sperantibus centurionibus præmium, quòd perparua manu tantū hostium, segnius agentibus tribunis & ignorantibus, occidissent, rapi eos iussit & in crucem tolli, seruilíque supplicio affici, quod exemplum non extabat: dicens euenire potuisse vt essent insidiæ, ac periret Romani imperij reuerentia. Et quum ingēs seditio in exercitu exorta esset, processit nudus campestri solo tectus, & ait, *Percutite (inquit) me si audetis, & corruptæ disciplinæ facinus addite.* Tunc conquiescentibus cunctis meruit timeri, quia non timuit. Quæ res tantum disciplinæ Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit, ut pacem annorum centum ab Antonino absente peterent: siquidem viderant damnatos Romani ducis iudicio etiam eos qui contra fas vicerant. De hoc multa grauia contra militum licentiam facta inueniuntur apud Æmilium Parthenianum, qui affectatores tyrannidis iam inde à veteribus historiæ tradidit. Nam & virgis cæsos in foro & in mediis castris securi percussit, qui ita meruerunt: & manus multis amputauit. Et præter lardum ac buccellatum atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit: & si aliud quippiam reperit, luxuriem nō leui supplicio affecit. Extat de hoc epistola diui Marci ad præfectū suum talis: *Auidio Cassio legiones Syriacas*

dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit. & puto me non errasse, siquidem & tu notum habeas Cassium, hominem Cassianæ seueritatis & disciplinæ. neque enim milites regi possũt nisi in vetere disciplina. Scis enim versum à bono poeta dictũ & omnibus frequentatum, Moribus antiquis res stat Romana virísque. *Tu tantùm fac adsint legionibus abundè commeatus. quos (si bene Auidium noui) scio non perituros.* Responsio præfecti ad Marcum, *Rectè consuluisti, mi domine, quòd Cassium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit quàm homo seuerior Græcanicis militibus. Ille sanè omnes excaldationes, omnes flores de capite collo & sinu militi excutiet. Annona militaris omnis parata est, neque quicquam deest sub bono duce: non enim multum aut quæritur aut impenditur.* Nec fefellit de se iudicium habitum. Nam statim ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt siquis cinctus inueniretur apud Daphnen, discinctus rediret. Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam & calciamenta & ocreas: delicias omnes de castris submouit, iussítque eos hyemem sub pellibus agere, nisi corrigerẽt suos mores: & egissent, nisi honestius vixissent. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita vt sagittas mitterent & armis luderent. Dicebat enim, miserum esse, quum exercerentur athletæ venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor si consuetus esset. Ergo correcta disciplina, & in Armenia & in Arabia & in Ægypto res optimè gessit: amatúsque est ab omnibus orientalibus, & speciatim ab Antiochensibus: qui etiam imperio eius consenserunt, vt docet Marius Maximus in vita diui Marci. Nam quum Bucolici milites per Ægyptum grauia multa facerent, ab hoc retusi sunt, vt idem Marius Maximus refert in eo libro quem secundum de vita Marci Antonini edidit. Hic imperatorem se in oriente appellauit, vt quidam dicũt, Faustina volente, quæ valetudini Marci iam diffidebat, & timebat ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis existeret qui capta statione regia infantes de medio tolleret. Alij autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus & prouincialibus

A Cassium contra Marci amorem, vt sibi posset consentiri, quo diceret Marcum diem suum obiisse. Nam & diuum eum appellasse dicitur, vt desiderium illius leniret. Imperatorio nomine quum processisset, eum qui sibi aptauerat ornamenta regia, statim præfectum prætorij fecit, qui & ipse occisus est, Antonino inuito, ab exercitu: qui & Metianum cui erat commissa Alexandria quíque consenserat spe participatus Cassio, inuito, atque ignorante Antonino, interemit. Nec tamen Antoninus grauiter est iratus, rebellione cognita, nec in eius liberos aut affectus sæuiit. Sena-
B tus illum hostem appellauit bonáque eius proscripsit, quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit. quare senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata. Nec Romæ terror defuit, quum quidam Auidium Cassium dicerent, absente Antonino, qui nisi à voluptariis vnicè amabatur, Romam esse venturum, atque vrbem tyrannicè direpturum, maximè senatorum causa qui eum hostem iudicauerant bonis proscriptis. Et amor Antonini hoc maximè enituit, quòd consensu omnium, præter Antiochenses, Auidius interemptus est: quem quidem occidi non iussit,
C sed passus est, quum apud cunctos clarum esset, si potestatis suæ fuisset, parsurum illi fuisse. Caput eius ad Antoninum quum delatum esset, ille non exultauit, non elatus est: sed etiam doluit ereptam sibi esse occasionem misericordiæ, quum diceret se viuum illum voluisse capere vt illi exprobraret beneficia sua, eúmque seruaret. Denique quum quidam diceret, reprehendendum Antoninum quòd tam mitis esset in hostem suum, eiúsque liberos & affectus, atque omnes quos conscios tyrannidis reperisset, addente illo qui reprehendebat, *Quid si ille vicisset?* dixisse dicitur, *Non*
D *sic deos coluimus, nec sic viuimus vt ille nos vinceret.* Enumerauit deinde, omnes principes qui occisi essent, habuisse causas quibus mererentur occidi, nec quemquam facilè bonum vel victum à tyranno vel occisum, dicens, meruisse Neronē, debuisse Caligulam, Othonem & Vitellium nec imperare voluisse. Nam de Pertinace & Galba paria sentiebat, quum diceret, *In imperatore auaritiam esse acerbissimum*

malum. Denique non Augustum, non Traianum, nō Adrianum, non parentem suum Pium à rebellibus potuisse superari, quum & multi fuerint, & ipsis vel inuitis vel insciis extincti. Ipse autem Antoninus à senatu petiit ne grauiter in conscios defectionis animaduerteretur, eo ipso tempore quo rogauit nequis senator temporibus suis capitali supplicio afficeretur: quod illi maximum amorem conciliauit. Denique paucissimis centurionibus punitis, deportatos reuocari iussit. Antiochensibus qui Auidio Cassio consenserant, sed & aliis ciuitatibus quæ illum iuuerant, ignouit: quum primò Antiochensibus grauiter iratus esset, hísque spectacula sustulisset & multa alia ciuitatis ornamenta, quæ postea reddidit. Filios verò Auidij Cassij, Antoninus Marcus parte media paterni patrimonij donauit, ita vt filias eius auro, argento, & gemmis honestaret. Nam & Alexandriæ filiæ Cassij & genero Druentiano, liberam euagandi vbi vellent potestatem dedit: vixerúntque non quasi tyranni pignora, sed quasi senatorij ordinis in summa securitate: quum illis etiam in lite obiici fortunam propriæ vetuisset domus, damnatis aliquibus iniuriarum, quòd in eos petulantes fuissent, quos quidem amitæ suæ marito commendauit. Siquis autem omnem hanc historiam scire desiderat, legat Marij Maximi secūdum librum De vita Marci, in quo ille ea dicit quæ solùm Marcus mortuo iam Vero egit. Tunc enim Cassius rebellauit, vt probat epistola missa ad Faustinam, cuius hoc exemplum est: *Verus mihi de Auidio verum scripserat, quòd cuperet imperare. Audisse enim te arbitror quod æruscatores de eo nuntiarent. Veni igitur in Albanum, vt tractemus omnia diis volentibus, nihil timens.* Hîc autem apparet, Faustinam ista nescisse, quum dicat Marius, infamari eam cupiens, quòd ea cōscia Cassius imperium sumpsisset. Nam & ipsius epistola extat ad Verum, qua vrget Marcum vt in eum grauiter vindicet. Exemplum epistolæ Faustinæ ad Marcum: *Ipsa in Albanum cras, vt iubes, mox veniam: tamē iam hortor, vt si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrimè prosequaris. Malè enim assueuerunt & duces & milites: qui nisi opprimantur, opprimēt.* Item alia epistola eiusdem Faustinæ ad

A Marcum: *Mater mea Faustina patrem tuum Pium eiusdem in defectione Celsi sic hortata est, vt pietatem primùm circa suos seruaret, sic circa alienos. Non enim pius est imperator qui non cogitat vxorem & filios. Commodus noster vides in qua ætate sit: Pompeianus gener, & senior est & peregrinus. Vide quid agas de Auidio Caßio & de eius conscijs. Noli parcere hominibus qui tibi non pepercerunt: & nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent. Ipsa iter tuum mox consequor: quia Fadilla nostra ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed si te Formiis inuenire non potero, assequar Capuam: quæ ciuitas & meam & filiorum nostrorũ ægri-*
B *tudinem poterit adiuuare. Soteridam medicum in Formianũ vt dimittas rogo: ego autem Pisitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationem nescit adhibere. Signatas mihi literas Calphurnius dedit, ad quas rescribam si tardauero, per Cæcilium senem spadonem, hominem (vt scis) fidelem: cui verbo mandabo quid vxor Auidij Cassij & filij & gener de te iactare dicantur.* Ex his literis intelligitur Cassio Faustinam consciam non fuisse, quinetiam suppliciũ eius grauiter exegisse: siquidem Antoninũ quiescentem & clementiora cogitantem, ad vindictæ necessitatem impulit. Cui Antoninus quid rescripserit, subdita epistola
C perdocebit: *Tu quidem mea Faustina religiosè pro marito & pro nostris liberis agis. Nam relegi epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris vt in Auidij conscios vindicem. Ego verò & eius liberis parcam, & genero & vxori, & ad senatum scribam ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Non enim quicquã est quod imperatorem Romanum melius commendet gentibus quàm clemẽtia. Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecrauit, hæc patrem tuum in primis Pij nomine ornauit. Denique si ex mea sententia de bello iudicatum esset, nec Auidius esset occisus. Esto igitur secura, dij me tuentur, diis pietas mea cordi est. Pompeianum nostrum*
D *in annum sequentem consulem dixi.* hæc Antoninus ad coniugem. Ad senatum autem qualem orationẽ miserit, interest scire. Ex oratione M. Antonini: *Habetis igitur P.C. pro gratulatione victoriæ generum meum consulem, Pompeianum dico: cuius ætas olim remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes interuenissent, quibus reddi debuit quod à rep. debebatur. Nunc quod ad defectionẽ Caßianã pertinet, vos oro atque obsecro P.C. vt censura*

vestra

veſtra depoſita, meã pietatem clemẽtiámque ſeruetis, imò veſtram: A
neque quenquã vllum ſenatus occidat. Nemo ſenatorum puniatur,
nullus fundatur viri nobilis ſanguis: deportati redeant, proſcripti
bona recipiant. Vtinam poſſem multos etiã ab inferis excitare. Non
enim vnquam placet in imperatore vindicta ſui doloris: quæ etſi
iuſtior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Auidij Caßij & genero
& vxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? quum illi nihil fe-
cerint. Viuant igitur ſecuri, ſcientes ſub Marco ſe viuere. Viuant in
patrimonio parentum pro patre donato: auro, argento, veſtibus fruã-
tur: ſint diuites, ſint ſecuri, ſint vagi & liberi, & per ora omnium
vbique populorum circumferant meæ, circumferant veſtræ pietatis B
exemplum. Nec magna hæc eſt P.C. clementia, veniam proſcripto-
rum liberis & coniugibus dari. Ego verò à vobis peto vt conſcios
ſenatorij ordinis & equeſtris, à cæde, à proſcriptione, à timore, ab in-
famia, ab inuidia, & poſtremò ab omni vindicetis iniuria: detiſque
hoc meis temporibus, vt in cauſa tyrannidis qui in tumultu cecidit,
probetur occiſus. Hanc eius clementiam ſenatus his acclama-
tionibus proſequutus eſt, *Antonine pie, dij te ſeruẽt. Antonine*
clemens, dij te ſeruent. Antonine clemens, dij te ſeruent. Tu noluiſti
quod licebat, nos fecimus quod decebat. Commodo imperiũ iuſtum
rogamus, progeniem tuam robora. Fac ſecuri ſint liberi tui, bonum C
imperium nulla vis lædit. Commodo Antonino tribunitiã poteſta-
tem rogamus: præſentiam tuam rogamus, philoſophiæ tuæ, patientiæ
tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitati tuæ, innocentiæ tuæ. Vincis inimicos,
hoſtes exuperas: dij te tuentur. & reliqua. Vixerunt igitur po-
ſteri Auidij Caſſij ſecuri, & ad honores admiſſi ſunt. Sed
eos Commodus Antoninus poſt exceſſum diui patris ſui,
omnes viuos incendi iuſſit, quaſi in factione deprehenſos.
Hæc ſunt quæ de Caſſio Auidio comperimus: cuius ipſius
mores (vt ſuprà diximus) varij ſemper fuerunt, ſed ad cen-
ſuram crudelitatémq; propenſiores: qui ſi obtinuiſſet im- D
perium, fuiſſet non modò clemens, ſed bonus, ſed vtilis &
optimus imperator. Nam extat epiſtola eius ad generum
ſuũ iam imperatoris huiuſmodi: *Miſera reſp. quæ iſtos diuitia-*
rum cupidos & diuites patitur miſera. Marcus homo ſanè optimus:
qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere quorum ipſe non pro-
bat vitam. Vbi L. Caßius, cuius nos fruſtra tenet nomẽ? Vbi Marcus

A *ille Cato Censorius? Vbi omnis disciplina maiorũ? quæ olim quidem intercidit, nunc verò nec quæritur. Marcus Antoninus philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto & iusto, nec sentit pro rep. Vides multis opus esse gladiis, multis elogiis, vt in antiquum statum publica forma reddatur. Ego verò istis præsidibus prouinciarum: an ego procõsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi à senatu & ab Antonino prouincias datas credunt, vt luxuriẽtur, vt diuites fiant? Audisti præf. prætorij nostri philosophi, ante triduum quàm fieret, mendicum & pauperem, sed subitò diuitem factum. Vnde quæso nisi de visceribus reip. prouincialiûmque for-*
B *tunis? Sint sane diuites, sint locupletes: ærarium publicum refercient. Tantùm dij faueant bonis partibus. Reddant Caßiani reip. principatum.* Hæc epistola eius indicat quàm seuerus & quàm tristis futurus fuerit imperator.

ÆLII LAMPRIDII

COMMODVS ANT. ad Diocletianum Aug.

C

DE COMMODI ANTONINI parentibus, in vita Marci Antonini satis est disputatum. Ipse autem natus est apud Lanuuium cum fratre Antonino Gemino, pridie Cal. Septemb. patre patruóque COSS. vbi & auus maternus dicitur natus. Faustina quum esset Commodo cum fratre prægnans, visa est in somnis serpentes parere: sed ex his vnũ ferociorem. Quum autem peperisset Commodum atque Antoninũ, Antoninus quadrimus est elatus, quem parem
D astrorum cursu Commodo mathematici promittebant. Mortuo igitur fratre, Commodũ Marcus & suis præceptis & etiam magnorum atque optimorum virorum erudire conatus est. Habuit literatorem Græcum, Onesicritum: Latinum, Capellam Antistium: orator ei Atteius Sanctus fuit. Sed tot disciplinarum magistri nihil ei profuerunt. *Tantum valet aut ingenij vis, aut eorum qui in aula institutores ha-*

bentur. Nam à prima ſtatim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus fuit: iam in his artifex quæ ſtationis imperatoriæ non erant, vt calices fingeret, ſaltaret, cantaret, ſibilaret, ſcurram deniq; & gladiatorem ſe perfectum oſtenderet. Auſpicium crudelitatis apud Centumcellas dedit anno ætatis XII. Nam quum tepidius fortè lotus eſſet, balneatorem in fornacem coniici iuſſit: quando à pædagogo cui hoc iuſſum fuerat, veruecina pellis in fornace conſumpta eſt, vt fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret. Appellatus eſt autē Cæſar puer cum fratre ſuo Seuero: XIIII ætatis anno in collegium ſacerdotum aſcitus eſt. Cooptatus inter tres ſolos principes iuuentutis quum togam ſumpſit: adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque ipſe in baſilica Traiani præſedit. Indutus autem toga eſt Nonarum Iuliarum die, quo in terris Romulus non apparuit, & eo tempore quo Caſſius à Marco deſciuit. Profectus eſt, commēdatus militibus, cum patre in Syriam & Ægyptum, & cum eo Romam rediit. Poſt hæc venia legis Annariæ impetrata, COS. eſt factus: & cum patre imperator eſt appellatus V. Cal. Decemb. die, Pollione & Apro COSS. & triumphauit cum patre: nam & hoc patres decreuerant. Profectus eſt cum patre & ad Germanicum bellum. Adhibitos cuſtodes vitæ ſuæ honeſtiores ferre non potuit, peſſimos quoſque detinuit, & ſubmotos vſque ad ægritudinē deſiderauit: quibus per patris mollitiem reſtitutis, popinas & ganeas in Palatinis ſemper ædibus fecit: neque vnquā pepercit vel pudori vel ſumptui. In domo aleam exercuit. Mulierculas formę ſcitioris, vt proſtibula, mancipia lupanarium ad ludibrium pudicitię contraxit. Imitatus etiam propolas circumforaneos, equos curules ſibi comparauit. Aurigæ habitu currus rexit, gladiatoribus conuixit, aquam geſſit vt lenonum miniſter, vt probis natum magis quàm ei loco eum crederes ad quem fortuna prouexit. Patris miniſteria ſeniora ſubmouit, amicos ſenes abiecit. Filium Saluij Iuliani qui exercitibus præerat, ad impudicitiā fruſtra tentauit, atque exinde Iuliano tetendit inſidias. Honeſtiſsimos quoſque, aut per

A contumeliam aut per honorẽ indignissimum, abiecit. Appellatus est à mimis quasi obstupratus, eosdémq; ita vt non apparerent, subitò deportauit. Bellum etiam quod pater penè confecerat, regibus hostium addictus remisit, ac Romam reuersus est. Romam vt rediit, subactore suo Antero post se in curru locato, ita triumphauit vt eũ sæpius ceruice reflexa publicè oscularetur: etiam in orchestra hoc idem fecit. Et quum potaret in lucem, heluaretúrque viribus Romani imperij, vespera etiam per tabernas ac lupanaria volitauit. Misit homines ad prouincias regendas, vel crimi-
B minum socios, vel à criminosis commendatos. In senatus odium ita venit vt & ipse crudeliter in tanti ordinis perniciem sæuiret, fierétque contemptui. Crudelis vita Commodi Quadratũ & Lucillam compulit ad eius interfectionem consilia inire non sine præf. præt. Tarrutini Paterni consilio. Datum autem est negotiũ peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo, qui ingressus ad Commodum districto gladio, quum faciendi potestatem habuisset, in hæc verba prorumpens, *Hunc tibi pugionem senatus mittit:* detexit facinus fatuus, nec impleuit, multis cum eo parti-
C cipantibus causam. Post hæc interfecti sunt Pompeianus primò & Quadratus: dein Narbana atq; Norbanus & Paralius, & mater eius Lucilla in exilium exacta. Quum præf. præt. vidissent Commodum in tantum odium incidisse, obtentu Anteri, cuius potentiam præf. præt. ferre non poterant, vrbanè Anterum eductum à palatio sacrorũ causa, & redeuntem in hortos suos, per frumentarios occiderunt. Id verò grauius quã de se ipso Commodo fuit. Paternum autem & huius cædis autorem, & (quantum videbatur) paratæ necis Commodi conscium, & interuentorem ne
D coniuratio latius puniretur, instigante Tigidio, per laticlaui honorem à præfecturæ administratione submouit. Post paucos dies insimulauit eum coniurationis, quum diceret ob hoc promissam Iuliani filio filiam Paterni, vt in Iulianum transferretur imperium. Quare & Paternum & Iulianum & Vitruuium Secũdum Paterni familiarissimum, qui epistolas imperatorias curabat, interfecit. Domus pręterea

Quintiliorum omnis extincta, quòd Sextus Cocidiani filius specie mortis ad defectionem diceretur euasisse. Interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito cõsulares. In exilium autem acti sunt Æmilius Iunctus & Attilius Seuerus coss. & in multos alios variè sæuitum. Post hæc Commodus nunquam facilè in publicum processit: nequè quicquam sibi nuntiari passus nisi quod Perennis antè tractasset. Perennis autem Commodi animum persciens, inuenit quemadmodum ipse potens esset. Nam persuasit Commodo vt ipse deliciis vacaret, idem verò Perennis curis incumberet: quod Commodus lætanter accepit. Hac igitur lege viuens ipse cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricúmque delectu ad formæ speciem conciliauerat, trecentísque aliis puberibus exoletis, quos æquè ex plebe ac nobilitate, nuptúsque forma disceptatrice collegerat, in palatio per conuiuia & balneas bacchabatur. Inter hæc habitu victimarij, victimas immolauit in harena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnauit, lucentibus aliquãdo mucronibus. Tũc tamen Perennis cuncta sibimet vindicauit: quos voluit, interemit, spoliauit plurimos, omnia iura subuertit, prædam omnem in sinum contulit. Ipse autem Commodus Lucillam sororem, quum eam compressisset, occidit: sororibus dein suis cæteris vt dicitur, constupratis, consobrina patris complexibus fuit coniuncta, vni etiam ex concubinis matris nomen imposuit & vxoris. Quam deprehẽsam in adulterio exegit, exactam relegauit, & postea occidit. Ipsas cõcubinas suas sub oculis suis stuprari iubebat. Nec irruentiũ in se iuuenum carebat infamia, omni parte corporis, atque ore in sexum vtrumque pollutus. Occisus est eo tempore etiam Claudius quasi à latronibus: cuius filius cum pugione quondam ad Commodum ingressus est, multíque alij senatores sine iudicio interempti, fœminæ quoque diuites. Et nonnulli per prouincias à Perenni ob diuitias insimulati, spoliati sunt, vel etiam interempti. His autem quibus deerat ficti criminis appositio, obiiciebatur quòd scribere voluissent Commodum hæredem. Eo tempore in

A Sarmatia res benè gestas per alios duces, in filium suum Perennis referebat. Hic tamē Perennis qui tātum potuit, subitò quòd bello Britannico militibus equestris loci viros præfecerat, amotis senatoribus, prodita re per legatos, exercitus hostis appellatus lacerandúsque militibus est deductus. In cuius potentiæ locum Cleandrum ex cubiculariis subrogauit. Multa sanè post interfectū Perennem eiúsque filium, quasi à se non gesta rescidit, velut in integrum restituens. Et hanc quidem pœnitentiam scelerum vltra triginta dies tenere non potuit, grauiora per Cleandrum B faciens quàm fecerat per suprà dictum Perennem. Et in potentia quidem Cleander Perenni successerat: in præfectura verò Niger, qui sex tantùm horis præfectus prætorij fuisse perhibetur. Mutabantur enim præfecti prætorij per horas ac dies, Commodo peiora omnia quàm fecerat antè, faciēte. Fuit item Martius Quartus præfectus præt. diebus quinque. Horum successores ad arbitrium Cleandri aut retenti sunt aut occisi. Ad cuius nutum etiam libertini in senatum atque in patricios lecti sunt: túncque primùm vigintiquinque COSS. in vnum annum, venditæque omC nes prouinciæ. Omnia Cleāder pecunia venditabat. reuocatos de exilio dignitatibus ornabat, res iudicatas rescindebat: qui tātum per stultitiam Commodi potuit, vt Byrrum sororis Commodi virum reprehendentem nuntiantémque Commodo quæ fiebant, in suspicionem regni affectati traheret & occideret, multis aliis qui Byrrum defēdebāt, pariter interemptis. Præfectus etiam Ebutianus inter hos est interemptus: in cuius locum ipse Cleander cum aliis duobus quos ipse delegerat, præfectus est factus. Túncque primùm tres præf. prætor. fuere, inter quos liD bertinus qui à pugione appellatus est. Sed & Cleandro dignus tandem vitæ finis impositus. Nam quum insidiis illius Arrius Antoninus fictis criminibus in Attali gratiam, quem in proconsulatu Asiæ damnauerat, esset occisus, nec eam tum inuidiam populo sæuiente Commodus ferre potuisset, plebi ad pœnam donatus est: quum etiam Apolaustus, aliíque liberti aulici pariter interempti sunt. Cleander

inter cæteras etiam concubinas eius constuprauit, de quibus filios suscepit, qui post eius interitum cum matribus interempti sunt. In cuius locum Iulianus & Regillus subrogati sunt: quos & ipsos postea pœnis affecit. His occisis, interemit Seruilium & Dulium Syllanos cum suis: mox Antitium Lupum, & Petronios Mamertinum & Suram, filiúmque Mamertini Antoninum ex sorore sua genitum. Et post eos sex simul ex consularibus, Allium Fuscum, Celium Felicem, Luceium Torquatum, Lartium Euripianum, Valerium Bassianum, Pactuleium Magnum cum suis: atque in Asia Sulpitium Crassum proconsulẽ & Iulium Proculum cum suis, Claudiúmque Lucanum consularem, & consobrinam patris sui Faustinam Anniam in Achaia, & alios infinitos. Destinauerat & alios quatuordecim occidere, quum sumptus eius vires Romani imperij sustineri non possent. Inter hæc Commodus, senatu semet ridente, quum adulterum matris consulem designasset, appellatus est *Pius*, quum occidisset Perennem, appellatus est *Felix*. Inter plurimas cædes multorum ciuium, quasi quidam nouus Sylla, idem Commodus ille Pius, ille Felix, finxisse etiam quandam cõtra se coniurationem dicitur vt multos occideret. Nec alia vlla fuit defectio præter Alexãdri, qui postea se & suos interemit, & sororis Lucillæ. Appellatus est Commodus etiam *Britannicus* ab adulatoribus, quum Britanni etiam imperatorem contra eum deligere voluerint. Appellatus est etiam *Romanus Hercules*, quòd feras Lanuuij in amphitheatro occidisset. Erat enim hæc illi consuetudo, vt domi bestias interficeret. Fuit præterea ea demẽtia vt vrbem Romam, *coloniam Commodianã* vocari voluerit: qui furor dicitur ei inter delinimẽta Martiæ iniectus. Voluit etiam in circo quadrigas agitare. Dalmaticatus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit. Et eo quidem tempore quo ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solùm senatus hoc libenter accepit per irrisionem (quantum intelligitur) sed etiam seipsum Commodianum vocauit, Commodum Herculem & deum appellans. Simulauit se & in Afri-

A cam iturum vt ſumptum itinerarium exigeret: & exegit, eúmque in conuiuia & aleam conuertit. Motilenum pręf. præt. per ficus veneno interemit. Accepit ſtatuas in Herculis habitu, eique immolatum eſt vt deo. Multos præterea parauerat interimere, quod per paruulum quendã proditum eſt qui tabulam è cubiculo eiecit, in qua occidendorum erant nomina ſcripta. Sacra Iſidis coluit, vt & caput raderet & Anubin portaret. Bellonæ ſeruientes verè exſecare brachium, præcepit ſtudio crudelitatis. Iſiacos verò pineis vſque ad perniciem pectus tundere cogebat.
B Quum Anubin portaret, capita Iſiacorum grauiter obtũdebat ore ſimulacri. Claua non ſolùm leones in veſte mulieri & pelle leonina, ſed etiam multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos qui ambulare non poſſent, in gigantum modum formauit, ita vt à genibus de pãnis & linteis quaſi dracones digererentur, eoſdémque ſagittis confecit. Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, quum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleat. Etiam puer & guloſus & impudicus fuit. Adoleſcens omne genus infamauit hominum quod erat ſecum, & ab omnibus
C eſt infamatus. irridentes ſe feris obiiciebat. Eum etiam qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiici iuſſit: quia eũdem diem natalis habuerat quem & Caligula. Siquis ſanè ſe mori velle prædixiſſet, hunc inuitum pręcipitari iubebat. In iocis quoque pernicioſus. nã eum quem vidiſſet albeſcentes inter nigros capillos quaſi vermiculos habere, ſturno appoſito, qui ſe vermes ſectari crederet, capite ſuppuratum reddebat. Obtunſi oneris pinguem hominem medio ventre diſſecuit, vt eius inteſtina
D ſubitò funderentur. Monopedios & luſcinios, eos quibus aut ſingulos tuliſſet oculos aut ſingulos pedes fregiſſet, appellabat. Multos præterea paſſim extinxit: alios quia barbarico habitu occurrerant: alios quia nobiles & ſpecioſi erant. Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriuſque ſexus, quos libentius ſuis oculis applicabat. Habuit & hominem pene prominente vltra modum animalium, quem Onon appellabat, ſibi chariſſimũ: quem

quem & ditauit & sacerdotio Herculis rustici præposuit. A Dicitur sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustu, aliis (vt putabat) irrisis. Duos gibbos retortos in lance argentea sibi sinapi perfusos exhibuit, eosdémque statim promouit ac ditauit. Præf. præt. suum Iulianum togatum, præsente officio suo in piscinam detrusit: quem saltare etiam nudum ante concubinas suas iussit quatientem cymbala, deformato vultu. Genera leguminum coctorum ad conuiuium propter luxuriæ continuationem rarò vocauit. Lauabat per diem septies atque octies, & in ipsis balneis edebat. Deorum templa polluit B stupris & humano sanguine. Imitatus est & medicum, vt sanguinem hominibus emitteret scalpris feralibus. Menses quoque in honorẽ eius pro Augusto *Commodum*, pro Septembri *Herculem*, pro Octobri *Inuictum*, pro Nouembri *Exuperatorium*, pro Decembri *Amazonium*, ex signo ipsius adulatores vocabant. *Amazonius* autẽ vocatus est ex amore concubinæ suæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit. Gladiatorum etiam certamen subiit, & nomina gladiatorum recepit eo gaudio quasi acciperet triumphalia. Ludum semper ingressus est: & C quoties ingrederetur, publicis monumẽtis indi iussit. Pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies. Nominatus inter Cæsares quarto Iduũ Octobriũ, quas Herculeas postea nominauit, Pudẽte & Pollione coss. Appellatus *Germanicus*, Idibus Herculeis, Maximò & Orphito coss. Assumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos, XIII Calendas Inuictas, Pisone & Iuliano coss. Profectus in Germaniam XIIII Calẽdas Ælias, vt postea nominauit, iisdem coss. Togam virilem accepit cum patre: appellatus imperator V Calendas Exuperatorias. Pol- D lione iterum & Apro coss. Triumphauit X Calendas Amazonias, iisdem coss. Iterum profectus III Nonas Cõmodias, Orphito & Ruffo coss. Datus in perpetuum ab exercitu & senatu in domo palatina Cõmodiana cõseruãdus, XI Calendas Romanas, Præsente iterum cos. Ter-

A tiò meditans de perfectione, à senatu & populo suo retentus est. Vota pro eo facta sunt Nonis Piis, Fusciano iterum cos. Inter hæc refertur in literas, pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies. Item postea tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis retiariis vel occisis, vt mille contingeret. Ferarum autem diuersarum manu sua occidit multa millia, ita vt elephãtos occideret. Et hæc fecit sæpe spectante populo Romano. Fuit autem validus ad hæc, aliàs debilis & infirmus, vitio etiam inter inguina prominenti, ita vt eius tumorem per sericas vestes populus
B Romanus agnosceret. Versus in eum multi scripti sunt, de quibus etiam in opere suo Marius Maximus gloriatur. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit vt elephantum conto transfigeret: & orygis cornu hasta transmiserit: & singulis ictibus multa millia ferarum ingentium cõficeret. Impudentię tãtæ fuit vt cum muliebri veste in amphitheatro vel theatro sedens, publicè sæpissimè biberit. Victi sunt sub eo tamen, quum ille sic viueret, per legatos, Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque compositæ: in Britannia, in Germania & in Dacia imperium eius recusantibus
C prouincialibus. Quæ omnia ista per duces sedata sunt. Ipse Commodus in subscribendo tardus & negligens, ita vt libellis vna forma multis subscriberet: in epistolis autem plurimis, *Vale*, tantùm scriberet. Agebantúrque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur. Per hanc autem negligentiam, quum & annonam vastarent ij qui tunc rempub. gerebant, etiam inopia ingens Romæ exhorta est quum fruges non deessent: & eos quidem qui omnia vastabãt, postea Cõmodus occidit atque proscripsit. Ipse verò seculum aureum, *Commodianũ* nomi-
D ne assimulans, vilitatem proposuit, ex qua maiorem penuriam fecit. Multi sub eo & alienam pœnam & suam salutẽ pecunia redemerunt. Vendidit etiam suppliciorum diuersitates & sepulturas & immunitates malorum, & alios pro aliis occidit. Vendidit etiã prouincias & administrationes quum hi per quos venderet, partem acciperent, parte verò Commodus. Vendidit nonnullis & inimicorum suorum

vilitatem proposuit

cædes. Vendiderunt ſub eo etiam euentus litium liberti. A
Præfectos Paternum & Perennem non diu tulit, ita tamen vt etiam de his pręfectis quos ipſe fecerat, triẽnium nullus impleret: quorum plurimos interfecit vel veneno vel gladio. Et præfectos vrbi eadem facilitate mutauit. Cubicularios ſuos libenter occidit, quũ omnia ex nutu eorum ſemper feciſſet. Electus cubicularius quum videret eum tam facilè cubicularios occidere, præuenit eũ, & factioni mortis eius interfuit. Spectator gladiatoria ſumpſit arma, pãno purpureo nudos humeros aduelans. Habuit præterea morem vt omnia quæ turpiter, quæ impurè, quæ crudeliter, B
quæ gladiatoriè, quæ lenonicè faceret, actis vrbis indi iuberet, vt Marij Maximi ſcripta teſtantur. *Commodianum* etiã P.R. dixit, quo ſæpiſſimè præſente gladiator pugnauit. Sanè quum illi ſæpe pugnanti, vt deo, populus fauiſſet, irriſum ſe credẽs, populum Romanum à militibus claſſiariis qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Vrbem incendi iuſſerat, vtpote coloniam ſuam. Quod factum eſſet niſi Lętus pręf. præt. Commodum deterruiſſet. Appellatus eſt ſanè inter cætera triumphalia nomina, etiã ſexcẽties vicies *Paulus primus ſequutorum*. Prodigia eius im- C
perio & publicè & priuatim hæc facta ſunt: Crinita ſtella apparuit. Veſtigia deorũ in foro viſa ſunt exeũtia. Et antè bellum deſertorum cælum arſit: & repentina caligo ac tenebra in circo Cal. Ianuariis oborta: & ante lucem fuerant etiam incendiariæ aues, ac dirę. De Palatio ipſe ad Cęlium montem in Vectilianas ædes migrauit, negans ſe in Palatio poſſe dormire. Ianus geminus ſua ſponte apertus eſt, & Anubis ſimulacrum marmoreũ moueri viſum eſt. Herculis ſignum æneum ſudauit in Minutia per plures dies. bubo etiam ſupra cubiculũ eius deprehẽſus eſt tam Romę quàm D
Lanuuij. Ipſe autem prodigium non leue ſibi fecit. Nam quum in gladiatoris occiſi vulnus manũ miſiſſet, ad caput ſibi deterſit: & contra conſuetudinem, penulatos iuſſit ſpectatores, non togatos, ad munus cõuenire, quod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens. Galea eius bis per portam Libitinenſem elata eſt. Congiarium dedit po-

A pulo, ſingulis denarios ſeptingenos vicenos quinos: circa alios omnes parciſſimus fuit quòd luxuriæ ſumptibus ærarium minuerat. Circenſes multos addidit ex libidine potius quàm religione, & vt dominos factionum ditaret. His incitati, licet nimis ſerò, Quintus Ælius Lætus præfectus, & Martia concubina eius, inierunt coniurationem ad occidendum eum. Primùm ei venenum dederunt: quod quũ minus operaretur, per athletam cum quo exerceri ſolebat, eum ſtrangulauerunt. Fuit forma quidem corporis iuſta, vultu inſubido, vt ebrioſi ſolent, & ſermone incon-
B dito, capillo ſemper fucato & auri ramẽtis illuminato, adurens comam & barbam timore tonſoris. Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, ſenatus & populus poſtulauit: ſed poſtea iuſſu Pertinacis in monumentum Adriani tranſlatum eſt. Opera eius præter lauacrum quod Cleander nomine ipſius fecerat, nulla extant: ſed nomẽ eius alienis operibus inciſum, ſenatus eraſit. nec patris autem ſui opera perfecit. Claſſem Africanam inſtituit: quæ ſubſidio eſſet ſi fortè Alexandrina frumenta ceſſaſſent. Ridiculè etiam Carthaginem, *Alexandriam Com-*
C *modianam togatam* appellauit: quum claſſem quoque Africanam, *Commodianam Herculeam* appellaſſet. Ornamenta ſanè quædam coloſſo addidit, quæ poſtea cuncta ſublata ſunt. Coloſſi autem caput dempſit quod Neronis eſſet, ac ſuum impoſuit: & titulum more ſolito ſubſcripſit, ita vt illum gladiatorium effœminatum nõ prætermitteret. Hunc tamen Seuerus imperator amantiſſimus nominis ſui, odio (vt videtur) ſenatus, inter deos retulit, flamine addito quem ipſe viuus ſibi parauerat, Herculaneo Commodiano. ſorores tres ſuperſtites reliquit. Vt natalis eius celebra-
D retur, Seuerus inſtituit. Acclamationes ſenatus poſt mortem Commodi graues fuerunt. Vt autem ſciretur quod iudicium ſenatus de Commodo fuerit, ipſas acclamationes de Mario Maximo indidi, & ſententiam ſenatuſconſulti: *Hoſti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, parricida trahatur. Hoſtis patriæ, parricida gladiator in ſpoliario lanietur. Hoſtis deorum, carnifex ſenatus. hoſtis deorum, parricida*

ſenatus. hoſtis deorum, hoſtis ſenatus. gladiatorem in ſpoliario. Qui ſenatum occidit, in ſpoliario ponatur. Qui ſenatum occidit, vnco trahatur. Qui innocentes occidit, vnco trahatur: hoſtis, parricida, verè ſeuerè. Qui ſanguini ſuo nõ pepercit, vnco trahatur. Qui te occiſurus fuit, vnco trahatur. Nobiſcum timuiſti, nobiſcum periclitatus es. Vt ſalui ſimus Iupiter optime maxime, ſerua nobis Pertinacẽ. Fidei prætorianorum feliciter: prætoriis cohortibus feliciter: exercitibus Romanis feliciter: pietati ſenatus feliciter. Parricida trahatur. Rogamus Auguſte parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæſar. Delatores ad leonem, exaudi Cæſar. Delatores ad leonem, exaudi Cæſar. Sepratum ad leonem. Victoriæ populi Romani feliciter: fidei militum feliciter: fidei prætorianorũ feliciter: cohortibus prætoriis feliciter. Hoſtis ſtatuas vndique, parricidæ ſtatuas vndique, gladiatoris ſtatuas vndique: gladiatoris & parricidæ ſtatuæ detrahantur. necator ciuium trahatur, parricida ciuium trahatur. gladiatoris ſtatuæ detrahantur. Te ſaluo, ſalui & ſecuri ſumus, verè, verè: modò verè, modò dignè, modò verè, modò liberè. Nunc ſecuri ſumus, delatoribus metum. Vt ſecuri ſimus, delatoribus metum: ſalui ſimus, delatores de ſenatu. Delatoribus fuſtem te ſaluo. delatores ad leonem te imperante. delatoribus fuſtem. Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur, parricidæ gladiatoris ſtatuæ detrahantur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur: gladiatorem in ſpoliario. Exaudi Cæſar. carnifex vnco trahatur. carnifex ſenatus more maiorum vnco trahatur. Sæuior Domitiano, impurior Nerone, ſic fecit, ſic patiatur. Memoriæ innocẽtium ſeruentur, honores innocentium reſtituas. Rogamus, parricidæ cadauer vnco trahatur, gladiatoris cadauer vnco trahatur, gladiatoris cadauer in ſpoliario ponatur. Præroga, præroga, omnes cenſemus vnco trahendum. Qui omnes occidit, vnco trahatur. Qui omnem ætatem occidit, vnco trahatur. Qui vtrumque ſexum occidit, vnco trahatur. Qui ſanguini ſuo non pepercit, vnco trahatur. Qui templa ſpoliauit, vnco trahatur. Qui teſtamenta deleuit, vnco trahatur. Qui viuos ſpoliauit, vnco trahatur. Seruis ſeruiuimus. Qui pretia vitæ exegit, vnco trahatur. Qui pretia vitæ exegit & fidem non ſeruauit, vnco trahatur. Qui ſenatum vendidit, vnco trahatur. Qui filiis abſtulit hæreditatem, vnco trahatur. Indices de ſenatu, delatores de ſenatu: ſeruorum ſubornatores de ſenatu. & tu nobiſcum timuiſti,

A *omnia scis, bonos & malos nosti: omnia scis, omnia emenda, pro te timuimus. O nos felices te viro imperante. De parricida refer, refer, perroga, præsentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt. Parricidæ cadauer trahatur. Parricida sepultos eruit: parricidæ cadauer trahatur.* Et quum iussu Pertinacis Liuius Laurensis procurator patrimonij, Fabio Chiloni consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadauer sepultum est. Senatus acclamauit, *Quo autore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur, trahatur.* Cingius Seuerus dixit, *Iniustè sepultus est. Quia pontifex dico, hoc collegium pontificum dicit. Quoniam læta*
B *percensui, nunc conuertar ad necessaria, censéoque (quod is qui nonnisi ad perniciem ciuium & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coegit) abolendas statuas: quæ vndique sunt abolendæ, noménque ex omnibus priuatis publicísque monumẽtis eradendum: menséśque his nominibus nuncupandos quibus nuncupabantur quum primùm illud malum in rempub. incubuit.*

IVLII CAPITOLINI

C

PERTINAX IMPERATOR.

PVBLIO HELVIO PERTINACI, pater libertinus Heluius Successus fuit, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur. Natus est Pertinax in Apẽnino in villa Martis. Equus pullus ea hora qua natus est, in tegulas ascendit, atque ibi breuiter commoratus decidens
D expirauit. Hac re pater motus ad Chaldæum venit. Qui quum illi futura ingentia prædixisset, stipem se perdidisse dixit. Puer literis elementariis & calculo imbutus, datus etiam Græco grammatico, atque inde Sulpitio Apollinari, post quem idem Pertinax grammaticem professus est. Sed quum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Auitum consularem virum, patris patronum, ducendi or-

dinis dignitatem petiit. Dein præfectus cohortis in Syria A
profectus, T. Aurelio imperatore à præside Syriæ, quòd
ſine diplomatibus curſum vſurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem ſuam iter facere coactus eſt. Bello Parthico induſtria ſua promeritus, in Britanniam tranſlatus eſt ac retentus. Pòſt in Mœſia rexit alam, deinde alimentis diuidendis in via Æmilia procurauit. Inde claſſem Germanicam rexit. Mater eum vſque in Germaniam proſequuta eſt, ibíque obiit. cuius etiam ſepulcrum ſtare nunc dicitur. Inde ad ducenûm H-S ſtipendium tranſlatus in Daciam, ſuſpectúſque Marco quorundam relatu, à partibus remotus eſt: & poſtea per Claudium Pompeianum generum Marci, quaſi adiutor eius futurus, vexillis regendis aſcitus eſt. In quo munere approbatus, lectus eſt in ſenatũ. Poſtea iterum re bene geſta, prodita eſt factio quæ illi concinnata fuerat: Marcúſque imperator, vt compenſaret iniuriam, prætorium eum fecit, & primæ legioni regendæ impoſuit: ſtatímque Rhetias & Noricum ab hoſtibus vindicauit. Ex quo eminente induſtria, ſtudio Marci imperatoris COS. eſt deſignatus. Extat oratio apud Marium Maximum, laudes eius continens, & omnia vel quæ fecit vel quæ perpeſſus eſt. & præter illam orationem, quam longum fuerit cõnectere, ſæpiſſimè Pertinax à Marco & in concione militari & in ſenatu laudatus eſt: doluítq; palam Marcus quòd quum ſenator eſſet, præfectus prætorij fieri à ſe non poſſet. Caſſiano motu compoſito, è Syria ad Danubij tutelam profectus eſt, atque inde Mœſiæ vtriuſque, mox Daciæ regimen accepit. Bene geſtis his prouinciis, Syriam meruit. Integrè ſe vſque ad Syriæ regimen Pertinax tenuit: poſt exceſſum verò Marci, pecuniæ ſtuduit: quare etiam dictis popularibus eſt laceſſitus. Curiam Romanam poſt quatuor prouincias conſulares, quia conſulatum abſens geſſerat, iam diues ingreſſus eſt, quum eam ſenator antea non vidiſſet. Iuſſus eſt præterea ſtatim à Perenne in Liguriam ſecedere in villam paternam. Nam pater eius tabernam coactiliciam in Liguria exercuerat. Sed poſteaquã in Liguriam venit, multis agris coemptis, tabernam paternam manente

A forma priore, infinitis ædificiis circundedit: fuítque illic
per triennium & mercatus eſt per ſuos ſeruos. Occiſo ſanè
Perenni, Commodus Pertinaci ſatisfecit, eúmque petiit
per literas vt ad Britanniam proficiſceretur: profectúſque
milites ab omni ſeditione deterruit, quum illi quemcūque
imperatorem vellent habere & ipſum ſpecialiter Pertina-
cem. Tunc Pertinax maleuolentiæ notam ſubiit, quòd di-
ctus eſt inſimulaſſe apud Commodū affectati imperij An-
tiſtium Burrum, & Arrium Antoninum. Et ſeditiones qui-
dem contrà ipſe compeſcuit in Britannia: verùm ingens
B periculum adiit, ſeditione legionis penè occiſus, certè in-
ter occiſos relictus. quam quidē rem idem Pertinax acer-
rimè vindicauit. Denique poſtea veniam legationis petiit,
dicens ſibi ob defenſam diſciplinam infeſtas eſſe legiones.
Accepto ſucceſſore, alimentorum ei cura mandata eſt, de-
inde proconſul Africæ factus eſt. In quo procōſulatu mul-
tas ſeditiones perpeſſus dicitur, vaticinationibus earū quæ
de templo Cæleſtis emergunt. Poſt hoc præfectus vrbi fa-
ctus: in qua prȩfectura poſt Fuſcianum hominem ſeuerum,
Pertinax mitiſſimus & humaniſſimus fuit, & ipſi Commo-
C do plurimùm placuit, quia ille eſſet iterum, quum Pertinax
factus eſt. Tunc Pertinax interficiendi Commodi conſciē-
tiam delatam ſibi ab aliis non fugit. Commodo autem in-
terempto, Lætus prȩfectus prȩtorij & Electus cubicularius
ad eum venerunt vt eum confirmarent, atque in caſtra du-
xerunt. Illic Pertinax milites alloquutus eſt. Donatiuum
promiſit, ingeri ſibi imperiū à Læto & Electo dixit. Fictum
eſt autem quòd morbo eſſet Commodus extinctus, quia
& milites, ne tentarentur, pertimeſcebant. Denique à pau-
cis primùm eſt Pertinax imperator appellatus. Factus eſt
D autem ſexagenario maior imperator, prid. Cal. Ianuarias.
De caſtris nocte quum ad ſenatum veniſſet, & cellam curiȩ
iuſſiſſet aperiri, neque inueniretur æditiuus, in templo Con-
cordiæ reſedit. Et quū ad eū Claudius Pompeianus gener
Marci veniſſet, caſúmq; Commodi lacrymaſſet, eum hor-
tatus eſt Pertinax vt imperium ſumeret: ſed ille recuſauit,
quia iam imperatorem Pertinacem videbat. Statim ergo
omnis

omnis magistratus cum consule ad curiam venerũt, ingressúmque Pertinacem nocte imperatorẽ appellauerunt. Ipse autem Pertinax post laudes suas à consulibus dictas, & post vituperationem Commodi acclamationibus senatus ostẽsam, egit gratias senatui, & præcipuè Læto præfecto prætorij, quo autore & Commodus interemptus & ipse imperator est factus. Sed quum Læto gratias egisset Pertinax, Falco consul dixit, *Qualis imperator es futurus, hinc intelligimus quòd Lætum & Martiam ministros scelerum Commodi post te videmus*: cui Pertinax respondit, *Iuuenis es consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inuiti Commodo, sed vbi habuerunt facultatem, quid semper voluerint ostenderunt.* Eadem die qua Augustus est appellatus, & Flauia Titiana vxor eius augusta est appellata. His horis quibus ille in Capitolium vota soluebat, primus sanè omnium ea die qua augustus est appellatus, etiam patris patriæ nomen recepit: necnon simul etiam imperium proconsulare, necnon ius quartæ relationis, quod ominis loco fuit Pertinaci. Ad palatium ergo Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est, petenti signum prima die tribuno dedit, *Militemus*, exprobrãs vtique segnitiem temporum superiorum: quod quidem etiam ante in omnibus ducatibus dederat. Exprobrationem autem istam milites non tulerunt, statimque de imperatore mutando cogitarunt. Ea die etiam ad conuiuium magistratus & proceres senatus rogauit, quam consuetudinem Commodus prætermiserat. Sanè quum postero Calendarum die statuæ Commodi deiicerentur, gemuerunt milites: simul quia iterũ signum idem dederat imperator. Timebatur autẽ militia sub sene imperatore. Denique tertium Nonarũ diem Votis ipsis milites Triarium Maternum Lasciuium, senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt vt eum rebus Romanis imponerent: sed ille nudus fugit atq; ad Pertinacẽm in Palatiũ venit, & pòst ex vrbe discessit. Timore sanè Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militibus & veteranis dederat, confirmauit. Suscipere se etiam imperium à senatu dixit, quod iam spõte inierat. Quæstionem maiestatis

A penitus tulit cum iureiurãdo. Reuocauit etiam eos qui deportati fuerant crimine maieſtatis, eorũ memoria reſtituta qui occiſi fuerant. Filium eius Pertinacem ſenatus Cæſarem appellauit. Sed Pertinax nec vxoris Auguſtæ appellationẽ recepit, & de filio dixit, *Quum meruerit.* Et quũ Commodus allectionibus innumeris prætorios miſcuiſſet, ſenatuſconſultum Pertinax fecit, iuſsítque eos qui præturas nõ geſſiſſent, ſed allectione accepiſſent, poſt eos eſſe qui verè prætores fuiſſent. Sed hinc quoque grande odium ſibi multorum commouit. Cenſus retractari iuſſit: delatores B vinctos grauiter puniri iuſſit, & tamen mollius quàm priores imperatores vnicuique dignitati, ſi delationis crimen incurreret, pœnam ſtatuens. Legem ſanè tulit vt teſtamẽta priora nõ prius eſſent irrita quàm alia perfecta eſſent, néve ob hoc fiſcus aliquando ſuccederet. Ipſéque profeſſus eſt nullius ſe aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, aut legitimi hæredes, & neceſſarij priuarẽtur: addidítque ſenatuſconſulto hæc verba, *Sanctius eſt P.C. inopem remp. obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per diſcrimina atque dedecoris veſtigia peruenire.* Do-C natiua & congiaria quæ Commodus promiſerat, ſoluit. Annonæ conſultiſſimè prouidit. Et quũ tantam pecuniam ærarij haberet, vt præter decies H-S non ſe inueniſſe fateretur, coactus eſt ea exigere quæ Commodus indixerat, contrà quàm profeſſus fuerat. Denique aggreſſus eum Lollianus Gentianus conſularis, quòd contra promiſſum faceret, neceſſitatis rationem accepit. Auctionem rerũ Commodi habuit, ita vt & pueros & concubinas vendi iuberet, exceptis iis qui per vim Palatio videbantur inſerti. Et de his quos vendi iuſſit, multi poſtea reducti ad miniſterium, D oblectauerunt ſenem, qui per alios principes vſque ad ſenatoriam dignitatem peruenerunt. Scurras turpiſſimorum nominum dedecora perferentes, proſcripſit ac vendidit. Cuius nundinationis pecuniam quæ ingens fuit, militibus donatiuo dedit. A libertis etiam ea exegit quibus Commodo vendente ditati fuerant. Auctio ſanè rerum Commodi in his inſignior fuit. Veſtis ſubtegmine ſerico aureis

filis insignior, per tunicas penulásque, lacernas & chiro- A
dotas Dalmatarũ & cirratas militares, purpureásque chlamydes Græcanicas atque castrenses, & cuculli Bardaici. Et toga armáque gladiatoria gemmis auróque composita, & machæras Herculaneas, & torques gladiatorias, vasáque eluto auro, ebore, argento, citróque composita, atq; etiam phallouitroboli ex materie eadem, & vasa Samnitica, calfactandæ resinæ ac pici diuellendis hominibus ac leuigandis: necnon vehicula arte fabricę noua, perplexis diuersisq; rotarum orbibus & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertigi- B
nem: & alia iter metientia horásque monstrantia, & cætera vitiis eius conuenientia. Reddidit præterea dominis eos qui se ex priuatis domibus in aulam contulerant. Conuiuium imperatorium ex immenso ad certum reuocauit modum: sumptus etiã omnes Commodi reddidit. Exemplo autem imperatoris quum ille parcius se ageret, ex omnium continentia vilitas nata est. Nam imperatorium sumptum, pulsis non necessariis, ad soliti dimidium detraxit. Præmia militantibus posuit. Æs alienum quod primo imperij tempore contraxerat, soluit. Ærarium in suum sta- C
tum restituit. Ad opera publica certum sumptum constituit. Reformandis suis pecuniam contulit: stipendia plurimis retrò debita exoluit. Obeundis postremò cunctis muneribus fiscum parem fecit. Alimentaria etiam compendia quæ nouem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata verecundia sustulit. Auaritiæ suspicione priuatus non caruit, quum apud vada Sabatia oppressis fœnore possessoribus, latius suos teneret fines. Denique ex versu Luciliano *agrarius mergus* est appellatus. Multi autem eum etiam in prouinciis quas consularis gessit, sordidè se D
egisse in literas retulere. Nam vacationes & legationes militares dicitur vendidisse. Denique quum parentum minimum esset patrimonium, & nulla hæreditas obuenisset, subitò diues est factus. Omnibus sanè possessiones suas reddidit quibus Commodus ademerat, sed nõ sine pretio. Senatui legitimo semper interfuit, ac semper aliquid retulit.

A Ciuilem se salutãtibus & interpellantibus semper exhibuit. Eos qui calumniis appetiti per seruos fuerãt, damnatis seruis delatoribus liberauit, in crucem sublatis talibus seruis, aliquos etiã mortuos vindicauit. Insidias parauit ei Falco, volens imperare: de quo cõquestus est in senatu: quod quidem senatus credidit. Dum sibi quidam seruus, quasi Fabiæ esset filius ex Ceionij Commodi familia, Palatinã domum ridiculè vindicasset, cognitus, iussus est flagellis cęsus domino restitui. In cuius vindicta hi qui oderant Pertinacem, occasionem seditionis inuenisse dicuntur. Falconi tamen
B pepercit, & à senatu impunitatem eius petiit. Denique Falco in rebus suis securus vixit, & hærede filio periit: quãuis multi Falconem nescisse dixerint imperium sibi parari. Alij etiam à seruis rationes interuerterãt, falsis testimoniis appetitum eum esse dixerunt. Sed Pertinaci factio præparata est per Lætum præfectũ prætorij, & eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat quòd imperatorem fecerat Pertinacem, idcirco quia eum velut stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat. Graue præterea militibus visum, quòd in causa Falconis
C multos milites ad vnius serui testimonium occidi præceperat. Trecenti igitur de castris armati ad imperatorias ædes cuneo facto milites venere. Eadem tamen die immolante Pertinace, negatur in hostia cor repertũ: & quum id vellet procurare, caput extorũ nõ deprehendit. Et tunc quidem omnes milites in castris manebant. Qui quum de castris ad obsequium principis conuenissent, & Pertinax eo die processionem quam ad Athenæum parauerat vt audiret poetam, ob sacrificij præsagiũ distulisset, hi qui ad obsequium venerant, redire in castra cœperunt. Sed subitò globus ille
D in Palatium peruenit: neque aut arceri potuit, aut Imperatori nunciari. Enimuero tantum odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, vt ad facinus milites hortarentur. Superuenerunt autem Pertinaci quum ille aulicum famulitium ordinaret, ingressíque porticus Palatij vsque ad locum qui appellatur *Sicilia*, & *Iouis cœnatio*. Hoc cognito, Pertinax Lætum præfectum prætorij ad eos misit.

Sed ille declinatis militibus per porticus egressus, adoper- A
to capite, domum se contulit. Verùm quum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit, eósque longa & graui oratione placauit: Sed quum Tausius quidam, vnus è Tungris, in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis obiecit. Tunc ille precatus Iouem Vltorem, toga caput operuit, atque à cæteris confossus est: & Electus quidem confossis duobus cum eodem periit. reliqui autem cubicularij palatini (nam suos statim vt imperator factus est filius emancipatos dederat) diffugerunt. Multi sanè dicunt etiam cubiculum milites irru- B
pisse, atque illic circa lectum fugientem Pertinacem occidisse. Fuit autem senex venerabilis, immissa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, statura imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blãdus quàm benignus, nec vnquam creditus simplex. Et quum verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac propè sordidus, vt dimidiatas lactucas & carduos in priuata vita cõuiuis apponeret: & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici nouem libras carnis per tres missus ponebat. Si autem plus aliquid missum esset etiam in alium C
diem differebat, quum semper ad conuiuium multos vocaret. Imperator etiam, si sine conuiuis esset, eadem consuetudine cœnitabat. Amicis si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partẽ, aliquando lumbos gallinaceos. Fasianum nunquam priuato conuiuio comedit, aut alicui misit. Quum sine amicis cœnaret, adhibebat vxorem suam & Valerianum, vt cum eodem qui docuerat, fabulas literatas haberet. Sanè nullum ex iis quos Commodus rebus agendis imposuerat, mutauit, expectans vrbis natalem, quòd eum diem, rerum principium D
volebat esset: atque ideo etiam in balneis ei Commodiani ministri necem parasse dicuntur. Imperium & omnia imperialia sic horruit, vt sibi semper ostenderet displicere. denique non alium se quàm fuerat videri volebat. Fuit in Curia honorificentissimus, ita vt senatum fauentem adoraret, & quasi præfectus vrbi cum omnibus sermonem par-

A ticiparet. Voluit etiam imperium deponere atque ad priuatam vitam redire. Filios ſuos in Palatio nutriri noluit. Tam parcus autem & tam lucri cupidus fuit vt apud vada Sabatia mercaturas exercuerit imperator per homines ſuos non aliter quàm priuatus ſolebat. nec multum tamen amatus eſt. Siquidem omnes qui liberè fabulas conferebant, malè Pertinaci loquebantur, *chreſtologum* eum appellantes, qui bene loqueretur, & malè faceret. Nam & ciues ſui qui ad eum confluxerant iam imperatorem, & nihil de eo meruerant, ſic eum appellabant. Munera quoque lu-
B cri libidine libenter accepit. Reliquit filium & filiam ſuperſtites, & vxorem Flauij Sulpitiani filiam, quem præfectum vrbi loco ſuo fecerat. Circa vxoris pudicitiam minus curioſus fuit, quum palàm citharœdum illa diligeret: ipſe præterea Cornificiæ infamiſſimè dicitur adhęſiſſe. Libertos aulicos vehementiſſimè compreſſit: vnde grande quoque odium contraxit. Signa interitus hæc fuerunt: Ipſe ante triduum quàm occideretur, in piſcina ſibi viſus eſt videre hominem cum gladio infeſtantem. Et ea die qua occiſus eſt, negabant in oculis eius pupillas cum imagini-
C bus quas reddunt ſpectantibus, viſas. Et quum apud Lares ſacrificaret, carbones viuaciſſimi extincti ſunt, quũ inflammari ſoleant: & (vt ſuprà dictum eſt) cor & caput in hoſtiis non eſt repertum. Stellæ etiam iuxta ſolem per diem viſæ ſunt clariſſimæ ante dies quàm obiret. Et ipſe omen de Iuliano ſucceſſore dediſſe dicitur. Nam quum ei Didius Iulianus fratris filium obtuliſſet, cui deſpõdebat filiam ſuam, adhortatus iuuenem ad patrui obſeruationem, adiecit *Obſerua collegam & ſucceſſorem meum:* nam antè Iulianus ei & in conſulatu collega fuerat, & in proconſulatu ſucceſſerat.
D Milites eum & aulici odio habuerunt: populus mortem eius indigniſſimè tulit, quia videbat omnia per eum antiqua poſſe reſtitui. Caput eius cõto fixum, milites qui eum occiderant, per vrbem in caſtra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite, in ſepulcro aui vxoris locatæ ſunt. Et Iulianus ſucceſſor illius, corpus eius quanto potuit honore funeratus eſt, quum id in Palatio reperiſſet: qui nun-

quam eius vllam mentionem vel apud populum vel apud senatum publicè fecit: sed quũ ipse quoque à militibus desertus iam esset, per senatum & populum Pertinax in deos relatus est. Sub Seuero autẽ imperatore quum senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Seuero funebri laudatione ornatus est. Ipse autem Seuerus amore boni principis, à senatu Pertinacis, nomen accepit. Filius Pertinacis patris flamen est factus. Marciani sodales, qui diui Marci sacra curabant, Heluiani sunt dicti propter Heluium Pertinacem. Circenses, & imperij natalis additi (qui à Seuero postea sublati sunt) & Genitiali, qui manent. Natus autem Cal. Augustis, Vero & Bibulo COSS. Interfectus autem est V. Kal. Aprilis, Falcone & Claro COSS. Vixit annis LX, mensibus VII, diebus XXVI. Imperauit mensibus II, diebus XXV. Congiarium dedit populo denarios centenos. Prætorianis promisit duodena millia nummûm: sed dedit sena. Quod exercitibus promissum est, datum non est: quia mors eum præuenit. Horruisse autem illum imperium epistola docet quæ vitæ illius à Mario Maximo apposita est: quam ego inseri, ob nimiam longitudinem nolui.

A

ÆLII SPARTIANI

DIDIVS IVLIANVS, ad Diocletianum Aug.

DIDIO IVLIANO, qui poſt Pertinacem imperium adeptus eſt, proauus fuit Sal-
B uius Iulianus, bis conſul, præfectus vrbi, & iuriſconſultus: quod magis eum nobilem fecit. Mater Clara Æmilia: pater Petronius Didius Seuerus: fratres Didius Proculus, & Nummius Albinus: auunculus Saluius Iulianus: auus paternus, Inſuber Mediolanenſis: maternus ex Adrumentina colonia. Educatus eſt apud Domitiam Lucillam, matrem Marci imperatoris. Inter viginti viros electus eſt ſuffragio matris Marci. Quæſtor ante annum quàm legitima ætas ſinebat, deſignatus eſt. Ædilitatem ſuffragio
C Marci conſequutus eſt. Prætor eiuſdem ſuffragio fuit. Poſt præturam legioni præfuit in Germania viceſimæ ſecundæ Primigeniæ. Inde Belgicam ſanctè ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus reſtitit, tumultuariis auxiliis prouincialium: ob quæ conſulatum meruit, teſtimonio imperatoris. Cattos etiam debellauit. Inde Dalmatiam regendam accepit, eámque à confinibus hoſtibus vindicauit. Pòſt Germaniã inferiorem rexit. Poſt hoc curam alimentorum in Italia meruit. Tunc factus eſt reus per quendam Seuerum clariſ-
D ſimum militem, coniurationis cum Saluio contra Commodum: ſed á Commodo, quia multos iam ſenatores occiderat, & quidem nobiles ac potentes in cauſis maieſtatis, ne triſtius grauaretur, Didius liberatus eſt, accuſatore damnato. Abſolutus, iterum ad regendã prouinciam miſſus eſt. Bithyniam deinde rexit: ſed non ea fama qua cæteras. Fuit conſul cum Pertinace, & in proconſulatu Africæ eidem

eidem ſucceſſit. & ſemper ab eo collega eſt & ſucceſſor ap- A
pellatus : maximè eo die quum filiam ſuam Iulianus deſ-
pondens affini ſuo, ad Pertinacem veniſſet, idque intimaſ-
ſet. dixítq; debita reuerẽtia, *quia collega, & ſucceſſor meus eſt.*
Statim enim mors Pertinacis ſequuta eſt. Quo interfecto,
quũ Sulpitianus imperator in caſtris appellari vellet, & Iu-
lianus cum genero ad ſenatum veniſſet quem indictum
acceperat, quúmque clauſas valuas inueniſſet, atque illic
duos tribunos reperiſſet, P. Florianum & Vectium Aprũ,
cœperunt eum hortari tribuni, vt locum arriperet: quibus
quum diceret, iam alium imperatorem appellatum, reti- B
nentes eum ad prætoria caſtra duxerunt. Sed poſteaquam
in caſtra ventum eſt, quum Sulpitiano præfecto vrbi, ſoce-
ro Pertinacis, concionante ſibíque imperium vindicante,
Iulianum è muro ingentia pollicentem nullus admitteret,
primùm Iulianus monuit prætorianos ne eum facerent
imperatorem qui pertinacem vindicaret: deinde ſcripſit in
tabulis ſe Commodi memoriam reſtituturum: atque ita &
admiſſus eſt & imperator appellatus, rogantibus prætoria-
nis ne Sulpitiano aliquid noceret quòd imperator eſſe vo-
luiſſet. Tunc Iulianus Flauium Genialem & Tullium Criſ- C
pinum ſuffragiis prætorianorum præfectos prætorij fecit,
ſtipatúſque eſt caterua imperatoria per Maurentium, qui
ſe antea Sulpitiano coniunxerat. Sanè quum vicena qui-
na millia militibus promiſiſſet, tricena dedit. Inde habita
concione militari, veſpera in ſenatum venit, totúmque ſe
ſenatui permiſit: factóque ſenatuſconſulto imperator eſt
appellatus, & tribunitiam poteſtatem, ius proconſulare in
patricias familias relatus, emeruit. Vxor etiam Mallia Scã-
tilla, & filia eius Didia Clara, auguſtæ ſunt appellatæ. In-
de ſe ad Palatiũ recepit, vxore ac filia illuc vocatis, trepidis D
& inuitis eò tranſeuntibus quaſi iam imminens exitũ præ-
ſagirent. Præfectum vrbi Cornelium Repentinum, gene-
rum ſuum, fecit in locum Sulpitiani. Erat interea in odio
populi Didius Iulianus ob hoc quod creditum fuerat,
emendationẽ temporum Commodi Pertinacis autorita-
te reparandã: habebatúrque ita quaſi Iuliani conſilio eſſet

A interemptus. Etiam hi primùm qui Iulianum odisse cœperant, disseminarũt, prima statim die Pertinacis cœna despecta, luxuriosum parasse conuiuium ostreis & altilibus & piscibus adornatum: quod falsum fuisse constat. Nam Iulianus tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, siquis ei fortè misisset: sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibúsque contentus, sine carne cœnauerit. Deinde neque cœnauit priusquam sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob eius necem sumpsit, & primam noctem vi-
B giliis cõtinuauit, de tãta necessitate solicitus. Vbi verò primùm illuxit, senatũ & equestrẽ ordinem in Palatiũ veniẽtem admisit, atque vnumquenque vt erat ætas, vel patrem vel filium, vel parentem affatus blãdissimè est. Sed populus in Rostris atque ante curiam, ingentibus eum conuitiis lacessebat, sperans deponi ab eo posse imperium quod milites dederant. Lapidationem quoque fecere: descendenti cum militibus & senatu in Curiam diras imprecati sunt: rem diuinam facienti ne litaret optarunt. Lapides etiam in eum iecerunt, quum Iulianus manu eos semper placare
C cuperet. Ingressus autem curiam, placidè & prudẽter verba fecit. Egit gratias quòd esset ascitus, quòd & ipse & vxor & filia eius Augustorum nomen acceperunt. Patris patriæ quoque nomen recepit: argenteam statuam respuit. E senatu in Capitolium pergẽti populus obstitit, sed ferro & vulneribus & pollicitationibus aureorum quos digitis ostendebat, ipse Iulianus (vt fidem faceret) summotus atque depulsus est: inde ad circẽse spectaculum itum est. Sed occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminauit conuitia in Iulianum, Pescennium Nigrum, qui iam
D imperare dicebatur, ad vrbis præsidium vocauit. Hæc omnia Iulianus placidè tulit, totóque imperij sui tempore mitissimus fuit: populus autem in milites vehementissimè inuehebatur, qui ob pecuniam Pertinacẽ occidissent. Multa igitur quę Cõmodus statuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum fauorem populi, restituit. De ipso Pertinace neque malè neque bene quicquam egit; quod grauissimum plurimis visum est. Constituit propter metum militum de

honore Pertinacis tacitum esse. Et Iulianus quidem neque Britannicos exercitus, neque Illyricos timebat: Nigrum verò misso primipilario occidi præceperat, timens præcipuè Syriacos exercitus. Ergo Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico cũ exercitibus quibus præsidebãt à Iuliano desciuêre. Sed quũ ei nũtiatũ esset Seuerũ desciuisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad senatum venit: impetrauítque vt hostis Seuerus renuntiaretur: militibus etiam qui Seuerum sequuti fuerant, dies præstitutus, vltra quem si cum Seuero fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt præterea legati cõsulares à senatu ad milites, qui suaderent vt Seuerus repudiaretur, & is esset imperator quem senatus eligeret. Inter cæteros legatus est Vespronius Candidus, vetus consularis, olim militibus inuisus ob durum & sordidum imperium. Missus est successor Seuero Valerius Catulinus: quasi posset ei succedi qui militem iã sibi tenebat. Missus præterea Aquilius centurio, notus cædibus senatoriis, qui Seuerum occideret. Ipse autem Iulianus prætorianos in Campum deduci iubet, muniri turres: sed milites desides & vrbana luxuria dissolutos, inuitissimos ad exercitiũ militare produxit, ita vt vicarios operis quod vnicuique præscribebatur, mercede conducerent. Et Seuerus quidem ad vrbem infesto agmine veniebat: sed Didius Iulianus nihil cum exercitu prætoriano proficiebat, quem quotidie populus & magis oderat & ridebat. Sed Iulianus sperans Letum fautorem Seueri, quum per eum Commodi manus euasisset; ingratus tanto beneficio: iussit eum occidi. iussit etiam Mariam interfici. Sed dum hæc egit Iulianus, Seuerus classem Rauennatem occupat: legati senatus qui Iuliano promiserant operam suam, ad Seuerum transierunt. Tullius Crispinus præfectus prætorio, contra Seuerum missus vt classem produceret, repulsus Romam rediit. Hec quũ Iulianus videret, senatũ rogauit vt virgines Vestales & cæteri sacerdotes cum senatu obuiam exercitui Seueri prodirét, & prætentis infulis rogarent: inane contra barbaros milites præsidium parans. Hæc tamen agenti Iuliano Faustus Quintillus consularis augur contradixit, asserens, nõ debe-

A re imperare eum qui armis aduersario non posset resistere. cui multi senatores consenserunt. Quare iratus Didius, milites è castris petiit qui senatum ab obsequium cogerent aut obtruncarent. Sed id consiliũ displicuit. Neque enim decebat vt quum senatus hostem Seuerum Iuliani causa iudicasset, eundem Iulianum pateretur infestum. Quare meliore consilio ad senatum venit, petiitque vt fieret senatusconsultum de participatione imperij. Quod statim factum est. Tunc omẽ quod sibi Iulianus quum imperium acciperet fecerat, omnibus venit in mentem. Nam quum B consul designatus de eo sententiam dicens, ita pronuntiasset, *Didium Iulianum imperatorem appellandum esse censeo*, Iulianus suggessit, *Adde & Seuerum*: quod cognomentum aui & proaui sibi Iulianus asciuerat. Sunt tamen qui dicant nullum fuisse Iuliani consilium de obtruncando senatu, quum tanta in eum senatus contulisset. Post senatusconsultum statim Didius Iulianus vnum ex præfectis Tullium Crispinum misit. Ipse autem tertium fecit præfectum Veturium Macrinum, ad quem Seuerus literas miserat vt esset præfectus. Sed pacem simulatam tentatámque cædem C Seueri Tullio Crispino præfecto prætorij & populus loquutus est & Seuerus suspicatus. Denique hostem se Iuliano Seuerus esse maluit quàm participem, consensu militũ. Seuerus autẽ statim & ad plurimos Romam scripsit, & occultè misit edicta quæ proposita sũt. Fuit præterea in Iuliano hæc amentia, vt per magos pleraque faceret quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militũ arma compesci. Nam & quasdam non conueniẽtes Romanis sacris hostias immolauerunt, & carmina profana incantauerunt, & ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis ocu-D lis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. Túncque puer vidisse dicitur & aduentum Seueri & Iuliani decessionem, Et Crispinus quidem quum occurrisset præcursoribus Seueri, Iulio Læto autore Seuero interemptus est. Deiecta sunt etiam ea consulta è senatu. Iulianus cõuocato senatu, quæsitisq; sentẽtiis quid facto opus esset, certi nihil cõperit à senatu: sed postea sponte sua gladiato-

res Capuæ iussit armari per Lollianum Titianum, & Claudium Pompeianum è Tarracinensi ad principatum euocauit, quòd & gener imperatoris fuisset & diu militibus præfuisset. Sed hoc ille recusauit, senem se & debilem luminibus respondens. Transierant & ex Vmbria milites ad Seuerum: & præmiserat quidem literas Seuerus, quibus iubebat interfectores Pertinacis seruari. Breui autem desertus est ab omnibus Iulianus, & remansit in Palatio cum vno de præfectis suis Geniali & genero Repentino. Actum est denique vt Iuliano senatus autoritate abrogaretur imperium, & abrogatum est, appellatúsque statim Seuerus imperator, quum fingeretur quòd veneno se absumpsisset Iulianus: missi tamen à senatu quorum cura per militem gregarium in Palatio idem Iulianus occisus est, fidem Cæsaris implorans, hoc est Seueri. Filiam suam potitus imperio, dato patrimonio emãcipauerat, quod ei cum Augustæ nomine statim sublatum est. Corpus eius à Seuero vxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, & in proaui monumẽto translatum, milliario quinto, via Lauicana. Obiecta sanè sunt Iuliano hæc, quòd gulosus fuisset, quòd aleator, quòd armis gladiatoriis exercitus esset, eáque omnia senex fecerit quum antea nunquam adolescens his esset vitiis infamatus. Obiecta est etiam superbia, quum ille etiam in imperio fuisset humillimus. Fuit autem contrà humanissimus ad conuiuia, benignissimus ad subscriptiones, moderatissimus ad libertatem. Vixit annis quinquaginta sex, mensibus quatuor: imperauit mensibus duobus, diebus quinque. Reprehensum in eo præcipuè, quòd eos quos regere autoritate sua debuerat, regendæ reipubl. sibi præsules ipse fecisset.

A

ÆLII SPARTIANI

SEVERVS, AD Diocletianum Aug.

INTERFECTO Didio Iuliano, Seuerus Africã
oriundus imperiũ obtinuit: cui ciuitas Leptis,
pater Geta: maiores, equites Romani ante ci-
B uitatem omnibus datam: mater, Fuluia Pia: pa-
trui, M. Agrippa & Seuerus conſulares: auus
maternus, Macer: paternus, Fuluius Pius fuêre. Ipſe natus
eſt Erucio Claro bis & Seuero COSS. VI Idus Apriles. In
prima pueritia priuſquàm Latinis Græcíſq; literis imbue-
retur, quibus eruditiſſimus fuit, nullum alium inter pueros
ludum niſi ad iudices exercuit, quum ipſe prælatis faſcibus
ac ſecuribus ordine puerorum circumſtante ſederet ac iu-
dicaret. Octauodecimo anno publicè declamauit. Poſtea
ſtudiorum cauſa Romam venit, latum clauum à diuo Mar-
C co petiit, & accepit, fauente ſibi Septimio Seuero affine
ſuo, bis iam conſulari. Quum Romam veniſſet, hoſpitem
nactus qui Adriani vitam imperatoriam eadem hora lege-
ret, ſibi omen futuræ felicitatis arripuit. Habuit etiam aliud
omen imperij: Quum rogatus ad cœnam imperatoriam
palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat, togam præ-
ſidiariam ipſius imperatoris accepit. Eadem nocte ſomnia-
uit, lupæ ſe vberibus vt Remum inhærere vel Romulum:
ſedit & in ſella imperatoria temere à miniſtro poſita, igna-
rus quòd non liceret. Dormienti etiam in ſtabulo ſerpens
D caput cinxit, & ſine noxa expergefactis & acclamantibus
familiaribus abiit. Iuuentam plenam furorum, nonnunquã
& criminum, habuit. Adulterij cauſam dixit, abſolutúſque
eſt à Iuliano proconſule, cui & in proconſulatu ſucceſſit,
& in conſulatu collega fuit, & in imperio item ſucceſſit.
Quæſturam diligenter egit: omnibus ſortibus natus, mili-
tari poſt quæſturã ſorte Beticam accepit: atque inde Afri-

eam petiit, vt mortuo patre rem domesticam componeret. A Sed dum in Africa est, pro Betica Sardinia ei attributa est quòd Beticam Mauri populabantur. Acta igitur quæstura Sardiniensi, legationē proconsulis Africæ accepit. In qua legatione quum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, vt antiquum cōtubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem præconis cecidit, *Legatum P.R. homo plebeius temere amplecti noli.* Ex quo factum est vt in vehiculo etiam legati sederent, qui antè pedibus ambulabant. Tunc in quadam ciuitate Africana quum solicitus mathematicū consuluisset, positáq; hora, ingentia vidisset astrologus, dixit ei, *Tuam non alienam pone genituram.* Quum Seuerus iurasset suā esse, omnia ei dixit quæ postea f[illegible]a sunt. Tribunatum plebis Marco imperatore decernente promeruit, cúmque seuerissimè exertissiméque egit. Vxorem tunc Martiam duxit, de qua tacuit in historia vitæ priuatæ: cui postea in imperio statuas collocauit. Prætor designatus à Marco est nō in candida sed in competitorum grege, anno ætatis XXXII. Tunc ad Hispaniam missus somniauit primò sibi dici vt templum Taraconense Augusti, quod iam labebatur, restitueret. C deinde ex altissimi montis vertice, orbem terrarum Romámque despexit, concinentibus prouinciis lyra, voce, vel tibia. Ludos absens edidit. Legioni IIII Scythicæ deinde præpositus est circa Massiliam. Post hoc Athenas petiit studiorum sacrorúmque causa & operum ac vetustatum: vbi quum iniurias quasdam ab Atheniensibus pertulisset, inimicus his factus, minuendo eorum priuilegia iam imperator se vltus est. Deinde Lugdunensem prouinciam legatus accepit. Quum amissa vxore aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque mathefeos peritissimus: & quum audisset esse in Syria quandam quæ id genituræ haberet vt regi iungeretur, eandem vxorem petiit, Iuliam scilicet: & accepit interuentu amicorum: ex qua statim pater factus est. A Gallis ob seueritatem & honorificentiam & abstinentiam, tantum quātum nemo dilectus est. Deinde Pannonias procōsulari

A imperio rexit. Post hoc Siciliam proconsularem sorte meruit, suscepítque Romæ alterum filium. In Sicilia, quasi de imperio vel vates vel Chaldæos consuluisset, reus factus, apud præfectos prætorio, quibus audiendus datus fuerat, iam Commodo in odium veniẽte absolutus est, calumniatore in crucem acto. Consulatum cum Apuleio Ruffino primum egit, Commodo se inter plurimos designãte. Post consulatum anno fermè fuit Romæ otiosus: deinde Læto suffragante, exercitui Germanico præponitur. Proficiscẽs ad Germanicos exercitus, hortos spatiosos comparauit, B quum antea ædes breuissimas Romæ habuisset, & vnum fundum. In his hortis quum humi iacens epularetur cum filiis parca cœna, pomáque apposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, cum collusoribus puerulis manu largiore diuideret, patérque illum reprehendens dixisset, *Parcius diuide: non enim regias opes poßides:* quinquennis puer respondit, *Sed poßidebo.* In Germaniam profectus, ita se in ea legatione egit vt famam nobilitatam iam antè cumularet. Et hactenus rem militarem priuatus egit. Dehinc à Germanicis legionibus vbi auditum est Commodum occisum, Iu- C lianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus repugnans imperator est appellatus apud Carnutum idibus Augustis: quingena sestertia, quod nemo vnquam principum, militibus dedit. Deinde firmatis quas post tergum relinquebat prouinciis, Romam iter contendit cedentibus sibi cunctis, quacunque iter fecit, quum iam Illyriciani exercitus & Gallicani cogentibus ducibus in eius verba iurassent. excipiebatur enim ab omnibus quasi vltor Pertinacis. Per idem tempus autore Iuliano Septimius Seuerus à senatu hostis est appellatus, legatis ad D exercitum senatus verbis missis qui iuberent vt ab eo milites senatu præcipiente discederent. Et Seuerus quidem quum audisset senatus consentientis autoritate missos legatos, primò pertimuit: postea id egit, corruptis legatis, vt apud exercitum pro se loquerentur, transirẽntque in eius partes. His compertis Iulianus senatusconsultum fecit fieri de participando imperio cum Seuero. Incertum verè id an

dolo fecerit, quum iam antè misisset notos ducum interfectores quosdam qui Seuerum occiderent, ita vt ad Pescennium Nigrum interficiendum miserat: qui & ipse imperium contra eum susceperat, autoribus Syriacis exercitibus. Verùm Seuerus euitatis eorum manibus quos ad se interficiendum Iulianus miserat, missis ad prætorianos literis, signum vel deserendi vel occidendi Iuliani dedit: statímque auditus est. Nam & Iulianus occisus est in Palatio, & Seuerus Romam inuitatus: quod nulli vnquam contigit, nutu tantùm Seuerus victor est factus, armatúsque Romam contendit. Occiso Iuliano quum Seuerus in castris & tentoriis, quasi per hosticum veniens, adhuc maneret, centum senatores legatos ad eum senatus misit ad gratulandum rogandúmque: qui ei occurrerunt Interamnæ, armatúmque circunstantibus armatis salutarũt, excussi ne quid ferri haberent. Et postera die occurrente omni famulitio aulico, septuagenos vicenos aureos legatis dedit: eosdem præmisit, facta potestate siqui vellent remanere, ac secum Romam redire. Fecit etiã statim præfectũ prætorio Flauium Iuuenalem: quem etiã Iulianus tertiũ præfectum prætorij sibi assumpserat. Interim Romę ingens trepidatio militum ciuiúmque, quòd armatus contra eos Seuerus veniret, qui se hostem iudicassent. His accessit quòd comperit Pescennium Nigrum à Syriacis legionibus imperatorẽ appellatum: cuius edicta & literas ad populum vel senatum intercepit per eos qui missi fuerant, ne vel proponerentur populo vel legerentur in Curia. Eodem tempore etiam de Clodio Albino sibi sustituendo cogitauit, cui Cæsarianum decretum aut Commodianum videbatur imperium. Sed eos ipsos pertimescens de quibus rectè iudicabat, Heraclitum ad obtinẽdas Britannias, Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit. Quum Romam Seuerus venisset, prætorianos cum subarmalibus inermes sibi iussit occurrere, eosdem sic ad tribunal vocauit, armatis vndique circundatis. Ingressus deinde Romam, armatus cum armatis militibus Capitolium ascendit. Inde in Palatium eodem habitu perrexit, prælatis signis quæ prætorianis ademerat,

A supinis, non erectis. Tota deinde vrbe milites in templis, in porticibus, in ædibus palatinis, quasi in stabulis manserunt: fuitque ingressus Seueri odiosus atque terribilis, quũ milites inempta diriperent, vastationem vrbi minantes. Alia die armatis stipatus non solùm militibus, sed etiam amicis, in senatum venit. In Curia reddidit rationem suscepti imperij: causatúsque est quòd ad se occidendum Iulianus notos ducum cædibus misisset. Fieri etiam senatusconsultum coegit, ne liceret imperatori inconsulto senatu occidere senatorem. Sed quum in senatu esset, milites B per seditionem dena millia poposcerunt à senatu, exemplo eorum qui Augustum Octauium Romam deduxerant, tantúmque acceperant. Et quum eos voluisset comprimere Seuerus, nec potuisset, tamen mitigatos addita liberalitate dimisit. Funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit, eúmque inter diuos sacrauit, addito flamine & sodalibus Heluianis, qui Marciani fuerant. se quoque *Pertinacem* vocari iussit: quamuis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum. Dehinc æs alienum dissoluit. Filias suas dotatas, maritis Probo & Aetio dedit. Et quum Pro- C bo genero suo præfecturam vrbis obtulisset, ille recusauit, dixitque, minus sibi videri præfectum esse quàm principis generum. Vtrumque autem generum suum statim cõsulem fecit, vtrumque ditauit. Alia die ad senatum venit, & amicos Iuliani incusatos, proscriptioni ac neci dedit. Causas plurimas audiuit. Accusatos à prouincialibus iudices, probatis rebus grauiter puniuit. Rei frumentariæ quam minimam repererat, ita consuluit vt excedens ipse vita, septem annorum canonem P. R. relinqueret. Ad orientis statum confirmandum profectus est, nihil adhuc de Nigro palàm D dicens. Ad Africam tamen legiones misit, ne per Libyam & Ægyptum Niger Africam occuparet, ac P. R. penuria rei frumentariæ perurgeret. Domitium Dextrum in locum Bassi præfecti vrbi reliquit, atque intra triginta dies quàm Romam venerat, est profectus. Egressus ab vrbe ad Saxa rubra, seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum ab exercitu passus est. Occurrit ei & statim Geta

frater suus, quem prouinciam sibi creditam regere præcepit aliud sperantem. Nigri liberos ad se adductos in eo habuit honore quo suos. Miserat sanè legionem quæ Græciam Thraciámque præriperet, ne eas Pescennius occuparet: sed iam Byzantium Niger tenebat. Perinthum etiã Niger volens occupare, plurimos de exercitu interfecit: atque ideo hostis cum Æmiliano est appellatus. Quúmque Seuerum ad participatum vocaret, contemptus est. Promisit sanè Nigro tutum exilium, si vellet: Æmiliano autem non ignouit. Æmilianus dehinc victus in Hellesponto à Seueri ducibus, Cyzicum primùm confugit, atque inde B in aliam ciuitatem: in qua eorum iussu occisus est. Fusæ sunt item copiæ ab iisdem ducibus etiam Nigri. His auditis, ad senatum Seuerus Pertinax, quasi confectis rebus, literas misit. deinde conflixit cum Nigro, eúmque apud Cyzicum interemit, capútque eius pilo circumtulit. Filios Nigri post hoc, quos suorum liberorum cultu habuerat, in exilium cum matre misit. Literas ad senatum de victoria dedit. Neque quenquam senatorum qui Nigri partium fuerant, præter vnum, supplicio affecit. Antiochensibus iratior fuit, quòd & administrantem se in oriente riserant, C & Nigrum etiam victu iuuerãt. denique multa his ademit. Neapolitanis etiam Palęstinensibus ius ciuitatis tulit, quòd pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit, præter ordinem senatorium, qui Nigrum fuerant sequuti. Multas etiam ciuitates eiusdem partis iniuriis affecit & damnis. Eos senatores occidit qui cum Nigro militauerant ducum vel tribunorum nomine. deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in ditionem redactis, necnon etiam Adiabenis: qui quidem omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reuersus triumpho delato, ap- D pellatus est *Arabicus*, *Adiabenicus*, *Parthicus*. Sed triumphum respuit, ne videretur de ciuili triumphare victoria. recusauit & Parthicum nomen, ne Parthos lacesseret. Redeunti sanè Romam post bellum ciuile Nigri, aliud bellum ciuile Clodij Albini nuntiatum est, qui rebellauit in Gallia: quare postea occisi sunt filij Nigri cum matre.

A Albinũ igitur statim hostem iudicauit, & eos qui ad illum mollius vel scripserunt vel rescripserunt. Et quum iret cõtra Albinum, in itinere apud Viminatium filium suum maiorem *Baßianum*, apposito *Aurelij Antonini* nomine, Cæsarem appellauit, vt fratrem suũ Getam ab spe imperij quam ille conceperat, submoueret. Et nomen quidem Antonini idcirco filio apposuit, quòd somniauerat, Antoninum sibi successurum. Vnde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum vt & ipse succederet in imperio. Aliqui putant idcirco illum Antoninum appellatum, quòd Seuerus ipse B in Marci familiam transire voluerit. Et primò quidem ab Albinianis Seueri duces victi sunt. Tunc solicitus quum consuleret à Pannoniacis auguribus comperit se victorem futurum, aduersarium verò nec in potestatem venturum, nec euasurum, sed iuxta aquam esse periturum. Multi statim amici Albinum deferentes venêre, multi duces capti sunt, in quos Seuerus animaduertit. Multis interim variè gestis in Gallia, primò apud Tinurtium contra Albinum felicissimè pugnauit Seuerus. Quum quidem ingens periculum equi casu adiit, ita vt mortuus ictu plumbæ crederetur, C ita vt alius iam penè imperator ab exercitu deligeretur. Eo tempore lectis actis quæ de Clodio Celsino laudando qui Adrumetinus & affinis Albini erat, facta sunt, iratus senatui Seuerus quasi hoc Albino senatus præstitisset, Cõmodum inter diuos referendum esse censuit, quasi hoc genere se de senatu posset vlcisci: primúsq; inter milites diuũ Commodum pronuntiauit, ídque ad senatum scripti addita oratione victoriæ. Senatorum deinde qui in bello erant interempti, cadauera dissipari iussit. Deinde Albini corpore allato, penè seminecis caput abscindi iussit, Ro- D mámque deferri, ídque literis prosequutus est. Victus est Albinus die XI. Calendas Martij. Reliquum autem cadauer eius ante domum propriam exponi ac diuidi iussit. Equum præterea ipse residens supra cadauer Albini egit, expauescentémque admonuit vt effrenatus audacter protereret. Addunt alij quòd idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, simul etiam vxoris liberorúmque eius.

Interfectis innumeris Albini partiũ viris, inter quos mul- A
ti principes ciuitatis, multæ fœminæ illuſtres fuerunt, om-
nium bona publicata ſunt, ærariúmque auxerunt: tum
Hiſpanorum & Gallorum proceres multi occiſi ſunt. De-
nique militibus tantum ſtipendiorum quantum nemo
principum, dedit. Filiis etiam ſuis ex hac proſcriptione
tantum reliquit quantum nullus imperatorum, quum ma-
gnam partem auri per Gallias, per Hiſpanias, per Italiam
imperatoriam feciſſet: túncque primùm priuatarum rerũ
procuratio conſtituta eſt. Multi ſanè poſt Albinum, fidem
ei ſeruantes, bello à Seuero ſuperati ſunt. Eodem tempore B
etiam legio Arabica defeciſſe ad Albinum nuntiata eſt. Vl-
tus igitur grauiter Albinianam defectionem interfectis
plurimis, genere quoque eius extincto, iratus populo & ſe-
natoribus Romam venit. Commodum in ſenatu & con-
cione laudauit, deum appellauit, infamibus diſplicuiſſe di-
xit: vt appareret eum apertiſſimè furere. Poſt hæc de ſua
clementia diſſeruit, quum crudeliſſimus fuerit, & ſenato-
res infrà ſcriptos occiderit. Occidit autem ſine cauſæ di-
ctione hos nobiles, Mummium Secundinum, Aſellium
Claudianum, Claudium Rufum, Vitalium Victorem, Pa- C
pium Fauſtum, Ælium Celſum, Iulium Rufum, Lollium
Profeſſum, Arunculeium Cornelianum, Antoninũ Bal-
bũ, Poſthumium Seuerum, Sergium Luſtralem, Fabium
Paulinum, Nonium Gracchum, Muſtium Fabianum, Caſ-
perium Agrippinum, Ceionium Albinum, Claudium Sul-
picianum, Memmium Rufinum, Caſperium Æmilianum,
Cocceium Verum, Erutium Clarum, L. Stilonem, Clo-
dium Rufum, Egnatuleium Honoratum, Petronium Iu-
niorem: Peſcennios, Feſtum & Neratianum & Aurelianũ, D
& Materianum & Iulianum, & Albinum: Cerellios, Ma-
crinum & Fauſtinianum & Iulianũ: Herennium Nepotẽ,
Sulpitiũ Canum, Valeriũ Catulinũ, Nouiũ Rufum, Clau-
dium Arabianum, Marcum Aſellionem. Horum igitur tã-
torum ac tam illuſtrium virorum (nam multi in his conſu-
lares, multi prætorij, omnes certè ſummi viri fuere) inter-

A fector, ab Afris vt deus habetur. Cincium Seuerum calũniatus est quòd se veneno appetisset, atque ita interfecit. Narcissum deinde Commodi strangulatorem leonibus obiecit. Multos præterea obscuri loci homines interemit, præter eos quos ius prælij absumpsit. Post hæc quũ se vellet commendare hominibus, vehiculariũ munus à priuatis ad fiscum traduxit. Cæsarem deinde Bassianũ filium suum Antoninum à senatu appellari iussit, decretis imperatoriis insignibus. Rumore deinde belli Parthici extincto, patri, matri, auo, & vxori priori per se statuas collocauit. Plau-
B tianũ ex amicissimo, cognita eius vita, ita odio habuit vt & hostem publicũ appellaret, & depositis statuis eius per orbem terrę graui eũ insigniret iniuria, iratus pręcipuè quòd inter propinquorum & affinium Seueri simulachra suam statuam ille posuisset. Palæstinis pœnam remisit, quam ob causam Nigri meruerant. Postea iterum cum Plautiano in gratiam rediit, & veluti ouans vrbem ingressus Capitoliũ petiit: quanuis & ipsum procedenti tempore occiderit. Getæ minori filio togam virilem dedit, maiori Plautiani filiam vxorem iunxit. Hi qui hostem publicum Plautia-
C num dixerant, deportati sunt. ITA omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est. Filios deinde consules designauit. Getam fratrem extulit. Profectus deinde ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere, & congiario populo dato. Multos inter hæc causis vel veris vel simulatis occidit. Damnabantur autem plerique cur iocati essent, alij cur tacuissent, alij cur pleráque figurata dixissent, *vt esset imperator verè nominis sui, verè Pertinax, verè Seuerus?* Erat sanè in sermone vulgari, Parthicum bellum affectare Septimium Seuerum, gloriæ cupiditate non ali-
D qua necessitate deductum. Traiecto denique exercitu à Brundusio continuato itinere venit in Syriam, Parthósque submouit. Sed postea in Syriam rediit, ita vt se pararet ac bellum Parthis inferret. Inter hæc Pescennianas reliquias Plautiano autore persequebatur, ita vt nonnullos etiam ex amicis suis quasi vitæ suæ insidiatores appeteret. Multos etiam quasi Chaldæos aut vates de sua salute con-

fuluissent, interemit: præcipuè suspectos vnumquenque idoneum imperio quũ ipse paruulos adhuc filios haberet, idque dici ab his vel crederet vel audiret qui sibi augurabantur imperium. Denique quum occisi essent nonnulli, Seuerus se excusabat: & post eorum mortem negabat fieri se iussisse quod factum est: quod de Læto præcipue Marius Maximus dicit. Quum soror sua Leptitana ad eum venisset vix Latinè loquens, ac de illa multum imperator erubesceret, dato filio eius lato clauo, atque ipsi multis muneribus, redire mulierem in patriam præcepit: & quidem cũ filio, qui breui vita defunctus est. Æstate igitur iam exeũte, Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso rege peruenit, & cepit hyemali prope tẽpore, (quod in illis regionibus melius per hyemẽ bella tranctantur) quũ herbarum radicibus milites viuerent, atque inde morbos ægritudinésque contraherent: quare quũ obsistentibus Parthis, fluẽte quoque per insuetudinem cibi aluo militum, longius ire non posset, tamen perstitit, & oppidum cepit, & regem fugauit, ac plurimos interemit, & Parthicũ nomen meruit. Ob hoc etiam filium eius Bassianum Antoninũ, qui Cæsar appellatus iam fuerat, annum decimumtertium agentem, participem imperij dixerunt milites. Getam quoque minorẽ filium Cæsarem dixerũt: eundem Antoninum, vt plerique in literas tradunt, appellantes. Harum appellationum causa donatiuum militibus largissimum dedit, concessa omni præda oppidi Parthici, quod milites quærebant. Inde in Syriam rediit victor, & Parthicum deferentibus sibi patribus triumphum, idcirco recusauit quòd cõsistere in curru affectus articulari morbo non posset: filio sanè concessit vt triumpharet. Cui senatus Iudaicum triumphum decreuerat, idcirco quod & in Syria res bene gestæ fuerant à Seuero. Deinde quum Antiochiam transisset, data virili toga filio maiori, secum eum consulem designauit, & statim in Syria cõsulatũ inierũt. Post hoc dato stipẽdio cumulatiore militibus, Alexãdriam petiit. In itinere Palæstinis plurima iura fundauit. Iudæos fieri sub graui pœna vetuit. Idẽ etiã de Christianis sanxit. Deinde Alexãdrinis ius buleutarum

A dedit, qui ſine publico conſilio, ita vt ſub regibus, antè viuebant vno iudice contenti quem Cæſar dediſſet. Multa præterea his iura mutauit. Iucũdam ſibi peregrinationem hanc propter religionem dei Serapidis, & propter nouitatem animalium vel locorũ fuiſſe, Seuerus ipſe poſtea ſemper oſtendit. Nam & Memphin & Memnonem, & pyramides, & labyrinthum, diligenter inſpexit. Et quoniam longum eſt minora perſequi, huius magnifica illa, quòd victo & occiſo Iuliano, prætorianas cohortes exautorauit: Pertinacem contra militum voluntatem in deos retulit:
B Saluij Iuliani decreta iuſſit aboleri: quod nõ obtinuit. Denique cognomentum Pertinacis non tam ex ſua voluntate quàm ex morum parſimonia videtur habuiſſe. Nam & infinita multorum cæde crudelior habitus, & quum quidã ex hoſtibus eidem ſe ſuppliciter obtuliſſet, dixiſſétque ille, *Quid tu facturus es?* non mollitus tam prudente dicto interfici eum iuſſit. Fuit præterea delendarum cupidus factionum: propè à nullo congreſſu niſi victor. Perſarum regem Abgarum ſubegit. Arabas in deditionem accepit. Adiabenos in tributarios coëgit. Britanniam (quod maximũ eius
C imperij decus eſt) muro per tranſuerſam inſulam ducto, vtrinque ad finem Oceani muniuit: vnde etiam *Britannici* nomen accepit, Tripolin, vnde oriũdus erat, contuſis bellicoſiſſimis gentibus, ſecuriſſimam reddidit, & pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fœcundiſſimum agrum donauit. Idem cum implacabilis delictis fuit, tum ad eligendos induſtrios quoſque iudicij ſingularis. Philoſophiæ ac dicendi ſtudiis ſatis deditus, doctrinæ quoque nimis cupidus, latronum ubique hoſtis, vitam ſuam priuatam publicámque ipſe compoſuit ad fidem, ſolum [illegible] vitium cru-
D delitatis excuſans. De hoc ſenatus ita iudicauit, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quòd & nimis crudelis & nimis vtilis reip. videretur. Domi tamen minus cautus, qui vxorem Iuliam famoſam adulteriis tenuit, etiam coniurationis conſciam. Idem quum pedibus æger bellum moraretur, ídque milites anxiè ferrent, eiúſque filium Baſſianũ qui vnà erat Auguſtum feciſſent, tolli ſe atque in tribunal

ferri

ferri iussit: adesse deinde omnes tribunos, centuriones, A
duces, & cohortes, quibus autoribus id acciderat: sisti
deinde filium qui Augusti nomen acceperat. Qúmque
animaduerti in omnes autores facti, præter filium, iuberet, rogaretúrque omnibus ante tribunal prostratis, caput
manu contingens ait, *Tandem sentitis caput imperare non pedes.* Huius dictum est, quum eum ex humili per literarum
& militiæ officia ad imperium plurimis gradibus fortuna
duxisset, *Omnia* (inquit) *fui, & nihil expedit.* Periit Eboraci
in Britannia: subactis gentibus quæ Britanniæ videbantur
infestæ, anno imperij decimooctauo, morbo grauissimo B
extinctus iam senex. Reliquit filios duos, Antoninum Bassianum & Getam, cui & ipsi in honorem Marci, Antonini
nomen imposuit. Illatus sepulchro Marci Antonini, quem
ex omnibus imperatoribus tantum coluit vt & Commodum in diuos referret, & Antonini nomen omnibus
deinceps quasi Augusti ascribendum putaret. Ipsi à senatu, à gentilibus liberísque eius funus amplissimum exhibitum fuit, atque inter diuos est relatus. Opera publica præcipuè eius extāt, Septizonium & thermæ Seuerianæ. Eius
denique etiam ianuæ in Transtiberina regione ad portam C
nominis sui, quarum forma intercidens statim vsum publicum inuidit. Iudicium de eo post mortem magnum omniū
fuit, maximè quòd diu nec à filiis eius boni aliquid reip.
venit: & postea inuadentibus multis remp. res Romana
prædonibus direptui fuit. Hic tam exiguis vestibus vsus est
vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, & cum hirta
chlamyde humeros velaret: cibi parcissimus, leguminis patrij auidus, vini aliquādo cupidus, carnis frequenter ignarus. Ipse decorus, ipse ingens, promissa barba, cano capite
& crispo, vultu reuerendus, canorus voce, sed Afrū quiddā D
vsque ad senectutem sonans: ac post mortē multum amatus, vel inuidia deposita vel crudelitatis metu. Legisse me
apud Æliū Maurū Phlegontis Tralliani libertum memini,
Septimium Seuerum moderatissimè quū moreretur lætatum, quòd duos Antoninos pari imperio reipub. relinqueret, exemplo Pij, qui Verum & Marcū Antoninos per ad-

A optionem filios reipub. reliquit: hoc melius, quòd ille filios per adoptionem, hic per se genitos, rectores Romanæ reipub. daret, Antoninum scilicet Bassianum, quam ex priore matrimonio susceperat, & Getam quem de Iulia genuerat. Sed illum multum spes fefellit. Nam vnum parricidium, alterum sui mores reipub. inuiderunt: sanctúmque illud nomen in nullo diu bene mansit. Et reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquisse satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales habue-
B runt plerique vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Et vt ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius quod vtile posset esse reipub. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam verò quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto, cæterísque aliis loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, quum illi eligendi potestas fuisset ex omni-
C bus? Falsus est etiam ipse Traianus in suo municipe ac nepote deligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, ne nobis Antonini Pius & Marcus numina Reipublicæ occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuisset si Commodum nõ reliquisset hæredem? Quid Seuero Septimio, si Bassianum nõ genuisset? qui statim insimulatum fratrem insidiarum cõtra se cogitatarum, parricidiali etiam figmẽto interemit. qui nouercam, matrem quinimo, in cuius sinu Getam filium eius occiderat, vxorem duxit: qui Papinianum iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quòd
D parricidium excusare noluisset, occidit: & præfectum quidem suum, ne homini per se & per scientiam suam magno deesset & dignitas. Denique vt alia omittam, ex huius moribus factum puto vt Seuerus tristior vir ad omnia, imò etiam crudelior, pius & dignus deorum altaribus duceretur. * Qui quidem diuinam Sallustij orationem qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingrauatus morbo misisse

filio dicitur maiori. * idque frustra & hominem tantũ valetudine. Vixit denique in odio populi diu Antoninus, noménque illud sanctum ac venerabile diu, minus amatum est: quanuis & vestimenta populo dederit, (vnde *Caracallus* est dictus) & thermas magnificentissimas fecerit. Extat sanè Romæ Seueri porticus, gesta eius exprimens, à filio, quantum plurimi docent, structa. Signa mortis eius hæc fuerunt: Ipse somniauit quatuor aquilis & gemmato curru præuolante nescio qua in genti humana specie ad cœlum se raptum, quúmque raperetur, octoginta & nouẽ numeros explicuisse: vltra quot annos ne vnum quidem annum vixit: nam ad imperium senex venit, quúmque positus esset in circulo ingẽti æreo, diu solus & destitutus stetit. Quum vereretur autem ne præceps rueret, à Ioue se vocatum vidit, atque inter Antoninos locatum. Die circensium quum tres victoriæ more solito essent locatæ gypseæ cum palmis, media quæ ipsius nomine ascriptum orbem palmis tenebat, vento icta, de podio stans decidit, & humi constitit: eáque quæ Getæ nomine inscripta erat, corruit, & omnis comminuta est: illa verò quæ Bassiani titulum pręferebat, amissa palma venti turbine vix constitit. Post murum apud vallum missum in Britannia, quum ad proximam mãsionem rediret, non solùm victor, sed etiam in æternum pace fundata, voluens animo quid ominis sibi occurreret, Æthiops quidam è numero militari, claræ inter scurras famæ, & celebratorum semper iocorum, cum corona è cupressu facta eidem occurrit. Quem quum ille iratus remoueri ab oculis pręcepisset, & coloris eius tactus omine & coronæ, dixisse ille dicitur ioci causa, *Totum fuisti, totum vicisti, iam deus esto victor.* Et in ciuitatem veniens, quum rem diuinam vellet facere, primùm ad Bellonæ tẽplum ductus est errore aruspicis rustici, deinde hostiæ furuæ sunt applicitæ. Quod quum esset aspernatus: atque ad Palatium se reciperet, negligentia ministrorum nigræ hostiæ vsque ad limen domus palatinæ imperatorem sequutę sunt. Sũt per plurimas ciuitates opera eius insignia. Magnũ verò illud in ciuitate eius, quòd Romę omnes ædes publi-

A cas, qui vitio temporum labebantur, instaurauit, nusquam propè suo nomine ascripto, seruatis tamen vbique titulis conditorum. Moriens septem annorum canonem, ita vt quotidiana septuagintaquinque millia modiorum expendi possent, reliquit: olei verò tantum vt per quinquẽnium non solùm vrbis vsibus, sed & totius Italiæ quæ oleo egeret sufficeret. Vltima verba eius dicuntur hæc fuisse, *Turbatam Rempub. vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, senex & pedibus æger, firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt: imbecillum, si mali.* Iussit deinde signum B tribuno dari, Laboremus: quia Pertinax quando in imperium adscitus est, signum dederat, *Militemus.* Fortunam deinde regiam quæ comitari principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacratissimum simulacrũ vtrique relinqueret filiorum. Sed quum videret se perurgeri sub horã mortis, iussisse fertur vt alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Quod Bassianus prius contempsit quàm faceret parricidium. Corpus eius à Britannia Romam vsque cum magna prouincialium reuerentia susceptum est: quanuis aliqui vrnu- C lam auream tantùm fuisse dicant, Seueri reliquias continentem, eandémque Antoninorum sepulcro illatam, quũ Septimius Pertinax Seuerus illic vbi vita functus est, esset incensus. Quum Septizonium faceret, nihil aliud cogitauit quàm vt ex Africa venientibus suum opus occurreret: & nisi absente eo per præfectum vrbis medium simulacrũ eius esset locatum, aditum palatinis ædibus, id est regium atrium, ab ea parte facere voluisse perhibetur: quod etiam pòst Alexander quum vellet facere, ab aruspicibus dicitur esse prohibitus, quum hoc sciscitatus non litasset.

D

A

ÆLII SPARTIANI

PESCENNIVS NIGER, ad Diocletianum Augustum.

RARVM atque difficile est vt quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in literas: atque ideo vix omnia de his plenè in monumentis atque annalibus habentur. Primùm enim quæ magna sunt, in eorum honorem ab scriptoribus deprauantur, deinde alia supprimuntur: postremò non magna diligentia in eorum genere ac vita requiritur, quum satis sit audaciam eorum & bellum in quo victi fuerint, ac pœnã, proferre. PESCENNIVS ergo NIGER, vt alij tradunt, modicis parentibus: vt alij, nobilibus fuisse dicitur, patre Annio Fusco, matre Lampridia, auo curatore Aquini, ex qua familia originem ducebat: quod quidem dubium etiam nunc habetur. Hic eruditus mediocribus literis, moribus ferox, diuitiis etiã modicus, vita parcus, libidinis effrenatæ ad omne genus cupiditatũ, ordines diu duxit, multísque ducatibus peruenit vt exercitus Syriacos iussu Commodi regeret, suffragio maximè athletæ qui Commodum strangulauit, vt omnia tunc fiebant. Is posteaquam comperit occisum Commodum, Iulianum imperatorem appellatum, eundémque iussu Seueri & senatus occisum, Albinum etiam in Gallia sumpsisse nomen imperatoris, ab exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est imperator, vt quidam dicunt, magis in Iuliani odium quàm in æmulationem Seueri. Huic ob detestationem Iuliani primis imperij diebus ita Romæ fautum est à senatoribus duntaxat, qui & Seuerum oderant, vt inter lapidationes execrationésque omnium illi feliciter optarent, illum principem insuper, & illum Augustum populus acclamaret. Iulianum autem oderant populares quòd Pertinacem milites occidissent, & illum imperatorem aduersa

B, C, D (margin letters)

A populi voluntate appellassent. Denique ingentes ob hoc seditiones fuerunt. Ad occidendum autem Nigrum, primipilarem Iulianus miserat, stultè ad eũ qui haberet exercitus, & se tueri posset: perinde quasi quilibet imperator à primipilario posset occidi. Eadem autem dementia etiam Seuero iam principi Iulianus successorem miserat. Deniq; etiam Aquilium centurionem, notum cædibus ducum miserat, quasi imperator tantus à centurione posset occidi. Par denique insania fuit quòd cum Seuero ex interdicto de imperio egisse fertur, vt iure videretur ad principatum

B peruenisse. Et de Pescennio Nigro iudicium populi ex eo apparuit, quòd quum ludos Circenses Iulianus Romæ daret, & indiscretè subsellia Circi maximi repleta essent, ingentíque iniuria populus affectus esset, per omnes vno cõsensu Pescẽnius Niger ad tutelam vrbis est expetitus, odio (vt diximus) Iuliani & amore occisi Pertinacis: cui quidẽ Iulianus dixisse fertur, *Nec sibi neque Pescennio longum imperium deberi, sed Seuero qui magis esset odio habendus à senatoribus, militibus, prouincialibus popularibus:* quod probauit rei euentus. Et Pescennius quidem Seuero eo tempore quo

C Lugdunensem prouinciam regebat, amicissimus fuit: nam ipse missus erat ad comprehendendos desertores qui innumeri Gallias tunc vexabant. In quo officio quòd se honestè gessit, iucundissimum fuit Seuero, ita vt de eo ad Commodum Septimius referret, asserens necessarium reip. virum. Et re vera in re militari vehemens fuit. Nunquam sub eo miles prouinciali lignum, oleum, operam extorsit. ipse à milite nihil accepit: quum tribunatus ageret, nihil accipi passus est. Nam & imperator tribunos duos quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit.

D Extat epistola Seueri quã scribit ad Rogonium Celsum Gallias regentem: *Miserum est vt imitari eius disciplinam militarem non possimus, quem bello vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lauant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis, meritoria: saltant, bibunt, cantant, & mensuris conuiuiorum vacant quum sine mensura potent. Hæc si vlla vena paternæ disciplinæ in nobis viueret, fierent? Emenda igitur primùm tribunos,*

deinde militem: quem quamdiu timueris, tamdiu non timeberis. A
Sed ſcias id de Nigro, militem timere non poſſe, niſi integri fuerint tribuni & duces militum. Hæc de Peſcennio Seuerus Auguſtus, adhuc milite. Marcus etiam Antoninus ad Cornelium Balbum, *Peſcennium mihi laudas, agnoſco: nam & deceſſor tuus eum manu ſtrenuum, vita grauem, & iam tum pluſquam militem dixit. Itaque miſi literas recitandas ad ſigna, quibus eum trecentis Armenicis, & centũ Sarmatis, & mille noſtris præeſſe iuſsi. Tuum eſt oſtendere hominem non ambitione (quod noſtris non conuenit moribus) ſed virtute veniſſe ad eum locum quem auus meus Adrianus, quem Traianus proauus non niſi exploratiſsimis dabat.* De hoc B
eodem Commodus, *Peſcennium fortem virum noui, & ei tribunatus iam duos dedi: ducatum mox dabo, vbi per ſenectutem Aelius Corduenus rempublic. recuſauerit.* Hæc de eo iudicia omnium fuerunt. Sed & Seuerus ipſe ſæpe dixit, ignoturum ſe Peſcennio niſi perſeueraret. A Commodo denique Peſcennius COS. declaratus, Seuero præpoſitus eſt: & quidem irato quòd primipilaribus commendantibus, conſulatum Niger mereretur. In vita ſua Seuerus dicit, ſe priuſquam filij ſui id ætatis haberent vt imperare poſſent, ægrotantem id in animo habuiſſe vt, ſiquid fortè ſibi accidiſſet, C
Niger Peſcennius eidem & Clodius Albinus ſuccederẽt, qui ambo Seuero grauiſſimi hoſtes extiterunt. Vnde apparet quod etiam Seueri de Peſcennio iudicium fuerit. Si Seuero credimus, fuit gloriæ cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis, ætatis prouectæ quum imperium inuaſit: ex quo cupiditates eius incuſat, perinde quaſi Seuerus minor ad imperium venerit, qui annos ſuos contrahit, quum decem & octo annis imperarit & octogeſimonono perierit. Sanè Seuerus Heraclium ad obtinendam Bithyniam miſit: Fuluium autem ad occupandos adultos Nigri filios: D
nec tamen in ſenatu quicquam de Nigro Seuerus dixit, quum iam audiſſet de eius imperio, ipſe autem proficiſceretur ad componendum Orientis ſtatum. Tantum ſanè illud fecit proficiſcens vt legiones ad Africam mitteret, ne eam Peſcennius occuparet, & fame populum Romanum perurgeret. Et videbatur id facere poſſe per Libyam Ægy-

A ptúmque vicinas Africæ, difficili licet itinere ac nauigatione. Et Pescennius quidem veniente ad Orientem Seuero, Græciam, Thracias, & Macedoniam, interfectis multis illustribus viris, tenebat, ad participatum imperij Seuerum vocans: à quo, causa eorum quos occiderat, cum Æmiliano hostis est appellatus: deinde à ducibus Seueri per Æmilianum pugnans victus est. Et quum illi tutum exilium promitteret si ab armis recederet, persistens iterum pugnauit, & victus est, atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus, & sic ad Seuerum deductus, atque
B statim mortuus. Huius caput circumlatum pilo Romam missum, filij occisi, necata vxor, patrimonium publicatum, familia omnis extincta. Sed hæc omnia posteaquam de Albini rebellione cognitum est, facta sunt: nam prius & filios Nigri & matrem in exilium miserat. Sed exarsit secundo ciuili bello, imò etiam tertio, & factus est durior. Tunc enim innumeros senatores interemit Seuerus, & ab aliis *Syllæ Punici*, ab aliis *Marij* nomen accepit. Fuit statura Pescennius prolixa, forma decorus, capillo in verticem ad gratiam reflexo, vocis canoræ, ita vt in campo loquens per
C mille passus audiretur, nisi ventus aduersaretur: oris verecundi & semper rubidi: ceruice adeo nigra, vt quemadmodum multi dicunt, ab ea *Nigri* nomen acceperit. Cætera corporis parte candidus & magis pinguis: vini auidus, cibi parcus, rei venereæ nisi ad procreandos liberos prorsus ignarus. Denique etiam sacra quædam in Gallia quę castissimis decernuntur, consensu publico celebranda suscepit. Hunc in Commodianis hortis, in porticu curua, pictum de musiuo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeo deditus fuit vt & ca-
D put raderet, & Anubim portaret, & omnes partes expleret. Fuit ergo Niger miles optimus, tribunus singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, consul insignis, vir domi forísque conspicuus, imperator infelix: vsui denique reipub. sub Seuero homine tetrico esse potuisset, si cũ eo esse voluisset. Sed deceptus est cõsiliis Seueri Aureliani, qui filias suas eius filiis despõdens, persistere eũ fecit in imperio.

Hic

Hic tantæ fuit autoritatis vt ad Marcum Antoninum primùm, deinde ad Commodum ſcriberet, quũ videret prouincias facili adminiſtrationum mutatione ſubuerti: Primum vt nulli ante quinquennium ſuccederetur prouinciæ præſidi, vel legato, vel proconſuli, quòd prius deponerent poteſtatem quàm ſcirent adminiſtrare: deinde ne noui ad regendam Remp. accederẽt. Præter militares adminiſtrationes, intimauit etiam, vt aſſeſſores in quibus prouinciis aſſediſſent, in his adminiſtrarent: quod poſtea Seuerus, & deinceps multi tenuerũt, vt probant Pauli & Vlpiani præfecturæ, qui Papiniano in conſilio fuerunt: ac poſtea quum vnus ad memoriam, alter ad libellos paruiſſet, ſtatim præfecti facti ſunt. Huius etiam illud fuit, Vt nemo aſſideret in ſua prouincia, vt nemo adminiſtraret Romæ, niſi Romanus, hoc eſt oriundus vrbe. Addidit præterea conſiliariis ſalaria, ne eos grauarent quibus aſſidebant, dicens, Iudicem nec debere dare nec accipere. Hic erga milites tanta fuit cenſura, vt quum apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, reſponderit, *Nilum habetis, & vinum quæritis?* ſi quidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis qui à Sarracenis victi fuerant, & dicentibus, *Vinum non accepimus, pugnare non poſſumus. Erubeſcite,* inquit, *illi qui vos vincunt, aquam bibunt.* Idem Palæſtinis rogantibus vt eorum cenſitio leuaretur idcirco quòd eſſet grauata, reſpondit, *Vos terras veſtras leuari cenſitione vultis, ego verò etiam aerem veſtrum cenſere vellem.* Denique Delphici Apollinis vates in motu reip. maximo quum nuntiaretur tres eſſe imperatores, Seuerum Septimium, Peſcennium Nigrum, Clodium Albinum, cõſultus quem expediret reip. imperare, verſum Græcum huiuſmodi fudiſſe dicitur,

Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peßimus Albus.

Ex quo intellectum *Fuſcum*, Nigrum appellatum vaticinatione: Seuerum, *Afrum*: *Album* verò, Albinũ dictum. Nec defuit alia curioſitas. Requiſitum eſt qui eſſet obtenturus rempub. Ad quod ille reſpondit alium verſum talem,

Fundetur ſanguis Albi, Nigríque minantis,

A *Imperium mundi Pœna reget vrbe profectus.*

Item quum quæsitum esset quis illi successurus esset, respõdisse itidem Græco versu dicitur,

Cui dederint superi, nomen habere Pij:

Quod omnino intellectum non est nisi quum Bassianus Antonini, quod verum signum Pij fuit, nomen accepit. Item quum quæreretur quamdiu imperaturus esset, respõdisse Græcè dicitur,

Bis denis Italûm conscendet nauibus æquor:

Si tamen vna ratis transiliet pelagus.

B Ex quo intellectum, Seuerum viginti annos expleturum.

Hæc sunt Diocletiane maxime augustorum, quæ de Pescennio didicimus ex pluribus libris. Non enim facilè (vt in principio libri diximus) quisquam vitas eorum mittit in libros qui aut principes in Rep. non fuerunt, aut à senatu appellati non sunt imperatores, aut occisi citius, ad famam venire nequiuerunt. Inde, quòd latet Vindex, quòd Piso nescitur, quòd omnes illi qui aut tantùm adoptati sunt, aut à militibus imperatores appellati, vt sub Domitiano Antonius: aut citò interempti, vitam cum imperij vsurpatione C posuerũt. Ac nequid ex iis quæ ad Pescennium pertinent, præterisse videamur, (licet aliis libris cognosci possint) de hoc Pescennio vates dixerunt quòd neque viuus neque mortuus in potestatẽ Seueri venturus esset, sed iuxta aquas illi pereundum esset: quod quidam dicunt ipsum Seuerum de mathesi quam callebat, dixisse. Nec abfuit responsis veritas, quum ille inuentus sit iuxta paludem semiuiuus. Hic tantæ fuit seueritatis vt quum milites quosdam in caueo argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, iusserit omne argentum submoueri de vsu expeditionali, addito eo vt li-D gneis vasis vterẽtur: quod quidem illi odium militare concitauit. Dicebat enim posse fieri vt sarcinæ militares in potestatem hostium venirent, ne se barbaræ nationes argento nostro gloriosiores facerent, quum alia minus apta hosticam viderentur ad gloriam. Idem iussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto vniuersos esse cõtentos. Idem pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato

iubens milites & omnes contentos eſſe. Idem ob vnius gal- A
linacei direptionem, decem commanipulones qui raptum
ab vno comederant, ſecuri percuti iuſſit: & feciſſet, niſi ab
omni exercitu propè vſque ad metum ſeditionis eſſet ro-
gatus: & quum peperciſſet, iuſſit vt denorū gallinaceorum
pretia prouinciali redderent decem qui ſimul furto con-
uixerant, addito eo vt tota in expeditione in commanipu-
latione nemo focum faceret, ne vnquam recèns coctum
cibum ſumerent, ſed pane ac frigidis veſcerentur, appoſitis
ſpeculatoribus qui id curarent. Idem iuſſit ne in zonis mi-
lites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, B
ſed publicè commendarent, recepturi poſt prælia quod
dederant, addens, liberis eorum & vxoribus & hæredibus
certè reddendū qui veniſſent, ne ad hoſtes aliquid prædæ
perueniret ſiquid fortè aduerſi fortuna feciſſet. Sed hæc
omnia, vt ſe habuerat Commodi temporum diſſolutio,
aduerſa eidem fuere. Denique etſi nemo fuit qui ſuis tem-
poribus dux ſeuerior videretur, ad perniciem illi magis iſta
fuere quàm mortuo * vbi & inuidia & odiū depoſita erant,
talia exempla valuerunt. Idem in omni expeditione ante
omnes militarem cibum ſumpſit ante papilionem: nec ſibi C
vnquam vel contra ſolem, vel contra imbres quæſiuit tecti
ſuffragium, ſi miles non habuit. Tantum denique belli
tempore ratione militibus demonſtrata, ſibi & ſeruis ſuis
vel contubernalibus portauit, quantum à militibus fe-
rebatur: quum ſeruos ſuos oneraret annona, ne illi ſecuri
ambularent, & onuſti milites, ídque ab exercitu cum ſu-
ſpirio videretur. Idem in concione iurauit ſe quamdiu
in expeditionibus fuiſſet eſſetque adhuc futurus, non ali-
ter eſſe acturum ſe quàm militem, Marium ante oculos ha-
bentem & duces tales. nec alias fabulas vnquam habuit D
niſi de Annibale, cæteríſque talibus. Denique quum im-
peratori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit
ei, *Scribe laudes Marij vel Annibalis, vel alicuius ducis optimi
vita functi, & dic quid ille fecerit vt eum nos imitemur. Nam
viuentes laudare irriſio eſt, maximè imperatores, à quibus ſpera-
tur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare,*

A *qui proſcribere: ſe autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari.* Amauit de principibus Auguſtum, Veſpaſianum, Titum, Traianum, Pium, Marcum, reliquos fœmineos vel venenatos vocans: maximè tamen in hiſtoriis Marium & Camillum & Q. Martium Coriolanum dilexit. Interrogatus autem quid de Scipionibus ſentiret, dixiſſe fertur, *Felices illos fuiſſe magis quàm fortes*: idque probare domeſticam vitam & iuuentutem, quæ in vtroque nimis ſpecioſa domi fuiſſe apud omnes conſtat. Quòd ſi rerum potitus fuiſſet, omnia correcturus fuerat quę Seuerus vel non potuit emē-
B dare, vel noluit: & quidem ſine crudelitàte, imò etiam cum lenitate, ſed militari, non remiſſa & inepta atque ridicula. Domus eius hodie Romæ viſitur in campo Iouis, quæ appellatur *Peſcenniana*: in qua ſimulacrum eius in Trichoro conſtituit, ſtatim poſt annum ex Thebaico marmore, quod ille ad ſimilitudinem ſui factum à rege Thebæorum acceperat. Extat etiam epigramma Græcum, quod Latinè hāc habet ſententiam.

Terror Aegyptiaci Niger aſtat militis ingens,
Thebaidos socius, aurea ſecla volens.
C *Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma:*
Hic Antoninus charus & imperio.
Nigrum nomen habet, Nigrum formauimus ipſi,
Vt conſentirent forma metalla tibi.

Quos quidem verſus Seuerus eradi noluit, quum hoc ei & præfecti ſuggererent, & officiorum magiſtri, addens, *Si talis fuit, ſciant omnes qualem vicerimus. ſi talis non fuit, putent omnes nos talem viciſſe: imò ſic ſit, quia fuit talis.* Sequitur nunc vt de Clodio Albino dicam, qui quaſi ſocius huius habetur, quod & pariter contra Seuerum rebellauerūt, & ab eodem
D victi atque occiſi ſunt. De quo ipſo neq; ſatis clara extant: quia eadem fortuna illius fuit quæ Peſcennij, etiamſi vita ſatis diſpar.

A

IVLII CAPITOLINI

CLODIVS ALBINVS, ad Constantinum Augustum.

VNO eodémque tempore post Pertinacem, qui autore Albino interemptus est, Iulianus à senatu Romę Septimius Seuerus ab exercitu in Illyrico, Pescēnius Niger in Oriente, Claudius Albinus in Gallia, imperatores appellati sunt. Et Claudium quidem Herodianus dicit Seueri Cæsarem fuisse. sed quum alter alterum indignaretur imperare, nec Galli ferre possent aut Germaniani exercitus (quòd & ipsi suum specialem principem haberent) vndique cuncta turbata sunt. Fuit autem CLODIVS ALBINVS familia nobili. Adrumetinus tamen ex Africa. Quare sortem illam qua Seuerum laudatum in Pescennij vita diximus, ad se trahebat, nolens intelligi Pessimus Albus quod eodem versu continebatur quo & Seueri laus, & approbatio Nigri Pescennij. Sed priusquam vel de vita eius vel de morte dissseram, etiā hoc dicendum est quod eum nobilem fecit. Nā ad hunc eundē quōdam Cōmodus, quum successorē Albino daret, literas dederat, quibus iusserat vt Cæsar esset. Exēplum indidi. *Imperator Commodus Clodio Albino. Alias ad te publicè de successore atque honore tuo misi, sed hanc familiarem & domesticam, omnem (vt vides) manu mea scriptam epistolam dirigo, qua tibi do facultatem vt, si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Audio enim & Septimium Seuerum & Nonium Marcum malè de me apud milites loqui, vt tibi parēt stationis augustæ procurationem. Habebis præterea quum id feceris, dandi stipendij vsque ad tres aureos liberam potestatem: quin & super hoc ad Procuratores meos literas misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ: & quum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant quum de ærario volueris imperare.*

B

C

D

A *Sanè vt tibi insigne aliquod imperialis maiestatis accedat, habebis vtendi coccinei pallij facultatem me præsente, & ad me, & quum mecum fueris, habiturus & purpuram, sed sine auro: quia ita & proauus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano qui eum adoptauit, accepit.* His literis acceptis omnino id quòd iubebat facere noluit, timens odiosum Commodum propter mores suos, quibus Remp. perdiderat & se dedecorauerat, quandocunque feriendũ, ne ipse pariter occideretur. Extat denique illius concio, quæ quum accepit imperium, & quidem Seueri (vt quidam) voluntate firmatum, huius rei
B memoriam facit. cuius hoc exemplum est. *Inuitum me commilitones ductum ad imperium etiam ille probat quòd Commodũ donantem me Cæsariano nomine, contẽpsi: sed & vestræ voluntati & Seueri Augusti parendum est: quia credo sub homine optimo & viro forti posse bene Remp. regi.* Nec negari potest, quod etiã Marius Maximus dicit, hunc animum Seuero primũ fuisse vt siquid ei contingeret, Pescennium Nigrum, & Clodiũ Albinum sibi substitueret. Sed postea & filiis iam maiusculis studentem & Albini amori inuidentem, sententiam mutasse, atq; illos vtrosque bello oppressisse, maximè pre-
C cibus vxoris adductum. Denique Seuerus eum COS. designauit, quod vtrique nisi de optimo viro nõ fecisset, homo in legendis magistratibus diligens. Sed vt ad eum redeam, fuit (vt dixi) Albinus Adrumento oriundus, sed nobilis apud suos, & originẽ à Romanis familiis trahens, Posthumiorum scilicet & Albinorum Ceioniorum. Quæ familia hodie quoque, Constãtine maxime, nobilissima est, & per te aucta & augenda, quæ per Galienum & Gordianos plurimùm creuit. Hic tamen natus Lare modico, patrimonio pertenui, parẽtibus sanctis, patre Ceionio Posthumio, ma-
D tre Aurelia Messalina, primus suis parẽtibus fuit: quum exceptus vtero, quòd contra consuetudinẽ puerorũ qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, *Albinus* est dictus. Quod verum esse, patris, epistola ad Ælium Bassianũ tunc proconsulem Africæ data designat, affinem (quãtum videtur) eorum ipsorum, Epistola Ceionij Posthumij ad Ælium Bassianum. *Filius mihi natus est* VII *Cal. Decemb. ita*

candidus statim toto corpore vt linteamen quo exceptus est, vinceret. Quare susceptum eum Albinorum familiæ, quæ mihi tecum communis est, dedi, Albini nomine imposito. Fac vt remp. & te & nos, vt facis, diligas. Hic ergo omnem pueritiam in Africa transegit, eruditus literis Græcis ac Latinis mediocriter, quòd esset animi iam militaris & superbi. Fertur in scholis sæpissimè cantasse inter puerulos, A

Arma amens capio, nec sat rationis in armis,

Repetens, *Arma amens capio.*

Huic multa imperij signa quum esset natus, facta dicuntur. Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est, quod mirandum fuit: quæ tamen cornua in templo Apollinis Cumani ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur: quod, quum ille sortem de fato suo tolleret, his versibus eidem dicitur esse responsum. B

Hic rem Romanam magno turbante tumultu

Sistet eques sternet Pœnos Gallúmque rebellem.

Et in Gallia quidem eum multas gentes domuisse constat. Ipse autem suspicabatur de Seuero sibi prædictum *Sternet Pœnos*, quòd Septimius Afer esset. Fuit & aliud signũ futuri imperij. Nam quum Cæsariana familia hoc speciale habuerit vt paruuli domus eius in testudineis alueis lauarentur, nato infantulo testudo ingens patri eius munere piscatoris allata est: quod ille homo literatus omen accipiens, & testudinem libenter accepit & eã curari iussit, atq; infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans. Quum rarũ esset aquilas in his locis videri in quibus natus est Albinus; septima eius diei hora conuiuij quod celebritati pueri deputabatur, quũ ei fierent nomina septẽ aquilę paruulę de nido allatæ sũt, & quasi ad iocũ circa cunas pueri constitutæ: nec hoc omen pater abnuit, qui iussit aquilas ali, & diligenter curari. Accessit omen, quòd quũ pueri eius familię russulis fasciolis illigarẽtur quòd fortè lotæ atque vdæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans parauerat, purpurea matris illigatus est fascia: vnde illi ioco nutricis etiam *Porphyrij* nomen inditum est. Hæc atque alia signa imperij futuri fuere. quæ qui volet nosse, Æliũ Cordũ legat, qui friuola super huiusmodi omnibus C D

A cuncta persequitur. Adolescens igitur statim se ad militiã contulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bebium Metianum, & Ceionium Posthumianum suos affines innotuit. Egit tribunus equites Dalmatas: egit & legionem Quartanorum & Primanorum: Bithynicos exercitus eo tempore quo Auidius rebellabat, fideliter tenuit. Deinde per Commodum ad Gallias translatus, in qua fusis Frisiis Trãsrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos & apud Barbaros fecit. Quibus rebus accensus Cõmodus, Cæsarianum ei nomen obtulit, & dandi stipendij B facultatem, & pallij coccini vtendi. Quibus omnibus ille prudenter abstinuit, dicens, *Commodum quærere qui aut cum eo perirent, aut quos cum causa ipse posset occidere.* Quæsturæ gratia illi facta est: qua concessa, ædilis non amplius quàm decem diebus fuit, quòd ad exercitum festinanter mitteretur. Deinde præturam egit sub Commodo famosissimã. Nam eiusdem ludis Cõmodus & in foro & in theatro pugnas exhibuisse perhibetur. COS. à Seuero declaratus est eo tempore quo Albinum sibi cum Pescennio parauerat subrogare. Ad imperiũ venit natu iam grandior, & maior C Pescennio Nigro, vt Seuerus ipse in vita sua testatur. Sed victo Pescennio, quum & filiis suis imperium seruare cuperet, & voluntatem senatus maiorem circa Claudiũ Albinum videret, quòd esset vir antiquæ familiæ, literas ad eum per quosdam summi honoris ac summæ affectionis misit, quibus hortabatur, vt quoniam occisus esset Pescẽnius Niger, ipse cum eo fideliter Remp. regeret. Quarum exemplũ hoc esse Cordus ostendit. *Imperator Seuerus Augustus Claudio Albino Cæsari, fratri amantissimo, & desideratissimo salutem. Victo Pescennio, literas Romam dedimus, quas sena-* D *tus tui amantissimus libenter accepit. Te quæso, vt eo animo Remp. regas quo dilectus es frater animi mei, frater imperij. Bassianus & Geta te salutant. Iulia nostra & te & sororem salutat. Infantulo tuo Pescennio Prineo munera digna suo loco tuóque mittemus. Tu velim exercitus Reip. ac nobis retentes, mi vnanime, mi charissime, mi amantissime.* Et hic quidem literas missis stipatoribus fidelissimis dedit, quibus præcepit vt epistolam publicè darent,

darēt, postea verò dicerent se velle pleraque occultè suggerere quæ ad res bellicas pertinerent,& ad secreta castrorum atque aulicam fidem: vbi verò in secretum venissent, quasi mandata dicturi, quinque validissimi eum interimerent gladiolis intra vestem latentibus. Nec illorum quidē fides defuit. Nam quum ad Albinum venissent,& epistolam dedissent,qua lecta,quum dicerent quædam secretius suggerenda,& locum semotum ab omnibus arbitris postularent, & quum omnino neminē paterētur ad porticum longissimam cum Albino progredi, ea specie ne mandata proderentur: Albinus intellexit insidias. Denique indulgens suspicionibus, eos tormentis dedit. Qui diu primò pernegarunt,sed postea victi necessitate,cōfessi sunt ea quę Seuerus iisdem præceperat. Tunc iam proditis rebus & apertis insidiis, ea quæ suspicabatur Albinus clara esse intelligens,exercitu ingenti collecto contra Seuerum atque eius duces venit. Et primo quidem conflictu habito cōtra duces Seueri, potior fuit: pòst autem Seuerus ipse quum id egisset apud senatum vt hostis iudicaretur Albinus contra eū profectus, acerrimè fortissiméque pugnauit in Gallia non sine varietate fortunæ. Denique quum solicitus augures consuleret,responsum illi est(vt dicit Marius Maximus)venturum quidem in potestatem eius Albinum, sed non viuum nec mortuum:quod & factum est. Nam quum vltimum prælium cōmissum esset, innumeris suorum cæsis,plurimis fugatis,multis etiam deditis,Albinus fugit:&, vt multi dicunt,se ipse percussit:vt alij, à seruo suo percussus,semiuiuus ad Seuerum deductus est. Vnde confirmatū est augurium quod fuerat antè prædictum. Multi præterea dicunt,à militibus,cuius nece à Seuero gratiā requirebāt. Fuit Albino vnus (vt aliqui dicunt) filius: Maximus dicit duos. quibus primùm veniā dedit, postea verò eos cū matre percussit,& in profluentem abiici iussit. Caput eius excisum pilo circuntulit,Romámque misit literis ad senatum datis,quibus insultabat quòd Albinum tantopere dilexissent vt eius affines & fratrem præcipuè ingenti honore cumularent. Iacuisse ante prætoriū Seueri Albini corpus per

A dies plurimos dicitur vſque ad fœtorem, laniatúmque à canibus in profluentem abiectum eſſe. De moribus eius varia dicuntur. Et Seuerus quidem ipſe hæc de eodem loquitur, vt eum dicat turpem, malitioſum, improbum, inhoneſtum, cupidum, luxurioſum. ſed hæc belli tempore vel poſt bellum, quando ei iam velut de hoſte credi non poterat: quum & ipſe ad eum quaſi ad amiciſſimum frequentes miſerit literas, & multi de Albino bene ſenſerint: & Seuerus ipſe Cæſarem ſuum eundem appellari voluerit: & quum de ſucceſſore cogitaret, hunc primum habuerit B ante oculos. Extant præterea Marci epiſtolæ de hoc eodẽ quæ teſtimonium & virtutum eius ferant & morum: quarum vnam inſerere ad præfectos datam ſuper eius nomine abſurdum non fuit. *M. Aurelius Antoninus præfectis ſuis ſalutem. Albino ex familia Ceioniorum, Afro quidem homini, ſed non multa ex Afris habenti, Plautilli genero duas cohortes alares regendas dedi. Eſt homo exercitatus, vita triſtis, grauis moribus. puto eum rebus caſtrenſibus profuturum: certè obfuturum non eſſe ſatis noui. Huic ſalarium duplex decreui, veſtem militarem ſimplicem, ſed loci ſui ſtipendium quadruplum. Hunc vos adhortamini vt ſe* C *reip. oſtentet, habiturus præmium quod merebitur.* Eſt & alia epiſtola qua idem M. Auidij Caſſij temporibus de hoc eodem ſcripſit, cuius exemplum hoc eſt. *Laudanda eſt Albini conſtantia, qui grauiter deficientes exercitus tenuit, quum ad Auidium Caſſium confugerent. & niſi hic fuiſſet, omnes defeciſſent. Habemus igitur virum dignum conſulatu, quem ſufficiam in locum Caſſij Papirij, qui mihi exanimis propè iam nuntiatus eſt. Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipſum Papirium, aut ad eius affectus perueniat: nóſque videamur in locum viuentis* COS. *ſubrogaſſe.* Iſtæ igitur epiſtolæ teſtantur, Albinum virum D vtilem fuiſſe. Indicat & illud præcipuè quòd ad eas ciuitates inſtaurandas quas Niger attriuerat, pecuniam miſit, quò facilius ſibi earum accolas conciliaret. Guloſum eũ Cordus qui talia perſequitur in ſuis voluminibus: fuiſſe dicit: & ita quidem, vt pomorum tantum hauſerit quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus paſſarias, quas Græci calliſtruthias vocant, ieiunum comediſſe

dicit, & centum persica Campana, & melones Hostienses A
decem, & vuarum Lauicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. Vini sanè parcum fuisse dicit, quod Seuerus negat, qui eum asserit ebrium etiam in bello fuisse. Cum suis etiam nunquam cœnauit, vel propter vinolentiam, (vt dicit Seuerus) vel propter morum acrimoniam. Vxori odiosissimus fuit, seruis iniustus, atrox circa militem. Nam sæpe & ordinarios centuriones, vbi causæ qualitas non postulabat, in crucem sustulit. Verberauit certè virgis sæpissimè: neque vnquam delictis pepercit. In vestitu nitidissimus fuit, in conuiuio sordidissimus, B
& soli studens copiæ: mulierarius inter primos amatores, auersę Veneris semper ignarus, & taliũ persequutor: agricolendi peritissimus, ita vt etiam Georgica scripserit. Milesias nonnulli eiusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quanuis mediocriter scriptæ sint. A senatu tantum amatus est quantum nemo principum, in odium speciatim Seueri, quem vehemẽter ob crudelitatem oderant senatores. Denique victo eo plurimi senatores à Seuero interfecti sunt, qui eius partium vel verè fuerant vel esse videbantur. Denique quum apud Lugdunum eũdem C
interfecisset, statim literas inquiri iussit, ita vt inueniret vel ad quos ipse scripsisset, vel qui ad eum rescripsissent: omnesque illos quorum epistolas reperit, hostes iudicari à senatu fecit: nec his pepercit, sed & ipsos interemit, & bona eorum proscripsit, atque in ærarium publicum retulit. Extat epistola Seueri, quæ ostendit animum suum, missa ad senatum, cuius hoc exemplum est. *Nihil mihi gratius potest euenire* P. C. *quàm vt vestrum iudicium Albinus haberet potius quàm Seuerus. Ego frumenta Reipub. detuli, ego multa bella pro Republica gessi, ego populo Romano tantum olei detuli quantum* D
rerum natura vix habuit. Ego interfecto Pescennio Nigro vos à malis tyrannicis liberaui. Magnam sanè mihi reddidistis vicem, magnam gratiam. Vnum ex Afris, & quidem Adrumetinis, fingẽtem quòd de Ceioniorum stemmate sanguinem duceret, vsque adeo extulistis vt eum principem habere velitis, me principe, saluis liberis meis. Defuitne quæso tanto senatui quem amare deberetis, qui

A *vos amaret? Huius fratrem honoribus extulistis, ab hoc consula-*
tus, ab hoc præturas, ab hoc speratis cuiusuis magistratus insigna.
Non eam gratiam mihi redditis quam maiores vestri contra Piso-
nianã factionem, quam item pro Traiano, quam nuper contra Aui-
dium Caßium præstiterunt: fictum illum & ad omnia mendaciorum
genera paratũ, qui nobilitatem quoque mentitus est, mihi præpo-
suistis. Quinetiam audiendus in senatu fuit Statilius Corfulenus, qui
honores Albino & eius fratri decernendos ducebat: cui hoc super-
fuit vt de me ille decerneret homo nobilis ad triumphum. Maior
fuit dolor quòd illum pro literato laudãdum plerique duxistis, quum
B *ille næniis quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas*
Apuleij sui, & ludicra literaria consenesceret. Hinc apparet
quanta seueritate factionem vel Pescennianam vel Clo-
dianam vindicauerit. Quæ quidem omnia in vita eius po-
sita sunt: quę qui diligentius scire velit, legat Marium Ma-
ximum, de Latinis scriptoribus: de Græcis, Herodianum,
qui ad fidem pleraque dixerunt. Fuit statura procerus, ca-
pillo renodi & crispo, fronte lata, & candore mirabili: &
vt plerique putant, ex eo nomen accepit: voce muliebri &
propè ad eunuchorum sonum, motu facili, iracũdia graui,
C furore tristissimo: in luxuria varius. nã sæpe appetens vini,
frequenter abstinens. Armorum strenuus prorsus, vt non
malè sui temporis Catilina diceretur. Non ab re esse cre-
dimus, causas ostendere quibus amorem senatus Clodius
Albinus meruit. Quum Britannicos exercitus regeret ius-
su Commodi, atque illum interemptum adhuc falsò com-
perisset, quum sibi ab ipso Commodo Cæsarianum nomẽ
esset delatum, processit ad milites, & hac concione vsus
est: *Si senatus* P. R. *suum illud vetus haberet imperium, nec in*
vnius potestate res tanta consisteret, nõ ad Vitellios, neque ad Nero-
D *nes, neque ad Domitianos publica fata venissent: in imperio consu-*
lari nostræ illæ gentes Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorum: de
quibus patres vestri, qui & ipsi ab auis suis audierant, multa didi-
cerunt: & certè Africam Romano imperio senatus adiunxit: Galliã
senatus subegit, & Hispanias: oriẽtalibus populis senatus dedit leges.
Parthos tentauit senatus: & subegisset, nisi tam auarum principem
Romano exercitui fortuna Reipublicæ tunc dedisset. Britannias

Cæsar subegit, certè senator, nondum tamen dictator. Hic ipse A
Commodus quanto melior fuisset, si timuisset senatum? Et vsque ad Neronem quidem senatus autoritas valuit, qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, quum sententiæ in eum dictæ sunt qui vitæ necísque potestatem atque imperium tunc tenebat. Quare commilitones, ego Cæsareum nomen quod mihi Commodus detulit, nolo: dij faxint vt ne alij quidem velint. Senatus imperet, prouincias diuidat: senatus nos consules faciat, & quid dico senatus? vos ipsi & patres vestri. eritis enim ipsi senatores. Hæc concio, viuo adhuc Commodo, Romam delata est: quæ Commodum in Albinum exasperauit, statímque suc- B
cessorem misit Iunium Seuerum, vnum ex contubernalibus suis. Senatui autem tantum placuit vt miris acclamationibus absentem eum ornaret, & viuo Commodo & deinceps interempto, ita vt nonnulli etiam Pertinaci autores fuerint vt eum sibi socium ascisceret, apud Iulianum de occidendo Pertinace ipsius plurimum autoritas valuerit. Vt autem hoc verum intelligatur, epistolam Commodi ad præfectos prætorij suos datam inserui, qua de occidendo Albino significauit suam mentem. *Aurelius Commodus Seuerus præfectis salutem. Audisse vos credo primùm fi-* C
ctum esse quòd ego meorum consilio interfectus essem: deinde concionem Clodij Albini apud milites meos habitam, qui se multùm senatui commendat, ídque, quantum videmus, non frustra. Nam qui principem vnum in Republica negat esse debere, quíque asserit à senatu oportere totam Rempublicam regi, is per senatum sibi petit imperium. Cauete igitur diligentissimè: iam enim hominem scitis vobis militibus populóque vitandum. Has literas quum Pertinax inuenisset, in Albini odium publicauit. Quare Albinus occidendi Pertinacis Iuliano autor fuit.

A

ÆLII SPARTIANI

ANTONINVS CARACALLVS.

EX duobus liberis quos Septimius Seue-
rus reliquit, Getam & Baſſianum, quorum
vnum exercitus, alterum pater dixit, Geta
hoſtis eſt iudicatus, Baſſianum autem ob-
B tinuiſſe imperium conſtat: de cuius maio-
ribus fruſtra putamus iterandum, quum
omnia in Seueri vita ſatis dicta ſint. Huius igitur pueritia
blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum iu-
cũda, populo accepta, grata Senatui, ipſi etiam ad amorem
conciliandum ſalutaris fuit. Non ille in literis tardus, non
in beneuolentiis ſegnis, non tenax in largitate, non lentus
in clementia, ſed ſub parentibus, viſus. Denique, ſi quando
feris obiectos damnatos vidit, fleuit aut oculos auertit:
quod populo pluſquam amabile fuit. Septennis puer,
C quum colluſorem ſuum puerum, ob Iudaicam religio-
nem grauius verberatum audiſſet, neque patrem ſuum
neque patrem pueri vel autores verberum diu reſpexit.
Antiochenſibus & Byzantiis interuentu ſua iura vetuſta
reſtituit: quibus iratus fuit Seuerus quòd Nigrum iuuerãt.
Plautiani odium crudelitatis cauſa concepit. Quæ à paren-
tibus gratia ſigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel
magiſtris ſpõte donauit. Sed hæc puer. Egreſſus verò pue-
ritiam, ſeu patris monitis, ſeu calliditate ingenij, ſiue quòd
ſe Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, re-
D ſtrictior, grauior, vultu etiam truculẽtior factus eſt, prorſus
vt eum quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent.
Alexandrum Magnum eiúſque geſta in ore ſemper habuit.
Tiberium & Syllam in conuentu plerumque laudauit. Pa-
tre ſuperbior fuit: fratrem magna eius humilitate deſpexit.
Poſt patris mortem in caſtra prætoria pergens, apud mili-
tes conqueſtus eſt, circumueniri ſe fratris inſidiis: atque ita

fratrem in Palatio fecit occidi. eius corpus statim cremari A
præcepit. Dixit præterea in castris fratrem sibi venenum parasse, matri eum irreuerentem fuisse: egítque publicè iis gratias qui eum occiderunt. Addidit denique iis qui fideliores erga se fuerant, stipendium. Pars militum apud Albam, Getam occisum ægerrimè accepit, dicētibus cunctis, duobus se fidem promisisse liberis Seueri, duobus seruare debere. clausísque portis diu imperator non admissus, nisi delinitis animis, non solùm querelis de Geta & criminationibus editis, sed enormitate stipēdij militibùs (vt solet) placatis: atque inde Romam rediit. Tunc sub veste senatoria loricam habēs, cum armatis militibus curiam ingressus est. Hos in medio inter subsellia duplici ordine collocauit, & sic verba fecit. Questus est de fratris insidiis inuolutè & inconditè, ad illius accusationem, sui verò excusationem: quod quidem nec senatus libenter accepit, quum ille dixisset, fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidiis liberasse: & illum tamen sibi grauissimas insidias fecisse, nec vicem amori reddidisse fraterno. Post hoc relegatis deportatísque reditum in patriam restituit: inde ad prætorianos processit, & in castris mansit. Altera die Capitolium petiit: & eos quos occidere parabat, affabiliter est alloquutus, inniténsque Papiniano & Chiloni, ad Palatiū rediit. Quum flentem matrem Getæ vidisset, aliásque mulieres, post necem fratris, mulieres occidere conatus est: sed ob hoc retentus ne augeretur fratris occisi crudelitas. Lætum ad mortem coegit, misso à se veneno: ipse enim inter suasores Getæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus est. Ipse mortem eius sæpissimè fleuit. Multos qui cædis eius conscij fuerant, interemit, eúmque & imaginem eius honorauit. Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, iussit occidi. Qui quum se præcipitasset percussorum timore, & ad vxorē crure fracto erepsisset, tamen per ludibrium à percussoribus deprehensus est, & occisus. Occidit etiam Pompeianum Marci nepotem ex filia natum & ex Pompeiano cui nupta fuerat Lucilla post mortem Veri imperatoris: quem & consulem bis fecerat,

A &omnibus bellis præposuerat, quæ grauissima tunc fuerunt: & ita quidem vt videretur à latronibus interemptus. Deinde in cõspectu eius Papinianus securi percussus est, & à militib⁹ occisus: quo facto percussori dixit, *Gladio te exequi oportuit meum iussum.* Occisus est etiam eius iussu Petronius ante templum diui Pij, tractáque sunt eorum per plateam cadauera, sine aliqua humanitatis reuerentia. Filium autem Papiniani, qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat, interemit. Iisdem diebus occisi sunt innumeri, qui fratris eius partibus fauerant. Occisi etiam liberti qui
B Getæ administrauerant. Cædes deinde in omnibus locis & in balneis factæ. Occisique nonnulli etiam cœnantes, inter quos etiam Sammonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant. In summum discrimen etiam Chilo iterum præfectus & consul venit, ob hoc quòd concordiam inter fratres suaserat. Et quum idem Chilo sublata veste senatoria, nudis pedibus ab vrbanicianis raptus esset, Antoninus seditionem compressit. Multas præterea postea cædes in vrbe fecit, passim raptis à militibus nonnullis hominibus & occisis, quasi seditionem vindicans. Heluium
C Pertinacem suffectum cos. ob hoc solùm quòd filius esset imperatoris, occidit. Neque cessauit vnquam sub diuersis occasionibus eos interficere qui fratris amici fuisset. Sæpe in senatum, sæpe in populum superbè inuectus est, aut edictis propositis aut orationibus editis, Syllam se etiã ostendens futurum. His gestis Galliam petiit: atque vt primùm in eam venit, Narbonensem proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis qui in Gallia res regebant, odium tyrannicum meruit, quamuis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus. Et quum multa con-
D tra homines & contra iura ciuitatum fecisset, morbo implicitus grauiter laborauit. Circa eos qui eum curabant, crudelissimus fuit. Deinde ad Orientem profectionem parans, omisso itinere in Dacia resedit. Circa Rhetiam non paucos Barbaros interemit, militésque suos quasi Syllæ milites & cohortatus est & donauit. Deorum sanè se nominibus appellari vetuit, quod Commodus fecerat, quum illi

Illi eum, quòd leonem aliásque feras occidisset, Herculem dicerent. Et quum Germanos subegisset, *Germanicum* se appellauit: vel ioco vel serio, vt erat stultus & demens, asserens si Lucanos vicisset, *Lucanicum* se appellandū. Damnati sunt eo tempore qui vrinam in eo loco fecerunt in quo statuæ aut imagines erant principis: & qui coronas imaginibus eius detraxerāt vt alias ponerent. Damnati sunt & qui remedia quartanis tertianísque collo annexa gestarent. Per Thracias cum præfecto prætorij iter fecit, inde quum in Asiam traiiceret, naufragij periculū adiit, antemna fracta, ita vt in scapham cum protectoribus descenderet. Vnde in triremem à præfecto classis receptus, euasit. Excepit apros frequenter, contra leonem etiam stetit: quo etiam missis ad amicos literis gloriatus est: séque ad Herculis virtutem accesìsse iactauit. Post hoc ad bellum Armeniacum Parthicúmque conuersus, ducem bellicum qui suis competebat moribus fecit. Inde Alexandriam petiit: in gymnasium populum conuocauit, eúmque obiurgauit: legi etiam validos ad militiam præcepit. Eos autem quos legerat, occidit exemplo Ptolemæi Euergetis, qui octauus hoc nomine appellatus est. Dato præterea signo militibus vt hospites suos occiderent, magnā cædem Alexandriæ fecit. Dehinc per Cadusios fines & Babylonios ingressus, tumultuariè cum Parthorum satrapis manum cōtulit, feris etiam bestiis in hostes immissis. Datis ad senatum, quasi post victoriam literis, *Parthicus* appellatus est: nam Germanici nomen patre viuo fuerat consequutus. Deinde quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hybernare Edessæ, atq; inde Carras Luni dei gratia venisset, die natalis sui, VIII Idus Aprilis ipsis Megalensibus quum ad requisita naturæ discessisset, insidiis à Macrino præfecto prætorij positis qui post eum inuasit imperium, interemptus est. Conscij cædis fuerūt Nemesianus & frater eius Apollinaris Retianúsque qui præfectus legionis secundæ Parthicæ militabat, & qui equitibus extraordinariis præerat, non ignorantibus Martio Agrippa qui clasi præerat, & præterea plerisque officialium impulsu Martialis. Occisus est autem in medio iti-

A nere inter Carras & Edessam quum leuandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, atque inter protectores suos, coniuratos cædis, ageret. Denique quum illum in equum strator eius leuaret, pugione latus eius confodit: conclamatúmque ab omnibus est id Martialem fecisse. Et quoniam dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita tunc quoque à Carrenis præcipuè haberi, vt qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inseruiat: at verò qui marem deum esse crediderit, B is dominetur vxori, neque vllas muliebres patiatur insidias. Vnde quamuis Græci vel Ægyptij eo genere quo fœminam hominem, etiam Lunam deam dicant, mysticè tamen deum dicunt. Scio de Papiniani nece multos ita in literas retulisse vt cædis non sciuerint causam, aliis alia referentibus: sed ego malui veritatem opinionum edere quàm de tanti viri cæde reticere. Papinianum amicissimum fuisse imperatori Seuero, &, vt aliqui loquuntur, affinem etiam per secundam vxorem, memoriæ traditur: & huic præcipuè vtrumque filium à Seuero commendatum, C eúmque cum Seuero professum, sub Scæuola & Seuero in aduocatione fisci successisse, atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum fouisse: egisse quinetiam ne occideretur, quum iam de insidiis eius Bassianus quereretur: atque ideo vnà cum iis qui fautores fuerant Getæ à militibus, non solùm permittente, verumetiam suadente Antonino, occisum. Multi dicunt Bassianum occiso fratre illi mandasse, vt & in senatu per se & apud populum facinus dilueret: illum autem respondisse, *Non tam facilè parricidium excusari posse quàm fieri.* Est etiam hæc fabella quòd D dictare noluerit orationem qua inuehendum erat in fratrem vt causa eius melior fieret qui occiderat: illum autem negantem respondisse, *Aliud est parricidium, accusare innocentem occisum.* Sed hoc omnino non conuenit: nam neque præfectus poterat dictare orationem. & constat eum quasi fautorem Getæ occisum. Et fertur quidem, Papinianum, quũ raptus à militibus ad Palatium traheretur occidendus,

prædiuinasse, dicentem, Stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Quod factum est: nam Macrinus Antoninum occidit, vt suprà exposuimus: qui cum filio factus in castris imperator, filium suum qui DIADVMENVS vocabatur, ANTONINVM vocauit, idcirco quòd à prætorianis multùm Antoninus desideratus est. Vixit autem Bassianus annis XLIII. Imperauit annis VI. Publico funere elatus est. Filium reliquit qui postea & ipse M. ANTONINVS HELIOGABALVS est dictus: ita enim nomen Antoninorum inoleuerat vt velli ex animis hominum nō posset: quòd omnium pectora velut Augusti nomen obsederat. Fuit malè moratus, & patre duro crudelior. Auidus cibi, vini etiam appetens, suis odiosus, & præter milites prætorianos omnibus castris exosus: prorsus nihil inter fratres simile. Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse vlla imitatione qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium vt idipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Reliquit & porticum patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos & bella. Ipse CARACALLI nomen accepit à vestimento quod populo dederat demisso vsque ad talos: (quod antè non fuerat) vnde hodiéque *Antoninianæ* dicuntur caracallæ huiusmodi, in vsu maximè Romanæ plebis frequentatæ. Idem viam nouam muniuit, quæ est sub eius thermis, Antoninianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facilè quicquam inuenias. Sacra Isidis Romam deportauit, & templa vbique magnifica eidem deæ fecit. Sacra etiam maiore reuerentia celebrauit quàm antè celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primùm per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebrauerit vt & Anubin portaret, & Pausa sederet: nisi fortè iste addidit celebritati, non eam primus inuexit. Corpus eius Antoninorum sepulchro illatum est, vt ea sedes reliquias

A eius acciperet quæ nomen addiderat. Intereſt ſcire quemadmodum nouercam ſuã Iuliam vxorem duxiſſe dicatur. Quæ quum eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſétque Antoninus, *Vellem, ſi liceret:* reſpondiſſe fertur, *Si libet, licet. An neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt: nuptiáſque eas celebrauit quas ſi ſciret ſe leges dare, verè ſolus prohibere debuiſſet. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit vxorem, ad parricidium iunxit inceſtum: ſi-
B quidem eam matrimonio ſociauit cuius filium nuper occiderat. Non ab re eſt etiam diaſyrticum quiddam in eum dictum addere. Nam quum *Germanici* & *Parthici* & *Arabici* & *Alemannici* nomen aſcriberet (nam Alemannorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax filius Pertinacis dicitur ioco dixiſſe, *Adde ſi placet etiam* GETICVS MAXIMVS, quòd Getam occiderat fratrem, & Gotti *Getæ* dicerentur: quos ille dum ad Orientem tranſiit, tumultuariis prœliis deuicerat. Occidendi Getæ multa prodigia extiterunt, vt in vita eius exponemus. Nam quamuis prior ille è vita excef-
C ſerit, nos tamen ordinem ſequuti ſumus, vt, qui & prior natus eſt & prior imperare cœperat, prior ſcriberetur. Eo ſanè tempore quo ab exercitu appellatus eſt Auguſtus viuo patre, quòd ille pedibus æger gubernare non poſſe videretur imperium, contuſis animis militum & tribunorum, Seuerus dicitur animo volutaſſe, vt & hunc occideret, niſi repugnaſſent præfecti eius graues viri. Aliqui contrà dicunt, præfectos voluiſſe id fieri, ſed Septimium noluiſſe, ne & ſeueritas illius crudelitatis nomine inquinaretur: & quum autores criminis milites fuerint, adoleſcens ſtultæ temeri-
D tatis pœnas lueret tam grauis ſupplicij titulo vt à patre videretur occiſus. Hic tamen omnium duriſſimus, & vt vno complectamur verbo, parricida & inceſtus, patris & matris & fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum, ac maximè prætorianorum, inter deos relatus eſt. Habet templum, habet ſalios, habet ſodales Antoninianos, qui Fauſtinæ templum & diuale nomen eripuit:

certè templum quod ei ſub Tauri radicibus fundauerat A olim maritus Antoninus, in quo poſtea filius huius Baſſiani Heliogabalus Antoninus ſibi vel Ioui Syrio, vel Soli (incertum enim id eſt) templum fecit.

ÆLII SPARTIANI

ANTONINVS GETA, ad Conſtantinum Auguſtum. B

SCIO Cōſtantine Auguſte, & multos, & clementiam tuam queſtionem mouere poſſe cur etiam GETA ANTONINVS à me tradatur. de cuius priuſquam vel vita vel nece dicam, diſſeram cur & ipſi *Antonini* à Seuero patre ſit nomē appoſitum. Neque enim multa in eius vita dici poſſunt, qui prius rebus humanis exemptus eſt quàm cum fratre teneret imperium. C Septimius Seuerus quodam tempore quum conſuluiſſet ac petiiſſet vt ſibi indicaretur quo eſſet ſucceſſore moriturus, in ſomnis vidit Antoninum ſibi ſucceſſurum. Quare ſtatim ad milites proceſſit, & Baſſianum filium maiorem natu, *M. Aurelium Antoninum* appellauit. Quod quum feciſſet, paterna cogitatione (vel vt quidam dicunt) à Iulia vxore commonitus, quæ gnara erat ſomnij, quòd minori filio hoc facto ipſe intercluſiſſet aditum imperandi, etiam Getam minorem filium, *Antoninum* vocari iuſſit. Itaque ſemper ab eo in epiſtolis familiaribus dictus D eſt Antoninus, quum, ſi fortè abeſſet, ſcriberet, *Salutate Antoninos filios & ſucceſſores meos*. Sed nihil valuit patris matríſve cautio: nam ſolus ille ſucceſſit qui primus Antonini nomen accepit. Et hæc de Antonini nomine. *Geta* autem dictus eſt, vel à patrui nomine, vel aui paterni: de cuius vita & moribus in vita Seueri Marius Maximus primo ſepte-

A nario satis copiosè retulit. Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quòd in animo habuit Seuerus vt omnes deinceps principes quemadmodum *Augusti*, ita etiam *Antonini* dicerentur: atque amore Marci quem fuisse vel fratrem suum dicebat, & cuius philosophiam literarúmque institutionem semper imitatus est. Dicunt aliqui, nō in Marci honorē tantū Antonini nomini delatū, quum id Marcus hoc nomen adoptiuum habuerit, sed in eius qui Pius cognominatus est Adriani scilicet successoris: & quidem ob hoc quòd Seuerum ille ad fisci aduocationem de-
B legerat ex formulario forensi, quum ad tantos processus ei patuisset dati ab Antonino primi gradus vel honoris auspicium: simul quòd nemò ei videretur felicior imperator ad commodandum nomen, eo principe cuius propriū nomen iam per quatuor principes cucurrisset. De hoc eodem Seuerus gnarus geniturę illius, cuius, vt plerique Afrorum, peritissimus fuit, dixisse fertur, *Mirum mihi videtur, Iuuenalis amantißime, Geta noster diuus futurus, cuius nihil imperiale in genitura video*. Erat enim Iuuenalis pręfect⁹ eius prætorio. Nec eum fefellit. Nam Bassianus quum eum oc-
C cidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audirétq; posse mitigari facinus si diuū fratrē appellaret, dixisse fertur, *Sit diuus dum nō sit viuus*. Denique eū inter diuos retulit, atque ideo vtcunque rediit cum fama in gratiam parricida. Natus est Geta Seuero & Vitellio coss. Mediolani, etsi aliter alij prodiderunt, VI Calend. Iunias, ex Iulia quam idcirco Seuerus vxorem duxerat quòd eam in genitura habere compererat vt regis vxor esset ísque priuatus, sed iam optimi in Repub. loci. Statim vt natus est, nuntiatum est ouum gallinam in aula peperisse purpureū. Quod
D quum allatum Bassianus frater eius accepisset, & quasi paruulus applosum ad terrā fregisset, Iulia dixisse fertur ioco, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti*. Idque ioco dictum, Seuerus altius quàm quisquam præsentium accepit, à circūstantibus autem posteà velut diuinitus effusum approbatum est. Fuit etiam aliud omē. Nam quum in villa cuiusdam Antonini plebei hominis agnus natus esset qui vellus

in fronte purpureum haberet, eadem die atque hora qua A
Geta natus est, audissétque ille ab aruspice, post Seuerum Antoninum imperaturum, ac de se ille auguraretur, sed tamen tale fati timeret indicium, ferro, eum adegit: quod & ipsum signo fuit, Getam ab Antonino interimendum, vt postea satis claruit. Fuit etiam aliud omē ingens postea, vt exitus docuit huius facinoris quod euenit. Nam quum infantis Getę natalem Seuerus commendare vellet, hostiam popa nomine Antoninus percussit: quod tunc nec quæsitum nec animaduersum, pòst verò intellectum est. Fuit adolescens moribus asperis, sed non impiis, à natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum & vini variè conditi. B Huius illud pueri fertur insigne, quòd quum vellet partium diuersarum viros Seuerus occidere, & inter suos diceret. *Hostes vobis eripio:* consentitétque adeo vsque Bassianus vt eorum etiam liberos si sibi consuleret, diceret occidendos, Geta interrogasse fertur, quantus esset interficiendorū numerus: quúmq; dixisset pater, ille interrogauit, *Isti habent parentes, habent propinquos?* quum responsum esset, habere cōplures: *Ergo in ciuitate*, ait, *plureis erunt tristes quàm læti quòd vicimus.* Et obtinuisset eius sententia, nisi C
Plautianus præfectus vel Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt. His accedebat Bassiani fratris nimia crudelitas: qui quum contenderet & diceret quasi ioco quasi serio, omnes cum liberis occidendos partium diuersarum, Geta ei dixisse dicitur, *Tu qui nulli pacis, potes etiam fratrem occidere.* Quod dictum eius tunc nihil, pòst verò præsagio fuit. Fuit in literis assequendis & tenax veterū scriptorum, & paternarum etiam sententiarū memor, fratri semper inuisus, matri amabilior quàm frater, subalbè tamen canorus. Vestitus nitidi cupidissimus, ita vt patri D
doleret: si quid acciperet à præsentibus, id ad suum cōtulit cultum neque quicquam cuipiam dedit. Post Parthicum bellū pater quum ingēti gloria floreret, Bassiano participe imperij appellato, Geta quoque Cæsaris & Antonini, vt quidam dicunt, nomen accepit. Familiare illi fuit has quęstiones grāmaticis proponere, vt diceret, singula animalia

A quomodo vocem emitterent, velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt*, eásque de veteribus approbare. Serenni Sammonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit. Habebat etiam istam consuetudinem, vt conuiuia & maximè prandia per singulas literas iuberet scientibus seruis, velut in quo erat anser, aprugna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & & quæ in eam literam genera edulium caderent: & item B fasianus, farta, ficus, & talia. Quare comis etiam habebatur in adolescentia. Occiso eo pars militum quæ incorrupta erat, parricidium ægerrimè accepit, dicentibus cunctis, duobus se liberis fidem promisisse, duobus seruare debere: clausísque portis diu non est imperator admissus. Denique nisi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, Romam Bassianus redire non potuit. Post hæc denique & Papinianus, & multi alij interempti sunt, qui vel concordiæ fauerant, vel qui partium Getę fuerant: ita vt vtriusque ordinis viri C & in Balneo cœnantes, & in publico percuterentur: Papinianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano quòd non gladio res peracta sit. Ventum denique est vsque ad seditionem vrbanicianorum militum: quos quidē non leui autoritate Bassianus compressit, tribuno eorum, vt alij dicunt, interfecto: vt alij, relegato. Ipse autem tantum timuit vt loricam sub lato habens clauo, etiam Curiā sit ingressus, atque ita rationem facti sui & necis Geticæ reddiderit. Quo quidem tempore Heluius Pertinax, filius Pertinacis, qui postea est ab eodem Bassiano interemptus, D recitanti Faustino prætori & dicenti, *Sarmaticus maximus & Parthicus maximus*, dixisse dicitur, *Adde &* GETICVS MAXIMVS, quasi Gotticus: quod dictum altius in pectus Bassiani descēdit, vt postea nece Pertinacis est approbatū: nec solùm Pertinacis, sed & aliorum, vt suprà dictum est, passim & iniquè. Heluium autem etiam suspectum habuit affectatæ tyrānidis, quòd esset in amore omnium, & filius

Perti-

Pertinacis imperatores : quæ res nulli facilè priuato satis A tuta est. Funus Getæ accuratius fuisse dicitur quam eius qui à fratre videretur occisus. Illatúsque est maiorũ sepulchro, hoc est Seueri, quod est in Appia via eũtibus ad portam dextrum, specie Septizonij extructum, quod sibi ille viuus ornauerat. Occidere voluit & matrem Getæ, nouercam suam, quòd fratrem lugeret, & mulieres quas post reditum de Curia flentes reperit. Fuit præterea eius immanitatis Antoninus, vt iis præcipuè blandiretur quos ad necẽ destinabat, vt eius magis blandimentum timeretur quàm iracundia. Mirum sanè omnibus videbatur quòd mortem B Getæ toties ipse etiam fleret quoties nominis eius mentio fieret, quoties imago videretur aut statua. Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, imò tanta sitis cædis, vt modò fautores Getæ, modò inimicos occideret, quos fors obtulisset. quo facto magis Geta desiderabatur.

IVLII CAPITOLINI

OPILIVS MACRINVS, C
ad Diocletianum Augustum.

VITÆ illorum principum, seu tyrannorũ, siue Cæsarũ, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent, idcirco quòd neque de priuata eorum vita digna sunt quæ dicantur, quum omnino ne scirentur quidem, nisi aspirassent ad imperiũ: & de imperio quod non diu tenuerunt, nõ multa dici possunt: nos tamen ex diuersis historiis eruta in lucem proferemus, & D ea quidem quę memoratu digna erunt. Non enim est quisquam in vita qui non ad diem quodcũque fecerit: sed eius qui vitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Et Iunio quidẽ Cordo studium fuit eorũ imperatorum vitas edere quos obscuriores videbat: qui nõ multùm profecit. Nam & pauca reperit & indigna

A memoratu, asserens se minima quæque persequuturum: quasi vel de Traiano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos variauerit, & quando vestẽ mutauerit, & quos quãdo promouerit, quę ille omnia exequendo libros mythistoriis repleuit talia scribendo, quum omnino rerum vilium aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animaduerti, qui reuera sciẽdi sunt: sed ex parte, vt ex ea cætera colligántur. Occiso ergo Antonino Bassiano, OPILIVS MACRINVS præfectus prætorio eius, qui antea priuatas curabat, im-
B perium arripuit, humili natus loco, & animi aque oris inuerecundi: séque nunc *Seuerum* nunc *Antoninum*, quum in odio esset omnium & hominum, & militum, nuncupauit. Statímque ad bellum Parthicum profectus, & vindicandi se de militibus, & rumoribus quibus premebatur adolescendi potestatem dempsit: quanuis senatus eum imperatorem odio Antonini Bassiani libenter acceperit, quũ in senatu omnibus vna vox esset *quemuis magis quàm parricidam, quemuis magis quàm incestum, quemuis magis quàm impurũ, quemuis magis quàm interfectorem & senatus & populi*. Et mirũ
C omnibus fortasse videatur cur *Diadumenus* filius Macrini, *Antoninus* voluerit nuncupari, quum autor necis Antonianæ fuisse dicatur. De ipso quæ in annales relata sunt, proferam. Vates Cælestis apud Carthaginem quæ deo repleta solebat vera canere, sub Antonino Pio, quum sciscitante proconsule de statu, ut solebat, publico, & de suo imperio, futura prædiceret, vbi ad principes, vẽtum est, clara voce numerari iussit, quoties diceret *Antoninum*. Túncque attentis omnibus, *Antonini* nomen *Augusti* octauò edidit. Sed credentibus cũctis quòd VIII annis Antoninus Pius
D imperaturus esset, & ille transcendit hunc annorum numerum: & constitit apud credentes vel tunc vel postea per vatem aliud designatum. Denique adnumeratis omnibus qui Antonini appellati sunt, is Antoninorum numerus inuenitur. Enimuero Pius primus, Marcus secundus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracallus, sextus Geta, septimus Diadumenus, octauus Heliogabalus, An-

tonini fuere. Nec inter Antoninos referēdi sunt duo Gordiani: qui aut prænomen tantùm Antoninorũ habuerunt, aut etiam Antonij dicti sunt, non Antonini. Inde est quòd se & Seuerus Antoninum vocauit, & plurimi fuerunt, & Pertinax & Iulianus, & idem Macrinus. Et ab ipsis Antoninis qui veri successores Antonini fuerunt, hoc nomen magis quàm propriũ retentũ est. Hæc alij. Sed alij idcirco Antoninũ Diadumenũ à Macrino patre appellatũ ferunt, vt suspicio à Macrino interfecti Antonini Bassiani militibus tolleretur. Alij verò tãtum desiderium nominis huius fuisse dicunt vt nisi populus & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent. Et de Macrino quidem in senatu à multis quando nuntiatum est Varium Heliogabalum imperatorem, quum iam cęsarem Alexandrũ senatus dixisset, ea dicta sunt, vt appareat ignobilem, sordidum, spurcum fuisse. Verba denique Aurelij Victoris, qui Primo cognomen erat, hęc fuerunt: *Macrinum libertinũ hominem prostibulum, seruilibus officiis occupatũ in domo imperatoria, venali fide, vita sordida sub Cõmodo, à Seuero remotum etiã à miserrimis officiis, relegatúmque in Africam: vbi vt infamiam dãnationis tegeret, lectioni operã dedisse, egisse causulas, declamasse, ius postremò dixisse. Donatum autẽ anulis aureis, patrocinante sibi liberto suo Festo, aduocatũ fisci factum sub Vero Antonino.* Sed & hæc dubia ponuntur, & alia dicuntur ab aliis quę ipsa quoque non tacebimus. Nam plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt: & accepta rudi, ad Africã isse venatorẽ primò, pòst etiam tabellionẽ fuisse, deinceps aduocatum fuisse fisci: ex quo officio ad amplissima quæq; peruenit. Deinde quum esset pręfectus prętorio collega ablegato, Antoninum Caracallũ imperatorem suum interemit tãta fictione vt ab eo non videretur occisus. Nã fratore eius redẽpto, & spe ingẽti proposita, id egit vt quasi militaribus insidiis, quòd vel ob parricidium vel incestũ displiceret, interẽptus diceretur. Statim denique arripuit imperium, filio Diadumeno in participatum ascito, quẽ continuò (vt diximus) Antoninum appellari à militibus iussit. Deinde corpus Antonini Romã remisit sepulchris maio-

A rum inferendum. Mandauit collegæ dudum suo præfecto prætorij, vt munus suum curaret, ac præcipuè Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio: quòd sciebat ob vestimenta populo & congiaria data, multùm Antoninum à plebe dilectũ, Accedebat etiam illud quòd militarẽ motum timebat, ne eo interueniente, suum impediretur imperium quod raptum ierat, sed quasi inuitus acceperat, *vt sunt homines qui ad ea se cogi dicunt quæ vel sceleribus cõparant.* Timuit autem etiã collegam ne & ipse imperare cuperet, sperantibus cunctis quòd si vnius numeri consensus acce-
B deret, neque ille recusaret, & omnes cupidissimè id facerẽt odio Macrini, vel propter vitã improbam, vel propter ignobilitatem, quum omnes superiores, nobiles fuissent imperatores. Insulsit præterea nomen Seueri, quũ illius nulla cognatione tangeretur: vnde iocus extitit, *Sic Macrinus est Seuerus quomodo Diadumenus Antoninus.* Statim tamen ad delendum militum motum, stipendium & legionariis & prætorianis dedit solito vberius, vtpote qui extenuare cuperet imperatoris occisi crimen: *profuítq; pecunia, vt solet cui innocentia prodesse non poterat.* Retentus est enim aliquanto tẽ-
C pore in imperio homo vitiorũ omniũ. Ad senatũ deinde literas misit de morte Antonini, diuũ illũ appellãs, excusánsque se, & iurãs quòd de cæde illius nescierit. Ita sceleri suo, more hominum perditorũ, iunxit periuriũ à quo incipere decuit hominem improbũ, quũ ad senatum scriberet. Interest scire cuiusmodi oratio fuerit qua se excusauit, vt & impudentia hominis noscatur & sacrilegium à quo initiũ sumpsit improbus imperator. Capita ex oratione Macrini & Diadumeni imperatorum. *Vellemus P.C. & incolumi Antonino nostro, & reuecto cũ triumpho vestram clementiã videre.*
D *Tunc demum enim florente Rep. & omnes felices essemus, & sub eo principe viueremus, quem nobis Antoninorũ loco dij dederant. Verum quia id euenire per tumultũ militarem non potuit, nuntiamus primũ quid de nobis exercitus fecerit: deinde honores diuinos (quod primùm faciendum est) decernimus ei viro in cuius verba iurauimus, quum exercitus vltorem cædis Baßiani neminem dignorẽ præfecto eius putauit, cui & ipse vtique vindicãdam factionẽ mãdaßet*

ſi viuus deprendere potuiſſet. Et infrà: *Detulerunt ad me imperium, cuius ego P.C. interim tutelam recepi, tenebo regimen, ſi & vobis placuerit quod militibus placuit: quibus & ſtipendium dedi, & omnia imperatorio more iußi.* Item infrà: *Diadumenum filium meũ vobis notum, & imperio miles donauit, & nomine Antoninum videlicet appellans, vt cohoneſtaretur prius nomine, ſic etiam regni honore: quod vos P.C. bono fauſtóque omine approbetis petimus, ne vobis deſit Antoninorum nomen quod maximè diligitis.* Item infrà: *Antonino autem diuinos honores & miles decreuit, & nos decreuimus: & vos P.C. vt decernatis, quum poßimus imperatorio iure præcipere, tamen rogamus, dicantes & duas ſtatuas equeſtres, pedeſtres duas habitu militari, ſedentes ciuili habitu duas: item diuo Seuero duas triumphales. Quæ omnia P.C. vos impleri iubebitis nobis religioſè pro prioribus ambientibus.* Lectis igitur in ſenatu literis, contra opinionem omnium & mortem Antonini ſenatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum ſperans, primùm in patritios allegit, nouum hominẽ, & qui paulo antè procurator priuatæ rei fuiſſet. Eundem, quum ſcriba pontificum eſſet (quos hodie *pontifices minores* vocãt) Pontificem Max. appellauit, Pij nomine decreto. Diu tamen lectis literis quum omnino nemo crederet de Antonini morte, ſilentium fuit. Sed poſteaquam conſtitit occiſum, ſenatus in eum velut in tyrannum inuectus eſt. Denique ſtatim Macrino & proconſulare imperium, & poteſtatẽ tribunitiam detulerunt. Filium ſanè ſuum quum ipſe Felicis nomen recepiſſet, vt ſuſpicionem occiſi à ſe Antonini Baſſiani remoueret, *Antoninum* vocauit, *Diadumenum* antea dictum. Quod quidem etiam Varius Heliogabalus qui ſe Baſſiani filium diceret, homo ſordidiſſimus, & ex meretrice conceptus, idem poſtea nomẽ accepit. Denique verſus extant cuiuſdam poetæ, quibus oſtenditur, Antonini nomen cœpiſſe à Pio, & paulatim per Antoninos vſq; ad ſordes vltimas perueniſſe: ſiquidem ſolus Marcus nomen illud ſanctũ vitæ genere auxiſſe videtur, Verus autẽ degeneraſſe, Commodus verò etiam polluiſſe ſacrati nominis reuerentiam. Iam quid de Caracallo Antonino, quídve de hoc poteſt

A dici? Poſtremò etiam quid de Heliogabalo, qui Antoninorum vltimus in ſumma impuritate vixiſſe memoratur? Appellatus igitur imperator ſuſcepto bello cõtra Parthos, profectus eſt magno apparatu, ſtudens ſordes generis & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere. Sed conflictu habito contra Parthos, defectu legionum quæ ad Varium Heliogabalum confugerant, interemptus eſt. Sed anno amplius imperauit. Sanè quum eſſet inferior in eo bello quod Antoninus geſſerat, Artabane grauiter necem ſuorum ciuium vindicante, primò Macrinus repugnauit:
B poſtea verò miſſis legatis petiit pacem, quam libenti animo interfecto Antonino Parthus conceſſit. Inde quum ſe Antiochiam recepiſſet ac luxuriæ operã daret, iuſtam cauſam interficiendi ſui præbuit exercitui, ac Baſſiani (vt putabatur) filium ſequendi, id eſt *Heliogabalum Baßianum Varium,* qui poſtea & *Baßianus* & *Antoninus* appellatus eſt. Fuit quędam mulier Mœſa, ſiue Varia, ex Emiſſena vrbe, ſoror Iuliæ vxoris Seueri Pertinacis Afri, quæ poſt mortem Antonini Baſſiani ex aulica domo fuerat expulſa per Macrini ſuperbiam: cui quidem omnia conceſſit Macrinus quæ diu
C illa collegerat. Huic erant duæ filiæ, Semiamira & Mammæa, quarum maiori filius erat Heliogabalus, qui & Baſſiani & Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant ſolem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac ſtatura & ſacerdotio conſpicuus erat, ac notus omnibus hominibus qui ad templum veniebant, militibus præcipuè. His Mœſa, ſiue Varia, dixit, Baſsianum filium eſſe Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mœſa ipſa ditiſſima, ex quo etiam Heliogabalus luxurioſiſsimus: qua promittente militibus, legiones abdu-
D ctæ ſunt à Macrino. Suſcepta enim illa noctu in oppidum cum ſuis, nepos eius *Antoninus* eſt appellatus, imperij delatis inſignibus. Hæc vbi ſunt Macrino apud Antiochiam poſito nuntiata, miratus audaciam muliebrem, ſimul etiam contemnens, Iulianum præfectum ad obſidendos eos cum legionibus miſit. Quibus quum Antoninus oſtenderetur, miro amore in eum omnibus inclinatis, occiſo Iuliano prę-

fecto ad eum omnes transierunt. Deinde parte exercitus A coniuncta, venit contra Macrinum Antoninus contra se festinãtem: commissóque prælio, Macrinus est victus proditione militum eius & amore Antonini. fugiens sanè Macrinus cum paucis & filio, in vico quodam Bithyniæ occisus est cum Diadumeno: ablatúmque eius caput est, & ad Antoninum perlatum. Sciendum præterea quòd Cæsar fuisse dicatur, non Augustus Diadumenus puer, quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradiderũt. Occisus est etiam filius, cui hoc solùm attulit imperium vt interficeretur à milite. Non enim aliquid dignũ in eius vita erat quod B dicatur, præter hoc quòd Antoninorum nomini est velut nothus appositus. Fuit Macrinus tamen in vita imperatoria paulo rigidior & austerior, sperans se anteacta omnia posse obliuioni dare, quum ipsa seueritas illius occasionẽ reprehendendi & lacerandi eius aperiret. Nam & *Seuerum* se & *Pertinacem* voluerat nuncupari: quæ duo illi asperitatis nomina videbantur. Et quum illum senatus *Pium* ac *Felicem* nuncupasset, Felicis nomen recepit, Pij habere noluit. Vnde in eum epigramma illatum Græci cuiusdam poetæ videtur extare, quod Latinè hac sententia continetur, C

Histrio iam senior turpis, grauis, asper, iniquus,
Impius, & felix sic simul esse cupit,
Vt nolit pius esse, velit tamen esse beatus:
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius & felix poterat dici atque videri,
Cui imperium infelix est, erit ille sibi.

Hos versus nescio quis de Latinis, iuxta eos qui Græci erãt propositi, in foro posuit: quibus acceptis Macrinus his versibus respondisse fertur,

Si talem Graium retulissent fata poetam, D
Qualis Latinus Gabalus iste fuit,
Nil populus nosset, nil nosset curia, magno
Nullus scripsisset carmina tetra mihi.

His versibus Macrinus longè peioribus quàm illi Latini sunt, respondisse se credidit, sed non minus est risui habitus quàm poeta ille qui de Græco Latinè coactus est scribere.

A Fuit igitur ſuperbus & ſanguinarius, & volens militariter imperare, incuſans quinetiam ſuperiorũ temporum diſciplinam, ac ſolum Seuerum præ cæteris laudans. Nam & in crucem milites tulit, & ſeruilibus ſuppliciis ſemper affecit: & quum ſeditiones militares pateretur, milites ſæpius decumauit, aliquãdo etiam centeſimauit: quod verbum proprium ipſius eſt, quum ſe clementem diceret, quando eos cẽteſimaret qui digni eſſent decumatione atque viceſimatione. Longum eſt eius crudelitates omnes aperire, attamẽ vnam oſtendam non magnam, vt ipſe credebat, ſed omni-
B bus tyrannicis immanitatibus triſtiorem. Quum quidam milites ancillę hoſpitis pudorem deprauaſſe ſuſpecti eſſent, atque per quendam frumẽtarium ille didiciſſet, adduci eos iuſſit, interrogauítque vtrum eſſet factum: quod quum cõſtitiſſet, duos boues miræ magnitudinis viuos ſubitò aperiri iuſſit, atque his ſingulos milites inſeri, capitibus, vt ſecum colloqui poſſent, exertis. Itaque pœna hos affecit, quum ne adulteris quidem talia apud maiores ſui temporis eſſent conſtituta ſupplicia. Pugnauit tamen & contra Parthos & contra Armenos, & contra Arabas quos Eudæmonas vo-
C cant, non minus fortiter quàm feliciter. Tribunum qui excubias deſeri paſſus eſt, carpento rotali ſubteradnexum per totum iter viuum atque exanimem traxit. Reddidit etiam Mezentij ſupplicium, quod ille viuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Vnde etiam in Circo, quum fauor publicus in Diadumenum ſemper fuiſſet acclamatum,

Egregius forma iuuenis, cui pater haud Mezentius eſſet.

Viuos etiam homines parietibus incluſit, & ſtruxit. Adulterij reos ſemper viuos ſimul incendit, iunctis corporibus.
D Seruos qui à dominis fugiſſent, repertos ad gladium ludi deputabat. Delatores, ſi non probarent, capite affecit: ſi probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimiſit. Fuit in iure non incallidus, adeo vt ſtatuiſſet omnia reſcripta veterum principum tollere, vt iure non reſcriptis ageretur, nefas eſſe dicẽs leges videri Commodi & Caracalli & hominum imperitorum voluntates, quum Traianus nunquã libel-

libellis reſponderit, ne ad alias cauſas facta præferrentur, A
quæ ad gratiam compoſita viderentur. In annonis tribuē-
dis largiſſimus fuit: in auro parciſſimus. In vernaculis vel
aulicis tam impius, tam pertinax, tam aſper, vt ſerui illum
ſui non Macrinum dicerent, ſed *macellinum*, quòd macelli
ſpecie domus eius cruentaretur ſanguine vernularum. Vini
cibíque auidiſſimus, nonnunquam vſque ad ebrietatem:
ſed veſpertinis horis. Nam ſi prandiſſet vel priuatim parciſ-
ſimus, in cœna effuſiſſimus. Adhibuit conuiuio literatos,
vt loquens de ſtudiis liberalibus neceſſariò abſtineret. Sed
quum eius vilitatem homines antiquam cogitarent, cru- B
delitatem nimiam viderent, hominem putidulum in impe-
rio ferre non poſſent, & maximè milites, qui multa eius me-
minerant funeſtiſsima, & aliquādo turpiſsima, inita factio-
ne illum occiderunt cum puero ſuo Diadumeno, ſcilicet
Antonino cognomine, de quo dictum eſt quòd in ſomnis
Antoninus fuiſſet. Vnde etiam verſus extant huiuſmodi,

Vidimus in ſomnis ciues (niſi fallor) & iſtud:
Antoninorum nomen puer ille gerebat,
Qui patre venali genitus, ſed matre pudica:
Centum nam mœchos paſſa eſt centúmque rogauit. C
Ipſe etiam caluus mœchus fuit, inde maritus:
En pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.

Et iſti verſus ex Græco tranſlati ſunt in Latinum. Nam
Græcè ſunt diſertiſsimi. videntur autem mihi ab aliquo
poeta vulgari tranſlati eſſe. Quod quum Macrinus audiſ-
ſet, fecit iambos qui non extant: iucundiſsimi autem fuiſſe
dicuntur. qui quidem perierunt in eo tumultu in quo ipſe
occiſus eſt, quando & omnia eius à militibus peruaſtata
ſunt. Genus mortis (vt diximus) tale fuit. Quum in Anto-
ninum Heliogabalum exercitus inclinaſſet, ille fugit, bel- D
lóque victus eſt & occiſus in ſuburbano Bithyniæ, ſuis par-
tim deditis, partim occiſis, partim fugatis. Ita Heliogaba-
lus clarus redditus eſt quòd videretur patris vindicaſſe
mortem: atque inde in imperium venit, quod dedecorauit
vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abliguritione, ſuper-
bia, immanitate: qui & ipſe ſimilem exitum vitæ ſuæ ſorti-

A tus est. Hæc de Macrino nobis sunt cognita, multis aliqua variantibus, vt se habet omnis historia: quæ de plurimis collecta, serenitati tuæ, Diocletiane auguste, detulimus, quia te cupidum veterum imperatorum esse perspeximus.

ÆLII LAMPRIDII

B ANTONINVS DIADVMENVS.

ANTONINI DIADVMENI pueri, quem cum patre Opilio Macrino imperatorem dixit exercitus, occiso Bassiano factione Macriniana, nihil habet vita memorabile, nisi quòd Antoninus est dictus, & quòd ei stupenda omina sunt facta imperij nõ diuturni: vt euenit. Nam quum primùm innotuit per legiones, occisum esse Bassianum, ingens mœror obsedit omniũ C pectora quòd Antoninum in Rep. non haberent, existimantiũ quòd cum eo Romanũ esset imperium periturum. Id vbi Macrino iã imperatori nuntiatũ est, veritus ne in aliquẽ Antoninorũ, qui multi ex affinibus Antonini Pij erãt inter duces, exercitus inclinaret, statim concionem parari iussit, filiúmq; suũ hunc puerũ Antoninũ appellauit. Concionis verba eiusdem: *Videtis commilitones, & me ætatis prouectæ, & Diadumenum puerum: quem diu principem, si dij faueant, habebitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere: quare quoniam mihi per conditionem* D *fragilitatis humanæ non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis autoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum.* Acclamatum, *Macrine imperator, dij te seruent. Antonine Diadumene, dij te seruent. Antoninum diuum omnes rogamus, Iupiter optime maxime Macrino & Antonino vitam. Tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest: tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest. Antoninum habemus, omnia habemus.*

Antoninum nobis dij dederunt patrem. Antoninus dignus imperio. A

Macrinus imperator dixit: *Habete igitur commilitones pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: dij faciant vt hæc sæpius fiant. Dabimus autem per cuncta quinquennia id quod hodie deputauimus.* Post hoc ipse puerulus Diadumenus Antoninus imperator dixit, *Gratias ago vobis commilitones quòd me imperio donastis & nomine, siquidem dignos & me & patrem meum duxistis quos imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis Rempub. Et pater quidem meus curabit ne desit imperio: ego autem elaborabo ne desim nomini Antoninorū. Scio enim me Pij, me Marci,* B *me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est. Interim tamen causa imperij, causa nominis id omne quod pater, & tantundem promitto, honoribus, vt venerandus Macrinus pater præsens promisit, duplicatis.* Herodianus Græcus scriptor hæc præteriens, Diadumenum tantùm Cæsarem dicit puerum à militibus nuncupatum, & cum patre occisum. Hac habita cōcione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est: Macrini, vsque ad iussum senatus dilata est. Missæ etiam ad senatum literæ quibus nomen Antonini indicatum est. Quare etiam senatus impe- C rium id libenter dicitur recepisse, quamuis alij Antonini Caracalli odio id factum putent. Parauerat sanè penulas populo coloris rosei dare Macrinus imperator in honorem Antonini filij sui, quæ vocarentur Antoninianæ, vt Caracallæ Bassiani dictæ sunt, asserens melius filium suum *Penuleum* vel *Penularium* dicendum, quàm *Caracallus* esset dictus Basianus. Congiarium etiam per edictum Antoninianum promisit, vt ipsum edictum poterit indicare. Verba edicti: *Vellem Quirites iam præsentes essemus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret præterea & pueros Antoninianos & puellas Antoninianas, quæ tam grati nominis gloriam propagaret*, & reliqua. His ita gestis, signa in castris & vexilla fieri Antoniniana iussit. Fecítque Basiani simulacra ex auro atque argento, atque dies septem supplicatio pro Antonini nomine celebrata est. Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flauo, nigris oculis, naso de-

A ducto ad omnem decorem, mento composito, ore ad oscula parato, fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic vbi primùm induměta coccea & purpurea cæteráque castrensia imperij insignia accepit, quasi sidereus & cælestis emicuit, vt amaretur ab omnibus gratia venustatis. Hæc sunt quæ de imperio pueri dicenda putaui. Nunc veniamus ad omina imperij, quæ cum in aliis, tum in hoc præcipuè sunt stupenda. Die qua natus est, pater eius purpuras tum fortè procurator iam ærarij maioris inspexit, & quas claras probauit, in id conclaue redigi præcepit, in quo post duas
B horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo insigniri naturali quod obstetrices rapiunt, & aduocatis credulis vendunt, siquidem causidici hoc iuuari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte vt rumpi non potuerit, venis intercedentibus specie nerui sagittarij: Ferunt denique *Diadematum* puerum appellatum. Sed vbi adoleuit, aui sui nomine materni *Diadumenum* vocatum, quamuis non multùm abhorruerit ab illo signo diadematis nomen Diadumeni. In agro patris eius oues purpureas XII ferunt natas, quarum vna tantùm
C varia fuerit. Eadem die qua hic natus est, aquilam ei constat sensim palumbum regium paruulum attulisse, & posuisse in cunis dormienti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris eius nidum posuerunt. His diebus quibus ille natus est, mathematici accepta genitura eius exclamauerunt & ipsum filium imperatoris esse & ipsum imperatorem: quasi mater eius adulterata esset, quod fama retinebat. Hinc eidem aquila pileum in agro ambulanti tulit. Et quum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio quod iuxta villam esset, in qua tunc pater
D agebat, supra statuam regis posuit, ita vt capiti eius aptaret, quod multi ominosum putarunt & morti accommodum. Clarum autem euentus ostendit. Natus est præterea natali Antonini, & ea hora & signis propè continentibus quibus & Antoninus Pius: quare dixerunt mathematici, & imperatoris illum filium futurum, & imperatorem, sed non diu. Die qua natus est (quòd Antonini esset natalis)

mulier quędam propinqua dicitur exclamasse, Antoninus vocetur, sed Macrinum timuisse quòd nullus ex eius genere hoc nomine censeretur, abstinuisséque nomine imperatorio, simul quòd iam rumor de vi genituræ illius emanasset. Hæc atque alia omina fuisse multi in literas retulerunt: sed illud præcipuè quòd quum in cunis esset Diadumenus, & leo ruptis vinculis, & quidem ferus, effugisset atque ad incunabula eius venisset, puerum delinxit, & inuiolatum reliquit, quum nutrix se in leonem misisset, atque eius morsu affecta periisset, quæ sola fortè in areola inuenta erat, in qua infans iacebat. Hæc sunt quæ digna memoratu in Antonino Diadumeno esse videantur: cuius vitam iunxissem patris gestis, nisi Antoninorũ nomẽ me ad edẽdam puerilis specialẽ expositionem vitæ coegisset. Et fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium. Vnde etiam quidam & Seuerum, & Pertinacem, & Iulianum, Antoninorum prænominibus honorandos putant: vnde postea duos Gordianos, patrem & filium, Antoninos cognominatos putent. Sed aliud est quũ prænomen adsciscitur, aliud quum ipsum nomen imponitur. Nam Pius verum nomen, Antonini habuit, cognomen Pij: Marcus verum nomen Verissimi habuit, sed hoc sublato atq; abolito, non pręnomen Antonini, sed nomen accepit. Verus autẽ Cõmodi nomen habuit, quo abolito, Antonini non prænomẽ, sed nomen accepit. Cõmodum autem Marcus Antoninũ appellauit, atque ita in publicum edidit diẽ natalis sui. Iã Caracallum Bassianum satis cõstat vel somnii causa, quod Seuerus viderat quũ sibi Antoninũ successorẽ prædictum sensisset, anno demum XIII Antoninum dixisse, quando ei etiam imperatoriã addidisse dicitur potestatem. Getam verò, quem multi Antoninũ negãt dictum, eadem ratione qua Bassianum appellatum satis constat, vt patri Seuero succederet, quòd minimè factum est. Post hoc ipse Diadumenus, vt commendaretur exercitui, senatui populóque Romano, cum esset ingẽs desiderium Bassiani Caracallę, Antoninum appellatum satis cõ-

A ſtat. Extat epiſtola Opilij Macrini patris Diadumeni, qua gloriatur non tam ſe ad imperium perueniſſe, qui eſſet ſecundus imperij, quàm quòd Antoniniani nominis eſſet pater factus, quo clarius illis temporibus non fuerat vel deorum. Quam epiſtolam priuſquam interſeram, libet verſus inſerere in Commodum dictos, qui ſe Herculem appellauerat, vt intelligant omnes tam clarum fuiſſe Antoninorum nomen, vt illi nec deorum nomen commodè videretur adiungi. Verſus in Commodū Antoninum dicti,

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
B *Antoninorum non putat eſſe bonum:*
Expers humani iuris & imperij:
Sperans quinetiam clarius eſſe deum,
Quam ſi ſit princeps nominis egregij.
Non erit iſte deus, nec tamen vllus homo.

Hi verſus à Græco neſcio quo compoſiti, à malo poeta in Latinum tranſlati ſunt: quos ego idcirco inſerendos putaui, vt ſcirent omnes, Antoninos pluris fuiſſe quàm deos: ac trium principum amorem, quo ſapientia, bonitas, pietas, conſecrata ſit: in Antonino pietas, in Vero bonitas, in C Marco ſapientia. Redeo nūc ad epiſtolam Opilij Macrini. *Opilius Macrinus Noniæ Celſæ coniugi. Quid boni adepti ſumus mea vxor, caret æſtimatione, & fortaſſis de imperio me putes dicere. Non magnum iſtud quod etiam indignis fortuna conceſſit. Antonini pater factus ſum. Antonini mater es facta. O nos beatos, ô fortunatā domum, præclaram laudem nunc demum felicis imperij. Dij faxint & bona Iuno quam colis, vt & ille Antonini meritum effingat: & ego qui ſum pater Antonini, dignus omnibus videar.* Hæc epiſtola indicat, quantum gloriæ adeptus ſibi videretur quòd vocatus eſt filius Antoninus. Hic tamen XIIII D menſe imperij ob inciuilem patris atque aſperum principatum interfectus eſt cum patre, non ſuo nomine. Quanuis etiam iſtum vltra ætatem ſæuiſſe in pleroſque reperiam vt docent literæ ab hoc eodem ad patrem miſſæ. Nam quum quidam defectionis ſuſpicionem incurriſſent, & eos Macrinus ſæuiſſimè puniſſet, filio fortè abſente, atque hic audiſſet autores quidem defectionis occiſos, quorum

tamen vnus, dux Armeniæ erat, & item legatos Asiæ atque Arabiæ ob antiquam familiaritatem dimissos, his literis conuenisse patrem dicitur, paribus missis etiam ad matrem: quarum exemplum historiæ causa inserendū putaui. A

Patri Augusto filius Augustus. Non satis mi pater videris in amore nostro tenuisse tuos mores, qui tyrannidis affectatæ conscios reseruasti, sperans eos vel amiciores tibi futuros si iis parceres, vel ob antiquam familiaritatem dimittendos: quod nec debuit fieri, nec potuit. Nam primum omnium iam te exulcerati suspicionibus amare non possunt. denique crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis se inimicissimis tuis iunxerunt. Adde quòd exercitus adhuc habent. B

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli
Respice, cui regnum Italiæ Romanáque tellus
Debetur.

Feriendi sunt isti, si vis esse securus. Nam vitio generis humani alij non sunt defuturi quum isti seruantur. Hanc epistolam quidam ipsius, quidam magistri eius Celiani ferūt, Afri quondam rhetoris, ex qua apparet, quam asper futurus iuuenis, si vixisset. Extat alia epistola ad matrem ab eodem destinata talis: *Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Age igitur vt Arabianus, Thuscus, & Gellius, ad palum deligentur: ne, si occasio fuerit, nos interimant.* Et, quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, istæ literæ per notarium proditæ, illi puero multū apud milites obfuisse dicuntur. Nam, quum patrem occidissent, quidam hunc seruare voluerunt: sed extitit cubicularius qui has epistolas concioni militum legit. Interfectis igitur ambobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum, charitate nominis, inclinauit exercitus. Is filius Bassiani Caracallæ ferebatur. Erat autem templi Heliogabali sacerdos, homo omnium impurissimus, & qui fato quodam Romanum deformauerit imperium. De quo quidem, quia multa, sunt dicenda, loco suo differam. C D

A
ÆLII LAMPRIDII
ANTONINVS HELIOGABALVS, ad Constantinum Augustum.

VITAM HELIOGABALI ANTONINI impurissimam, qui Varius etiam dictus est, nunquam in literas misissem, ne quis fuisse Romanorum principem sci-
B ret, nisi antè Caligulas, & Nerones, & Vitellios, hoc idē habuisset imperiū. Sed quum eadem terra & venena ferat & frumētum, atque alia salutaria, alia contraria, eadem serpentes & ciconias, compensationem sibi lector diligens faciet, quum legerit Augustum, Vespasianum, Titum, Traianum, Adrianū, Pium, Marcum, contra hos prodigiosos tyrānos: simul intelliget Romanorum iudicia: quòd illi & diu imperarunt, & exitu naturali functi sunt; hi verò interfecti, tracti, tyranni etiā appellati, quorum nec nomina libet dicere. Igitur occiso
C Macrino, eiúsque filio Diadumeno qui pari potestate imperij Antonini etiam nomen acceperat, in Varium Heliogabalum imperium collatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur. Fuit autem Heliogabali, vel Iouis, vel Solis sacerdos, atque Antonini sibi nomen asciuerat, vel in argumentum generis, vel quòd id nomen vsqueadeò charū esse cognouerat gentibus, vt etiā parricida Bassianus causa nominis amaretur. Et hic quidem prius dictus est *Varius*, pòst *Heliogabalus* à sacerdotio dei Heliogabali, cui templū Romæ in eo loco constituit in quo prius ædes Horci fuit,
D quem è Syria secum aduexit. Postremò quum accepit imperium, *Antoninus* appellatus est: atque ipse in Romano imperio vltimus Antoninorum fuit. Hic tantum Semiamiræ matri deditus fuit, vt sine illius voluntate nihil in Rep. faceret, quum ipsa meretricio more viuens, in aula omnia turpia exerceret: Antonino autē Caracallo stupro cognita, ita vt hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgò conce-

conceptus putaretur. Et aiunt quidam, *Varij* etiam nomen idcirco eidem inditum à condiscipulis, quòd vario semine, de meretrice vtpote, conceptus videretur. Hic fertur occiso Macrini factione patre, vt dicebatur, Antonino, in templum dei Heliogabali cõfugisse velut in asylum, ne interficeretur à Macrino, qui sæuissimè cum filio luxurioso & crudeli exercuit imperium. Sed de nomine hactenus, quanuis sanctum illud Antoninorum nomen polluerit: quod tu Constantine sacratissimè ita veneraris, vt Marcũ & Pium inter Constantios Claudiósque velut maiores tuos aureos formaueris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas charásque. Sed vt ad Antoninum Varium reuertamur, nactus imperium Romam nuntios misit: excitatísque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quòd non solùm titulo, vt in Diadumeno fuerat, sed etiam in sanguine redditum videbatur, quum se Antoninum Bassiani filium scripsisset, ingens eius desiderium factum est. Erat præterea etiam rumor qui nouis post tyrannos solet donari principibus: qui nisi ex summis virtutibus non permanet, & quẽ multi mediocres principes amiserunt. Denique vbi in senatu lectæ sunt literæ Heliogabali, statim fausta in Antoninum, & dira in Macrinum eiúsque filium dicta sunt, appellatúsque Antoninus princeps, volentibus cunctis, & studiosè credentibus, vt sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, quum quod optãt, verum esse desiderant. Sed vbi primùm ingressus est vrbem, omissis iis quæ in prouincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte iuxta ædes imperatorias consecrauit, eíque templũ fecit, studens & Matris typum, & Vestæ ignem, & Palladiũ, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens nequis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudeorum & Samaritanorum religiones, & Christianam deuotionem illuc transferẽdam, vt omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Deinde vbi primum diem senatus habuit, matrem suã in senatum rogari iussit. Quę quum

A venisset vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, id est, senatusconsulti conficiendi testis: solúsque omnium imperatorũ fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco viri senatum ingressa est. Fecit & in colle Quirinali senatulum, id est mulierum senatum, in quo antè fuerat cõuentus matronalis, solennibus duntaxt diebus, & si vnquam aliqua matrona consularis, coniugij ornamentis esset donata: quod veteres imperatores affinibus detulerunt, & his maximè quæ nobilitatos maritos nõ habuerant, ne innobilitatæ remanerent. Sed Semiamirica facta sunt senatusconB sulta ridicula de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum veniret: que pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quę carpento mulari, quæ boum: quæ sella veheretur, & vtrũ pellicea, an ossea, an eborata, an argentata: & quæ aurũ vel gemmas in calciamentis haberent. Ergo quum hybernasset Nicomediæ, atq; omnia sordidè ageret, iniretúrq; à viris & subaret, statim milites facti sui pœnituit quòd in Macrinũ conspirauerant vt hunc principem facerent: atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem C Cęsarem senatus Macrino interẽpto appellauerat, inclinauere animos. Quis enim ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem, quum nę beluam quidem talem quisquam ferat? Romæ denique nihil egit aliud, nisi vt emissarios haberet qui ei bene vasatos perquirerent, eósque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui posset. Agebat præterea domi fabulam Paridis, ipse Veneris personam subiens, ita vt subitò vestes ad pedes defluerent: nudúsque vna manu ad mammam, altera pudendis adhibita ingenicularet, posterioribus eminenD tibus in subactorem reiectis & oppositis. Vultum præterea eodem quo Venus pingitur, schemate figurabat, corpore toto expolitus: eum fructum vitæ præcipuum existimans si dignus atque aptus libidini plurimorum videretur. Vendidit & honores & dignitates & potestatem, tam per se quàm per omnes seruos àç libidinum ministros. In senatum legit sine discrimine ætatis, census, generis, pecu-

niæ merito, militaribus etiam præpofituris & tribunatibus, & legationibus & ducatibus venditis, etiam procurationibus & Palatinis officiis. Aurigas Protogenem & Gordium, primò in certamine curuli focios, pòft in omni vita & actu participes habuit. Multos quorum corpora placuerant, de fcena & circo & harena in aulam traduxit. Herodem verò fic amauit vt eidem inguina ofcularetur, quod dictu etiam verecundum eft, Floralia facra fe afferens celebrare. In virginem Veftalem inceftum admifit. Sacra P.R. fublatis penetralibus profanauit. Ignem perpetuũ extinguere voluit. Nec Romanas tãtùm extinguere B voluit religiones, fed per orbem terræ vnum ftudens vt Heliogabalus deus vnus vbique coleretur: & in penum Veftæ, quod folæ virgines folique pontifices adeunt, irrupit pollutus ipfe omni contagione morum, cum iis qui fe polluerant. Et penetrale facrum eft auferre conatus: qúmque feriam quafi veram rapuiffet, quanuis virgo maxima falfam monftrauerat, atque in ea nihil reperiffet applofam fregit: nec tamẽ quicquam religioni dempfit, quia plures fimiles factæ dicuntur effe, nequis veram vnquam poffit auferre. Hæc quum ita effent, fignum tamen quod C Palladium effe credebat, abftulit: & auro fictum, in fui dei templo locauit. Matris etiam deûm facra accepit, & adeo debacchatus eft vt typum eriperet & alia facra quæ penitus habentur condita. Iactauit autem caput inter præcifos phanaticos, & genitalia fibi deuinxit, & omnia fecit quæ Galli facere folent. ablatúmque fanctum nomen in penetrale dei fui tranftulit. Salambonem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit, omen fibi faciens imminentis exitij. Omnes fanè deos fui dei miniftros effe aiebat, quum alios eius cubicularios appel- D laret, alios feruos, alios diuerfarum rerum miniftros. Lapides qui diui dicuntur, ex proprio templo Dianę Laodiceę, ex adyto fuo in quo id Oreftes pofuerat, afferre voluit. Et Oreftem quidem ferunt non vnum fimulachrum Dianæ, nec vno in loco pofuiffe, fed multa in multis. Poftcaquam fe apud tria flumina circa Hebrum ex refponfo

A purificauit, etiam Orestam condidit ciuitatem, quam sępe cruentari hominum sanguine necesse est. Et Orestam quidem vrbem Adrianus suo nomine vindicari iussit, eo tempore quo furore cœperat laborare, vt ex responso quum ei dictum esset vt in furiosi alicuius domum vel nomen irreperet. Nam ex eo emolitam insaniam ferũt, per quam multos senatores occidi iusserat: quibus seruatis, Antoninus Pij nomen meruit, quòd eos pòst ad senatũ adduxit, quos omnes iussu principis interfectos credebant. Cædit & humanas hostias lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per B omnem Italiam patrimis & matrimis, credo vt maior esset vtrique parenti dolor. Omne denique magorum genus aderat illi operabatúrque quotidie, hortante illo & gratias diis agente quòd amicos eorũ inuenisset quum inspiceret extra puerilia & excuteret hostias ad ritum gẽtilem suum. Quum collatum misisset in populum non nummos vel argẽteos vel aureos, vel belaria, vel minuta animalia, sed boues opimos & camelos, & asinos, & seruos populo diripiẽdos obiecit, imperatorium id esse dictitans. Insectatus est famam Macrini crudeliter, sed multo magis Diadumeni C quòd Antoninus dictus est, Pseudoantoninum & Pseudophilippũ eum apellans, simul quòd quum luxuriosissimus extitisset, vir fortissimus, optimus, grauissimus, seuerissimus diceretur. Coegit denique scriptores nonnullos nefanda, imò potius non ferenda eius dicta de luxuria disputare, in vita eius. Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, simul & palàm populo exhibuit, vt ex eo conditiones bene vasatorum hominum colligeret. Idque diligenter curatum est vt ex tota penitus vrbe atque ex nauticis monobelos quærerẽt: sic eos appellabant qui viriliores vide- D bantur. Quum Marcomannis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrimè profligauerat, dictum est à quibusdam, per Chaldæos & magos Antoninum Marcum id egisse, vt Marcomanni P. R. semper deuoti essent atque amici, idque factis carminibus & consecratione: quum quæreret quæ illa essent, vel vbi essent, suppressum est. Constabat enim illum ob hoc consecrationem quęrere vt

eam dissiparet spe belli cōcitandi: & idcirco maximè quòd A
audierat responsum fuisse ab Antonino bellum Marcomannicum finiendum, quum hic Varius, & Heliogabalus, & ludibrium publicum diceretur: nomen autem Antonini pollueret in quod inuaserat. Prodebatur autem per eos maximè qui dolebant sibi homines ad exercendas libidines bene vasatos & maioris peculij opponi. Vnde etiam de nece eius cogitari cœpit: Et hæc quidem domi. Sed milites pestem illam velari imperatoris nomine pati nequiuerunt, ac primùm inter sese, deinde per coronas iecere sermones in Alexandrum omnes inclinantes, qui iam Cæsar B
erat à senatu dictus eo tempore quo Macrinus, consobrinus huius Antonini. Nam Varia vna his erat auia: vnde Heliogabalus *Varius* dicebatur. Zoticus sub eo tantum valuit vt ab omnibus officiorum principibus sic haberetur quasi domini maritus esset. Erat præterea idem Zoticus, qui hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta venderet fumis, quam maximè diuitias enormes sperās, quum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret: egrediénsque ab illo singulos adiret, dicens, *De te hoc loquutus sum, de te hoc audiui, de te hoc futurum est:* vt sunt C
homines huiusmodi, qui si admissi fuerint ad nimiam familiaritatem principum, famam non solùm malorum, sed & bonorum principum vendunt, & qui, stultitia: vel innocentia imperatorum qui hoc non perspiciunt, infami rumigeratione pascuntur. Nupsit & coiit vt & pronubum haberet, clamarétque, *Concide magire,* & eo quidem tempore quo Zoticus ægrotabat. quærebat deinde à philosophis & grauissimis viris, an & ipsi in adolescentia perpessi essent quæ ipse pateretur, & quidem impudentissimè: neq; enim vnquam verbis pepercit infamibus, quum & digitis impu- D
dicitiam ostentaret, nec vllus in conuentu & audiente populo esset pudor. Fecit libertos præsides, legatos, consules, duces, omnésque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Quum ad vindemias vocasset amicos nobiles & ad corbes sedisset, grauissimum quemque percunctari cœpit an promptus esset in Venerem, erubescentibúsque

A senibus exclamabat, *Erubuit, salua res est*, silentium ac ruborem pro consensu ducens. Addidit praeterea ipse quæ faceret sine vllius pudoris velamento. Posteaquam senes vidit erubescere ac tacere, vel quia ætas vel quia dignitas talia refutabat, contulit se ad iuuenes, & ab his cœpit omnia exquirere. à quibus quum audiret ætati cōgrua, gaudere cœpit & dicere, verè liberam vindemiam esse quam sic celebrarent. Ferunt multi ab ipso primum repertum, vt in vindemiarum festiuo multa in dominos iocularia & audientibus dominis dicerentur, quæ ipse composuerat & Græca

B maximè. Horum pleraque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi, & senes quidam & specie philosophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati se dicerent, qui maritos se habere iactarent. Quos quidam finxisse dicunt vt illi fierent vitiorum imitatione clariores. Ad præfecturam prætorij saltatorem qui histrionicam Romæ fecerat, asciuit: præfectum vigilum Gordium aurigam fecit: præfectum annonæ Claudium censorem. ad honores reliquos promouit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum. ad vicesi-

C mam hæreditarium mulionem curare iussit. iussit & cursorem, iussit & cocum & claustrarium artificem. Quum ingressus est vel castra vel curiam, auiam suam Variam nomine, de qua superius dictum est, secum induxit, vt eius autoritate honestior fieret, quia per se nō poterat: nec ante eum (quod iam diximus) senatum mulier ingressa est ita vt ad scribendum rogaretur & sententiam diceret. In conuiuiis exoletos maximè iuxta se ponebat, eorúmq; attrectatione & tactu præcipuè gaudebat: nec quisquam ei magis poculum quum bibisset, dabat. Inter hæc mala vitæ impudicis-

D simæ, Alexandrum quem sibi adoptauerat, à se amoueri iussit, dicens se pœnitere adoptionis, mandauítque ad senatum vt Cæsaris ei nomen abrogaretur. Sed in senatu hoc prodito ingens silentium fuit. Siquidem erat optimus iuuenis Alexāder, postea comprobatus genere imperij eius, quum ideo displiceret patri quòd impudicus nō esset. Erat autem idem consobrinus, & vt quidam dicunt, à militibus

etiam amabatur, & senatui acceptus erat & equestri ordini. A
Nec defuit tamen furor vsque ad exitum voti pessimi. nam ei percussores immisit. Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos Spei veteris, quasi contra nouum iuuenem vota concipiens, relicta in Palatio matre & auia & consobrino suo: iussítque vt trucidaretur iuuenis optimus & Reip. necessarius. Misit & ad milites literas quibus iussit vt abrogaretur nomẽ Cæsaris Alexandro. Misit qui in castris statuarũ eius titulos luto tegerent, vt fieri solet de tyrannis. Misit & ad nutritores eius quibus imperauit sub præmiorum spe atque honorum, vt eum occiderent quo vellent modo, vel B in balneis, vel veneno, vel ferro. *Sed nihil agunt improbi contra innocentes.* Nam nulla vi quis adduci potuit vt tantum facinus impleret, quum in ipsum magis conuersa sint tela quæ parabat aliis, ab iisque sit interfectus quibus alios appetebat. Sed vbi primùm lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserunt: & pars in Palatium, pars in hortos in quibus erat Varius, ire tendunt vt Alexandrum vindicarent, hominémque impurum eundémque parricidialis animi tandem à Rep. depellerent. Et quum in Palatium venissent, Alexandrum cum matre atque auia custoditum di- C ligentissimè postea in castra duxerunt. Sequuta autem erat illos Semiamira mater Heliogabali pedibus, solicita filio. Inde itum est in hortos: vbi Varius inuenitur certamen aurigandi parans, expectans tamen intentissimè quando eidẽ nuntiaretur consobrinus occisus. Qui subito militum strepitu exterritus in angulum se condidit: obiectúque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit. Misit ex præfectis alios ad compescendos milites in castra: alios verò ad eos placandos qui iam in hortos venissent. Antiochianus igitur ex præfectis vnus, milites qui in hortos ve- D nerant, & sacramenti admonitione exorauit ne illum occiderent, quia nec multi venerant, & pleriq; cũ vexillo quod Aristomachus tribunus retinuerat, remanserãt. hæc in hortis. In castris verò milites precanti præfecto dixerunt se parsuros esse Heliogabalo, si & impuros homines & aurigas & histriones à se dimoueret, atq; ad bonam frugem rediret:

A his maximè ſubmotis qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant,& qui omnia eius vendebant, vel vanitate vel fumis. Remoti ſunt denique ab eo Herodes, Gordus,& Muriſsimus,& duo improbi familiares qui eum ex ſtulto ſtultiorem faciebant. Mandatum præterea à militibus præfectis ne paterentur illum ita diutius viuere: & vt Alexander cuſtodiretur, ne vel illi aliqua vis afferretur, ſimul ne Cæſar quempiam amicum Auguſti videret,ne vlla fieret imitatio turpitudinis. Sed Heliogabalus & ingenti prece Herodem repoſcebat impudiciſsimum hominem,
B & inſidias indies Cæſari propagabat. Denique Cal.Ianuariis,quum ſimul tum deſignati eſſent conſules,noluit cum conſobrino procedere. Ad extremum quum ei auia & mater dicerent,imminere milites ad eius exitium,niſi concordiam viderent inter ſe conſobrinorum, ſumpta prætexta hora diei ſexta proceſsit ad ſenatum, auia ſua ad ſenatum vocata, & ad ſellam producta. Deinde in Capitolium ad vota concipienda,& perficienda ſolennia ire noluit:omnia per præfectum vrbanum facta ſunt,quaſi conſules illic non eſſent. Nec diſtulit cædem conſobrini, ſed timens ne ſe-
C natus ad aliquem ſe inclinaret ſi ille conſobrinum occidiſſet,iuſsit ſubitò ſenatum vrbe decedere: omnéſque etiam quibus aut vehicula aut ſerui deerant,ſubitò proficiſci iuſsi ſunt: quũ alij per baiulos,alij per fortuita animalia & mercede conducta veherentur. Sabinum conſularem virum, ad quem libros Vlpianus ſcripſit,quòd in vrbe remãſiſſet, vocato centurione mollioribus verbis, iuſsit occidi. Sed centurio aure ſurdior imperari ſibi credidit vt vrbe pelleretur:itaque fecit. ſic vitium centurionis Sabino ſaluti fuit. Remouit & Vlpianum iuriſconſultum, vt bonum virum:
D & Siluinum rhetorem, quem magiſtrum Cæſaris fecerat. Et Siluinus quidem occiſus eſt, Vlpianus verò reſeruatus. Sed milites, & maximè prætoriani, vel ſcientes quæ mala in Heliogabalum pararent, vel quòd ſibi viderent inuidiam,facta cõſpiratione ad liberandam Remp.primùm in conſcios vario genere mortis,quũ alios vitalibus exemptis necarent,alios ab ima parte perfoderent,vt mors eſſet vitę con-

consentiens. Post hoc in eum impetus factus est, atque in A
latrina ad quam confugerat, occisus. Tractus deinde per publicũ, additáque iniuria cadaueri est, vt id in cloaculam milites mitterent. Sed quum non cepisset cloacula fortuitò, per pontem Æmilium annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abiectum est ne vnquam sepeliri posset. Tractum est cadauer eius etiam per circi spatia, priusquam in Tiberim præcipitaretur. Nomen eius, id est Antonini, erasum est senatu iubente, remansitq; Varij Heliogabali: siquidem illud affectatò retinuerat, quum vult videri filius Antonini. Appellatus est post mortem *Tiberinus*, & *tractitius*, & *impurus*, & multa, siquando ea erant designanda quæ sub eo B
facta videbantur: solúsque omnium principum tractus est, & in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus. Quod odio communi omnium contigit, à quo speciatim cauere debent imperatores: siquidem nec sepulchra mereantur qui amorem senatus, populi, ac militũ non merentur. Opera publica ipsius præter ædem Heliogabali dei, quẽ Solem alij, alij Iouem dicunt: & amphitheatri instauratio post exustionem, & lauacrũ in vico Sulpitio, quod Antoninus Seueri filius cœperat, nulla extant. & lauacrum quod Antoninus Caracallus dedicauerat, & lauando & populum C
admittendo. Sed porticus defuerant, quæ postea ob hoc sub Decio Antonino extructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ. Hic vltimus Antoninorum fuit, quamuis cognomine postea Gordianos multi Antoninos putent, qui Antonij dicti sunt, non Antonini. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, vt eius nomen senatus eraserit. quem nec ego Antoninum vocassem, nisi causa cognitionis, quæ cogit plerumque dici ea etiam nomina quæ sunt abolita. Occisa est cum eo & mater Semiamira probrosissima mulier & D
digna filio. Cautúmque ante omnia post Antoninum Heliogabalum, ne vnquam mulier senatũ ingrederetur, vtque inferis eius caput dicaretur deuoueretúrque per quem id esset factum. De huius vita multa in literas missa sunt obscœna: quæ quia digna memoratu non sunt, ea solùm prodenda censui quæ ad luxuriam pertinebant: quorũ aliqua

A priuatus, aliqua iam imperator fecisse perhibetur: quũ ipse priuatus diceret se Apicium, imperator verò, Neronem, Othonem, & Vitellium imitari. Nam primus omnium, priuatorum toros aureis toralibus texit, quia tũc ex Antonini Marci autoritate id fieri licebat, qui omnem apparatũ imperatorium publicè vendiderat. Deinde æstiua conuiuia coloribus exhibuit, vt hodie prasinum vitreum, alia die venetum & sic deinceps exhiberet, semper variè per dies omnes æstiuos. Primus deinde mensas & capsas argenteas habuit: primus etiam cacabos. Vasa deinde centenaria argen-
B tea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata. Et masticatum, & pulciatum, & omnia hæc quæ nunc luxuria retinet, primus inuenit. Nam rosatum ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit. Denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur. Nec erat ei vlla vita nisi exquirere nouas voluptates. Primus fecit de piscibus isitia, primus de ostreis, & leiostreis, & aliis huiusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis. Strauit & triclinia de rosa, & lectos & porticus, ac sic per ea deambulauit, ídque omni florum ge-
C nere, liliis, violis, hyacinthis & narcissis. Hic nõ nisi vnguẽto nobili aut croco piscinis infectis natauit. Nec cubuit in accubitis facilè, nisi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, subalares sæpe culcitras mutans. Senatum nonnunquam ita contempsit vt mancipia togata appellaret: populum verò Rom. vnius fundi cultorem: equestrem ordinem in nullo loco habens. Præfectum vrbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita vt si recusarent, magistri horum eos cogerent. Voluit & per singulas vrbes lenones præfectos vr-
D bi facere, & vt essent in vrbe XIIII. & fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos & vltimæ professionis homines. Hic solido argento factos habuit lectos, & tricliniares & cubiculares. Comedit sæpius ad imitationem Apicij calcanea camelorũ, & cristas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & lusciniarum: quòd qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes

dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterûm, & perdicum ouis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum & fasianorum & pauonum. Barbas sanè mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pro nasturtiis, apiastris, & facelaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis & discis: quod præcipuè stupendum est. Canes iecinoribus anserum pauit. Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per mansuetarios subitò ad secundam & tertiam mensam iubebat accumbere, ignorantibus cunctis quòd exarmati essent, ad pauorem & ridiculum excitãdum. Misit & vuas Apamenas in præsepia equis suis: & psittacis atque fasianis leones pauit & alia animalia: exhibuit & sumina aprugna per dies decẽ tricena quotidie cum suis bulbis: pisum cum aureis, lentem cum cerauniis, fabam cum electris, & orizam cum albis exhibens. Albas præterea in vicem piperis piscibus & tuberibus conspersit. Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus, sic vt animam aliqui efflauerint, quum eripi ad summum non possent. condito piscinas & solia temperauit, & rosato atque absinthiato vulgus ad bibendum inuitauit: & ipse cum populo tantùm bibit vt in piscina eum bibisse intelligeretur, viso quòd vnus bibisset. Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas & rhedas: dedit & aureos millenos, & centena pondo argenti. Sortes sanè conuiuales scriptas in cochlearibus habuit tales vt alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem struthiones, alius decem oua pullina, vt veræ sortes essent & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & vrsos decem, & decem grillos, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit. Primúsque hunc morem sortis instituit quem nunc videmus. Sed verè ad sortem scenicos vocauit, quum & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in sorte: & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia quæ populus tam libenter accepit vt eum postea imperare gratularetur.

A Fertur in euripis vino plenis nauales circenſes exhibuiſſe,
pallia de œnanthio fudiſſe, & elephantorum quatuor qua-
drigas in Vaticano agitaſſe, dirutis ſepulchris quæ obſiſte-
bant: iunxiſſe etiam camelos quaternos ad currus in circo
priuato ſpectaculo. Serpentes per Marſicæ gentis ſacer-
dotes collegiſſe fertur: eóſque ſubitò ante lucem, vt ſolet
populus ad ludos celebres conuenire, effudiſſe, multóſque
afflictos morſu & fuga. Vſus eſt aurea omni tunica, vſus &
purpurea, vſus & de gemmis Perſica, quum grauari ſe dice-
ret onere voluptatis. Habuit & in calciamentis gemmas,
B & quidem ſculptas: quod riſum omnibus mouit, quaſi poſ-
ſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis quæ
pedibus adhærebant. Voluit vti & diademate gemmato,
quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarũ vultum aptus:
quo & vſus eſt domi. Fertur & promiſiſſe phœnicem con-
uiuis, vel pro ea libras auri mille, vt in prætorio eas dimit-
teret. Marinæ aquæ colymbos exhibuit, in mediterraneis
locis maximè eoſdem & ſingulis amicis natantibus dimiſit,
& iterum piſcibus impleuit. Montem niuium in viridario
domus æſtate fecit aduectis niuibus. Ad mare piſcem nun-
C quam comedit: in longiſſimis à mari locis omnia marina
ſemper exhibuit: murænarum lactibus & luporum in locis
mediterraneis ruſticos pauit. Piſces ſemper quaſi in mari-
na aqua cum colore ſuo coctos conditura veneta comedit:
momentarias de roſato, & roſis piſcinas exhibuit, & bibit
cum omnibus ſuis caldaria de nardo exhibens. Idem in
lucernis balſamum exhibuit. Idem mulieres nunquam ite-
rauit, præter vxorem. Lupanaria domi amicis, clientibus
& ſeruis exhibuit. Idem nunquam minus C. H-S cœnauit,
hoc eſt argenti libris triginta. Aliquando autem tribus mi-
D libus H-S cœnauit, omnibus ſupputatis quę impendit. Cœ-
nas verò & Vitellij & Apicij vicit. Piſces ex viuariis ſuis
bubus traxit: per macellum tranſiens mendicitatem publi-
cam fleuit. Paraſitos ad rotam aquariam ligabat, & cum
vertigine ſub aquas mittebat, rurſúſque in ſummum reuol-
uebat: eóſque *Ixionios amicos* vocauit. Strauit & ſaxis La-
cedæmoniis ac Porphyreticis plateas in Palatio: quas *An-*

toninianas vocauit: quæ ſaxa vſque ad noſtram memoriam A
manſerunt,ſed nuper eruta & execta ſunt. Conſtituerat & columnam vnam dare ingentem, ad quam aſcenderetur intrinſecus, ita vt in ſummo Heliogabalum deum collocaret:ſed tantum ſaxum non inuenit, quum id de Thebaide afferre cogitaret. Ebrios amicos plerunque claudebat, & ſubitò nocte leones, & leopardos, & vrſos exarmatos immittebat,ita vt expergefacti in cubiculo eodem,leones, vrſos,pardos,cum luce,vel quod eſt grauius,nocte inuenirēt,ex quo plerique exanimati ſunt. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eóſque reflabat prandētibus illis, ita vt plerunque ſubitò ſub menſis inuenirentur prandētes. Primus denique inuenit ſigma in terra ſternere, non in lectulis, vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum ſpiritum ſoluerentur. Mimicis adulteris ea quæ ſolent ſimulato fieri,effici ad verum iuſſit. Meretrices à lenonibus cunctis redemit ſæpe,& manumiſit. Quum inter fabulas priuatas ſermo eſſet ortus quanti hernioſi eſſe poſſent in vrbe Roma, iuſſit omnes notari, eóſque ad balneas ſuas exhibere,& cum iiſdem lauit, nonnullis etiam honeſtis. Gladiatores ante conuiuium pugnantes ſibi frequenter exhibuit. Strauit ſibi triclinium in ſummo luſorio. Et dum pranderet,noxios & venationes ſibi exhibuit. Paraſitis in ſecunda menſa ſæpe ceream cœnam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream vel lapideam exhibuit:ita vt omnia illis exhiberentur videnda de diuerſa materia,quæ ipſe cœnabat: quum tātùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lauarent. Primus Romanorum holoſerica veſte vſus fertur, quum iam ſubſerica in vſu eſſent. Linteamen lotum nunquam attigit,mendicos dicens qui linteis lotis vterentur. Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſæpe viſus eſt, Gurgitem Fabium & Scipionem ſe appellans, quòd cum ea veſte eſſet cum qua Fabius Cornelius à parentibus ad corrigendos mores adoleſcentis in publicum eſſent producti. Omnes de Circo, de theatro, de ſtadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas, &

(margin letters: B, C, D)

A apud eas concionē habuit quasi militarem, dicens eas *commilitones*: disputauitque de generibus schematum & voluptatum. Adhibuit in tali concione postea lenones, exoletos vndique collectos, & luxuriosissimos puerulos & iuuenes. Et quū ad meretrices muliebri ornatu processisset, papilla eiecta exoletos habitu puerorum qui prostituūtur, pòst concionem pronuntiauit his quasi militibus ternos aureos donatiuum. Petiítque ab his vt à diis peterent vt alios haberet ipsis commendandos. Iocabatur sanè ita cum seruis vt eos iuberet millena pondo sibi aranearum

B deferre proposito præmio, collegisséq; dicitur decē millia pondo aranearum, dicens, & hinc intelligendū quàm magna esset Roma. Mittebat parasitis per cellarios salaria annua vasa cum ranis & scorpiis, & cum serpētibus, & huiusmodi monstris. Claudebat in eiuscemodi vasis infinitum muscarum, *apes mansuetas* eas appellans. Quadrigas circensium in tricliniis & in porticibus sibi semper exhibuit prāsitans & cœnitans, conuiuas senes agitare cogens, nonnullos honoratos iam imperatori. iubebat sibi & decē millia murium exhiberi, mille mustellas, mille sorices. Dulciarios

C & lactarios tales habuit vt quæcunque coqui de diuersis edulibus exhibuissent, vel structores vel pomarij, illi modò de dulciis, modò de lactariis exhiberent. Exhibuit parasitis cœnas & de vitreis, & nōnunquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulibus picta quæ apponerentur, quot missus esset habiturus, ita vt de acu aut de texili pictura exhiberentur. Nonnunquam tamen & tabulæ illis pictę exhibebantur, ita vt quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur. Miscuit gemmas pomis ac floribus, iecit & per fenestram cibos totidem quot exhibuit

D amicis. Iusserat & canonem P. R. vnius anni meretricibus, lenonibus, exoletis intramuranis dari, extramuranis alio promisso, quum eo tempore iuxta prouisionem Seueri & Traiani septem annorum canon frumētarius Romæ esset. Canes quaternos ingentes iunxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam: idque priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum & quatuor ceruis cunctis ingen-

tibus. Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans. A
Iunxit & tigres, Liberum sese vocans, eodémque habitu agens quo dij pinguntur quos imitabatur. Ægyptios dracunculos Romæ habuit quos illi *agathodæmonas* vocant. Habuit & hippopotamos & crocodilum & rhinocerotē, & omnia Ægyptia quæ per naturam sui exhiberi poterant. Struthiones & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudæis vt ederent. Illud sanè mirum videtur quod dicitur ab eo factum, vt de croco sigma strauerit, quum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate dicens se fœnum exhibere. Traiecit & dierum B
actus noctibus & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ ita vt serò de somno surgeret & salutari inciperet, manè autē dormire inceptaret. Amicis quotidie nec quenquam facilè indonatum relinquebat, nisi quem frugi quasi perditum reperisset. Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis & æratis. Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad papillam, vel ternas & amplius, & sic vectatus est: sed plerumque nudus quum illum nudæ traherent. Habuit & hāc consuetudinem vt octo caluos rogaret ad cœnam, itē C
octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, quum capi non possent vno sigmate, vt de his omnibus risus citaret. Donauit & argentum omne conuiuis quod habuit in conuiuio, & omnem apparatum poculorum, ídque sæpius. Hydrogarum Romanorum ducum primus publicè exhibuit, quum antea militaris mensa esset, quā postea statim Alexander reddidit. Proponebat præterea his quasi themata, vt iura noua dapibus condiendis inuenirent: cuius placuisset com- D
mentum, ei dabat maximum præmium, ita vt sericam vestem donaret, quæ tunc & in raritate videbatur, & in honore. Si aliquis autē displicuisset, iubebat vt semper id comesset, quamdiu tamē melius inuenisset. Semper sanè aut inter flores sedit, aut inter odores pretiosos. Amabat sibi pretia maiora dici earum rerum quæ mensæ parabantur, orexin conuiuio hanc esse asserens. Pinxit se vt cupedia-

rium, vt ſeplaſiarum, vt popinarium, vt tabernarium, vt A lenonem, ídque totum domi ſemper exercuit. Sexcentorũ ſtruthionum capita vna cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale conuium vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, ſed per ſingula lauarẽt, & mulieribus vterentur & ipſe & amici, cum iureiurando quod efficerent voluptatem. Celebrauit item tale conuiuium vt apud amicos ſingulos ſinguli miſſus apparBrentur, & quum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio alter ſuper Aggerem, alter in Cælio, alter trans Tiberim, B & vt quiſque manſiſſet, tamen per ordinem in eorum domibus ſingula fercula ederẽtur, iretúrque ad omnium domos: ſic vnum conuiuium vix toto die finitum eſt, quum & lauarẽt per ſingula fercula, & mulieribus vterentur. Sybariticũ miſſum ſemper exhibuit ex oleo & garo: quẽ quo anno Sybaritæ reperũt, perierũt. Dicitur & balneas feciſſe multis locis ac ſemel lauiſſe, atque ſtatim deſtruxiſſe, ne ex vſu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de zetis feciſſe dicitur. Sed & hæc nonnulla fidem tranſeuntia, credo eſſe ficta ab iis qui in gratiam Alexandri He-C liogabalum deformare voluerunt. Fertur & meretricem notiſſimam & pulcherrimam redemiſſe C. H-S. eámque intactam, velut virginem coluiſſe. Huic eidem priuato quum quidam diceret, *Non times pauper fieri?* dixiſſe dicitur, *Quid melius quam vt ipſe mihi hæres ſim & vxori meæ?* Habuerat præterea facultates, à multis dimiſſas gratia patris. Idẽ filios ſe nolle dicebat, ne quis ei frugi contingeret. Odores Indicos ſine carbonibus ad vaporandas zetas iubebat incendi. Iter priuatus nunquam minus ſexaginta vehiculis fecit, auia ſua Varia reclamante quòd omnia perditurus eſſet. Imperator verò etiam ſexcenta vehicula dicitur du-D xiſſe, aſſerens decem milibus camelorum Perſarum regem iter facere, & Neronem quingentis carrucis iter iniiſſe. Cauſa vehiculorum erat lenonum, lenarum, meretricum, exoletorum, ſubactorum etiam bene vaſatorum multitudo. In balneis ſemper cũ mulieribus fuit, ita vt eas ipſe pſilothro curaret: ipſe quoque barbam pſilothro accurans:

quódque

quódque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur, & eadem hora: rasit & virilia subactoribus suis, nouacula manu sua, qua postea barbam fecit. Scobe auri porticum strauit & argenti, dolens quòd non posset & electri: idque frequenter quacunque fecit iter pedibus vsque ad equum vel carpentum, vt fit hodie de aurosa harena. Calciamentum nunquam iterauit, annulos etiam negatur iterasse. Pretiosas vestes sæpe conscidit, vel lanam cepit & appendit, atque ad eius æstimationem ponderis, pisces amicis exhibuit. Naues onustas mersit in portu, magnanimitatis hoc esse dicens. Onus ventris auro excepit: in myrrhinis & onychinis minxit. Idem dixisse fertur, *Si habuero hæredem, dabo illi tutorem qui illum hæc facere cogat quæ ipse feci facturúsque sum.* Habuit etiam istã consuetudinem vt cœnas sibi exhiberet tales: vna die nonnisi de fasianis tantùm ederet, omnésque missus sola fasianorum carne strueret: item alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de holeribus, alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. Sæpe amicos suos cum Æthiopibus aniculis inclusit nocturnis mansionibus, & vsque ad lucem detinuit, quum pulcherrimas his diceret apparatas. Fecit hoc idem etiam de pueris: & tunc, vtpote ante Philippum, licebat. Ridebat autem sic nonnunquã vt publicè in theatro solus audiretur: ipse cantauit, saltauit, ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo modulatus est. Fertur & vna die ad omnes Circi & theatri & amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico ne agnosceretur, ingressus, quum tamen omnibus meretricibus sine effectu libidinis aureos donaret, addens, *Nemo sciat, Antoninus hæc donat.* Libidinum genera quædam inuenit, vt spinthrias veterum malorum vinceret: & omnes apparatus Tiberij & Caligulæ & Neronis norat. Et prædictum eidem erat à sacerdotibus Syris, biothanatum se futurum. Parauerat igitur funes blata & serico & cocco intortos quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos quibus se occideret si aliqua vis vrgeret. Parauerat & in

A cerauneis & hyacinthis & in ſmaragdis venena quibus ſe interimeret ſiquid grauius immineret. Fecerat & altiſſimã turrim, ſubſtratis aureis gemmatíſque antè tabulis, ex qua ſe præcipitaret, dicens, etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere & ad ſpeciẽ luxuriæ, vt diceretur nemo ſic periſſe. Sed nihil iſta valuerunt. Nam (vt diximus) & occiſus eſt per ſcurars, & per plateas tractus eſt ſordiſſimè, per cloacas ductus, & in Tiberim ſubmiſſus eſt. Hic finis Antoninorum nomini in rep. fuit, ſcientibus cunctis iſtum Antoninum tam vita falſum fuiſſe quam nomine. Mirum fortaſ-B ſe cuipiam videatur, Conſtantine venerabilis, quòd hæc clades quam retuli, loco principum fuerit, & quidem propè triennio, ita, vt nemo inuentus fuerit qui iſtum à gubernaculis Romanæ maieſtatis abduceret, quum Neroni, Vitellio, Caligulæ, cæteríſque huiuſmodi nunquam tyrannicida defuerit. Sed primùm omnium ipſe veniã peto quòd hæc quæ apud diuerſos reperi, literis tradidi, quum multa improba reticuerim, & quæ ne dici quidem ſine maximo pudore poſſunt. Ea verò quæ dixi, prætextu verborum adhibito, quantum potui, texi. Deinde illud quod clementia C tua ſolet dicere, credidiſſe reficiendum, *Imperatorem eſſe, fortunæ eſt.* Nam & minus boni reges fuerunt, & peſſimi. Agendum verò quod pietas tua ſolet dicere, *Vt ſint imperio digni quos ad regendi neceſſitatem vis fatalis adduxerit.* Et quoniam hic vltimus Antoninorum fuit, neque poſtea hoc nomen in Repub. loco principum frequentatum eſt, etiam illud addendum eſt, nequis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem ac filium, qui ſe de Antoninorum genere dici volebant, nõ nomen in illis primùm fuit, ſed prænomen. deinde, vt pleriſque in libris inuenio, D Antonij dicti ſunt non Antonini. Hæc ſunt de Heliogabalo, cuius vitam me inuitum & reluctantem, ex Græcis Latiníſque collectam, ſcribere ac tibi afferre voluiſti, quũ iam aliorũ antè tulerimus. Scribere autem ordiar qui pòſt ſequentur: quorum Alexander optimus, & cum vera dicendus aſſertione, & annorum tredecim princeps: ſemeſtres alij, & vix annui & bimi. Aurelianus præcipuus, & ho-

rum omnium decus, autor tui generis Claudius: de quo A
vereor ad clementiam tuam ſcribens vera dicere, ne male-
uolis addulatus videar eſſe. Sed abſoluar cōtra liuorē im-
proborum, quum apud alios clarum eſſe peſpexerim. His
iungendi ſunt Diocletianus, aurei parens ſeculi & Maxi-
mianus (vt vulgò dicitur) ferri, cæteríque ad pietatem tuā.
Te verò Auguſte venerabilis, multis paginis, iiſdémque
diſertioribus, illi proſequentur quibus id felicior natura
detulerit. His addendi ſunt Licinius, Seuerus Alexander
atque Maxentius: quorum omnium ius in ditionem tuam
deuenit: ſed ita vt nihil eorum virtuti derogetur. Non B
enim ego id faciam quod plerique ſcriptores ſolent vt de
his detraham qui victi ſunt, quum intelligam gloriæ tuæ
accedere ſi omnia de illis quæ bona in ſe habuerunt, vera
prædicaro.

ÆLII LAMPRIDII

ALEXANDER SEVERVS, ad Conſtantinum Auguſtum. C

INTERFECTO Vario Heliogabalo (ſic
enim maluimus dicere quàm Antoni-
num: quia & nihil Antoninorum peſtis
illa oſtendit & hoc nomen ex annalibus
ſenatus autoritate, eraſum eſt) ad reme-
diū generis humani AVRELIVS ALE-
XANDER, vrbe Arcena genitus, Varij
filius, Varíæ nepos, & conſobrinus ipſius Heliogabali, ac-
cepit imperium quum antè Cęſar à ſenatu eſſet appellatus,
mortuo ſcilicet Macrino, Auguſtúmque nomen idem re- D
cepit: addito eo vt & patris patriæ nomen & ius procon-
ſulare & tribunitiam poteſtatem, & ius quintæ relationis,
deferente ſenatu, vno die aſſumeret. Et ne præceps iſta
honorum continuatio videatur, exponam cauſas quibus
id & ſenatus coactus eſt facere & ille perpeti. Non enim
aut grauitati ſenatus congruebat omnia ſimul deferre, aut

A bono principi raptũ ire tot simul dignitates. Milites iã insueuerãt sibi imperatores & tumultuario iudicio facere, & item facilè mutare, afferentes nonnunquam ad defensionẽ se idcirco fecisse quòd nescissent senatum principẽ appellasse: nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Auidium Cassiũ, & antea Lucium Vindicem, & L. Antoninum, & ipsum Seuerum, quum senatus iam Iulianum dixisset principem, imperatores fecerant: atque ista res bella ciuilia seuerat, quibus necesse fuit militem contra hostem paratum parricidialiter perire. Hac igitur causa fe-B stinatum est vt omnia simul Alexander, quasi verus iam imperator, acciperet. Huc accessit nimia & senatus & populi inclinatio post illam cladẽ quę non solùm Antoninorum nomen decolorauit, sed etiam Romanũ dehonestauit imperiũ. Certatim deniq; omnia decreta sunt & nominũ genera & potestatum. Primus denique omniũ cuncta insignia, & honorificentiæ genera simul recepit, suffragante sibimet Cæsaris nomine quòd iam ante aliquot annos meruerat: & magis suffragãte vita & moribus, quũ illi magnũ conciliasset fauorem quòd eũ Heliogabalus occidere co-C natus est, nec potuit & militibus repugnantibus & senatu refragante. Atque hęc parua nisi quòd dignum se exhibuit quem senatus seruaret, quẽ saluum milites cuperent, quem omnium bonorum sententia principem diceret. Alexãder igitur cui Mammæa mater fuit (nã & ita dicitur à plerisq;) à prima pueritia artibus bonis imbutus, tã ciuilibus quàm militaribus, ne vnum quidẽ diem sponte sua transire passus est, quo se non & ad literas & ad militiam exerceret. Nã in prima pueritia literarores habuit Valerium Cordum & L. Veturium, & Aurelium Philippum libertum patris, qui vi-D tam eius postea in literas misit. Grammaticũ in patria Grę-cum Nebonem, rhetorem Serapionẽ, philosophum Stilionem: Romæ grammaticos, Scorinũ Scaurini filium doctorem celeberrimũ: rhetores Iulium Frontinũ, & Bebiũ Macrinũ & Iulium Granianum, cuius hodiéque orationes declamatæ feruntur. Sed in Latinis non multùm profecit vt ex eiusdem orationibus apparet quas in senatu habuit:

vel in concionibus quas apud milites vel apud populũ: nec valde amauit Latinam facundiam, sed amauit literatos homines, vehementer eos etiam reformidans, nequid de se asperum scriberent. Denique eos dignos adesse iubebat: singula quæque quæ publicè priuatímque agebat, se ipso docẽte volebat addiscere, si fortè ipsi non affuissent: eáque petebat vt, si vera essent, in literas mitterent. Dominum se appellari vetuit. Epistolas ad se quasi ad priuatum scribi iussit, seruato tantùm nomine imperatoris. Gemmas de calciamentis & vestibus tulit, quibus vsus fuerat Heliogabalus: veste (vt & pingitur) alba vsus est, nec aurata, penulis togísque communibus. Cum amicis tam familiariter vixit vt communis esset ei sæpe consessus, iret & ad conuiuia eorum; aliquos autem haberet quotidianos etiã non vocatos: salutaretur verò quasi vnus de senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis: aut solis iis qui ministri ad fores fuerant: quum antea salutare principem non liceret, quòd eos videre non poterat. Et erat corporis venustate decorus vt hodiéque in picturis & in statuis videmus. Fuit & staturæ militaris: robur militis, valetudo eius qui vim sui corporis sciret ac semper curaret. Erat præterea cunctis hominibus amabilis: & ab aliis pius appellabatur, ab omnibus certè sanctus & vtilis Reip. Huic sors in templo Prænestinæ talis extitit, quum illi Heliogabalus insidiaretur,

--Si qua fata aspera rumpas
Tu Marcellus eris.

Alexandri nomen accepit, quòd in templo dicato apud Arcenam vrbem Alexãdro magno, natus esset, quum casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore patriæ solennitatis implendæ causa venisset. cui rei argumentum est, quòd eadem die natalem habet hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus excessit è vita. Delatum sibi *Antonini* nomen à senatu recusauit, quum hic magis affinitate Caracalli iungeretur, quàm ille Heliogabalus subdititius. Siquidem (vt Marius Maximus dixit in vita Seueri) nobilem Oriẽtis mulierẽ Seuerus, cuius hanc geniturã esse compererat vt vxor imperatoris esset, adhuc priuatus & non magni satis loci,

A duxit vxorem. Ex qua affinitate hic Alexander fuit, cui verè per matrem suam cõsobrinus Varius Heliogabalus fuit. Recusauit & *Magni* nomen, quod ei quasi Alexandro est oblatum senatus iudicio. Interest retexere orationem qua nomen Antonini & magni delatum sibi à senatu recusauit: quam priusquam referam, addam acclamationes senatus quibus id decretũ est. Ex actis vrbis ad pridie nonas Martias. Quum senatus frequens in Curiam, hoc est in ædem Concordiæ templum inauguratum, conuenisset, rogatúsque esset Aurelius Alexander Cæsar augustus vt concine-
B ret, ac primò recusasset, quòd sciret de honoribus suis agẽdum, deinde postea venisset, acclamatum. *Auguste innocens, dij te seruent. Alexander imperator, dij te seruent. Dij te nobis dederunt, dij conseruent. Dij te ex manibus impuri eripuerunt, dij te perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es, impurum & obscœnum & tu videre doluisti. Dij illum eradicauerunt: dij te seruent. Infamis imperator ritè damnatus. Felices nos imperio tuo, felicem rempub. Infamis vnco tractus est ad exemplum timoris: luxuriosus imperator iure punitus est. Contaminator honorum iure punitus est. Dij immortales Alexandro vitam: iudicia deorum hinc*
C *apparent.* Et quum egisset gratias Alexander, acclamatum est, *Antonine Alexander, dij te seruent. Antonine Aureli, dij te seruent. Antonine Pie, dij te seruent. Antonini nomen suscipias rogamus. Præsta bonis imperatoribus vt Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamauit, tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum. Sanguis Antoninorum se cognoscat. Iniuriam Marci tu vindica. Iniuriam Veri tu vindica. Iniuriam Baßiani tu vindica. Peior Commodo solus Heliogabalus, nec imperator, nec Antoninus, nec ciuis, nec senator, nec nobilis, nec Romanus. In te salus, in te vita, vt viuere delectet: An-*
D *toninorum Alexandro vitam, vt viuere delectet, & Antoninus vocetur. Antoninorum templa Antoninus dedicet. Parthos & Persas Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus accipiat. Sacrum nomen castus accipiat. Antonini nomen. Antoninorum nomen. Dij conseruent. In te omnia, per te omnia Antonine habemus.* Et post acclamationes Aurelius Alexander Cæsar augustus: *Gratias vobis P.C. non nunc primùm, sed & de Cæsareo nomine,*

& de vita seruata & Augusti nomine addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, & proconsulari imperio: quæ omnia nouo exemplo vno die in me contulistis. Et quum diceret, acclamatum. *Hæc suscepisti, Antonini nomen suscipi mereatur, senatus Antonini mereatur. Antonine Auguste dij te seruent, dij te Antoninum conseruent: monetæ nomen Antonini reddatur. Templa Antoninorum Antoninus consecret.* Aurelius Alexander Augustus. *Ne quæso P.C. ne me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, vt ego cogar tanto nomini satisfacere, quum etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen grauare videatur. Hæc enim nomina insignia onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? Et (vt hoc dij auertant) quis non æquantem nomina ferat digerentem in clarissimam spem dignitatum?* Item acclamata quæ suprà. Item imperator dixit, *Antoninorum nomen vel iam numen potius, quale fuerit meminit vestra clementia: si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid Marco prudentius? si innocentiam, quid Vero simplicius? si fortitudinem, quid Bassiano fortius? Nam nunc Commodi meminisse nolo qui hoc ipso deterior fuit quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadumenus autem nec tempus habuit, nec ætatem, & arte hoc patris nomen incurrit.* Item acclamatum vt suprà. Item imperator dixit, *Nuper certè P. meministis, quum ille omnium non solùm bipedum, sed etiã quadrupedum spurcissimus, Antonini nomen præferret, & in turpitudine atque luxuria Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populi & honestorum coronas vna vox esset, hunc non ritè Antoninum dici, & per hanc pestem tantum violari nomen:* & quum diceret, acclamatum est, *Dij mala prohibeant. Hæc te imperante non timemus, de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora. Antonini nomen ornauisti: certi sumus, bene præsumimus, nos te & à pueritia probauimus & nunc probamus.* Item imperator: *Neque ego P.C. idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quòd verear ne in hæc vitia delabatur vita, aut quòd nominis pudeat, sed primùm displicet alienæ familiæ nomen assumere, deinde quòd grauari me credo.* Et quum hæc diceret, acclamatum est vt suprà. Item dixit, *Si enim Antonini nomen accipio,*

A *possum & Traiani, possum & Titi, possum & Vespasiani* : & quũ diceret, acclamatum est, *Quomodo Augustus sic & Antoninus.* Tunc imperator, *Vide P.C. quid vos moueat ad hoc nobis addendum. Augustus primus, primus est autor imperij, & in eius nomen omnes velut quadam adoptione, aut iure hæreditario succedimus, Antonini ipsi Augusti dicti sunt. Antoninus idẽ Pius Marcum & item Verum iure adoptionis vocauit: Commodo autem hæreditarium fuit, susceptum Diadumeno, affectatum in Baßiano, ridiculum in Aurelio.* Et quum diceret, acclamatum est, *Alexander Auguste, dij te seruent verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, in-*
B *nocentiæ tuæ, castitati tuæ. hinc intelligimus qualis futurus sis: hinc probamus. Tu facies vt senatus bene principes eligat. tu facies optimum esse iudicium senatus. Alexander Auguste, dij te seruent. Templa Antoninorum Alexander Augustus dedicet. Cæsar noster, Augustus noster, imperator noster, dij te seruent. Vincas, valeas, multis annis imperes.* Alexander imperator dixit, *Intelligo P.C. me obtinuisse quod volui, & id acceptum refero, plurimas gratias & agens & habens, enisurus vt & hoc nomen quod in imperium detulimus, tale sit vt ab aliis desideretur, & bonis vestræ pietatis iudiciis offeratur.* Post hæc acclamatum est, *Magne Alexãder,*
C *dij te seruent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe. Magne Alexander, dij te seruent.* Et quum sæpius dicerent, Alexander Augustus ait, *Facilius fuit P.C. vt Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis.* MAGNI *verò nomen cur accipitur? quid enim iam magnum feci? quum id Alexãder post magna gesta, Pompeius verò post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur venerandi patres, & vos ipsi magnifici vnum me de vobis esse censete potius quàm Magni nomen ingerite.* Post hæc acclamatum est, *Aureli Alexander Auguste, dij te seruent.* & reliqua ex mo-
D re. Dimisso senatu, quum & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit. Multo clarior visus est alienis nominibus nõ receptis quàm si recepisset, atque ex eo constantiæ ac plenæ grauitatis famam obtinuit. Siquidem vni adolescenti senatus totus persuadere non potuit: sed quamuis senatu rogante non potuerit persuaderi vt vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingen-

ingentem vigorem animi & mirandam ſingularémque A
conſtantiam contra militum inſolentiam, SEVERI no-
men à militibus eidem inditum eſt, quod illi ingentem in
præſentia reuerentiam, magnam apud poſteros gloriam
peperit, quum eò acceſſiſſet vt de animi virtute nomen ac-
ceperit: ſiquidem ſolus inuentus ſit qui tumultuantes le-
giones exautorauerit, vt ſuo loco oſtendetur: in milites
autem grauiſſimè animaduertit, qui fortè incurrerunt ali-
quid quod videretur iniuſtum, vt & ipſum locis ſuis de-
clarabimus. Omina imperij hæc habuit: Primùm, quòd
ea die natus eſt qua defunctus vita Magnus Alexander di- B
citur. deinde, quòd in templo eius mater enixa eſt: tertiò,
quòd ipſius nomen accepit. tum præterea quòd ouum
purpurei coloris, eadem die natum qua ille natus eſt, pa-
lumbinum, anicula quædam matri eius obtulit: ex quo qui-
dem aruſpices dixerunt imperatorem quidem illum, ſed
non diu futurum, & citò ad imperium peruenturum. Tum
præterea quòd tabula Traiani imperatoris, quæ geniali
lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret,
in lectum eius decidit. His acceſſit quòd nutrix ei Olym-
pias data eſt, quo nomine mater Alexandri appellata eſt. C
Nutritor Philippus prouenit caſu vnus ex ruſticis, quod
nomen patri Alexandri Magni fuit. Fertur die prima na-
talis eius toto die apud Arcam Cæſaream ſtella primæ ma-
gnitudinis viſa, & ſol circa domum patris eius fulgido am-
bitu coronatus. Quum eius natalem aruſpices commen-
darent, dixerunt eum ſummam rerum tenturum, idcirco
quòd hoſtiæ de ea villa quæ eſſet Seueri imperatoris, ad-
ductæ eſſent & quas in illius honorem coloni paraſſent.
Nata in domo laurus iuxta perſici arborem, intra vnum an-
num perſici arborem vicit. Vnde etiam coniectores dixe- D
runt, Perſas ab eo eſſe vincendos. Mater eius pridie quàm
pareret, ſomniauit ſe purpureum dracunculum parere. Pa-
ter eadem nocte in ſomniis vidit alis ſe Romanæ Victoriæ,
quæ in ſenatu, ad cælum vehi. Ipſe, quum vatem cõſuleret
de futuris, hos accepiſſe dicitur verſus adhuc paruulus: &
primis quidem ſortibus,

A *Te manet imperium cæli terræque marísque:*

Intellectum est, quòd inter diuos etiam referretur.

Te manet imperium, quod tenet imperium:

Ex quo intellectum est, Romani illum imperij principem futurum. Nam vbi est imperium nisi apud Romanos, quod tenet imperium? Et hæc quidem de Græcis versibus sunt prodita. Ipse autem quum parentis hortatu animum à philosophia & musica ad alias artes traduceret, Vergilij sortibus huiusmodi illustratus est,

Excudent alij spirantia mollius æra,
B *Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus,*
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio, & surgentia sidera ducent:
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subiectis & debellare superbos.

Fuerunt multa alia signa quibus principem humani generis esse constaret. Nimius ardor oculorum & diutius intuẽtibus grauis, & diuinatio mentis frequentissima: rerum memoria singularis quã nemo nisi Acholius ferebat adiutam.
C Et quum puer ad imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre vt & illa videretur pariter imperare, mulier sancta, sed auara & auri atque argenti cupida. Vbi ergo Augustus agere cœpit imperium, primùm remouit iudices omnes à Rep. & à ministeriis atque muneribus quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo prouexerat: deinde senatum & equestrem ordinem purgauit. Ipsas deinde tribus, & eos qui militaribus nituntur prærogatiuis, purgauit, & Palatium suum comitatúmque omnem, abiectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis & infami-
D bus: nec quemquam passus est esse in palatinis nisi necessarium hominem. Iureiurando deinde constrinxit nequem ascriptum, id est vacantium, haberet, ne annonis Remp. grauaret, dicens, malum pupillum esse imperatorem qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec reip. vtiles pasceret. Fures iudicare iussit in ciuitatibus vllis nunquam videri: & si essent visi, iussit deportari per

rectores prouinciarum. Annonam militum diligenter inspexit, tribunos qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. Negotia & causas prius à scriniorum principibus, & doctissimis iurisperitis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinaríque, atque ita referri ad se præcepit. Leges de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit: neque vllam constitutionem sanciuit sine viginti iurisperitis & doctissimis ac sapientibus viris, iisdemque disertissimis non minus quinquaginta: vt non minus in consilio essent sententiæ quàm senatusconsultum conficerent: & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum cogitandúmque priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit præterea illi consuetudo, vt si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si verò de re militari, milites veteres & senes, ac benemeritos, & locorum peritos ac bellorum & castrorum, & omnes literatos: & maximè eos qui historiam norant: requirens quid in talibus causis quales in disceptatione versabantur, veteres imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent. Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo vsus est, illum si vnquam furem iudicem vidisset, paratum habuisse digitum vt illi oculum erueret. tantum odium eum tenebat eorum de quibus apud se probatum esset quòd fures fuissent. Addit Septimius qui vitam eius non mediocriter exequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi choleram euomeret, toto vultu inardescente ita vt nihil posset loqui. Nam quum quidam Septimius Arabinus famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamauit, *O numina, ô Iupiter, ô dij immortales, Arabinus non solùm viuit, verumetiam in senatum venit: fortaßis etiam de me sperat: tam fatuum, tam stultum esse me iudicat.* *Salutabatur autem nomine, hoc est,*

A *Aue Alexander*. Siquis caput flexiſſet, aut blandius aliquid dixiſſet, vti adulator vel abiiciebatur, ſi loci eius qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno, ſi eius dignitas grauiori ſubiacere non poſſet iniuriæ. Salutatus conſeſſum obtulit omnibus ſenatoribus: atque adeo niſi honeſtos & bonæ famæ homines ad ſalutationem non admiſit. Iuſſitque quemadmodum in Eleuſiniis ſacris dicitur, *vt nemo ingrediatur, niſi qui ſe innocentem nouit*. Per præconem edixit vt nemo ſalutaret principem qui ſe furem eſſe noſſet, ne aliquãdo detectus, capitali ſupplicio ſubderetur. Ipſe adorari
B ſe vetuit, quum iam cœpiſſet Heliogabalus adorari regum more Perſarum. Erat præterea hæc illius ſententia, *Solos fures de paupertate conqueri, dum volunt ſcelera vitæ ſuæ tegere.* Idem addebat ſententia de furibus notam, & Græcè quidem, quæ Latinè hoc ſignificat, *Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſaluus erit*: quæ Græcè talis eſt, ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Præfectum prætorij ſibi ex ſenatus autoritate conſtituit. præfectum vrbis à ſenatu accepit, alterum præfectum prætorij fecit: qui ne fieret, etiam fugerat, dicens, *Inuitos non ambientes in Rempub. collocandos*. ſena-
C torem nunquam ſine omnium ſenatorum qui aderant conſilio fecit, ita vt per ſententias omnium crearetur, teſtimonia dicerent ſummi viri: ac ſi fefelliſſent vel teſtes vel ij qui ſententias dicebant, poſtea in vltimum reiicerentur locum, ciuium condemnatione adhibita quaſi falſi rei approbati ſine vllius indulgẽtiæ propoſito. Idem ſenatores nonniſi ad ſummorum in Palatio virorum ſuffragium fecit, dicens, magnum virum eſſe oportere qui faceret ſenatorem. Idem libertinos nunquam in equeſtrem locum redegit, aſſerens ſeminarium ſenatorũ equeſtrem locum eſſe. Mo-
D derationis tantæ fuit vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, vt omnibus ſe blandum affabilémq; præberet: vt amicos non ſolùm primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret: vt ſibi ab omnibus liberè quæ ſentiebant, dici cuperet: & quum dictum eſſet, audiret: & quum audiſſet, ita vt res poſcebat emendaret atque corrigeret: ſi minus bene factum eſſet aliquid, etiam ipſe con-

uinceret, ídque sine fastu & sine amaritudine animi, consensum omnibus semper offerret, præter eos quos furtorum densior fama perstinxerat, de absentibus semper requirens. Denique quum ei obiiceret nimiā ciuilitatem & Mammæa mater, & vxor Memmia Sulpitii consularis viri filia, Catuli neptis, & sæpe dicerent, *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperij fecisti:* ille respondit, *Sed securiorem atque diuturniorem.* Dies denique nunquam transiit quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed ita vt ærarium non euerteret. Cōdennationes & raras esse iussit: & quæ factæ fuerant, non indulsit. Vectigalia ciuitatibus ad proprias fabricas deputauit. Fœnus publicum trientarium exercuit, ita vt pauperibus plerisque sine vsuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus: præfectis prætorio suis senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essēt & dicerētur: quod antea vel rarò fuerat, vel omnino non fuerat: eousque vt siquis imperatorum successorem præfecto prætorij dare vellet, laticlauiam eidem per libertum submitteret, vt in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexander autem idcirco senatores esse voluit præfectis prætorij, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret. Milites suos sic vbique sciuit vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, sempérque quum solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipēdia recenseret, vt esset ad omnia instructissimus. Denique quum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promouendis etiā sibi annotabat: & perlegebat cuncta pittasia. & sic faciebat diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. Commeatum populi Romani sic adiuuit vt quum frumenta Heliogabalus euertisset, vicē de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus vt Romā volētes concurrerēt maximā immunitatem dedit. Oleum quod Seuerus populo dederat, quódque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Ius conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus

A reddidit. Mechanica opera Romæ plurima instituit. Iudæis priuilegia reseruauit. Christianos esse passus est. Pontificibus tantum detulit & quindecim viris atque auguribus, vt quasdam causas sacrorum à se finitas, iterari & aliter distingui pateretur. Præsides prouinciarum, quos verè non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit & muneribus adiuuit, dicens, & fures à Rep. pellendos ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos. Quum vilitatem P.R. ab eo peteret, interrogauit per curionem, quam speciem caram pu-
B tarent. Illi continuò exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem proposuit, sed iussit nequis suminatam occideret, nequis lactantem, nequis vaccam, nequis damalionem: tantúmq; intra biennium vel propè annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt quum fuisset octominutalis libra, ad duos vnúmq; vtriusque carnis libra redigeretur. Causas militum contra tribunos sic audiuit, vt si aliquem reperisset tribunorum in crimine, pro facti qualitate sine indulgentiæ proposito puni-
C ret. De omnibus hominibus per fideles homines suos semper quæsiuit: & per eos quos nemo nosset hoc agere, quum diceret omnes præda corrumpi posse. Seruos suos semper cum seruili veste habuit, libertos cum ingenuorum. Eunuchos de ministerio suo abiecit, & vxori vt seruos seruire iussit. Et quum Heliogabalus mancipium eunuchorũ fuisset, ad certum numerum eos redegit: nec quicquam in Palatio curare voluit nisi balneas fœminarum: quum plerósque eunuchos rationibus & procurationibus præposuisset Heliogabalus: hic illis & veteres sustulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos esse dicebat: nec vidẽ-
D dum, nec in vsu habendum à viris, sed vix à fœminis nobilibus. Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iussit per eam viã qua esset seruis suis ad suburbana imperatoria iter frequentissimum. Prouincias prætorias, præsidiales plurimas fecit: procõsulares ex senatus voluntate ordinauit. Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit: quod quidem iam antè

prohibitum, Heliogabalus fieri permiserat. Lenonum ve- A
ctigal & meretricum & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instauratione thea-tri, circi, amphitheatri, & ærarij deputauit. Habuit in animo vt exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit: sed veritus est, ne prohibes, publicu dedecus in priuatas cupiditates conuerteret, quum homines illicita magis poscant, prohibitáque furore persequantur. Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & cæterarum artium vectigal pulcherrimum instituit: ex eóque iussit thermas, & quas ipse funda- B
uerat, & superiores, populi vsibus exhiberi: syluas etiam thermis publicis deputauit. Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea non ante aurora paterent, & ante solis occasum clauderentur. Huius imperium incruentum quidam literis tradiderunt, quod cotrà est. Nam & Seuerus est appellatus à militibus ob austeritate, & in animaduersionibus asper in quibusdam fuit. Opera veterum principum instaurauit: ipse noua multa cõstituit: in his thermas nominis sui iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua in-
ducta, quę *Alexãdrina* nũc dicitur. Nemus thermis suis de C
priuatis ædibus suis quas emerat, dirutis ædificiis, fecit. *Oceani solium* primus inter principes appellauit, quũ Traianus id non fecisset, sed diebus solia deputasset. Antonini Caracalli thermas additis sortionibus perfecit & ornauit. Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit, Palatio exornato hoc genere marmorandi. Statuas colossas in vrbe multas locauit, artificibus vndique conquisitis. Alexandri habitu nũmos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. A D
mulieribus famosis matrem & vxorẽ suam salutari vetuit. Conciones in vrbe multas habuit more veterum tribunorum & consulum. Congiarium populo ter dedit, donatiuum militibus ter: carnem populo addidit. Vsuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarẽtur, vsuras accipere

A primò vetuit,niſi aliquid muneris cauſa acciperent:poſtea
tamen iuſſit in ſemiſſes acciperent donũ,munus tamen ſu-
ſtulit. Statuas ſummorũ virorũ in foro Traiani collocauit
vndique trãſlatas. Paulum & Vlpianum in magno honore
habuit,quos præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos,
alij ab ipſo. Nam & conſiliarius Alexandri, & magiſter
ſcrinij Vlpianus fuiſſe perhibetur: qui tamen ambo aſſeſ-
ſores Papiniani fuiſſe dicuntur. Baſilicam Alexandrinam
inſtituerat inter campum Martium & ſepta Agrippiana, in
latum pedum centum,in longum pedum mille, ita vt tota
B columnis penderet: quam efficere non potuit morte præ-
uentus. Iſim & Serapium decenter ornauit, additis ſignis
& deliacis & omnibus myſticis.In matrẽ Mammæam vni-
cè pius fuit,ita vt Romæ in Palatio faceret diætas nominis
Mammææ,quas imperitum vulgus hodie *ad Mammam* vo-
cant. Et in Baiano palatium cum ſtagno, quod Mammææ
nomine hodiéque cenſetur. Fecit & alia in Baiano opera
magnifica in honorem affinium ſuorum, & ſtagna ſtupen-
da admiſſo mari.Pontes quos Traianus fecerat,inſtaurauit
penè in omnibus locis. Aliquos etiam nouos fecit,ſed in-
C ſtauratis nomen Traiani reſeruauit. In animo habuit om-
nibus officiis genus veſtium proprium dare, & omnibus
dignitatibus,vt à veſtitu dignoſcerentur: & omnibus ſer-
uis,vt in populo poſſent agnoſci,nequis ſeditioſus eſſet, ſi-
mul ne ſerui ingenuis miſcerentur. Sed hoc Vlpiano Pau-
lóque diſplicuit,diſcentibus, plurimum rixarum fore ſi fa-
ciles eſſent homines ad iniurias. Tum ſatis eſſe conſtituit
vt equites Romani à ſenatoribus claui qualitate diſcerne-
rentur. Penulis intra vrbem frigoris cauſa vt ſenes vteren-
tur permiſit,quum id ueſtimenti genus ſemper itinerarium
aut pluuiæ fuiſſet.Matronas tamen intra vrbem penulis vti
D vetuit, in itinere permiſit. Facundiæ fuit Græcæ magis
quàm Latinæ, nec verſu inuenuſtus. Et ad muſicam pro-
nus, matheſeos peritus: & ita quidem vt ex eius iuſſu ma-
thematici publicè propoſuerint Romæ, ac ſint profeſſi vt
docerent. Aruſpicinæ quoque peritiſſimus fuit. ὀρνεοσκόπος
magnus vt & Vaſcones & Hiſpanorum & Pannoniorum

augures vicerit. Geometriam fecit, pinxit mirè cantauit A
nobiliter: sed nunquam alio conscio, nisi pueris suis testibus. Vitas principum bonorum versibus scripsit. Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem imperator nunquam ostendit. Palæstes primus fuit, in armis magnus, adeò vt multa bella & gloriosè gesserit. Consulatum ter iniit tantùm ordinarium: ac primo nundino sibi alios semper suffecit. Seuerissimus iudex contra fures appellans eosdem quotidianorũ scelerum reos, & damnans acerrimè, ac solos hostes inimicósque Reipub. vocans. Eum notariũ qui falsum causæ breuem in consilio imperatorio retulis- B
set, incisis digitorum neruis ita vt nũquam posset scribere, deportauit. Quum quidam ex honoratis, vitæ sordidæ & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam aspirasset, idcirco quòd per reges amicos ambierat, admissus, statim in furto præsentibus patronis detectus est: iussúsque à regibus audiri, damnatus est re probata. Et quũ quæreretur à regibus, quid apud eos paterentur fures, illi responderunt, Crucem. Ad eorum respõsum, in crucem sublatus est. Ita & patronis autoribus dãnatus ambitor est:
& Alexandri, quam præcipuè tuebatur, seruata clementia C
est. Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, diuis imperatoribus in foro diui Neruæ, quod *Transitoriũ* dicitur, locauit omnibus cum titulis, & columnis æreis, quæ gestorum ordinẽ continerent exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo è marmore collocauit, additis gestis. Volebat videri originẽ de Romanorũ gente trahere, quia eũ pudebat Syrũ dici: maximè quòd quodã tempore festo, vt solent, Antiochenses, Ægyptij, Alexandrini, lacessiuerant eum conuitiolis, *Syrum archisynagogum*
eum vocantes & *archierea*. Antequam de bellis eius & ex- D
peditionibus & victoriis loquar, de vita quotidiana & domestica pauca differam. Vsus viuendi eidem hic fuit: Primùm vt, si facultas esset, id est si non cum vxore cubuisset, matutinis horis in larario suo (in quo & diuos principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum tẽporum dicit,

A CHRISTVM. Abrahã,& Orpheũ,& huiuſcemodi deos habebat,ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat. Si id nõ poterat, pro loci qualitate vel vectabatur, vel piſcabatur, vel deambulabat, vel venabatur. Dehinc ſi hora permitteret, actibus publicis poſt multam horam operam dabat, idcirco quòd & res bellicæ & res ciuiles (vt ſuperius dictum eſt) per amicos tractabantur, ſed ſanctos & fideles, & nunquam venales: & tractatæ firmabantur, niſi quid noui etiã ipſi placeret. Sanè ſi neceſſitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat, & in longam horam producebat: neque B vnquã tædiauit, aut moroſus aut iratus reſedit, fronte ſemper pari & lætus ad omnia. Erat enim ingentis prudentiæ: & cui nemo poſſet imponere: & quem ſi aliquis vrbanè tẽtare voluit intellectus, tulit pœnas. Poſt actus publicos ſeu bellicos ſeu ciuiles, lectioni Græcæ operam maiorẽ dabat, *De republica* libros Platonis legens. Latina quum legeret, non alia magis legebat quàm *De officiis* Ciceronis & *De republica*. Nonnunquam & oratores & poetas, in queis Serenum Sammonicũ, quem ipſe nouerat & dilexerat, & Horatium. Legit & vitam Alexandri quam pręcipuè imitatus C eſt: etſi in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quanuis vtrũque defendatur à bonis ſcriptoribus, quibus ſæpius ille credebat. Poſt lectionem operam palæſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui, aut luctaminibus molli oribus dabat. Atq; inde vnctus lauabatur, ita vt caldariis vel nunquam vel rarò, piſcina ſemper vteretur, in eáque vna hora proprè maneret: biberet etiã frigidã Claudiam ieiunus ad vnum propè ſextarium, Egreſſus balneas multum lactis & panis ſumebat, oua, deinde mulſum: atque his refectus aliquando prandium inibat, aliquãdo cibum vſque D ad cœnam differebat, prandit tamen ſæpius. Vſúſque eſt Adriani tetrapharmaco frequẽter, de quo in libris ſuis Marius Maximus loquitur, quum Adriani diſſerit vitam. Poſt meridianas horas ſubſcriptioni & lectioni epiſtolarũ ſemper dedit operã, ita vt ab epiſtolis & libellis & à memoria ſemper aſſiſterent. nõnunquam etiam ſi ſtare per valetudinem non poſſent, ſederent, relegentibus cuncta librariis &

iis qui scrinium gerebant, ita ut Alexander sua manu A
adderet siquid esset addendum: sed ex eius sententia qui
disertior habebatur. Post epistolas, omnes amicos simul
admisit, cum omnibus pariter est loquutus: neque vnquã
solum quenquam, nisi præfectum suum, vidit, & quidem
Vlpianũ, ex assessore semper suo, causa, iustitiæ singularis.
Quum autem alterum adhibuit, & Vlpianum rogari iussit.
Virgilium autem, Platonem poetarũ vocabat, eiusq; imaginem cum Ciceronis simulacro, in secũdo larario habuit,
vbi & Achillis & magnorum virorum. Alexandrum verò
magnum inter diuos & optimos in larario maiore consecrauit. Iniuriam nulli vnquam amicorum comitúmve fecit nec magistris quidem aut principibus officiorum. Præfectis autem semper detulit, asserens eum qui mereatur iniuriam pati, ab imperatore damnandum esse, nõ dimittendum. Si vnquam alicui præsentiũ successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit respublica*: eúmque muneratus est, ita vt priuatus pro loco suo posset honestè viuere:
his quidem muneribus, agris, bobus, equis, frumẽto, ferro,
impendiis ad faciẽdam domum, marmoribus ad ornandũ,
& operis, quas ratio fabricæ requirebat. Aurum & argentum raro cuiquàm, nisi militi diuisit, nefas esse dicens, vt
dispensator publicus in delectationes suas & suorum conuerteret id quod prouinciales dedissent. Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit. Fecit Romæ curatores vrbis quatuordecim: sed ex consularibus viris, quos
audire negotia vrbana cum præfecto vrbis iussit, ita vt
omnes aut magna pars adesset, quum acta fierent. Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorũ, caligariorum, & omnino omnium artium: hísque ex sese defensores D
dedit, & iussit quid ad quos iudices pertineret. Scenicis
nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donauit: pretiosas vestes quas Heliogabalus dederat, etiam
sustulit. Milites quos *ostensionales* vocant, non pretiosis, sed
speciosis clarísque vestibus ornabat: nec multum insignibus aut ad apparatum regium auri & serici deputabant, dicens, *Imperium in virtute esse, non in decore.* Chlamydes hirtas

A Seueri, & tunicas aſemas vel macrocheras ex purpura
non magna ad vſum reuocauit ſuum. In conuiuio aurum
neſciit: pocula mediocria, ſed nitida ſemper habuit. Du-
centarum librarum argenti pondus miniſterium eius nun-
quam tranſiit. Nanos & nanas, & moriones & vocales
exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos, populo
donauit: qui autem vſui non erant, ſingulis ciuitatibus pu-
tauit alendos ſingulos, ne grauarentur ſpecie mendicorũ.
Eunuchos quos Heliogabalus & in conſiliis turpibus ha-
bebat & promouebat, donauit amicis, addito elogio, vt ſi
B non rediiſſent ad bonos mores, eoſdem liceret occidi ſine
autoritate iudicij. Mulieres infames, quarum infinitũ nu-
merum deprehenderat, publicari iuſſit, exoletis omnibus
deportatis, aliquibus etiam naufragio merſis, cum quibus
illa clades conſuetudinem habuerat funeſtiſſimam. Auratã
veſtem miniſtrorum vel in publico conuiuio nullus ha-
buit. Quum inter ſuos conuiuaretur, aut Vlpianum aut do-
ctos homines adhibebat, vt haberet fabulas literatas, qui-
bus ſe recreari dicebat & paſci. Habebat quum priuatim
conuiuaretur, & librum in menſa, & legebat, ſed Græca
C magis. Latinos autem poetas lectitabat. Publico conui-
uio ea ſimplicitate egit qua priuato, niſi quod numerus
accubantium creſcebat & multitudo cõuiuarum, qua ille
offendebatur, dicens ſe in theatro & Circo manducare.
Oratores & poetas non ſibi panegyricos dicentes, quod
exemplo Nigri Peſcennij ſtultum dicebat, ſed aut oratio-
nes recitantes, aut facta veterum quos antè retuli, libenter
audiuit: libentius tamen, ſi quis ei recitauit Alexandri Ma-
gni laudes, aut meliorum retrò principum, aut magnorum
vrbis Romæ virorum. Ad Athenæum, audiendorum &
D Græcorum & Latinorum rhetorum vel poetarum cauſa,
frequenter proceſſit. Audiuit autem etiã forenſes oratores
cauſas recitantes, quas vel apud ipſum, vel apud præfectos
vrbis egerant. Agoni præſedit, & maximè Herculeo in
honorem Magni Alexandri. Solus poſt meridiem, vel ma-
tutinis horis idcirco nunquam aliquos videbat, quòd
emẽtitos de ſe multa cognouerat: ſpeciatim Vetroniũ Tu-

rinum: quem quum familiarem habuiſſet, ille omnia vel fingendo ſic vendiderat, vt Alexandri quaſi ſtulti hominis & quem ille in poteſtate haberet & cui multa perſuaderet, infamaret imperium: ſicque omnibus perſuaſerat quòd ad nutum ſuum omnia faceret. Denique hac illum arte deprehendit, vt quendam immitteret qui à ſe quiddam publicè peteret, ab illo autem occultè quaſi præſidium poſtularet, vt pro eo Alexandro ſecretò ſuggereret. Quod quum factum eſſet, & Turinus ſuffragium promiſiſſet, dixiſſétque ſe quædam imperatori dixiſſe quum nihil dixiſſet, ſed in eo pendere vt adhuc impetraret, euētum vendens: quúmque iterum iuſſiſſet Alexander interpellari, & Turinus quaſi agens aliud nutibus annuiſſet, neque tamen interim quicquam dixiſſet, impetratum autem eſſet quod petebatur, Turinúſque ab illo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepiſſet: accuſari eum Alexander iuſſit, probanſque per teſtes omnibus, & quibus præſentibus quid accepiſſet, & quibus audientibus quid promiſiſſet, in foro Tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit, & fumo appoſito quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente, *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ac ne in vna tantùm cauſa videretur crudelior fuiſſe, quæſiuit diligentiſſimè antequā eum damnaret: & inuenit Turinum ſæpe & in cauſis ab vtraque parte accepiſſe, quum euentus venderet, & ab omnibus qui aut præpoſituras aut prouincias acceperant. Spectacula frequentauit cum ſumma donandi parſimonia, dicens, & venatores & ſcenicos & aurigas ſic alendos, quaſi ſeruos noſtros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios. Conuiuium neq; opimum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen vt pura mantilia mitterentur: ſæpius cocco clauata, aurata verò nunquam, quum hæc Heliogabalus iam recepiſſet, & antè (vt quidam prædicant) Adrianus habuiſſet. Vſus conuiuij diurnus hic fuit, Vini ad totum diem ſextarij XXX, panis mundi pondo XXX, panis ſequentis ad donandum pondo L. Nam ſemper de manu ſua miniſtris conuiuij & panem & partes aut olerum aut carnis, aut leguminum da-

A bat, ſenili prorſus maturitate patremfamiliâs agens. Erant decreta & carnis diuerſæ pondo xxx, erant & gallinæ oua, adhibebatur & anſer diebus feſtis: Calendis autem Ianuariis, & hilariis matris deûm, & ludis Apollinaribus, & Iouis epulo, & Saturnalibus, & huiuſmodi feſtis diebus faſianus: ita vt aliquando & duo ponerētur, additis gallinaceis duobus. leporem quotidie habuit, venationem frequentem, ſed eam cum amicis diuidebat, & his maximè quos ſciebat per ſe non habere. Nec diuitibus quicquam talium munerum miſit, ſed ab his ſemper accepit. Habuit quotidie mi-
B lij ſine pipere ſextarios quatuor, cum pipere duo: & ne ſit longum omnia inſerere quæ Gargilius Martialis eius temporibus ſcriptor ſingulatim perſequutus eſt, omnia illi ad modum & rationem ſunt præbita. Pomis vehementer indulſit, ita vt ſecunda menſa illius ſæpius poneretur, vnde etiam iocus extitit, *Non ſecundam menſam Alexandrum habere, ſed ſecundùm.* Ipſe cibo plurimo reficiebatur: vino neque parcè, neque copiosè, affatim tamen. Frigida ſemper pura vſus, æſtate vino cum roſa condito: quod quidem ſolum ex diuerſo genere Heliogabali tenuerat. Et quoniam de
C lepuſculis facta eſt mentio, quòd ille leporem quotidie haberet, iocus poeticus emerſit, idcirco quòd multi ſeptem diebus pulchros eſſe dicunt eos qui leporem comederint, vt Martialis coci epigramma ſignificat, quod contra quandam Gelliam ſcripſit huiuſmodi,

Quum leporem mittis, ſemper mihi Gellia mandas,
Septem formoſus Marce diebus eris.
Si verum dicis, ſi verum Gellia mandas,
Ediſti nunquam Gellia tu leporem.

Sed hos verſus Martialis in eam quæ deformis eſſet, com-
D poſuit: poeta verò temporum Alexandri hæc in eum dixit,

Pulchrum quòd vides eſſe noſtrum regem,
Quèm Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comeſus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hos verſus quum ad eum quidam ex amicis detuliſſet, reſpondiſſe ille dicitur Græcis verſibus in hanc ſententiam,

Pulchrum quòd putas esse vestrum regem A
Vulgari miserande de fabella:
Si verum putas esse, non irascor.
Tantum tu comedas velim lepusclos,
Vt fias, animi malis repulsis,
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

Quum amicos militares habuisset, vt vsum Traiani, quem ille post secundam mensam potandi vsque ad pocula instituerat, reseruaret, vnum tantùm poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni: id autem breuius, nisi siquis, quod licebat, maius habere postulasset. Vsus Veneris in eo moderatus fuit, exoletorum ita expers vt (quemadmodum suprà diximus) legem de his auferendis ferre voluerit. Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona ij qui priuatas custodias non haberent. Balnea omnibus regionibus addidit quæ fortè non habebant. Nam hodiéque multa dicuntur Alexandri. Fecit & domos pulcherrimas, easdémque amicis suis maximè integris viris donauit. Vectigalia publica in id contraxit, vt qui x aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem auri præstarent, hoc est tricesimā partem. Túncque primùm semisses aureorum formati sunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses, dicēte Alexandro etiam quartarios futuros, quòd minus non posset. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectans vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet. Sed quum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantùm solidósque formari. Formas binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vsque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neque in vsu cuiusquam versari, atque ex eo his materiæ nomen inditum est, quum diceret plus largiendi hāc esse imperatori causam, si quum multos solidos minores dare posset, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Vestes sericas ipse raras habuit: holosericas nunquam induit, subsericam nunquā donauit.

A Diuitiis nullius inuidit, pauperes iuuit, honoratos, quos pauperes verè non per luxuriam aut ſimulationem vidit, ſemper multis commodis auxit, agris, ſeruis, animalibus, gregibus, ferramentis, ruſticis. In theſauris veſtem nunquã niſi annum eſſe paſſus eſt, eámque ſtatim expendi iuſſit. Omnem veſtem quam donauit, ipſe perſpexit: omne aurum, omne argentum, idque frequẽter appendit. Donauit & ocreas, & braccas, & calceamenta inter veſtimenta militaria. Purpuræ clariſſimæ non ad vſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quæ aut poſſent aut vellent, certè ad vendendum

B grauiſſimus exactor fuit: ita vt *Alexandrina purpura* hodiéq; dicatur, quæ vulgò *Probiana* dicitur, idcirco quòd Aurelius Probus baphiis præpoſitus id genus muricis reperiſſet. Vſus eſt ipſe chlamyde coccina ſæpe. In vrbe tamen ſemper togatus fuit, & in Italiæ vrbibus. Prætextam & pictam togam nunquam niſi cos. accepit: & eam quidem quam de Iouis templo ſumptam alij quoque accipiebant, aut prætores aut coss. Accepit prætextam etiam quum ſacra faceret, ſed loco Pontificis maximi non Imperatoris. Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri,

C dicens, *Si lintei idcirco ſunt vt nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura?* in linea autem aurum mitti etiam dementiam iudicabat, quum aſperitati adderetur rigor. Faſceis ſemper vſus eſt. Braccas albas habuit, non coccineas vt prius ſolebant. Gemmarum quod fuit, vendidit & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris vſui non eſſe: matronas autem regias contentas eſſe debere vno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua ſacrificium facerent, & vnico pallio auro ſparſo, & cyclade quæ ſex vnciis auri plus non haberet. Prorſus cenſuram ſuis tempori-

D bus de propriis moribus geſſit. Imitati ſunt eum magni viri, & vxorem eius matronæ pernobiles. Aulicum miniſterium in id contraxit, vt eſſent tot homines in ſingulis officiis quot neceſſitas poſtularet: ita vt annonas, non dignitatem, acciperent fullones & veſtitores, & pictores & pincernæ, omnes caſtrenſes miniſtri, quemadmodum peſtis illa inſtituerat, ſed annonas ſingulas vix binas. Et quum argen-

argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, A
nec plures ministros, argentum & ministros antè quando poscebat, accipiebat ab amicis: quod hodiéque fit, si præstatur à præfectis absente imperatore. Voluptates scenicas in conuiuio nunquã habuit, sed summa illa oblectatio fuit, vt catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnarent, aut aues paruulæ sursum & deorsum volitarent. Habuit sanè in Palatio vnum genus voluptatis, quo maximè delectatus est, & quo solicitudines publicas subleuaret. Nam auiaria instituerat pauonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: hísque vehementer oble- B
ctabatur, maximè palumborum, quos habuisse ad viginti millia dicitur: & nē eorum pastus grauaret annonam, seruos habuit vectigales, qui eos ex ouis ac pullicenis ac pipionibus alerent. Thermis & suis & veterum frequenter cum populo vsus est, & æstate maximè balneari veste ad Palatium reuertens, hoc solum imperatorium habens quòd lacernam coccineam accipiebat. Cursorem nunquam nisi seruum suum, dicens ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere. Cocos, piscatores, fullones & balneatores, nonnisi seruos suos habuit: ita vt siquis deesset, emeret. C
Medicus sub eo vnus Palatinus salariũ accepit: cæteri omnes qui vsque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita vt mundas singulas consequeretur, alias alter. Iudices quum promoueret exemplo veterum, vt & Cicero docet, & argento & necessariis instruebat, ita vt præsides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, multos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos. Et si vxores non haberent, singulas concubinas, (quòd sine his esse non possent) redditurí deposita ad- D
ministratione, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cætera sibi habituri, si bene egissent: in quadruplũ redditurí, si malè. Præter condemnationem aut peculatus aut repetundarũ, leges innumeras sanxit. Carrucas Romæ & rhedas senatoribus omnibus vt argentatas haberent, permisit: interesse Romanę dignitatis putans, vt his tantæ vrbis senatores

A vestarentur. Consules quoscunque vel ordinarios, vel suffectos creauit, ex senatus sentẽtia nominauit, sumptum eorum contrahens: & nundina vetera ex ordine instituit, vel dies vel tempora. Quæstores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed vt post quæsturam præturas acciperent, & inde prouincias regerent: ærarios verò instituit qui de ære fisci ederent munera, eadémque parciora. Habuit in animo vt munera per totum annum dispergeret, vt per xxx dies munus populo daretur: sed cur id nõ fecerit in occulto habetur. Capitolium septimo die quũ in vrbe esset
B ascendit, templa frequentauit. CHRISTO templum facere voluit, cúmque inter deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur *Adriani*, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros si id optatò euenisset, & templa reliqua deserenda. In iocis Alexander dulcissimus fuit, in fabulis amabilis, in conuiuiis comis, ita vt quisque posceret quod vellet. Ad aurum colligendum attentus, ad seruãdum
C cautus, ad inueniendum solicitus, sed sine cuiusquam excidio. Syrum se dici noluit, sed à maioribus Romanum. Et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur genus eius à Metellis descendere. Rhetoribus, grammaticis, medicis, aruspicibus, mathematicis, mechanicis, architectis salaria instituit, & auditoria decreuit, & discipulos cum annonis pauperum filios modò ingenuos dari iussit. Etiam in prouinciis oratoribus forensibus multum detulit, plerisque etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere. Leges in annos firmauit, eásque etiam ipse diligentissimè seruauit.
D Theatralia spectacula sæpè obiit. Theatrũ Marcelli reficere voluit. Multis ciuitatibus, quæ post terræ motus deformes erant, ad instaurationem operum & publicorum & priuatorũ pecuniam ex vectigalibus dedit. In templis sanè nunquã præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidẽ aut bracteolam posuit, susurrãs versum Persij,

— in sanctis quid facit aurum?

Expeditiones bellicas habuit, de quibus ordine suo edisseram. Primùm tamen eius consuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur secreta bellorum: itinerum autem dies publicè proponebãtur, ita vt edictum penderet ante menses duos in quo scriptum esset. *Illa die, illa hora ab vrbe sum exiturus, & si dij voluerint, in prima mansione mansurus*: deinde per ordinem mansiones, deinde statiuæ, deinde vbi annona esset accipienda: & id quidem eò vsque quamdiu ad fines barbaricos veniretur. iam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant, ita ne dispositionem Romanam barbari scirent. Certum est autem eum nunquã id quod proposuerat, fefellisse, quum diceret, *Nolle ab aulicis suas vendi dispositiones*, quod factum fuerat sub Heliogabalo quum ab eunuchis omnia venderẽtur. quod genus hominũ idcirco secreta omnia in aula nosse, cupiunt vt soli aliquid scire videantur, & habeant vnde vel gratiam vel pecuniam requirant. Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit, vbi aliquos voluisset vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum vt siquis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebátque, graue esse, quum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Assessoribus salaria instituit: quamuis sæpè dixerit eos esse promouendos qui per se rempub. gerere possent, non per assessores, addens militares habere suas administrationes, habere literatos: & ideo *vnumquemque hoc agere debere quod nosset*. Thesauros repertos iis qui repererant donauit: & si multi essent, addidit his eos quos in suis habebat officiis. Cogitabat secum & descriptum habebat, cui quid præstitisset: & siquos sciret vel nihil petiisse, vel non multum, vnde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat, *Quid est cùr nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete ne priuatus de me queraris*. Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam eius non læderent. Bona punitorum, sed nun-

A quam cum auro, argento, vel gemmis (nam id omne in ærarium reponebat) dabat præpofituras locorum ciuilium nō militum: dabat eas adminiftrationes quæ ad procurationes pertinerent. Rationales citò mutabat, ita vt nemo nifi annum compleret: eófque, fi boni effent, oderat, malum neceffarium vocans. Præfides verò proconfules & legatos nunquam fecit ad beneficium fed ad iudicium vel fuum vel fenatus. Milites expeditionis tempore fic difpofuit vt in manfionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & feptem (vt folent) dierū, nifi in barbarico: quam-
B uis & illic mulis eofdem atque camelis adiuuerit, dicens *milites fe magis feruare, quàm feipfum, quòd falus publica in his effet.* Ægrotantes ipfe vifitauit per tentoria milites, etiam vltimos, & carpentis vexit, & omnibus neceffariis adiuuit. Et fi fortè grauius laboraffent, per ciuitates & agros patribusfamiliâs hominibus & fanctioribus matronis eos diftribuebat, reddens impendia quæ feciffent, fiue conualuiffent illi, feu periffent. Quum quidam *Ouinius Camillus* fenator antiquæ familiæ delicatifsimus rebellare voluiffet, tyrannidem affectans, eíque nuntiatum effet, ac ftatim pro-
C batum, ad Palatium eum rogauit: eíque gratias egit quòd curam Reipub. quę recufantibus bonis imponeretur, fponte reciperet: deinde ad fenatum procefsit, & timentem ac tantæ confcientiæ tabe confectum, participem imperij appellauit, in Palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis imperialibus & melioribus quàm ipfe vtebatur affecit. Et quum expeditio barbarica effet nuntiata, vel ipfum fi vellet ire, vel vt fecum proficifceretur, hortatus eft. Et quum ipfe pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem quem poft quinque millia cunctantem, equo federe
D iufsit. quúmque poft duas manfiones equo etiam fatigatus effet, carpento impofuit. Hoc quoque feu timore feu verè refpuentem, abdicantem quinetiam imperium, & mori paratum, dimifit. commendatúmque militibus, à quibus Alexander vnicè amabatur, tutum ad villas fuas ire præcepit, in quibus diu vixit. fed pòft iuffu imperatoris occifus eft, quòd ille militaris effet & à militibus amatus. Scio

vulgum hanc rem quam contexui, Traiani putare, sed neque in vita eius id Marius Maximus ita exposuit, neque Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus neque Statius Valens qui omnem eius vitam in literas miserunt. Contrà autē & Septimius & Acholius, & Encolpius vitæ scriptores, cæteríque de hoc talia prædicauerunt: quod ideo addidi, ne quis vulgi magis famam sequeretur, quàm historiam quæ rumore vtique vulgi verior reperitur. Honores iuris gladij nunquam vendi passus est, dicens, *Necesse est vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem qui emit & vendit.* Pontificatus & quindecimuiratus & auguratus codicillares fecit, ita vt in senatu allegerentur. Dexippus dixit vxorem eum cuiusdam Martiani filiam duxisse, eundémque ab eo Cæsarem nuncupatum. Verùm quum vellet insidiis occidere Alexandrum Martianus, detecta factione, & ipsum interemptum, & vxorem abiectam. Idem dicit, fuisse patruum Antoninum Heliogabalum Alexandri, non vxoris sororis eiusdem filium. Quum Christiani quendam locum qui publicus fuerat occupassent, contra popinarij dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse vt quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. Quum igitur tantus ac talis imperator domi ac foris esset, iniit Parthicam expeditionem: quam tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, vt non milites, sed senatores transire dicerentur. Quacunque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsū verò ob hæc tot & tanta bona prouinciales vt deum suscipiebant. Iā verò ipsi milites iuuenem imperatorem sic amabant vt fratrē, vt filium, vt parentem: vestiti honestè, calciati etiā ad decorē, armati nobiliter, equis etiā instructi, & ephippiis ac frenis decētibus prorsus, vt Romanā Remp. intelligeret quicunq; Alexandri vidisset exercitū. Elaborabat deniq; vt dignus illo nomine videretur, imò vt Macedonem illum uinceret: dicebátq; inter Romanum Alexādrum & Macedonē multum interesse debere. Fecerat deniq; sibi argyroaspidas & chry

A soaspidas: fecerat & phalangem triginta millium hominũ, quos *phalangarios* vocari iusserat, & cum quibus multũ fecit in Perside: quæ quidem erat ex sex legionibus similium armorum, stipendiorum verò post Persicum bellum maiorum. Dona regia in templis posuit: gemmas sibi oblatas vendidit, muliebre esse existimans gemmas possidere, quæ neque militi dari possint, neque à viro haberi. Quum quidam legatus vniones duos vxori eius per ipsum obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, vendi eos iussit: qui quum pretium non inuenirent, ne exemplum malum à re-
B gina nasceretur, si eo vteretur quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicauit. Vlpianum pro tutore habuit, primùm repugnante matre deinde gratias agente, quem sæpe à militum ira obiectu purpuræ summæ defendit: atque ideo summus imperator fuit, quòd eius consiliis præcipuè Remp. rexit. In procinctu atque in expeditionibus apertis papilionibus prandit atque cœnauit, quum militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus sumeret, circumiret propè tota tentoria, à signis abesse nemi-
C nem pateretur. Siquis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi: aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis cõtumeliis, quum diceret, *Visne hoc in agro tuo fieri quod alteris faci?* Clamabátque sæpius quod à quibusdã siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat: idque per prҫconem quum aliquem emendaret, dici iubebat, QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Quam sententiam vsqueadeo dilexit, vt & in Palatio & in publicis operibus præscribi iuberet. Idem quum quandam aniculam affectã
D iniuriis à milite audisset, exautoratum eum militia seruum ei dedit, quòd artifex carpentarius esset, vt eam pasceret. Et quum dolerent hoc milites factum, persuasit omnibus, vt modestè ferrent, & eos terruit. Ἀναίματον imperium eius, quum fuerit durus & tetricus, idcirco vocatum est, quòd senatorem nullum occiderit, vt Herodianus Grҫcus scriptor refert in libris temporum suorum. Seueritatis autem

tantæ fuit in milites, vt sæpe legiones integras exautorauerit ex militibus, Quirites appellans, nec exercitum vnquã timuerit, idcirco quòd in vitam suã dici nihil posset quod vnquam tribuni vel duces de stipẽdiis militum quicquam accepisset dicens, *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliquid in zonula*: idcirco quòd mẽdicitas militaris ad omnem desperationem vocaret armatum. Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis aut ducibus, nisi milites anteire voluit: iussítque vt ante tribunum quatuor milites ambularent: ante ducem, sex, ante legatum, decem: híque ad domos suas reciperentur. Et vt seueritas eius agnosci posset, vnam concionem militarem indendã putaui, quæ illius in rem militarem mores ostenderet. Nam quum Antiochiam venisset, ac milites lauacris muliebribus & deliciis vacarent, eíque nuntiatum esset, omnes eos comprehendi iussit, & in vincula coniici. Quod vbi compertum est, mota seditio est à legione cuius socij erant in vincula coniecti. Tum ille tribunal ascendit, vinctísque omnibus ad tribunal adductis, circumstantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cœpit, *Commilitones, si tamen ista vobis quæ à vestris facta sunt displicent, disciplina maiorum Remp. tenet: quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani, vestri socii, mei contubernales & commilitones, amant, potant, lauant Græcorum more etiam quidam se instituunt: hoc ego diutius fueram? & non eos capitali dedam supplicio?* Tumultus post hoc ortus est. Atque iterũ, *Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem non contra imperatorem vestrum necessariam emittite: certè campiductores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere: non contra eum qui acceptam à prouincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem truculentam, campo ac bellis necessariam, ne vos hodie omnes vno ore atque vna voce, Quirites dimittam: & incertum, an Quirites. Non enim digni estis qui vel Romanæ plebis sitis, si ius Romanum non agnoscitis.* Et quum vehementius fremerent, ac ferro quoque minarentur, *Deponite* (inquit)

A *dextras contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim vnum hominem occideritis, non nobis deerit resp. non senatus, non* P. R. *qui de vobis vindicet.* Quũ nihilominus post ista fremerẽt, exclamauit, *Quirites discedite, atq; arma deponite.* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiã sagulis militaribus, omnes non ad castra sed ad diuersoria varia recesserũt. Túncque primum intellectum est quantum eius seueritas posset. Denique etiã signa stipatores & ij qui imperatorem circundederãt, in castra retulerunt, arma collecta populus ad Palatiũ tulit: eam tamen legionem quã exautorauit, rogatus per dies xxx, priusquã ad expeditionẽ
B Persicam proficisceretur, loco suo restituit, eáq; pugnante maximè, vicit: quum tamen tribunos eius capitali affecerit supplicio, quòd per negligentiam illorum milites apud Daphnẽ luxuriati essent, vel per conniuẽtiam seditionem fecissent exercitus. Magno igitur apparatu inde in Persas profectus, Artaxerxem regem potentissimum vicit, quum ipse Alexander cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quoque milites ad laudem verbis adduceret. Fuso denique fuga-
C tóque tãto rege, qui cum septingentis elephãtis, falcatísq; mille & octingentis curribus ad bellum venerat, equitum multis millibus, statim Antiochiam rediit, & de præda quã Persis diripuit, suum ditauit exercitum: quum & tribunos ea quæ per vicos diripuerant, & duces & ipsos milites habere iussisset. Túmque primùm Persæ serui apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indignè ferunt Persarum reges quempiam suorũ alicui seruire, acceptis pretiis reddidit: pretiúmque vel iis qui manu ceperant seruos dedit, vel in ærarium contulit. Post hoc Romam venit, trium-
D phóque pulcherrimo acto, apud senatum primùm hæc verba habuit. Ex actis senatus die septimo Cal. Octobr. *Persas P. C. vicimus. longa eloquentia opus non est, tantùm scire debetis quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Iã primùm elephanti septingenti: iidémque turriti cum sagittariis & onere sagittarum. Et his trecentos cepimus, ducẽti interfecti iacent, decẽ & octo perduximus. Falcati currus mille, sed adducere interfectorum animaliũ*

currus

currus ducentos potuimus: sed id quia & fingi poterat, facere super- A
sedimus. Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphra-
ctarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemi-
mus: eorum armis nostros armauimus. Multos Persarum cepimus,
eosdémque vēdidimus. Terras Interānanas, Mesopotamiæ scilicet,
neglectas ab impura illa bellua recepimus. Artaxerxem potentissi-
mum regem tam re quàm nomine, fusum fugauimus, ita vt eum
terra Persarum fugientem videret: & quà ducta fuerant quondam
signa nostrorum, eà rex ipse signis effugerit relictis. Hæc sunt P.C.
gesta. Eloquētia opus non est: milites diuites redeunt, laborem in vi-
ctoria nemo sentit. Vestrum est supplicationem decernere, ne diis B
videamur ingrati. Acclamatio senatus: *Alexander Auguste,*
dij te seruent. Persice maxime dij te seruent. Verè Parthicus, verè
Persicus. Trophæa tua & nos videmus, victorias & nos videmus.
Iuueni imperatori, patri patriæ, pontifici maximo: per te victoriam
vndiq; præsumimus. ille vincit qui milites regit. diues senatus. diues
miles, diues P.R. Dimisso senatu Capitolium ascendit, atque
inde re diuina facta, & tunicis Persicis in templo locatis,
concionem huiusmodi habuit, *Quirites vicimus Persas, mili-*
tes diuites reduximus, vobis congiarium pollicemur, cras ludos cir-
censes Persicos dabimus. Hęc nos & in annalibus, & apud mul- C
tos reperimus. Sed quidam dicunt, à seruo suo eum prodi-
tū non vicisse regem, sed ne vinceretur, fugisse. Quod con-
tra multorum opinionem dici non dubium est iis qui plu-
rimos legerint. Nam & amisisse illum exercitum dicunt fa-
me, frigore, ac morbo, vt Herodianus autor est cōtra mul-
torum opinionem. Post hoc cum ingenti gloria, & comi-
tante senatu, equestri ordine, atque omni populo, circūfu-
sísque vndique mulieribus & infantibus, maximè militum
coniugibus, pedes Palatium cōscendit, quum retrò currus
triūphalis à quatuor elephantis traheretur. Leuabatur ma- D
nibus omnium Alexander, vixque illi per horas quatuor
ambulare permissum est, vndique omnibus clamantibus,
Salua Roma, quia saluus est Alexāder. Alia die actis circēsibus,
& item ludis scenicis, deinceps, cōgiarium populo Roma-
no dedit. Puellas & pueros quemadmodum Antoninus
Faustinianas instituerat, Mammæanas & Mammæanos in-

A stituit. Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Variũ Macrinum affinem eius, & in Armenia per Iunium Palmatum, atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatę sunt delatæ, quibus in senatu & apud populũ lectis, omnibus nominibus est adornatus. His verò qui remp. bene gesserant, consularia ornamenta decreta sunt, additis etiam sacerdotiis & agrorum possessionibus iis qui erant pauperes & æuo iam graues. Captiuos diuersarum nationum amicis donauit, si ætas puerilis aut iuuenilis permisit. Siqui tamen regij aut nobi-
B liores fuerint, eos militiæ, nõ tamen magnæ deputauit. Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donauit, ita vt eorum ita essent, si hæredes illorum militarent, nec vnquam ad priuatos pertinerent, dicens, attẽtius eos militaturos si etiam sua rura defenderent. Addidit sanè his & animalia & seruos, vt possent colere quod acceperant: ne per inopiam hominum, vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina barbariæ: quod turpissimum ille ducebat. Post hæc quum ingenti amore
C apud populum & senatum viueret, & sperantibus victoriã cunctis, & inuitis eum dimittentibus, ad Germanicũ bellum profectus est, deducẽtibus cunctis per centũ & quinquaginta millia. Erat autẽ grauissimũ reip. atque ipsi quòd Germanorũ vastationibus Gallia diripiebatur. Pudorémque augebat quòd victis iam Parthis, ea natio imminebat Reip. ceruicibus quæ semper etiam minusculis imperatoribus subiecta videbatur. Magnis igitur itineribus, lętis militibus, contendit. Sed quũ ibi quoque seditiosas legiones comperisset, abiici eas præcepit. Verum Gallicanæ mẽtes, vt sese habent duræ ac retrogradæ & sæpe imperatoribus
D graues, seueritatem hominis nimiam & longè maiorẽ post Heliogabalum, non tulerunt. Denique agentem eum cum paucis in Britannia, vt alij volunt, in Gallia in vico cui Sicila nomen est, nõ ex omnium sententia, sed latrocinantiũ modo quidã milites, & hi præcipuè qui Heliogabali præmiis effloruerant, quum Seuerum principem pati non possẽt, occiderũt. Multi dicũt à Maximino immissos tyrones,

qui ei ad exercendum dati fuerant, eũ occidisse: multi aliter, à militibus tamen constat, quũ iniuriosè quasi in puerũ eundem & matrem eius auarã & cupidam multa dixissent. Imperauit annis XIII, diebus IX. Vixit annis XXIX, mensibus III, diebus VII. Egit omnia ex consilio matris, cum qua occisus est. Omina mortis hæc fuerunt: Quum natalẽ diem cõmendaret, hostia cruenta effugit, & vt se ciuiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam eius vestem cũ qua constiterat, cruentauit. Laurus in Palatio cuiusdam ciuitatis à qua proficiscebatur ad bellum, ingens & antiqua, tota subitò decidit. Arbores fici tres, quæ ficus eas ferrent quibus Alexandrinarum nomen est, subitò ante illius tentorium deciderunt, quum tentoria imperatoria his adnexa essent. Mulier Druias eũti exclamauit Gallicò sermone, *Vadas nec victoriã speres, nec militi tuo credas.* Tribunal ascendit vt concionaretur, & faustum aliquid diceret: ita cœpit, *Occiso imperatore Heliogabalo.* hoc tamen omini fuit, quòd iturus ad bellum, milites alloqui minus fausta oratione cœptauerat. Sed hæc omnia vehementissimè contempsit. Profectúsque ad bellum, in loco supra dicto ita occisus est. Pranderat fortè publico, vt solebat, conuiuio, id est apertis papilionibus, cibo militari accepto: neque enim aliud à discumbentibus militibus in tentoriis est repertum. Et quum dormiret post conuiuium hora diei ferè septima, vnus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis, solo tantum imperatore interuigilante visus est: cui Alexander, *Quid est,* inquit, *contubernalis? Num aliquid de hostibus nuntias?* At ille metu perterritus & sperans non posse euadere quòd in tẽtorium principis irruisset, ad contubernales suos venit, eósque ad durum principem interimendum exhortatus est: qui subitò plures armatíque ingressi, inermes & obsistentes contruncauerunt, ipsúmque pluribus ictibus confoderunt. Aliqui dicunt, omnino nihil dictum, sed tantùm à militibus clamatum, *Exi, recede*: atque ita obtruncatum iuuenem optimum. Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniã à Maximino, Alexandri

A fuit, & potiſſimus quidem per Armenios & Oſdroenos & Parthos, & omnis generis hominum. Contempſiſſe Alexandrum mortem, cum ferocitas mẽtis, qua militem ſemper attriuit, tum etiam illa declarant. Thraſybulus mathematicus illi amiciſſimus fuit: qui quum ei dixiſſet, neceſſitatẽ eſſe vt gladio barbarico periret, primò lætatus eſt quòd ſibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde diſputauit oſtendítque optimos quoſque violenta morte conſumptos, quum diceret ipſum Alexandrum, cuius nomẽ teneret, Pompeium, Cæſarem, Demo-
B ſthenem, Tullium, & cæteros inſignes uiros, non quieta morte oppetiſſe. Tantúmque animi habuit vt putaret ſe diis comparandum ſi in bello periret: ſed res eum fefellit. Nam & gladio barbarico, & ſcurræ barbari manu, verùm nõ in bello, ſed belli tempore periit. Mortem eius milites, & qui exautorati ab eo quondam fuerant, grauiſſimè tulerunt, atque autores cædis trucidarunt. Populus verò Romanus, ſenatúſque omnis cum prouincialibus cunctis, neque triſtius vnquã neque aſperius acceperunt, ſimul quòd ſucceſſoris aſperitas atque ruſticitas Maximini, vtpote ho-
C minis militaris, cui cũ filio poſt eum imperiũ delatum eſt, grauiorem fati neceſſitatem videbatur oſtendere. Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romæ ſepulcrum ampliſſimũ meruit. Dati ſunt & ſodales, qui *Alexandrini* appellati ſunt: addita & feſtiuitas matris nomine, atq; ipſius, quæ hodiéque Romæ religioſiſſimè celebratur natali eius die. Cauſa occidendi eius ab aliis hæc fuiſſe perhibetur quòd mater eius relicto bello Germanico Oriẽtem ad iactantiam ſui vellet redire, atque ob hoc eſſet iratus exercitus. Sed hæc ab amatoribus Maximini ficta ſunt, qui
D videri noluerunt imperatorem optimum ab amico ſuo interfectum contra iura humana atque diuina. Hactenus imperium P. R. eũ principem habuit qui diutius imperaret, poſt eum certatim irruentibus, & aliis ſemeſtribus, aliis annuis, pleriſque per biennium, ad ſummũ per triennium imperantibus, vſque ad eos principes qui latius imperium tetenderunt, Aurelianum dico, & deinceps. de quibus, ſi vita

ſuppeditauerit, ea quę comperta fuerint publicabimus. Reprehenſa ſunt in Alexandro hæc, Quòd Syrus eſſe nolebat, quòd aurũ amabat, quòd ſuſpicioſiſſimus erat, quòd vectigalia multa inueniebat, quòd ſe Magnum Alexandrum videri volebat, quòd nimis ſeuerus in milites erat, quòd curas priuatas agebat: quæ omnia in Repub. inſtituerat. Scio ſanè pleroſque negare hunc à ſenatu Cæſarem appellatum eſſe ſed à militibus, qui verum prorſus ignorant: dicere pręterea non hunc fuiſſe cõſobrinum Heliogabali, qui, vt nos ſequantur, hiſtoricos eius tẽporis legant, & maximè Acholium, qui & itinera huius principis ſcripſit. Soles quærere Conſtantine maxime, quid ſit quòd hominem Syrum & alienigenam, talem principem fecerit, quum tot Romani generis, tot aliarum prouinciarum reperiantur improbi, impuri, crudeles, abiecti, iniuſti, libidinoſi. Iam primùm poſſum de bonorum virorum reſpondere ſentẽtia, potuiſſe natura, quæ vbique vna mater eſt, bonum principem naſci: deinde timore, quòd peſſimus eſſet occiſus, hunc optimum factum: ſed quia verum eſt ſuggerendum, clementiæ ac pietati tuæ lecta reſerabo. Notum eſt illud pietati tuæ quod in Mario Maximo legiſti, meliorem eſſe Remp. & propè tutiorem, in qua princeps malus eſt, ea in qua ſunt amici principis mali, ſiquidem vnus malus poteſt à plurimis bonis corrigi: multi autem mali non poſſunt ab vno, quamuis bono, vlla ratione ſuperari. Et id quidem ab Homulo ipſi Traiano dictum eſt, quum ille diceret Domitianum peſſimum fuiſſe, amicos autem bonos habuiſſe atque adeo illum magis odio fuiſſe, qui Remp. peioris vitæ hominibus commẽdauerat, quia melius eſt vnum malum pati quàm multos. Et vt ad rem redeam, Alexander quidem & ipſe optimus fuit. Nam hoc nemo vult niſi bonus, & optimæ matris conſiliis vſus eſt: ac tamen amicos ſanctos & venerabiles habuit, non malitioſos, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malum conſentientes, non bonorũ inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumuentores ſui, nõ irriſores, non qui illum quaſi fatuum circumducerent: ſed ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes prin-

A B C D (margin letters)

A cipis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existimationem principis sui, sed amarēt. Huc accedit quòd eunuchos nec in cōsiliis nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt viuere: qui à populo etiā amicissimum principem semouent: qui internuntij sunt, aliud quàm respondetur sæpe referentes, claudentes principem suum, & agētes ante omnia, nequid sciat. Qui quum empti sint & praui fuerint, quid tandem possunt boni sapere? Erat denique eius ipsius sententia, *Ego de præfectorum & consulum & senatorum capitibus mancipia ære empta iudicare non patiar.* Scio imperator Constantine, quo periculo ista dicantur apud imperatorem qui talibus seruit, sed salua Rep. posteaquam intellexisti quid mali clades istæ habeāt, & quemadmodum principes circumueniant, & tu eos eo loci habes vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris. Iam illud insigne, quòd solum intra Palatium præter præfectum, & Vlpianum quidem, neminem vidit: nec dedit alicui facultatem vel fumorum vendendorum de se, vel sibi de aliis malè loquendi, maximè occiso Turino, qui illum quasi fatuum & væcordem sæpe vendiderat. His accessit, quòd amicos & parentes Alexander si malos reperit, aut puniuit, aut, si vetus vel amicitia vel necessitudo non siuit puniri, dimisit à se, dicens, *His charior est mihi tota Respubl.* Et vt scias qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus Sabini insignis viri filius, Cato temporis sui, Domitius Vlpianus iuris peritissimus, Ælius Gordianus Gordiani imperatoris pater, & ipse re vera vir insignis: Iulius Paulus iuris peritissimus, Claudius Venatus orator amplissimus: Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, hi omnes iuris professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri imperatoris familiares & socij, vt scribit Acholius & Marius Maximus, Catilius Seuerus cognatus eius vir omniū doctissimus, Ælius

Serenianus omnium vir sanctissimus, Quintilius Marcellus A
quo meliorem ne historiæ quidem cõtinent. His tot atque
aliis talibus viris quid mali potuit cogitari vel fieri, quum
ad bonum consentirent? Et eos quidem malorum cohors
depulerat, qui circumuenerant Alexandrum primis die-
bus, sed prudentia iuuenis his malis occisis atque depulsis,
amicitia ista sancta conualuit. Hi sunt qui bonum princi-
pem suum fecerunt: & item amici mali, qui Romanos pes-
simos etiam posteris tradiderunt suis vitiis laborantes.

B

IVLII CAPITOLINI

MAXIMINI DVO ad Constantinum Augustum.

NE fastidiosum esset clementiæ tuæ Con-
stantine maxime singulos quosque prin-
cipes, vel principum liberos per libros
singulos legere, adhibui moderationem C
qua in vnum volumen duos Maximinos,
patrem filiúmque, congererem. Seruaui
deinceps ordinem quem pietas tua etiam à Tatio Cyrillo
clarissimo viro, qui Græca in Latinum vertit, seruari
voluit; quod quidem non in vno tantùm libro, sed etiam
in plurimis deinceps reseruabo: exceptis magnis impera-
toribus, quorum res gestæ plures atque clariores, lon-
giorem desiderant textum. Maximinus senior sub Ale-
xandro imperatore enituit. Militare autem sub Seuero
cœpit. Hic de vico Thraciæ vicino, Barbaro etiam pa- D
tre & matre genitus, quorum alter è Gothis, alter ex Ala-
nis, genitus esse perhibetur. Et patri quidem nomen
Micea, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Ma-
ximinus primis temporibus, ipse prodidit, postea verò
vbi ad imperium venit, occuli præcepit, ne vtroque paren-
te Barbaro genitus imperator esse videretur. Et in prima

A quidem pueritia fuit paſtor, nonnunquam procer, qui latronibus inſidiaretur, & ſuos ab incurſionibus vindicaret. Prima ſtipendia, equeſtria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conſpicuus, virtute inter omnes milites clarus, forma virili decorus, ferus moribus, aſper, ſuperbus, cõtemptor, ſæpe tamen iuſtus. Innoteſcendi ſub Seuero imperatore prima hæc fuit cauſa: Natali Getæ filij minoris, Seuerus militares dabat ludos, propoſitis præmiis argẽteis, id eſt armillis, torquibus & baltheolis. Hìc adoleſcens & ſemibarbarus, & vix adhuc Latinæ linguæ, propè Threci-B ca, imperatorem publicè petiit vt ſibi daret licentiam contendendi cum iis qui iam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus miratus, primùm eum cum lixis compoſuit, ſed fortiſſimis quibuſque, ne diſciplinam militarem corrumperet. Tunc Maximinus XVI lixas vno ſudore deuicit, XVI acceptis præmiis minuſculis, non militaribus, iuſſúſque militare. Tertia fortè die quum proceſſiſſet Seuerus ad campum, in turba exultantem more barbarico Maximinum vidit, iuſſitque ſtatim tribuno vt eum coerceret, ac Romana diſciplina imbueret. Tunc ille C vbi de ſe intellexit imperatorem loquutum, ſuſpicatus Barbarus & notum ſe eſſe principi & inter multos cõſpicuum, ad pedes imperatoris equitantis acceſſit. Tum volens Seuerus explorare quantus in currendo eſſet, equum admiſit multis circuitionibus, & quum imperator laboraſſet, neque ille accurrendo per multa ſpatia deſiſſet, ait ei, *Quid vis Threciſce? nunquid delectat luctari poſt curſum?* Tum ille, *Quantum libet* (inquit) *Imperator.* Poſt hoc ex equo Seuerus deſcendit, & recentiſſimos quoſque ac fortiſſimos milites ei comparari iuſſit. Tum ille more ſolito VII fortiſſimos vno ſu-D dore vicit, ſolúſque omnium à Seuero poſt argentea præmia torque aurea donatus eſt, iuſsúſq; inter ſtipatores corporis ſemper in aula conſiſtere. Hinc igitur factus conſpicuus, inter milites clarus, amari à tribunis, à commilitonibus ſuſpici, impetrare ab imperatore quod vellet, locis etiã militiæ à Seuero adiutus quum eſſet adoleſcẽs, longitudine autem corporis & vaſtitate, & forma, atque oculorum magnitu-

gnitudine & candore omnes excelleret. Bibiſſe autẽ illum A ſæpe in die vini capitolinam amphoram conſtat:comediſſe & XL libras carnis: vt autem Cordus dicit,etiã LX. Quod ſatis cõſtat,oleribus ſemper abſtinuit, à frigidis propè ſemper, niſi quum illi potandi neceſſitas eſſet. Sudores ſæpè ſuos excipiebat,& in calices vel in vaſculum mittebat,ita vt duos vel tres ſextarios ſui ſudoris oſtenderet. Hic diu ſub Antonino Caracallo ordines duxit,centuriatus,& cæteras militares dignitates ſæpe tractauit. Sub Macrino (quòd eum qui imperatoris ſui filium occiderat,vehemẽter odiſſet) à militia deſiit,& in Thracia in vico vbi genitus B fuerat,poſſeſſiones comparauit, ac ſemper cum Gotthis commercia exercuit. Amatus eſt autẽ vnicè à Getis quaſi eorum ciuis. Alani quicunque ad ripam venerunt,amicum cum donis viciſſim recurrẽtibus approbabant. Sed occiſo Macrino cum filio ſuo, vbi Heliogabalum quaſi Antonini filium imperatorem comperit, iam maturæ ætatis ad eum venit, petiítque vt quod auus eius Seuerus iudicij circa ſe habuerat, & ipſe haberet. Sed apud impurum hominem valere nihil potuit. Nam dicitur cùm eo iocatus eſſe Heliogabalus turpiſſimè, dicens, *Maxime*, XVI *&* XX *&* XXX C *milites diceris aliquando laſſaſſe, potes tricies cum muliere perficere.* Tum ille vbi vidit infamem principem ſic exorſum, à militia diſceſsit,& tamen retentus eſt per amicos Heliogabali,ne hoc quoque illius famę accederet quòd virum temporis ſui fortiſsimum,& quem alij *Herculem*,alij *Achillem*, alij *Aiacem* vocabant,à ſuo exercitu dimoueret.Fuit igitur Maximinus ſub homine impuriſsimo tantùm honore præditus tribunatus, ſed nunquam ad manum eius acceſsit, nunquam illum ſalutauit per totum triennium huc atque illuc diſcurrens. modò agris, modò otio, modò fictis lan- D guoribus occupatus eſt. Occiſo Heliogabalo,vbi Maximinus comperit Alexandrum principem nominatũ,Romam contendit,quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione ſuſcepit,vt in ſenatu verba faceret talia, *Maximinus P.C. tribunus cui ego latum clauum addidi, ad me confugit,qui ſub impura illa bellua militare non potuit. qui apud diuum*

A *parentem meum Seuerum tantus fuit quantum illum fama comperitis.* Statim denique illum tribunum legionis quartæ quam ex tyronibus ipse composuerat, dedit, & eum in hæc verba prouexit, *Veteres milites tibi Maximine mi chariſsime atque amantiſsime, idcirco non credidi, quòd veritus ſum ne vitia eorum ſub aliis inoleſcentia emendare non poſſes. Habes tyrones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem: eos fac militiam addiſcere, vt mihi multos Maximinos Reip. optabiles ſolus efficias.* Accepta igitur legione, ſtatim eam exercere cœpit. Quinta quaque die iubebat milites decurrere, ſimulacra bellorum B agere: gladios, lanceas, loricas, galeas, ſcuta, tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumſpicere: calceamenta quinetiam ipſa proſpiciebat, prorſus vt ſe parem militibus præberet. Sed quum eum quidam tribuni reprehenderēt, dicentes, *Quid tantum laboras, quum eius loci iam ſis, vt ducatum poſsis accipere?* dixiſſe fertur, *Ego verò quo maior fuero, tanto plus laborabo.* Exercebat cum militibus ipſe luctam, quinos, ſenos, & ſeptenos iam grandæuus ad terram proſternens. Denique inuidentibus cunctis, quum quidam tribunus ſuperbior, magni corporis, virtutis notæ, atque C ideo ferocior ei dixiſſet, *Non magnam rem facis ſi tribunus tuos milites vincis:* Ille ait, *Viſne congrediamur?* Qúmque aduerſarius annuiſſet, venientem contra ſe palma in pectus percuſſum ſupinum reiecit, & continuò dixit, *Date alium, ſed tribunum.* Erat præterea (vt refert Cordus) magnitudine tanta, vt octo pedes digito videretur egreſſus: pollice ita vaſto vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo. Iam illa propè in vulgi ore ſunt poſita, quòd hamaxas manibus attraheret, rhedam onuſtam ſolus moueret: equo ſi pugnum dediſſet, dentes ſolueret: ſi calcem, crura fran- D geret: lapides tophicios friaret, arbores teneriores ſcinderet. Alij denique eum *Crotoniatem Milonem*, alij *Herculem*, *Antæum* alij vocant. His rebus conſpicuum virum Alexander, magnorum meritorum iudex, in ſuam perniciem omni exercitui præfecit, gaudentibus cunctis vbique tribunis, ducibus, & militibus. Denique totum eius exercitum qui ſub Heliogabalo magna ex parte torpue-

rat, ad ſuam militarem diſciplinam retraxit. Quod Alexandro, vt diximus, optimo quidem imperatori, ſed tamen cuius ætas ab initio contemni potuerit, grauiſsimum fuit. Nam quum in Gallia eſſet, & non longè ab vrbe quadam caſtra poſuiſſet, ſubitò immiſſis militibus, vt quidam dicunt, ab ipſo, vt alij, à tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus eſt, Maximino iam imperatore appellato. Et cauſam quidem Alexandri interimendi alij aliam fuiſſe dicunt. Quidam enim Mammæam dicunt auctorem fuiſſe vt filius deſerto bello Germanico Orientem peteret, atque ideo milites in ſeditionem prorupiſſe. Quidam, quòd ille nimis ſeuerus eſſet, & voluiſſet ita in Gallia legiones exauctorare, vt exauctorauerat in Oriente. Sed occiſo Alexandro, Maximinus primùm è corpore militari, & nondum ſenator, ſine decreto ſenatus, Auguſtus ab exercitu appellatus eſt, filio ſibimet in participatum dato: de quo pauca quæ nobis ſunt cognita, mox dicemus. Maximinus autem ea fuit ſemper aſtutia vt milites non ſolùm virtute regeret, ſed etiam præmiis & lucris ſui amãtiſsimos redderet. Nunquam annonam cuiuſpiam tulit. Nunquam fuit qui in exercitu faber, aut alterius rei (vt plerique ſunt) artifex eſſet. ſolis venationibus legiones frequenter exercebat. Sed inter has virtutes tam crudelis fuit vt illum alij *Cyclopem*, alij *Buſiridem*, alij *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem*, vel *Gygem* vocarent. Senatus eum tantum timuit vt vota in templis publicè priuatímque mulieres etiam cum ſuis liberis facerent, ne ille vnquam vrbem Romam videret. Audiebat enim alios in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris obiectos, alios fuſtibus eliſos, atque omnia hæc ſine delectu dignitatis, quum videretur diſciplinam velle regere militarem, cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit, quod non conuenit principi qui velit diligi. Erat enim ei perſuaſum, *niſi crudelitate imperium non teneri*. Simul & verebatur ne propter humilitatem generis barbarici à nobilitate contemneretur. Meminerat præterea ſe Romæ etiam à ſeruis nobilium contemptum eſſe,

A ita vt ne à procuratoribus quidem eorum videretur. Et vt se habent stultæ opiniones, tales eos contrà sperabat futuros, quũ iam imperator esset. *Tantum valet conscientia degeneris animi.* Nam ignobilitatis tegendæ causa omnes conscios generis sui interemit: nonnullos etiam amicos qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis causa pleraque donauerant. Neq; enim fuit crudelius animal in terris: omnia sic in viribus suis ponens quasi non posset occidi. Denique quum immortalem se propè crederet ob magnitudinem corporis sui virtutísque munus, quidam in theatro præsente illo dicitur B versus Græcos dixisse, quorum hæc erat Latina sententia,

Et qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est, & occiditur:
Caue multos, si singulos non times.

Et hæc imperatore ipso præsente iam dicta sunt. Sed quum Maximinus interrogaret amicos quid mimus scurra dixisset, dictum est ei quòd antiquos versus cantaret contra homines asperos scriptos, & ille, vt erat Thrax & barbarus, C credidit. Nobilem circa se neminem passus est, prorsus vt Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret. Præterea omnes Alexandri ministros variis modis interemit. Dispositionibus eius inuidit. Et dum suspectos habet amicos ac ministros eius, crudelior factus est. Quum esset ita moratus vt ferarum more viueret, tristior & immanior factus est factione Magni cuiusdam consularis viri contra se parata: qui cum multis militibus & centurionibus ad eum confodiendum consilium inierat, quum in se imperium transferre cuperet. Et genus factionis fuit tale. Quum ponte iuncto D in Germanos transire Maximinus vellet, placuerat vt contrarij cum eo transirent, pons postea solueretur, ille in barbarico solo circumuentus occideretur, imperium Magnus arriperet. Nam omnia cœperat agere, & quidem fortissimè, statim vt factus imperator, peritus vtpote rei militaris, volens existimationem de se habitam tenere, & ante omnes Alexandri gloriam, quem ipse occiderat, vincere.

Quare imperator etiam in exercitio quotidie milites detinebat. Erátque in armis ipſe magnus exercitio, & corpore multa ſemper oſtendens, & iſtam quidem factionem Maximinus ipſe finxiſſe perhibetur, vt materiam crudelitatis augeret. Denique ſine iudicio, ſine accuſatione, ſine delatore, ſine defenſione omnes interemit, omnium bona ſuſtulit: & plus IIII millibus hominum occiſis, ſe ſatiare nõ potuit. Fuit etiam ſub eodem factio, deſciſcentibus ſagittariis Oſdroenis ab eodem ob amorem Alexandri & deſiderium, quem à Maximino apud eos occiſum eſſe conſtabat, nec aliud perſuaderi potuerat. Denique etiam ipſi Tycum ex ſuis ſibi ducem atque imperatorem fecerunt, quẽ Maximinus priuatum iam dimiſerat: quem quidem & purpura circundederunt, regióque apparatu ornarunt, & quaſi ſui milites obſepſerunt. & inuitum quidem. Sed hic Tycus dormiens domi ſuæ ab vno ex amicis ſuis interfectus eſt, qui ſibi doluit illum eſſe præpoſitum, Macedonio nomine, qui eum Maximino prodidit, quíque caput eius ad imperatorẽ detulit. Sed Maximinus primò ei gratias egit, poſtea tamen vt proditorem odio habuit, & occidit. His rebus in dies immanior fiebat, ferarum more quæ vulneratæ magis exulcerantur. Poſt hæc tranſiit in Germaniam cũ omni exercitu, & Mauris, & Oſdroenis, & Parthis, & omnibus quos ſecum Alexander ducebat ad bellum. Et ob hoc maximè orientalia ſecum trahebat auxilia, quòd nulli magis contra Germanos quàm expediti ſagittarij valent. Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidiſſe. Ingreſſus igitur Germaniam Tranſrhenanam per CCC, vel CCCC millia barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit: barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit: cepit innumeros. & niſi Germani per amnes & paludes & ſyluas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet, ipſe præterea manu ſua multa faciebat, quum etiam paludem ingreſſus circumuentus eſſet à Germanis, niſi eum equo inhærentem ſui liberaſſent. Habuit enim hoc barbaricæ temeritatis, vt putaret impe-

A ratorem manu etiam ſua ſemper vti debere. Denique quaſi nauale quoddam prælium in palude fecit plurimóſque illic interemit. Victa igitur Germania, literas Romã ad ſenatum & ad populum miſit, ſe dictante conſcriptas, quarum ſententia hæc fuit: *Non poſſumus tantum P.C. loqui quantum fecimus. Per* CCCC *millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abſtraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Perueniſſemus ad ſyluas niſi altitudo paludum nos tranſire non permiſiſſet.* Ælius Cordus dicit, hanc omnino ipſius orationem fuiſſe: quod credibile eſt. Quid enim in
B hac eſt quod non poſſet Barbarus miles? qui pari ſẽtẽtia, & ad populum ſcripſit, ſed maiori reuerentia, idcirco quòd ſenatum oderat, à quo ſe contemni multum credebat. Iuſſit præterea tabulas pingi ita ut erat bellum ipſum geſtum, & ante curiam proponi, vt facta eius pictura loqueretur: quas quidem tabulas poſt mortem eius ſenatus & deponi iuſſit & exuri. Fuerũt & alia ſub eo bella plurima, ex quibus ſemper primus victor reuertit, & cum ingentibus ſpoliis atque captiuis. Extat oratio eiuſdem miſſa ad ſenatum, cuius hoc exemplum eſt, *Breui tempore P.C. tot bella geſſi quot*
C *nemo veterum. Tantum prædæ in Romanum ſolum attuli quantum ſperari non potuit. Tantum captiuorum adduxi vt vix ſola Romana ſufficiant.* Reliqua orationis verba non ſunt ad rem neceſſaria. Parata Germania Syrmiũ venit, Sarmatis inferre bellũ parans atque animo habens, concupiens vſque ad Occeanum ſeptentrionales partes in Romanam ditionem redigere: quod feciſſet, ſi vixiſſet, vt Herodianus dicit Græcus ſcriptor, qui ei (quantum videmus) in odium Alexandri plurimùm fauit. Sed quum Romani eius crudelitatem ferre non poſſent, quòd delatores euocaret, accuſatorem im-
D mitteret, crimina fingeret, innocẽtes occideret, damnaret omnes quicunque in iudicium veniſſent, ex ditiſſimis hominibus pauperrimos faceret, nec aliunde niſi malo alieno pecuniam quæreret: deinde ſine delicto cõſulares viros & duces multos interimeret, alios Scythicis vehiculis exhiberet, alios in cuſtodia detineret, nihil denique prætermitteret quod ad crudelitatem videretur operari: contra eum

defectionē pararūt. Nec solum Romani sed, quia & in milites sæuiebat, exercitus qui in Africa erat subita & ingenti seditione Gordianum senem, virum grauissimum qui erat proconsul, imperatorem fecerunt: cuius factionis hic ordo fuit. Erat fisci procurator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliauerat: hic per rusticanam plebem deinde & quosdam milites interemptus est per eos qui rationalem in honorem Maximini defendebant. Sed quum viderent autores cædis eius acrioribus remediis sibi subueniendum esse, Gordianum procōsulem, virum (vt diximus) venerabilem, natu grandiorem, omni virtutum genere florētem, ab Alexandro ex senatusconsulto in Africam missum, reclamantē & se terrę affligentē, opertum purpura imperare coegerunt, instantes cum gladiis & cū omni genere telorū. Et primò quidem inuitus Gordianus purpurā sumpserat: postea verò quum vidit neq; filio, neque familiæ suæ tutū id esse, volens suscepit imperium, & apellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud oppidum Tisdrū: inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus & fascibus laureatis, vnde Romam ad senatum literas misit, quę occiso Valeriano duce militum prætorianorum, in odium Maximini gratanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex & Gordianus iuuenis à senatu Augusti. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores omnes amici Maximini occisi sunt. Interfectus est Sabinus prę̨fectus vrbis, percussus in populo. Vbi hęc gesta sunt, senatus magis timens Maximinum, apertè ac liberè hostes appellat Maximinum & eius filium. Literas deinde mittit ad omnes prouincias, vt communi saluti libertatíque subueniant: quæ auditæ sunt ab omnibus. Denique vbique amici, & administratores, & duces, tribuni & milites Maximini interfecti sunt. Paucæ ciuitates fidem hostem publico seruauerunt: quæ proditis iis qui missi ad eos fuerant, ad Maximinum citò per indices detulerint. Literarū senatus exemplum hoc fuit, *Senatus populúsque Romanus, per Gordianos principes ab illa tristissima bellua liberari cœptus, proconsulibus, præsidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus, ac*

A *ſingulis ciuitatibus: & municipiis, & oppidis, & vicis, & caſtellis ſalutem, quam nunc primùm recipere cœpit, dicit. Diis fauentibus Gordianum proconſulem, virum ſanctiſſimum & grauiſſimum ſenatorem, principem meruimus: auguſtum appellauimus. Nec ſolum illum, ſed etiam in ſubſidium Reip. filium eius Gordianum nobilem iuuenem. Veſtrum eſt conſentire ad ſalutem Reip. obtinendam, & ad ſcelera defendenda, & ad illam belluam Maximinum atque illius amicos vbicunque fuerint, perſequendos. A nobis etiam Maximinus cum filio ſuo hoſtis eſt iudicatus.* Senatuſconſulti autem hoc fuit exemplum. Quum ventum eſſet in ædem Caſtorum, VI Cal. Iunias, acceptas literas Iunius Syllanus conſul ex Africa, Gordiani imperatoris patris patriæ proconſulis, recitauit. *Inuitum me P. C. iuuenes, quibus Africa tuenda commiſſa eſt, ad imperium vocarunt. Sed intuitu veſtri neceſsitatem libens ſuſtineo. Veſtrum eſt æſtimare quid velitis. Nam ego vſque ad ſenatus iudicium incertus & varius fluctuabo,* Lectis literis, ſtatim ſenatus acclamauit, *Gordiane Auguſte, dij te ſeruẽt. felix imperes, tu nos liberaſti. Saluus imperes, tu nos liberaſti. Per te ſalua Reſp. omnes tibi gratias agimus.* Item COS. retulit, *P. C. de Maximinis quid placet?* reſponſũ eſt, *Hoſtes, hoſtes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Itẽ conſul dixit, *De amicis Maximini quid videtur?* acclamatum eſt, *Hoſtes, hoſtes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Ita acclamatum eſt, *Inimicus ſenatus in crucem tollatur. Hoſtis ſenatus vbicunque feriatur. Inimici ſenatus viui exurantur, Gordiani Auguſti, dij vos ſeruent. Ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturã decernimus, nepoti Gordiani conſulatum ſpondemus. nepos Gordiani Cæſar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat.* Vbi hoc ſenatuſconſultum Maximinus accepit, homo natura ferus, ſic exarſit vt non hominem ſed belluam putares. Iaciebat ſe in parietes, nonnunquam terræ ſe proſternebat. Exclamabat inconditè, arripiebat gladium quaſi ſenatum poſſet occidere, conſcindebat veſtem regiam, alios verberibus afficiebat & niſi de medio receſſiſſet (vt quidam ſunt autores) oculos filio adoleſcẽtulo ſuſtuliſſet. Cauſa autem iracundiæ contra filium hæc fuit, quòd eum Romam ire iuſſerat quum primùm imperator factus eſt, & ille patris nimio

nimio amore neglexerat: putabat:autẽ quòd si ille Romæ A
fuisset, nihil ausurus esset senatus. Ardentem igitur Maximinum iracundia amici intra cubiculum receperunt. Sed quum furorem suum tenere non posset, vt obliuionem cogitationis acciperet, vino se primo die obruisse dicitur eousque vt quid gestũ esset ignoraret. Alia die amissis qui eum audire non poterant, sed tacebant, & qui factum senatus tacitè laudabant, consilium habuit quid facto opus esset: è concilio ad concionẽ processit, in qua cõcione multa in Afros, multa in Gordianum, plura in senatum dixit, cohortatúsque milites ad communes iniurias vindicandas. B
Concio denique omnis militaris fuit, cuius hoc exemplũ est, *Commilitones, rem vobis notam proferimus. Afri fidem fregerunt. quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt? Gordianus senex debilis & morti vicinus sumpsit imperium. Sanctißimi autem P.C. illi, & qui & Romulum & Cæsarem occiderunt, me hostem iudicauerunt, quum pro his pugnarem & ipsis vincerem, nec solum me sed etiam vos & omnes qui mecum sunt, quos & senatui acceptißimos, & sibi aduersißimos esse credebant. Quare factũ est (vt diximus) vt Gordianum adolescentulum principem peterent,* C
qui statim factus est. Nec prius permißi sunt ad Palatium stipati armatis ire quàm nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparet, & Gordianos patrem ac filium Augustos vocarent. Ergo si viri estis, si vires habetis, eamus contra senatum & Afros: quorum omnium bona vos habebitis. Dato igitur stipendio, & quidẽ ingenti, Romam versus cũ exercitu proficisci cœpit. Sed Gordianus in Africa primum à Capeliano quodam agitari cœpit cui Mauros regenti successorem dederat. Contra quem filium iuuenem quum misisset, accerrima pugna interfecto filio, ipse laqueo vitam finiuit, sciens & in Maximino multum esse roboris & Afris nihil virium, multum quinimo D
perfidiæ. Tunc Capelianus victor pro Maximino omnes Gordiani partium, motu partium in Africa interemit atq; proscripsit. Nec cuiquam pepercit, prorsus vt ex animo Maximini videretur hæc facere. Ciuitates denique subuertit, fana diripuit, donaria militibus diuisit, plebem & principes ciuitatum concidit. Ipse præterea militum ani-

A mos sibi conciliabat, præludens ad imperium si Maximinus perisset. Hæc vbi Romam nuntiata sunt, senatus Maximini & naturalem & iam necessariam crudelitatem timens, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex præfecto vrbi, & qui plurimas dignitates præcipuè gessisset, ignobilem genere, sed virtutibus clarum, & Clodium Balbinum, moribus delicatiorem, imperatores creauit. Quibus à populo Augustis appellatis, per milites & eundem populum etiam paruulus nepos Gordiani Cæsar est dictus. Tribus igitur imperatoribus contra Maximi-
B num fulta Resp. est. Horum tamen Maximus vita seuerior, prudentia grauior, virtute constantior: denique ipsi contra Maximinum & senatus & Balbinus bellum tradiderunt. Profecto igitur ad bellum Maximo contra Maximinũ, Balbinus Romæ bellis intestinis & domesticis seditionibus vrgebatur, occisis præcipuè per populum Gallicano & Mæcenate: qui quidem populus à prætorianis laniatus est, quum Balbinus resistere seditionibus non satis posset. Denique magna pars vrbis incensa est. Et recreatus
C quidem imperator fuerat Maximinus, audita morte Gordiani atque eius filij, Capeliani victoria. verùm vbi & aliud senatusconsultum accepit quo Maximus & Balbinus & Gordianus imperatores appellati sunt, intellexit senatus odia esse perpetua, & se verè hostem omnium iudicio haberi. Acrior denique Italiam ingressus est. Vbi quum comperisset Maximum contra se missum, vehementius sæuiẽs, quadrato agmine Hemonam venit. Sed prouincialium omnium consilium hoc fuit vt sublatis omnibus quæ victum præbere possent, intra ciuitates se reciperent, vt Maximinus cum exercitu fame vrgeretur. denique vbi pri-
D mùm castra in campo posuit, neque quicquam commeatus reperiret, incensus contra eum exercitus suus, quòd fame in Italia laborasset, in qua post Alpes recreari se posse credebat, murmurare primùm cœpit, deinde etiam aliqua liberè dicere. Hæc quum vellet vindicare, multum exarsit exercitus, & odium tacitum in tempus distulit, quod loco suo statim prodidit. Plerique sanè dicũt, ipsam Hemonam

vacuam & desertam inuentam esse Maximino stultè lætante quòd quasi ciuitas tota cessisset. Post hoc Aquileiam venit, quæ contra eum armatis circa muros dispositis, portas clausit: nec oppugnatio defuit, Menophilo & Crispino consularibus viris autoribus. Quum igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem vrbem misit. Quibus populus penè consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens, etiam deum Bellenum per aruspices spopondisse Maximinum esse vincendum. Vnde etiam postea Maximini milites iactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse, nec illam Maximi aut senatus, sed deorum fuisse victoriam. Quod quidem idcirco ab his fictum esse dicunt quòd erubescebant armatos se penè ab inermibus victos. Ponte itaque cuppis facto, Maximinus fluuium transiuit, & de proximo Aquileiã obsidere cœpit. Ingens autem oppugnatio & discrimen tunc fuit, quum se ciues sulfure & flãmis, cæterísq; huiusmodi propugnaculis à militibus defenderent: quorum alij nudabantur armis, aliorum vestes incẽdebantur, aliorũ oculi extinguebãtur, diruebantur etiã machinamenta. Inter hæc Maximinus cũ filio suo adolescente, quem Cæsarem appellauerat circũire muros quantum à teli iactu satis tutus esse posset, nunc suis verbis milites, nunc oppidanos rogare. verùm nihil profecit. Nam multa & in eum crudelitatis causa, & in filiũ qui speciosissimus erat, probra congesta sunt. Quare Maximinus sperans suorum ignauia bellum trahi, duces suos interemit, eo tempore quo minimè oportebat: vnde sibi milites etiã iratiores reddidit. Huc accedebat quòd deficiebãt commeatus, quia senatus ad omnes prouincias & portuum custodes literas dederat ne aliquid commeatuum in Maximini potestatem veniret. Miserat præterea per omnes ciuitates prętorios & quæstorios viros, qui vbique custodias agerent, & omnia contra Maximinum defenderẽt. Effectum denique est vt obsessi angustias, obsidens ipse, pateretur. Nuntiabatur inter hæc orbem terrarum consensisse in odium Maximini. Quare timentes milites, quorum affectus in Albano monte erãt, medio fortè die quum

A à prælio quiesceretur, & Maximinũ & filium eius quiescentes, in tentorio positos occiderunt, eorúmque capita præfixa contis Aquileiensibus demonstrauerunt. In oppido igitur vicino statim Maximini statuę atque imagines depositæ sunt, & eius præfectus prætorij occisus est cum amicis clarioribus. Missa etiam Romam capita sunt eorum. Hic finis Maximinorum fuit dignus crudelitate patris, indignus bonitate filij. Quibus mortuis ingens lætitia prouincialiũ, dolor grauissimus Barbarorum. Sed milites interfectis publicis hostibus recepti sunt ab oppidanis, rogantes: & pri-
B mùm ita vt antè imagines Maximi & Balbini & Gordiani adorarent, quum omnes dicerent priores Gordianos in deos relatos. Post hoc ingens ex Aquileia commeatus in castra quę laborabãt fame, traductus est, fessísque militibus alia die in concionem ventum est, & omnes in Maximi & Balbini verba iurarunt, Gordianos priores diuos appellantes. Dici vix potest quanta lætitia fuerit, quum Romam per Italiam caput Maximini ferretur, occurrentibus cunctis ad gaudium publicum. Et Maximus quidem, quem multi Pupienum putant, apud Rauennam bellum parabat per
C Germanorum auxilia: qui vbi comperit consensisse exercitum sibi & collegis suis, occisos autem esse Maximinos, statim dimissis Germanorum auxiliis, quæ sibi contra hostem parauerat, Romam laureatas literas misit quæ in vrbe ingentem lætitiam fecerunt, ita vt omnes per aras, & templa, & sacella, & loca religiosa gratias agerent. Balbinus autem homo timidior natura, & qui quum Maximini nomen audiret, etiam tremeret, hecatombē fecit, iussitque per omnes ciuitates pari supplicari sacrificio. Deinde Maximus Romam venit, senatúmque ingressus, actis sibi gratiis, con-
D cionem habuit, atque inde in Palatium cum Balbino & Gordiano victores se receperunt. Interest scire quale senatusconsultum fuerit, vel qui dies vrbis, quum est nuntiatus interemptus Maximinus. Iam primùm is nuntius qui ex Aquileiensi vrbe Romam missus fuerat, tanto impetu, mutatis animalibus, cucurrit, vt quarta die Romam veniret, quum apud Rauennam Maximum reliquisset: & fortè dies

ludorum erat, quum ſubitò ſedente Balbino & Gordiano theatrum nuntius ingreſſus eſt: atque antequam aliquid indicaretur, omnis populus exclamauit, Maximinus occiſus eſt: ita vt nuntius præuentus, imperatores qui aderant, gaudium publicum nutu & conſenſu indicauerint. Soluto igitur ſpectaculo, omnes ſtatim ad ſuas religiones conuolarunt: atque inde ſenatus ad principem, populus ad concionem cucurrerunt. Senatuſconſultum hoc fuit: Recitatis in ſenatu per Balbinum Auguſtum literis acclamauit ſenatus, *Hoſtes populi Romani dij perſequuntur. Iupiter optime tibi gratias. Apollo venerabilis tibi gratias. Maxime Auguſte tibi gratias: Balbine Auguſte tibi gratias. Tibi gratias Gordiane Auguſte. Diuis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen olim eraſum, nunc animis eradendum. Hoſtis publici caput in profluentem abiiciatur, corpus eius nemo ſepeliat. Qui ſenatui mortem minatus eſt, qui ſenatui vincula minatus eſt, vt debebat interemptus. Sanctiſsimi imperatores gratias vobis agimus, Maxime, Balbine, Gordiane, dij vos ſeruent. Victores hoſtium omnes deſideramus: præſentiam Maximi omnes deſideramus. Balbine Auguſte, dij te ſeruent. Præſentem annum* COS. *vos ornetis, in locum Maximini Gordianus ſufficiatur.* Pòſt rogatus ſententiam Cuſpidius Celerinus, hæc verba habuit, *P. C. eraſo nomine Maximinorũ, appellatíſque diuis Gordianis, victoriæ cauſa principibus noſtris Maximo, Balbino & Gordiano ſtatuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, ſtatuas equeſtres decernimus, trophæa decernimus.* Poſt hæc miſſo ſenatu ſupplicationes per totam vrbem decretæ. Victores principes in Palatiũ ſe receperunt, de quorum vita in alio libro deinceps dicemus.

IVLII CAPITOLINI

MAXIMINVS IVNIOR, ad Conſtantinum Auguſtum.

MAXIMINVS IVNIOR, de cuius genere ſuperius dictum eſt, tantæ pulchritudinis fuit, vt paſſim amatus ſit à procacioribus fœminis. Nonnullæ etiam

A optauerunt de eo concipere. Proceritatis videbatur posse illius esse vt ad staturam paternam perueniret. Siquidem anno vicesimo & primo periit, in ipso flore iuuentutis (vt aliqui autem dicunt, octauodecimo) literis & Græcis & Latinis imbutus ad primam disciplinam. Nam vsus est magistro Græco literatore Fabilio, cuius epigrammata Græca multa extant, maximè in imaginibus ipsius pueri: qui versus Græcos fecit ex illis Latinis Vergilij, quum ipsum puerum describeret,

Qualis vbi Oceani profusus lucifer vnda
B *Extulit os sacrum cœlo, tenebrásque resoluit,*
Talis erat iuuenis primo sub nomine clarus.

Grammatico Latino vsus est Philemone, iurisperito Modestino, oratore Tatiano filio Tatiani senioris, qui Prouinciarum libros pulcherrimos scripsit, & qui dictus est *simia temporis sui*, quòd cuncta imitatus esset. Habuit & Græcum rhetorem Eugamium sui temporis clarum. Desponsata illi erat Iunia Fadilla, proneptis Antonini: quam postea accepit Toxotius eiusdem familiæ senator, qui periit post præturam, cuius etiam poemata extant. Manserũt autem apud
C eam arræ regiæ, quæ tales fuerunt, vt Iunius Cordus loquitur, ex iis qui harum rerum perscrutatores fuisse dicuntur: monolium de albis nouẽ, reticulum de prasinis vndecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas, & omnes regias, cæteráque insignia sponsaliorum. Adolescens autẽ ipse Maximinus superbiæ fuit insolentissimæ, ita vt etiam quum pater suus homo crudelissimus plerisque honoratis assurgeret, ille resideret. Vitæ lætioris, vini parcissimus, cibi auidus, maximè syluestris, ita vt nonnisi aprugnã, anates, grues, & omnia captiua ederet. In-
D famabant eum ob nimiam pulchritudinẽ amici Maximi, & Balbini, & Gordiani, & maximè senatores, qui speciem illam vel diuinitus lapsam incorruptã esse noluerũt. Deniq; illo tempore quo circum Aquileiam muros circumueniẽs cũ patre deditionẽ vrbis petebat, nihil aliud ei quàm spurcities obiecta est, quæ longè ab illius fuit vita. Vestibus tam accuratus fuit vt nulla mulier nitidior esset in mũdo: amicis

paternis immane quantũ obſequutus eſt,ſed vt donaret ac largiretur. Nam in ſalutationibus ſuperbiſſimus erat,& manũ porrigebat,genua ſibi oſculari patiebatur,& nõnunquã etiã pedes: quod nunquã paſſus eſt ſenior Maximinus,qui dicebat,*Dij prohibeãt vt quiſquam ingenuorũ pedibus meis oſculum figat.* Et quoniam ad Maximinos reuertimur,res iucundæ prætereundæ nõ ſunt. Nam quum eſſet Maximinus pedũ,vt diximus,octo & propè ſemis,calceamentũ eius,id eſt campagum regiũ, quidam in luco qui eſt inter Aquileiam & Arziã poſuerũt,quod conſtat pede maius fuiſſe hominis veſtigio atq; menſura: vnde etiã vulgò tractum eſt,quũ de lõgis & ineptis hominib⁹ diceretur,*Caliga Maximini.* Quod idcirco indidi,ne qui Cordũ legeret,me prætermiſiſſe crederet aliquid quod ad rem pertineret. Sed redeã ad filium. De hoc adoleſcente Alexander Aurelius ad matrem ſuam ſcribit Mammæam, cupiens ei ſororem ſuam Theocliam dare,in hæc verba, *Mi mater, ſi Maximinus ſenior dux noſter, & quidem optimus,non aliquid in ſe Barbarum contineret,iam ego Maximino iuniori Theocliam tuam dediſſem. Sed timeo ne ſoror mea Græcis munditiis erudita,Barbarum ſocerum ferre non poßit: quamuis ipſe adoleſcens & pulcher & ſcholaſticus,ad Græcas munditias eruditus eſſe videatur. Hæc quidem cogito,ſed te tamen conſulo,vtrum Maximinũ Maximini filium generum velis, an Meſſalam ex familia nobili oratorem potentißimum eundémque doctißimum,& (niſi fallor) in rebus bellicis ſi applicetur, fortem futurum.* Hæc Alexander de Maximino, de quo nos nihil amplius habemus quod dicamus. Sanè nequid prætermiſſum eſſe videatur, etiam epiſtolam indidi patris Maximini imperatoris iam facti, qui dicit idcirco ſe etiam filium ſuum appellaſſe imperatorem,vt videret vel in pictura vel in veritate qualis eſſet iunior Maximinus in purpura. Fuit autem talis epiſtola: *Ego cum propter affectum quem pater filio debet, Maximinum meum,imperatorem appellari permiſi,tum etiam vt populus Romanus & ſenatus ille antiquus iuraret ſe nunquam pulchriorem imperatorem habuiſſe.* Vſus eſt autem idem adoleſcens & aurea lorica exemplo Ptolemæorum: vſus eſt argentea,vſus & clypeo gemmato inaurato,& haſta inaurata.

A Fecit & ſpathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quicquid eius pulchritudinem poſſet iuuare. Fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas. Hæc ſunt quæ de puero ſciri & dici decuit. Reliqua qui volet noſſe de rebus Venereis & amatoriis, quibus eum Cordus aſpergit, eundem legat. Nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, vt iubetur velut publico iure, properantes. Omina ſanè imperij hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circundedit. Poſita ab eodem vitis intra annum ingentes vuas purpureas attulit, & miræ magnitudinis facta eſt. Scutum eius ſub ſole B arſit. Lanceola ſic fiſſa eſt fulmine vt tota etiam per ferrum ſcinderetur, & duas partes faceret: vnde dixerũt aruſpices, duos imperatores non diuturnos ex vna domo, iiſdem nominibus futuros. Lorica patris eius non, vt ſolet, ferrugine, ſed tota purpureo colore infecta à plurimis viſa eſt. Filio autẽ omina hæc fuerunt: Quum grammatico daretur, quædam parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis literis ſcriptos. Ipſe puerulus quum ad cœnam ab Alexãdro eſſet rogatus in patris honorem, quòd ei deeſſet veſtis cœnatoria, ipſius Alexandri accepit. Quum infans C eſſet, ſubitò per publicum veniẽte vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat, conſcẽdit & ſedit, & vix ægréq; à mulionibus carrucariis deturbatus eſt. Nec defuerũt qui cauendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit, *Longè eſt vt mihi ſuccedat iſte*. Erat enim illo tempore inter ignobiles, & nimis paruus. Mortis omina hæc fuerunt: Venienti cõtra Maximum & Balbinum Maximino cum filio, mulier quædam paſſis crinibus occurrit lugubri habitu, & exclamauit, *Maximini, Maximini, Maximini*: neque quicquã amplius dixit: & mortua eſt. videbatur enim dicere voluiſ- D ſe, *Succurrite*. Canes circum tentorium eius in ſecunda mãſione vltra duodecim vlularunt, & animam quaſi flendo poſuerunt, ac prima luce mortui ſunt deprehenſi. Lupi vrbem quingenti ſimul ingreſſi ſunt in quam ſe Maximinus contulerat: plerique dicunt Hemonam, alij Archimeam, certè quæ deſerta à ciuibus venienti Maximino patuit. Longũ eſt omnia perſequi: quæ qui ſcire deſiderat, is velim

(vt

(vt sæpe dixi) legat Cordum, qui hæc omnia vsque ad fabellam scripsit. Sepulchra eorum nulla extant: in profluentem enim cadauera eorum missa sunt, & capita eorum in campo Martio insultante populo exusta. Scribit Ælius Sabinus (quod prætermittendum non fuit) tantam pulchritudinem oris fuisse in filio, vt etiam caput eius mortui iam nigrum, iam sordens, iam maceratum, defluente tabo, velut vmbra pulcherrima videretur. Denique quum caput Maximini pilo circumferretur, & ex hoc ingẽs gaudium esset, propè par mœror erat quòd & filij caput pariter portaretur. Addit Dexippus tantum odium fuisse Maximini, vt interfectis Gordianis, viginti viros senatus creauerit, quos opponeret Maximino: è quibus fuerunt Balbinus & Maximus, quos contra eum principes fecerunt. Idem addidit in conspectu Maximini iam deserti à militibus, Anolinũm præfectum prætorio ipsius & filium eius occisum. Nec desunt historici qui dicant ipsum Maximinum, vbi desertus est, & vbi filium interemptum ante oculos suos vidit, manu sua se interfecisse, nequid ei muliebre contingeret. Prætereundum ne illud quidem est, quòd tanta fide Aquileienses contra Maximinum pro senatu fuerunt, vt funes de capillis mulierum facerent quum deessent nerui ad sagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Vnde in honorem matronarum templum *Veneri caluæ senatus dicauit.* Sanè quod nullo in loco tacendum est, quum & Dexippus & Arrianus & multi alij Græci scripserunt, Maximum & Balbinum imperatores contra Maximinum factos: Maximum autem cum exercitu missum, & apud Rauennam bellum parasse, Aquileiam autem nisi victorem non vidisse: Latini scriptores non Maximum, sed Pupienum contra Maximinum apud Aquileiam pugnasse dixerunt, eundémque vicisse. qui error vnde natus sit scire non possum, nisi fortè idem est Pupienus qui & Maximus. Quod ideo testatum posui, nequis me hoc nescisse crederet quod reuera magnum stuporem ac miraculum creat.

Ff

A
IVLII CAPITOLINI
GORDIANI TRES,
ad Conſtantinum Auguſtum.

EVERAT quidem conſilium venerabilis Auguſte, vt ſingulos quoſque imperatores exemplo multorũ, libris ſingulis ad tuam clementiam deſtinarem. Nam id multos
B feciſſe vel ipſe videram, vel lectione conceperam. ſed improbum viſum eſt, vel pietatem tuam multitudine diſtinere librorũ, vel meum laborem plurimis voluminibus occupare. Quare tres Gordianos hoc libro contexui, conſulens & meo labori & lectioni tuæ, ne cogereris plurimos codices voluendo vnam tamen penè hiſtoriam lectitare. Sed ne ego qui longitudinem librorum fugi, multitudinémque verborum, in eam incurriſſe videar, quam me vrbanè declinare confingo, iam rem aggrediar. *Gordiani* non, vt quidam imperiti ſcriptores lo-
C quuntur, duo, ſed tres fuerunt. ídque docente Arriano ſcriptore Græcæ hiſtoriæ, docente item Dexippo Græco autore, potuerunt addiſcere. Qui etiam ſi breuiter, ad fidem tamẽ omnia perſequuti ſunt. Horum *Gordianus ſenior*, id eſt primus, natus ex patre Metio Marullo, matre Vlpia Gordiana, originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternã ex Traiani imperatoris: patre, auo, proauo, COSS. ſocero, proſocero, & item alio proſocero, & duobus abſoceris COSS. ipſe COS. ditiſſimus ac potentiſſimus, Romæ Pompeianam domum poſſidens, in prouinciis tantum ter-
D rarum habens quantum nemo priuatus. Ipſe ex conſulatu quem egerat cum Alexandro, ad proconſulatum Africæ miſſus eſt ex ſenatuſconſulto. Sed priuſquam de imperio eius loquar, pauca de moribus dicam. Adoleſcens quũ eſſet Gordianus, de quo ſermo eſt, poemata ſcripſit, quæ omnia extant, & cuncta illa quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & Alcionas, & Vxoriũ, & Nilum: quæ quidem ad hoc ſcripſit

vt Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur. Scripsit A
præterea quemadmodũ Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, & multi alij Iliados: ita etiam ille Antoniniados, hoc est Antoninum Pium & Antoninum Marcum, versibus disertissimis, libris xxx, vitam illorum, & bella & publicè priuatímque gesta perscribens. Et hæc quidem puerulus. Postea verò vbi adoleuit, in Athenæo controuersiis declamauit, audientibus etiam imperatoribus suis. Quæsturam magnificentissimè gessit ædilitatis suæ tempore. xii populo Rom. munera, id est per singulos menses singula de
suo exhibuit, ita vt gladiatorum nonnunquã quingena pa- B
ria exhiberet, nunquam minus centenis quinquagenis: Feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsos vna die mille. Extat sylua eius memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompei, quę ipsius & patris eius & proaui fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus inuasit. In qua pictura etiam nunc continentur cerui palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri xxx, oues feræ c, alces x, tauri Cypriaci c, struthiones Mauri miniati ccc, onagri xxx, apri cl, ibices cc, damæ cc. Hæc autẽ omnia populo rapienda con-
cessit die muneris quod sextũ edebat. Præturam nobilem C
gessit: post iurisdictionem consulatum primum iniit cum Antonino Caracallo, secundum cum Alexandro. Filios duos habuit, vnum consularem, qui cum ipso Augustus appellatus est, qui iuxta Carthaginem in Africa bello absumptus est: & filiam Metiam Faustinam, quæ nupta est Iunio Balbo consulari viro. In consulatibus clarior fuit sui temporis consulibus, ita vt ei Antoninus inuideret, modò prætextas eius, modò latum clauum, modò circenses vltra imperatorium modum mirans. Palmatam tunicam, & togam
pictam primus Romanorum priuatus suam propriam ha- D
buit, quum antè imperatores etiam de Capitolio acciperent vel de Palatio. Equos Siculos c, Cappadoces c, permittentibus imperatoribus factionibus diuisit. Et per hæc populo satis charus qui semper talibus commouetur. Cordus dicit in omnibus ciuitatibus Campaniæ, Hetruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illũ per quatriduum

A per quatriduum ludos ſcenicos & iuuenalia edidiſſe. Scripſit & laudes ſoluta oratione omnium Antoninorum qui ante eum fuerunt. Tantum autem Antoninos dilexit vt ſibi quoque, vt multi dicunt, *Antonini*: vt plerique autem aſſerunt, *Antonij* nomen adſcripſerit. Iam illud ſatis cõſtat quòd filium Gordianum nomine Antonini, & ſigno illuſtrauit, quum apud præfectum ærarij more Rom. profeſſus filium publicis actis eius nomẽ inſereret. Poſt conſulatum proconſul Africæ factus eſt, adnitentibus cunctis qui Alexandri imperium etiam in Africa clarum per proconſulis B dignitatem haberi atq; eſſe voluerunt. Extat epiſtola ipſius Alexandri, qua ſenatui gratias agit quòd Gordianum ad Africam proconſulem deſtinauerit, cuius hoc exemplum eſt: *Neque gratius mihi quicquam P. C. neque dulcius potuiſtis efficere quàm vt Antoninum Gordianum procõſulem ad Africam mitteretis, virum nobilem & magnanimum, diſertum, iuſtum, continentem, bonum.* & reliqua. Ex quo apparet quantus vir eo tempore Gordianus fuerit. Amatus eſt ab Afris ita vt nemo antea proconſulum: ita vt eum alij Scipionem, Catonem alij, multi Mutium, ac Rutilium, aut Lælium dice- C rent. Extat eorum acclamatio, quæ à Iunio in literas relata eſt. Nam quum quadam die factum imperatorium legeret, atque à proconſulibus Scipionibus cœpiſſet, acclamatum eſt, *Nouo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano proconſuli.* Hæc & alia frequenter audiuit. Et erat quidem longitudine Romana, canitie decora & pompali vultu, ruber magis quàm candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte, verendus. Corporis qualitate ſubcraſſulus. Moribus ita moderatus vt nihil poſſis dicere quod ille aut cupidè, aut immodeſtè, aut nimiè fecerit. Affectus ſuos vnicè dilexit: fi- D lium & nepotem vltra morem, filiam & neptem religioſè. Socero ſuo Annio Seuero tantum detulit, vt in familia eius quaſi filium migraſſe ſe crederet, vt nunquam cum eo lauarit, nunquam illo præſente ſederit. Ante præturam cos. quum eſſet, aut in domo eius ſemper manſit, aut ſi in Pompeiana domo, ad illum vel manè vel ſerò proceſſit. Vini parcus, cibi parciſſimus, veſtitu nitidus, lauandi cupidus,

ita vt & quater & quinquies in die lauaret æstate, in hyeme bis. Somni plurimi, ita vt in tricliniis si fortè apud amicos ederet, etiam sine pudore dormiret: quod videbatur facere per naturam, non per ebrietatem atque luxuriam. Sed boni mores nihil ei profuerunt. Hic enim vita venerabilis, cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, cæterísque veteribus agens, alium quàm merebatur exitũ passus est. Nam cũ temporibus Maximini hominis sæui atque truculenti, proconsul Africam regeret, eíque legatus filius esset à senatu datus, quũmque quidam rationalis acrius contra plurimos Afrorum sæuiret quàm Maximinus ipse pateretur, proscribẽs plurimos, interficiens multos, & sibi vltra procurationem omnia vindicans, retunsus deinde à proconsule, atque legato, quũ nobilibus & consularibus viris ipse minaretur, quúmque Afri tam insolentes iniurias ferre nequirent, primùm ipsum rationalem adiunctis sibi plerisque militibus occiderunt. Occiso deinde eo, quum iam orbis terrarum odio contra Maximinum arderet, cœperunt cogitare quemadmodum in Maximinos & rusticos vel Afros ortæ inimicitiæ placarentur. Tunc quidam Mauricius nomine, potens apud Afros decurio, iuxta Tysdrum nobilissima post hæc oratione apud plebem in agro suo velut concionabundus est loquutus, *Gratias habeo diis immortalibus ciues quod occasionem dederunt, & quidem necessariam, prouidendi nobis contra hominem furiosissimum Maximinum. Nos enim qui procuratorem eius moribus & vita consimilem occidimus, nisi facto imperatore salui esse non possumus. Quocirca si placet, quoniam non longè est nobilissimus vir proconsul cum filio consulari legato quorum vtrique mortem pestis illa est minata, sublata de vexillis purpura, imperatores eos dicemus, adhibitisque insignibus Romano iure firmabimus.* Tunc acclamatum est. *Æquum est, iustum est. Gordiane auguste, dij te seruent feliciter. Imperator es, cum filio imperes.* His actis, properè ventum est ad oppidum Tysdrum, inuentúsque senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lecto, qui circunfusus purpura humi se abiecit, ac retractans eleuatus est. Et quum aliud facere nihil posset,

A euitandi periculi gratia, quod à Maximini furoribus haud dubiè imminebat, imperatorẽ ſe appellari paſſus eſt. Erat autem iam octogenarius, & plurimis prouinciis (vt diximus) antè præfuerat: populo Rom. ita commendatus ſuis actibus erat vt toto dignus videretur imperio. Alij quidẽ occiſo iuuene Gordiano filio ſuo, quod Gordianus antè neſcierat: ſed vbi rem comperit, iam morti vicinus, & filio magis timens, maluit honeſtas cauſas habere moriendi quàm dedi vinculis & carceri Maximini. Appellato igitur Gordiano imperatore, iuuenes qui autores huius facinoris B erant, ſtatuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerũt, nomen publicatus eraſerũt. Ipſum etiam Gordianũ *Africanum* appellauerũt. Addunt quidam Africani cognomẽtum Gordiano idcirco inditum, non quòd in Africa imperare cœpiſſet, ſed quòd de Scipionum familia originem traheret. In plurimis autem libris inuenio & hunc Gordianum, & filium eius pariter imperatores appellatos, & *Antoninos* cognominatos: alij verò *Antonios*. Poſt hoc Carthaginem ventum cum pompa regali & faſcibus laureatis: filiúſque legatus patris, exemplo Scipionum, (vt Dexip- C pus Græcæ hiſtoriæ autor eſt) gladij poteſtate ſuccinctus eſt. Miſſa deinceps legatio Romam eſt cum literis Gordianorum, hæc quæ geſta fuerant in Africa indicans: quæ per Valerianum principem ſenatus, qui poſtea imperauit, gratanter accepta eſt. Miſſæ ſunt & ad amicos nobiles literæ, vt homines potentes & rem probarent & amiciores fierẽt ex amicis. Sed tanta gratulatione factos contra Maximinũ imperatores ſenatus accepit, vt non ſolùm geſta hæc probarent, ſed etiam xx viros eligerent, inter quos erat Maximus ſiue Pupienus, & Clodius Balbinus: qui ambo im- D peratores ſunt creati, poſteaquam Gordiani duo in Africa interempti ſunt. Illos ſanè xx, ſenatus ad hoc creauerat vt diuideret his Italicas regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas. Tũc legationes à Maximino Romam venerunt, abolitionem præteritorum ſpondentes. Sed vicit Gordianorum legatio, quæ bona omnia pollicebatur, ita vt eidem crederetur: & ingens militibus ſtipendium,

populo agri atque congiaria promissa. Vsque adeo autem magis Gordianis quàm Maximinis est creditum, vt Vitalianus quidam, qui prætorianis militibus præerat, per audacissimos quæstorem & milites iussu senatus occideretur: quòd se antea crudeliter egerat, & tunc eius magis immanitas timebatur, amica & familiaris moribus Maximini. de cuius morte hæc fabella fertur. Fictæ sunt literæ Maximini, signatæ quasi eiusdem annulo, & missi cum quæstore milites qui eas ferrent, addentes quædam præter literas secretò esse dicenda. Longam igitur porticum petierunt: & quum ille ea quæ sibi erant secretò dicenda, perquireret, hortantibus vt prius signum inspiceret epistolæ, dum considerat, interemptus est. Persuasum deinde est militibus, iussu Maximini Vitalianum interemptum: peractísque rebus in castris Gordianorum & literæ & vultus sunt propositi. Interest vt senatusconsultum, quo Gordiani imperatores appellati sunt, & Maximinus hostis, literis propagetur. Non legitimo sed indicto senatus die COS. iam domi conuentus cum prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis venit in curiam. Præfectus vrbis, cui nescio quid redoluerat, & qui publicas literas non acceperat, à conuentu se abstinuit. Sed profuit: nam COS. ante solitas acclamationes priusquam aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ait, *P.C. Gordiani duo, pater & filius, ambo ex* COSS. *vnus vester proconsul, alter vester legatus, magno Afrorum consilio imperatores sunt appellati. Gratias igitur agamus Tysdritanæ iuuentuti, gratias Carthaginensi populo semper deuoto, qui ab immani nos bellua, ab illa fera vindicauerunt. Quid timidè auditis? quid circumspicitis? quid cunctamini? hoc est quod semper optastis. Hostis est Maximinus: dij faciant vt esse iam desinat, & Gordiani senis felicitatem atque prudentiam, iuuenis virtutem atque constantiam læti experiamur.* Post hæc literas legit Gordianorum, ad senatum & ad semissas. Tunc clamauit senatus, *Dij vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinum hostem omnes iudicamus. Maximinũ cũ filio diis inferis deuouemus. Gordianos augustos appellamus. Gordianos principes agnoscimus. Imperatores de senatu dij conseruent: imperatores nobiles victores videamus:*

A *imperatores nostros Romæ videat. Hostes publicos qui occiderit, præmium merebitur.* Dicit Iunius Cordus istud senatusconsultum fuisse tacitum: quot quale sit, aut quare sic appellatum, breui exponam. Omnino exemplum senatusconsulti taciti non aliud est hodie quàm quòd vestra clementia, conuocatis ad interiora maioribus, ea disponit quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiam soletis nequis ante rem completam quicquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres necessitates publicæ repererũt, vt si fortè aliqua vis ab hostibus immi-
B neret quæ vel cogeret humilia captare consilia, vel aliqua constituere quæ non prius opporteret dici quàm effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, senatusconsultum tacitum fieret: ita vt non scribæ, non serui publici, non cẽsuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarúmque complerent, nequid fortè proderetur. Factum est ergo senatuscõsultum tacitum ne res ad Maximinum perueniret. Sed statim ille (vt se habent hominum mentes, eorum duntaxat qui erubescunt per se ea nõ agnosci quæ sciunt, & qui hu-
C miles se putant si commissa non prodant) omnia comperit Maximinus, ita vt exemplum senatusconsulti taciti acciperet, quod nunquam antè fuerat factitatum. Extat denique eius epistola ad præfectum vrbis talis, *Senatusconsultum tacitum vestrorum illorum principum legi, quod præfectus vrbis factum esse fortasse non nosti: nam nec interfuisti. cuius exemplum ad te misi vt scires quomodo Romanã Remp. regeres.* Enarrari autem non potest quæ commotio fuerit Maximini quum audiuit contra se Africam desciuisse. Nam senatus autoritate percepta, incurrere in parietes, vestem scindere, gladium
D arripere quasi omnes posset occidere, prorsus furere videbatur. Præfectus vrbis acceptis literis acrioribus, populum & milites alloquutus est, dicens, Maximinum iam occisum. Ex quo maius fuit gaudium, statímque deiectæ sunt statuę atque imagines eius qui hostis fuerat iudicatus. Vsus est sanè senatus pendẽte bello potestate qua debuit. Nam delatores, calumniatores, procuratores, & omnem illam

facem

facem Maximianæ tyrannidis occidi senatus iussit. Atque A parum fuit quod senatus iudicauerat, illud populi iudiciũ fuit quòd occisi tracti sunt, & in clocam missi. Tunc & præfectus vrbi Sabinus, consularis vir, fuste percussus, occisus & in publico derelictus est. Hæc vbi comperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere concionis, *Sacrati commilitones, imò etiam mei consecranei, & quorum meum plerique verè militatis, dum nos in Germania Romanã defendimus maiestatem, dum nos Illyricum à Barbaris vindicamus, Afri fidem Punicam præstiterunt. Nam duos nobis Gordianos, quorum alter senio ita affectus est vt non posit assurgere, alter ita luxu- B rie perditus vt debilitatem habeat pro senectute, imperatores fecerunt. Et nec hoc parum est, sed factum Afrorum nobilis ille senatus agnouit, & pro quorũ liberis arma portamus, hi contra nos* XX *viros statuerunt, & omnes velut contra hostes sententias protulerunt. Quinimo agite vt viros decet. Properandum est ad vrbem. Nam &* XX *viri consulares contra nos lecti sunt, quibus resistendum est nobis fortiter agentibus, vobis feliciter dimicantibus.* Lentas militum mentes & suorum minus alacres animos hac concione Maximinus sæpe cognouit. Denique statim ad filium scripsit, qui longè pòst sequebatur, vt accelera- C ret, nequid contra eum se absente milites cogitarent. Literarum exemplum tale Iunius Cordus dicit: *Referet ad te stipator meus Tycannius, quæ gesta cognoui vel in Africa vel Romæ: referet quæ sint militum mentes. Quæso quantum potes, properes: nequid, vt solet, militaris turba plus faciat. Quid verear, ex eo audies quem ad te misi.* Dum hæc aguntur, in Africa contra duos Gordianos Capelianus quidam, Gordiano & in priuata vita semper aduersus, & ab ipso imperatore iam quũ Mauros Maximini iussu regeret veteranus dimissus, cum lectis Mauris & tumultuaria manu accepto Gordiano suc- D cessore Carthaginem petiit, atq; omnes fide Punica Carthaginensium populos inclinauit. Gordianus tamen fortunam belli experiri cupiens, filium suum iam natu grandiorem, XL & VI annos agentem, quem tunc legati loco (vt diximus) habuerat, contra Capelianum & Maximinianos misit, virum de cuius moribus suo loco dicemus. Sed

A quum in re militari & Capelianus esset audacior, & Gordianus iunior nõ tam expertus, quippe qui nobilitatis deliciis tardabatur, pugna commissa vincitur & in eodem bello interficitur. Fertur autem tanta multitudo Gordiani partium in bello cecidisse, vt quum diu quæsitum sit corpus Gordiani iunioris, non potuerit inueniri. Fuit præterea ingens, quæ raro in Africa est, tempestas, quæ Gordiani exercitum ante bellum ita dissipauit vt minus idonei milites prælio fierent, atque ita facilis esset Capeliani victoria. Hæc vbi comperit senior Gordianus, modicas vi- B res suas, Maximini magnas, instantem Capelianum, ramque Punicam fidem considerans, & acri dolore percitus, vt vincula etiam hostium euitaret, laqueo vitam finiuit, & vitam cum imperio reliquit. Hic exitus duorum Gordianorum fuit, quos ambo senatus Augustos appellauit, & postea inter diuos retulit. Imperauerunt anno vno, mensibus sex.

GORDIANVS IVNIOR.

C Hic Gordiani senis procõsulis Africę filius, qui cum patre & ab Afris & à senatu Augustus appellatus est, literis & moribus clarus fuit præter nobilitatem: quam, vt nõnulli, ab Antoninis, vt plurimi, ab Antoniis duxit. Siquidem argumento ad probandã generis qualitatem alij hoc esse dixerũt, quòd *Africanus* Gordianus senior appellatus est cognomine Scipionum, quòd domum Pompeianum in vrbe habuit quòd Antoninorum cognomine semper est nũcupatus, quòd *Antoninum* filium suum ipse significari voluit in senatu: quæ singula videntur familias designare. Sed D ego Iunium Cordum sequor, qui dicit ex omnibus his familiis Gordianorũ coaluisse nobilitatem. Idem igitur natus patri primus ex Fabia Orestilla Antonij pronepte, vnde Cæsarum quoque familiam contingere videbatur. Et primis diebus sui natalis *Antoninus* est appellatus. Mox in senatu Antonini nomen est editum, vulgò deinde Gordianus haberi cœptus. In studiis grauissimæ opinionis fuit,

forma conſpicuus, memoriæ ſingularis, bonitatis inſignis, A
adeo vt ſemper in ſcholis ſiquis puerorum verberaretur,
ille lacrimas non teneret. Sereno Sāmonico, qui patri eius
amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, &
charus vſque adeo vt omnes libros Sereni Sāmonici patris
ſui, qui cenſebantur ad LX & duo millia, Gordiano minori
moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit.
Siquidem tantæ bibliothecæ copia & ſplēdore donatus in
famam hominum literatorū decorè peruenit. Quæſturam
Heliogabalo autore promeruit, idcirco quòd luxurioſo
imperatori laſciuia iuuenis, non tamen luxurioſa neque infamis, B
prædicata eſt. Præturam Alexandro autore vrbanā
tenuit, in qua tantus iuriſdictionis gratia fuit, vt ſtatim cōſulatum
quē pater ſerò acceperat mereretur. Maximini ſeu
eiuſdem Alexandri, temporibus ad proconſulatum patris
miſſus legatus eſt obſequutus: atque illic ea quæ ſuperius
dicta ſunt, contigerunt. Fuit vini cupidior, ſemper tamen
vndecunque conditi, nūc roſa, nunc maſtiche, nunc abſinthio,
cæteriſque rebus quibus gula maximè delectatur. Cibi
parcus, ita vt intra punctum temporis vel prandium, ſi
pranderet, vel cœnam finiret. Mulierum cupidiſſimus: habuiſſe C
enm decretas ſibi cōcubinas XX & II fertur. Ex quibus
omnibus ternos & quaternos filios reliquit. Appellatúſque
eſt *ſui temporis Priamus*, quem vulgò iocantes, quòd
eſſet naturæ, propenſioris, *Priapum* non Priamum ſæpe vocitarunt.
Vixít in deliciis, in hortis, in balneis, in amœniſſimis
nemoribus. Nec pater aſpernatus eſt, ſæpiſſimè dicēs
illū quandoque in ſumma claritate citò eſſe moriturū. Nec
tamē in vita ſua fortunæ bonis vnquam degenerauit, ſempérque D
inter illuſtriſſimos fuit, nec ciuibus nec Reip. ad
conſultationem defuit. Denique etiam ſenatus libētiſſimè
illum Auguſtum appellauit, atque in eo ſpem publicā poſuit.
Veſtitu cultiſſimus, ſeruis & omnibus ſuis charus. Cordus
dixit vxorē eū nunquam habere voluiſſe. Contrà Dexippus
putat eius filium eſſe GORDIANVM TERTIVM, qui
poſt hoc cum Balbino & Pupieno, ſiue Maximo, puerulus
adeptus eſt imperiū. Quū ſenior Gordianus mathematicū

A aliquando consuleret de genitura huius, respondisse ille dicitur, hunc & filium imperatoris, & ipsum imperatorem futurum. Et quum senior Gordianus rideret, ostendisse constellationem mathematicum ferunt, & de libris veteribus dictasse, ita vt probaret se vera dixisse. Qui quidem & seni & iuueni, & diem & genus mortis, & loca quibus essent perituri, obstinata constantiæ veritate prædixit. Quæ omnia postea Gordianus senior in Africa iam imperator & quādo nihil timebat, narrasse perhibetur: de morte quinetiam sua filiíque, & de genere mortis dixisse. Can-
B tabat præterea versus senex, quum Gordianum filium vidisset, hos sæpissimè.

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Esse sinent, nimium vobis Romana propago
Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.

Extant dicta & soluta oratione & versibus Gordiani iunioris, quæ hodie ab eius affinibus frequentantur, non magna, non minima, sed media, & quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed luxuriantis & suum deserentis ingenium. Pomorum & olerum auidissimus fuit, in reliquo ciborum
C genere parcissimus: adeò vt semper pomorum aliquid recentium deuoraret: frigidorum percupidus. Nec facilè per æstatem nisi frigida, & quamplurimùm, bibit. Et erat corporis vasti: quare magis ad frigida vrgebatur. Hæc de Gordiano iuniore digna memoratu cōperimus: non enim nos talia dicere voluimus quæ Iunius Cordus ridiculè ac stultè composuit de voluptatibus domesticis cæterísque infimis rebus quæ qui velit scire, ipsum legat Cordum, qui dicit & quos seruos habuerit vnusquisque principum, & quos amicos, & quot penulas quótve chlamides: quorum
D etiam scientia nulli prodest. *Siquidem ea debent in historia poni ab historiographis, quæ aut fugienda sint aut sequenda.* Sanè quidem quod apud Vulcatium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, videtur mirabile, inserendum censui. Dicit enim Gordianum seniorem Augusti vultum sic repræsentasse, vt & vocem & morem & staturam eiusdem ostētare videretur: filium verò, Pompeio simillimum

visum. quamuis Pompeius obesi corporis fuisse denegatur. A Nepotem autem cuius etiam nunc videmus imagines, Scipionis Asiatici faciem retulisse. quod pro sui admiratione tacendum esse non credidi.

GORDIANVS TERTIVS.

Post mortem duorum Gordianorum, senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti viris quos ad Remp. tuendam delegerat, Pupienum siue Maximum & Clodium Balbinum Augustos appellauit, ambos ex cõsulibus. B Tunc populus & milites Gordianum paruulum annos agentem, vt plerique asserunt, vndecim, vt nonnulli, tredecim, vt Iunius Cordus dicit, sedecim, (nam vigesimo & secundo anno eum perisse asserit) petiuerunt vt Cæsar appellaretur, raptúsque ad senatum, atque inde in cõcione positus, indumento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus. Hic natus est, vt plures asserunt, ex filia Gordiani, vt vnus aut duo, (nam amplius inuenire non potui) ex filio qui in Africa periit. Gordianus igitur Cæsar factus apud matrem educatus est. Et quum extinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, C qui biennio imperauerant, Gordianus adolescens qui Cæsar eatenus fuerat, à militibus & populo & senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio & gratia Augustus est appellatus. Amabatur autem merito aui & auunculi, siue patris, qui ambo pro senatu & pro populo Rom. contra Maximinum arma sumpserunt, & militari vel morte vel necessitate perierunt. Post hæc veterani ad Curiam venerunt, vt discerent quid actum esset. Ex quibus duo ingressi Capitolium, quum illic senatus ageretur, ante ipsam aram, à Gallicano ex consulibus & Mæcenate ex ducibus, D interempti sunt: atque bellum intestinum ortum est, quum essent armati etiam senatores, ignorãtibus veteranis quòd Gordianus adolescens solus teneret imperium. Dexippus quidem asseuerat, ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum: & posteaquã constitit apud veteranos quoque,

A solum Gordianum imperare, inter populum & milites ac veteranos pax roborata est: & hìc finis belli intestini fuit, quum esset delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit quòd eclipsis solis facta est, vt nox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset. Post hæc tamen voluptatibus & deliciis populus Rom. vacauit, vt ea quæ fuerant asperè gesta, mitigaret. Venusto & Sabino COSS. inita est factio in Africa contra Gordianum tertium duce Sabiniano: quem Gordianus per præsidem Mauritanię obsessum à cõiuratis,
B ita oppressit vt ad eum tradendum Carthaginē omnes venirent, & crimina confitentes & veniam sceleribus postulantes. Finita igitur solicitudine in Africa Gordiano iam iterum & Papiniano COSS. bellum Persicum natum est. Quare adolescens Gordianus priusquam ad bellum proficisceretur, duxit vxorem filiam Misithei, doctissimi viri, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua putauit, & præfectum statim fecit. post quòd non puerile iam & contemptibile videbatur imperium: siquidem & optimi soceri consiliis adiuuaretur, & ipse pro pietate aliquantulum sa-
C peret, nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantiæ conniuentia venderetur. Extat denique & soceri eius ad eum epistola, & ipsius Gordiani ad socerum, qua intelligitur eius seculum emendatius ac diligentius socero adiuuante perfectum. quarum exemplum hoc est, *Domino filio & Augusto, Misitheus socer & præfectus. Euasisse nos grauem temporum maculam, qua per spadones & per illos qui amici tibi videbantur (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis est, & eo magis quo tibi gratior emendatio est: vt si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet mi fili*
D *venerabilis. neque enim quisquam ferre potuit datas eunuchis suffragantibus militum præposituras, negatum laboribus præmium, aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non decebat: vacuatum ærarium per eos qui quotidie insidiosissimè frequentabant initas factiones, vt tu deciperéris, quum inter se de bonis pessimi quique haberent consilia tibimet suggerenda: bonos pellerent, detestandos insinuarent, omnes postremò tuas fabulas ven-*

derent. Diis igitur gratias quòd volente teipso emendata Respub. est. A
Delectat sanè boni esse principis socerum, & eius qui omnia requirat & omnia velit scire, & qui pepulerit homines per quos antea velut in auctione positus nundinatus est. Itẽ Gordiani ad ipsum. *Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri & præfecto. Nisi dij omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur. Denique nunc demum intelligo neque Felicem prætorianis cohortibus præponi debuisse, neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse: & ne omnia dinumerem, multa non esse facienda quæ feci: sed diis gratias quòd te insinuante, qui nihil vendis, didici ea quæ inclusus scire* B
non poteram. Quid enim facerem, quòd nos Maurus venderet; & consilio cum Gaudiano & Reuerendo & Montano habito vel laudaret aliquos, vel vituperaret: & illorum consensu quasi testium quod dixerat approbarem? Mi pater, verum audias velim: miser est imperator apud quem vera reticentur: qui quum ipse publicè ambulare non possit, necesse est vt audiat, & vel audita vel à plurimis roborata confirmet. His epistolis intellectum est, adolescentem soceri consiliis emendatum atque correctum. Et Misithei quidem epistolam Græcam quidam fuisse dicunt, sed in hanc sententiam. Tantum autem valuit eius graui- C
tas & sanctimonia, vt ex obscurissimo præter nobilitatem, gestis etiam Gordianum clarum principem fecerit. Fuit terræ motus eousque grauis imperante Gordiano, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, sacrificia per totam vrbem totúmque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit, inspectis libris Sibyllinis celebratísque omnibus quæ illic iussa videbantur, mundanum malum esse sedatum. Sedato terræmotu, Prætextato & Attico COSS. Gordianus aperto Iano gemino (quod signum erat indicti belli) profectus D
est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro vt vel auxiliis vel militibus facilè Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam, atque in ipso procinctu quicquid hostium in Thraciis fuit, deleuit, fugauit, expulit, atq; submouit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Persis iam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnauit & vicit,

A Sapore Persarum rege submoto. Et post Artaxerxem Antiochiam recepit: Carras & Nisibin, quæ omnia sub Persarum imperio erant. Rex sanè Persarum tantum Gordianum principem timuit, vt quum instructus esset & suis copiis & nostris, tamen ciuitatibus ipse præsidia sponte deduceret, eásq; integras suis ciuibus redderet, ita vt nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed hæc omnia per Misitheum socerū Gordiani, eundémque præfectum, gesta sunt. Effectum denique est vt Persæ qui iam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirēt, B totúmque Orientem Romana Respubl. detineret. Extat oratio Gordiani ad senatum, qua de rebus gestis scribens, Misitheo præfecto suo & socero ingentes gratias agit: cuius partem indidi, vt ex eo vera cognosceres. *Post hæc P.C. quæ dum iter agimus gesta sunt, quæ vbique singulis digna sunt actitata, etiam Persas, vt breui multa connectam, ab Antiochensium ceruicibus, quas iam nexas Persico ferro gerebant, & reges Persarum, & leges amouimus. Carras deinde cæterásque vrbes imperio Rom. reddidimus. Nisibin vsque peruenimus: &, si dij fauerint, Ctesiphonta vsque veniemus. Valeat tantùm Misitheus præfectus pa-* C *rens noster, cuius ductu & dispositione & hæc transegimus & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos diis commendare, Misitheo gratias agere.* His in senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, vtpote qui Persas vicisset, vt triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum & triumphalis currus & titulus huiusmodi, MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPVM, PRÆTORII PRÆFECTO ET TOTIVS VRBIS, TVTORI REIP. S.P.Q.R. VICEM REDDIDIT. Sed ista felicitas longior esse nō potuit. Nam D Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi, qui post eum præfectus prætorij est factus: vt alij, morbo extinctus est herede Rom. Rep. vt quicquid eius fuerat, vectigalibus vrbis accederet. Cuius viri tanta in Rep. dispositio fuit vt nulla esset vnquam ciuitas limitanea potior, quę non posset exercitum populi Rom. ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido, atq; hordeo & paleis con-

condita non haberet: minores verò vrbes, aliæ xxx dierum, aliæ xl, nonnullæ duorum mensium: quæ minimum, xv dierum. Idem quum esset pręfectus, arma militum semper inspexit. Nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere. Castra omnia fossato circuibat, noctibus etiam plerumque vigilias frequentabat. Amabatúrq; ab omnibus quòd sic & Remp. amaret & principem. Tribuni eum & duces vsqueadeo timuerunt & amauerũt, vt neque vellent peccare, neque vlla ex parte peccarent. Philippus eum propter pleraque vehementer timuisse fertur, atque ob hoc per medicos insidias eius vitæ parasse, & quidem hoc genere: Quum effusione alui Misitheus laboraret, atque à medicis sistendi ventris gratia poculum iuberetur accipere, mutatis quæ fuerant, id fertur datum quo magis solueretur: atque ita exanimatus est. Quo mortuo, Apriano & Papo coss. in eius locum præfectus prætorij factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus, qui se in nouitate atque enormitate fortunæ non tenuit: ita vt statim Gordiano, qui eum in locum parentis asciuerat, insidias per milites faceret, quæ tales fuerunt. Misitheus tantum quantum diximus, habuerat conditorum, vt vacillare dispositio Romana non posset. Verùm artibus Philippi primùm naues frumentariæ sunt auersæ: deinde in ea loca deducti sunt milites in quibus annona haberi nõ posset. Hinc Gordiano infestos milites statim reddidit, non intelligentes artibus Philippi iuuenem esse deceptum. Sed Philippus etiam addidit vt rumorem per milites spargeret, adolescentem esse Gordianum, imperium non posse regere: melius esse illum imperare qui militem gubernaret, qui Rempublicam sciret. Corrupit præterea etiam principes, effectúmque vt palàm Philippus ad imperium posceretur. Amici Gordiani primùm vehementissimè resistebant. Sed quum milites fame vincerentur, imperium Philippo mandatum est, iussúmque à militibus vt quasi tutor eius Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret. Suscepto igitur imperio, quum & Philippus se contra Gordianum superbissimè ageret, & ille se imperatorẽ atque

A imperatorum prolem, & virum nobilissimæ familiæ recognosceret, nec ferre posset improbitatem hominis ignobilis, apud duces & milites, astante præfecto Metio Gordiano, affine suo, in tribunali processit, sperans posse imperium Philippo abrogari. Sed hac conquestione nihil egit, quum illum incusasset quòd immemor beneficiorum eius sibi minus gratus existeret. Et quum milites rogasset, quum apertè duces ambisset, factione Philippi minor apud omnes fuit. Denique quum se videret minorem haberi, petiit vt æquale saltem inter eos esset imperium, nec impetrauit.
B Dehinc petiit vt loco Cæsaris haberetur, nec id obtinuit. Petiit etiam vt præfecti loco esset Philippo: quod & ipsum negatum est. Vltimæ preces fuerunt, vt eum Philippus pro duce haberet, & pateretur viuere. Ad quod quidem penè consenserat Philippus, ipse tacitus, sed omnia per amicos agens nutibus atque cõsiliis. Verùm quum secũ ipse cogitaret amorem populi Romani & senatus circa Gordianũ, & totius Africæ ac Syriæ, totiúsque orbis Romani, quum & nobilis esset, & nepos ac filius imperatorum, & bellis grauibus totam Rempublicam liberasset: posse fieri vt fa-
C ctione quandoque militum Gordiano redderetur imperium, quum recentes in Gordianum irę militum famis causa vehementes essent, clamantem ante conspectum duci iussit, ac spoliari & occidi. quod quum primùm dilatum esset, pòst, vt iussit, impletum est. Ita Philippus impiè non iure obtinuit imperium. Imperauit Gordianus annis sex. Et dum hæc agerentur, Argunthis Scytharum rex finitimorum regna vastabat, maximè quòd compererat Misitheum perisse, cuius consilio Respubl. fuerat gubernata. Philippus autem ne à crudelitate nancisci videretur impe-
D rium, Romam literas misit quibus scripsit Gordianũ morbo perisse, seque à cunctis militibus electum. Nec defuit vt senatus de his rebus quas non nouerat falleretur. Appellato igitur principe Philippo, & Augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter deos retulit. Fuit iuuenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita iucundus, in literis nobilis, prorsus vt nihil præter ætatem deesset impe-

rio. Amatus est à populo, & senatu, & militibus ante Philip- A
pi factionem, ita vt nemo principum. Cordus dicit, omnes milites eũ filium appellasse, ab omni senatu filium dictum, omnem populũ delicias suas Gordianum dixisse. Denique Philippus quũ eum interfecisset neq; imagines eius tolleret, neque statuas deponeret, neque nomen abraderet, sed diuum semper appellans etiã apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrina calliditate veneratus est. Domus Gordianorũ etiam nunc extat, quam iste Gordianus pulcherrimè exornauit, & villa eorum via
Pręnestina ducẽtas columnas vno peristylo habens, quarũ B
quinquaginta Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicæ, pari mẽsura sunt. In qua basilicæ cẽtenariæ tres: cætera huic operi conueniẽtia, & thermæ quales præter vrbẽ, vt tunc, nusquã in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc senatus decreuit, vt à tutelis atque legationibus & à publicis necessitatibus, nisi si vellent, posteri eius semper vacarẽt. Opera Gordiani Romæ nulla extant, pręter quædam nymphæa & balneas. Sed balneæ priuati hominis fuerunt & ab eo in vsum priuatum
exornatæ sunt. Instituerat porticum in campo Martio sub C
colle pedum mille, ita vt ab altera parte æquè mille pedum porticus fieret, atq; inter eas pateret spatium pedum quingẽtorum: cuius spatij hinc atq; inde viridaria essent, lauro, myrto & buxo frequentata: medium verò lithostrotũ breuib9 columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille: quod esset deambulatoriũ, ita vt in capite basilica esset pedum quingentorum. Cogitauerat præterea cum Misitheo, vt post basilicam, thermas æstiuas sui nominis faceret, ita vt hyemales in principio porticus poneret, & suo vsui essent
vel viridaria vel porticus. Sed hæc omnia nũc priuatorum D
& possessionibus & hortis & ædificiis occupata sunt. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephãti xxx & II. quorum ipse XII miserat, Alexander x: alces x, tigres x, leones mansueti LX, leopardi mãsueti xxx, belbi (id est hyænæ) x, gladiatorũ fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros vnus: archoleontes x, camelopardali x, onagri xx, equi feri XL:

A & cætera huiuſmodi animalia, innumera & diuerſa: quæ omnia Philippus ludis ſecularibus vel dedit vel occidit. Has autem omnes feras manſuetas, & prætere a efferas, parabat ad triumphum Perſicum: ſed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit ſecularibus ludis & muneribus atque Circenſibus, quum milleſimum ab vrbe condita annum in conſulatu ſuo & filij ſui celebrauit. Quod de Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de Gordiano Cordus eueniſſe perſcribir. Nam omnes quicunque illum gladio appetiuerunt (qui nouem fuiſſe di-
B cuntur) poſtea interemptis Philippis, ſua manu ſuíſque gladiis, & iiſdem quibus illum percuſſerant, interiſſe dicuntur. Trium igitur Gordianorum hæc fuit vita, qui omnes auguſti appellati ſunt duobus in Africa interemptis, in Perſidis finibus tertio. Gordiano ſepulchrum milites apud Circeium caſtrum fecerunt in finibus Perſidis, titulum huiuſmodi addentes, & Græcis & Latinis, & Perſicis, & Iudaicis, & Ægyptiacis literis, vt ab omnibus legeretur. DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTHORVM, VICTORI SARMATA-
C RVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM: SED NON VICTORI PHILIPPORVM. quod ideo videbatur additum, quia in campis Philippicis ab Alanis tumultuario prælio victus abſceſſerat: ſimul etiam quod à Philippis videbatur occiſus. Quem titulum euertiſſe Licinius dicitur eo tempore quo eſt nactus imperium, quum ſe vellet videri à Philippis originem trahere. Quæ omnia Conſtantine maxime, idcirco ſum perſequutus, nequid tuæ cogitationi deeſſet quod dignum ſcientia videretur.

A

IVLII CAPITOLINI

MAXIMVS ET BALBINVS.

INTEREMPTIS in Africa Gordiano seniore cum filio, quum Maximinus, ad vrbem furens veniret, vt, quòd Gordiani Augusti appellati fuerant, vindicaret, senatus pertrepidus in ædem Concordiæ VII Cal. Iunij concurrit, ludis Apollinaribus, remedium contra furorem hominis improbissimi requirens. Quum igitur duo consulares, & eminentes quidem viri, Maximus & Balbinus (quorum Maximus à plerisque in historia reticetur, & loco eius Pupieni nomen infertur: quum & Dexippus & Arabianus Maximum & Balbinum dicant electos contra Maximinum post Gordianos, quorum alter bonitate, virtute alter ac seueritate, clari habebantur) ingressi essent curiã, ac præ se timorẽ Maximini aduentu ferrent ostenderéntque, referente COS. de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic orsus est, *Minora nos solicitant, & propè aniles res feruentissimo tempore tractamus in Curia. Quid enim opus est de restitutione templorũ, de basilicæ ornatu, de thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere: quum immineat Maximinus, quem hostem mecum antè dixistis: Gordiani duo, in quibus præsidium fuerat interempti sint, neque in præsenti vllum sit auxilium quo respirare possimus? Agite igitur P. C. principes dicite. Quid moramini? ne, dum singulatim pertimescitis, in timore potius quàm in virtute opprimamini.* Post hæc tacẽtibus cunctis, quũ Maximus, qui & natu grandior erat, & meritis, & virtute ac seueritate clarior, dicere sententiam cœpisset, qua ostẽderet duos principes esse faciẽdos, Vectius Sabinus ex familia Vlpiorum, rogato consule vt sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est, *Scio P. C. hanc rebus nouis inesse oportere constantiã, vt rapienda sint consilia nõ quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, vbi res perurgent.*

B

C

D

A *Ceruices suas quisque respiciat, vxorem ac liberos cogitet, auitas patriásque fortunas, quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis, causa verò (vt sibi videtur) satis iusta, truculentior. Ille quadrato agmine, castris vbique positis ad vrbem tendit, vos sedendo & consultando diem teritis. Longa oratione opus non est: faciendus est imperator, imò faciendi sunt principes: vnus qui res domesticas, alter qui bellicas curet. vnus qui in vrbe resideat, alter qui obuiam cum exercitu latronibus pergat. Ego principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliore ostendite. Maximum igitur atque Balbinum. quorum vnus in re militari tantus*
B *est vt nobilitatem generis splendore virtutis allexerit: alter ita clarus nobilitate est, vt & morũ lenitate Reip. sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper ac literis tenuit. Habetis sententiam P. C. mihi fortasse periculosiorem quàm vobis: sed nec vobis satis tutam, si non aut alios aut hos principes feceritis.* Post hæc acclamatum est vno consensu, *Æquum est, iustum est. sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime & Balbine Augusti, dij vos seruent, dij vos principes fecerunt, dij vos conseruent, Vos senatum à latronibus vindicate, vobis bellum contra latrones*
C *mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat, hostem publicum vos persequimini. Felices vos iudicio senatus: felicem Remp. vestro imperio. Quod vobis senatus detulit, fortiter agite: quod vobis senatus detulit, libenter accipite.* His atque aliis acclamationibus imperatores facti sunt Maximus atque Balbinus. Egressi igitur à senatu, primùm Capitolium ascenderunt, ac rem diuinam fecerunt. Sed dum in Capitolio rem diuinam faciunt, populus Rom. imperio Maximi contradixit. timebant enim seueritatem eius homines vulgares. Quare factum est vt Gordianum adolescentulum principem peterent, qui statim factus est: nec prius permissi
D sunt ad Palatium stipati armis ire quàm nepotem Gordiani, Cæsaris nomine nuncuparent, Deinde ad Rostra populum conuocarunt. Vbi quum orationem de senatus sentẽtia & de sua electione habuissent, populus Rom. cum militibus qui fortè conuenerant, acclamauit, *Gordianum Cæsarem omnes rogamus.* Hic nepos erat Gordiani ex filia, vt quidã: vel, vt alij, ex filio qui est in Africa occisus, annum agẽs

ætatis XIIII, vt plerique dicunt: qui statim raptus est, & A
nouo genere senatusconsulti quum eadem die senatuscõs.
factum esset. inductus in Curiam, Cęsar est appellatus. Prima igitur relatio principum fuit, vt duo Gordiani diui appellarentur. Aliqui autem vnum putãt appellatum, seniorem videlicet: sed ego libris quos Iunius Cordus affatim scripsit, legisse memini ambos in deos relatos. si quidem senior laqueo vitam finiuit: iunior autem in bello consumptus est: qui vtique maiorem meretur reuerentiam quòd eũ bella rapuere. Post has igitur relationes pręfectura vrbis in Sabinum collata est, virum grauem, & Maximi moribus B
congruentem: prætoriana in Pinariũ Valentem. Sed prius quàm de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere: non eo modo quo Iunius Cordus est prosequutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus & Valerius Marcellus: quanuis Curius Fortunatianus, qui omnẽ hanc historiam perscripsit, plura congerit: Cordus verò tam multa vt etiã pleraque & minus honesta perscripserit. MAXIMO pater fuit Maximus, vnus è plebe, vt nonnulli dicunt, faber ferrarius: vt alij, rhedarius vehicularius fabricator. Hunc suscepit ex vxore Prima nomine. cui C
fratres quatuor viri fuerunt, & quatuor puellæ: qui omnes in pubertate interierũt. Nato Maximo, carnem bubulam, & quidem multam, aquila in cellam eorum proiecisse fertur, quæ angusto patebat impluuio: eam denique quum iaceret, nec quisquam contingere auderet religionis timore, iterum sustulisse, & in proximum sacellum quod erat Iouis Præstitis, detulisse. Id eo tempore nihil visum est ominis habere, sed non sine causa factum probauit imperium. Pueritiam omnem in domo patrui Pinarij fecit, D
quem statim ad præfecturam prætorij subuexit vbi factus est imperator. Operam grammatico, rhetori non multam dedit. Siquidem semper virtuti & militari seueritati studuit. Attamen militaris tribunus fuit, & multos egit numeros, & postea præturã, sumptu Pescenninæ Marcellinę, quę illum loco filij susceperat & aluerat. Inde procõsulatũ Bithyniæ egit, & deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ.

A Missus præterea legatus, Sarmatas in Illyrico contulit: atque inde translatus ad Rhenum, rem contra Germanos satis feliciter gessit. Post hęc pręfectus vrbis prudentissimus, ac ingeniosissimus, & seuerissimus approbatus est. Quare * veluti senatus ei homini, quod non licebat, nouæ familiæ, imperium tamen detulit, confessis omnibus eo tempore in senatu aptiorem non esse qui deberet principis nomen accipere. Et quoniam etiam minora plerique desiderant, fuit cibi auidus, vini parcissimus, ad rem Venereã nimis rarus, domi forísque semper seuerus, ita vt & *tristis* cognomẽ ac-
B ciperet. Vultu grauissimus, & verecundus, statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis, attamen iustus, neque vnquam vsque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens. Rogatus semper ignouit, nec iratus est nisi vbi eum irasci decuit. Factionibus se nunquam præbuit, iudicij tenax fuit, neque aliis potius quàm sibi credit. Quare & à senatu multum dilectus est, & à populo timori habitus: siquidem sciebat populus eius censoriam præfecturam, quam videbat posse in imperio vehementius conualescere. BALBINVS nobilissi-
C mus, & iterum COS. rector prouinciarum infinitarum. Nã & Asiam & Africam & Bithyniam, & Galatiam, & Pontum, & Thracias, & Gallias ciuilibus administrationibus rexerat, ducto nonnunquam exercitu: sed rebus bellicis minor fuerat quàm ciuilibus, attamen bonitate, nimia sanctitate ac verecundia ingentem sibi amorem conciliauerat. Familiæ vetustissimæ (vt ipse dicebat) à Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeiũ ciuitatem meruerat, quum esset suæ patriæ nobilissimus, idémque historiæ scriptor. Statura æquè procerus, cor-
D poris qualitate conspicuus, in voluptatibus nimius, quam quidem adiuuabat diuitiarum abundantia, nam erat à maioribus diues, & multa hęreditatibus per seipse collegerat. Eloquentia clarus, poemate inter sui temporis poetas pręcipuus: præcipiti vsu vini, cibi, rei Veneræ auidus, vestitu cultus: nec quicquam defuit quod illum populo non commendabilem redderet. Amabilis etiã senatui fuit. Hæc de

vtriusque

vtriusque vita comperimus. Denique nonnulli quemadmodum Catonem & Cæsarem Sallustius comparat, ita hunc quoque comparandum putant, vt alterum seuerum, clementem alterum: bonum illum, istum constantem: illum nihil largientem, hunc affluentem copiis omnibus dicerent. Hæc de moribus atq; genere. Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atq; insignibus, percepta tribunitia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium. His gestis, celebratísque sacris, datis ludis scenicis ludísque circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos tractus sit vt proficiscentes ad bellum imperatores, munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam vt ciuiũ sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est vis quædam fortunæ, satiaret. Alij hoc literis tradunt (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinẽ perhorrescerent. Et Maximo quidem ad bellum profecto, Romæ prætoriani remanserunt. Inter quos & populum tanta seditio fuit vt ad bellum intestinum veniretur, vrbis Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnes plateæ cruore polluerentur, quum Balbinus homo senior seditionem sedare non posset. Nam & in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit, & penè ictum lapidis passus est. Alij dicunt etiam fuste percussum esse, neque sedasse tumultum nisi infantem Gordianum purpuratum ad populum longissimi hominis collo superpositum produxisset. Quo viso, populus & milites vsqueadeo placati sunt vt amore illius in concordiam redirent. Neque vnquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito aui & auunculi, seu patris, vt quidam dicunt, qui pro populo Romano contra Maximinum

A B C D

A in Africa vitam finierāt tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet. Maximo igitur ad bellum profecto, ſenatus per omnes regiones conſulares, prætorios, quęſtorios, ædilitios, tribunitios etiam viros miſit: ita vt vnaquæque ciuitas frumentum arma & propugnacula & muros pararet, vt per ſingulas vrbes Maximinus fatigaretur. Iuſſū tunc tamen vt omnia ex agris in ciuitates colligerētur, nequid hoſtis publicus inueniret. Scriptum eſt præterea ad omnes prouincias miſſis frumentariis, iuſſúmque vt quicunque Maximinum iuuiſſet, in hoſtium numero duceretur.
B Inter hæc Romæ iterum ſeditiones inter populum & milites ortę ſunt. Et quum mille edicta Balbinus proponeret nec audiretur, veterani ſe in caſtra prætoria contulerūt cum ipſis prætorianis, quos cœpit populus obſidere: nec vnquam ad amicitiam eſſent reducti niſi fiſtulas aquarias populus incidiſſet. In vrbe autem priuſquam dictum eſſet milites pacatos venire, & tegulę de tectis iactę ſunt, & omnia quæ in domibus erant vaſa, proiecta. atque ideo maior pars ciuitatis periit, & multorum diuitiæ. Nam latrones ſe militibus miſcuerunt ad vaſtanda ea quæ norant vbi reperirent.
C Quū hæc Romæ geruntur, Maximus ſiue Pupienus apud Rauénam bellum parabat ingenti apparatu, timens vehementiſſimè Maximinū: de quo ſæpiſſimè dicebat, ſe non contra hominem ſed contra Cyclopem bellū gerere. Et Maximinus quidem apud Aquileiam ita victus eſt vt à ſuis occideretur: capútque eius & filij perlatum eſt Rauennam, quod à Maximo Romam tranſmiſſum eſt. Non tacēda hoc loco deuotio eſt Aquileienſium pro Romanis, qui etiam crines mulierum pro neruis ad ſagittas emittendas totondiſſe dicuntur. Tantum ſanè lætitiæ fuit in Balbino
D qui plus timebat, vt hecatomben faceret, ſtatim vt Maximini caput allatum eſt. *Hecatombe* autem tale ſacrificiū eſt: centū aræ vno in loco ceſpititiæ extruuntur, & ad eas centem ſues, centum oues mactantur. Nam ſi imperatoriū ſacrificium ſit, centum leones, centum aquilæ, & cætera huiuſmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam feciſſe dicūtur quúm peſtilentia labora-

rent: & á multís imperatoribus id celebratum conſtat. His igitur peractis Balbinus cum ſumma gratulatione Maximum redeuntem è Rauēna cum exercitu integro & copiis expectabat. Siquidē Maximinus ab oppidanis Aquileienſibus, & paucis qui illic erant militibus ac Criſpino & Menophilo conſularibus, qui à ſenatu miſſi fuerant, victus eſt. Ipſe autem Maximus Aquileiam idcirco acceſſerat, vt omnia tuta & integra vſque ad Alpes relinqueret: ac ſi quæ eſſent Barbarorum qui Maximino fauerant reliquiæ, cōpeſceret. Miſſi ſunt denique ad eum legati ſenatores xx: quorũ nomina ſunt apud Cordum: (in his conſulares IIII, prætorij VIII, quæſtorij VIII) cum coronis & ſenatuſconſulto, in quo ei ſtatuæ auratæ equeſtres decernebantur. Ex quo quidem Balbinus ſubiratus eſt, dicens, Maximum minus quàm eum laboraſſe, quũ ipſe domi tāta bella cōpreſſiſſet, ille autem otioſus apud Rauennam reſediſſet. Sed tantum valuit bellũ Maximo quia profectus eſt contra Maximinũ, vt etiam victoria decerneretur, quam impletā ille neſciuit. Exercitu igitur ſuſcepto Maximini, ad vrbem cum ingenti pompa & multitudine Maximus venit, mœrentibus militibus quòd eum imperatorem quem ipſi delegerāt, perdiderant, & eos habebant quos ſenatus legerat. Nec diſſimulari poterat mœror, qui in frontibus apparebat ſingulorũ: & iam quidē nec verbis abſtinebatur: quãuis Maximus & apud milites ſæpe dixiſſet, obliuionē præteritorũ eſſe debere, & ſtipendia magna donaſſet, & auxilia in ea loca quæ delegerāt, dimiſiſſet. *Sed animi militũ ſemel imbuti odio, refrenari nequeunt.* Deniq; quũ audiſſent ſenatus acclamationes quæ milites tangeret, acriores contra Maximũ & Balbinũ extiterunt, ſecum quotidie cogitantes quos imperatores facere deberent. Senatuſconſulti autē quo moti ſunt, hæc forma eſt: Quum ingredienti vrbem Maximo Balbinus & Gordianus & ſenatus & populus Rom. obuiam proceſſiſſent, acclamationes primùm publicæ fuerunt quæ milites contingerent: inde in ſenatũ itum eſt: vbi poſt illa quę cōmunia ſolent eſſe feſta, dictum eſt, *Sapienter electi principes ſic agunt, per imperitos electi principes ſic pereunt:* quum con-

A ſtaret à militibus factum eſſe Maximinum, Balbinũ autem & Maximum à ſenatoribus. His auditis milites grauius ſæuire cœperunt in ſenatum, præcipuè qui ſibi triumphare de militibus videbatur. Et Balbinus quidem cum Maximo vrbem cum magna moderatione gaudente ſenatu & populo Rom. regebant: ſenatui plurimum deferebatur: leges optimas condebant moderatè causas audiebant, res bellicas pulcherrimè diſponebant. Et quum iam paratum eſſet vt cõtra Parthos Maximus proficiſceretur, Balbinus contra Germanos, puer autem Gordianus Romę remane-
B ret, milites occaſionem quærentes occidendorum principum, quũ primò vix inuenire poſſent, quia Germani ſtipabant Maximum atque Balbinum, quotidie ingraueſcebant. Et erant quidem diſcordiæ inter Balbinum & Maximum, ſed tacitæ & quæ intelligerentur potius quàm viderentur: quum Balbinus Maximum quaſi ignobilem cõtemneret, Maximus Balbinum quaſi debilem calcaret. Quare occaſio militibus data eſt intelligentibus *facile diſcordes imperatores poſſe interfici.* Ludis denique ſcenicis quũ multi & milites & aulici occupati eſſent, & in Palatio ſoli
C cum Germanis principes remanſiſſent, impetum in eos fecerunt. Turbantibus igitur militibus quum nũtiatum primùm eſſet Maximo, turbam illam tempeſtatémque vix euadi poſſe niſi ad Germanos mitteretur, & fortè in alia parte Palatij Germani cum Balbino eſſent, mittit ad Balbinum Maximus, petens, vt ei præſidium mitteret. Sed ille ſuſpicatus quòd contra ſe eos peteret, quem putabat monarchiam velle: primùm fruſtratus eſt, deinde vſque ad litẽ peruentum eſt. In hac tamen ſeditione illis contendentibus milites ſuperuenerunt, atque ambos eos nudatos ve-
D ſtibus regalibus, de Palatio cum iniuriis produxerunt, & per mediam ciuitatem ad caſtra raptare voluerunt, magna ex parte laniatos. Sed vbi compererunt Germanos ad defenſionem illorũ ſuperuenire, ambos occiderunt, & in itinere medio reliquerunt. Inter hęc Gordianus Cęſar ſublatus à militibus, imperator eſt appellatus, id eſt Auguſtus, quia nõ erat alius in pręſẽti, inſultantibus militibus ſenatui:

& populo, qui se statim in castra receperũt. Germani sanè ne sine causa pugnarent, occisis imperatoribus suis, extra vrbem vbi suos habebant, se contulerunt. Hunc finem habuerunt boni imperatores, indignum vita & moribus suis. Nam neque Maximo siue Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quicquam: quod re ipsa intelligi potest. Neque enim quum esset potestas, malos senatus eligeret. Huc accedit quòd multis honoribus ac potestatibus explorati sunt, quum alter bis COS. & præfectus, alter COS. & præfectus, ad imperium longæui peruenissent, amabiles senatui, & populo etiam, quia Maximinũ iam leuiter pertimescebant. Hæc sunt quæ de Maximo ex Herodiano Græco scriptore magna ex parte collegimus. Sed multi non à Maximo, verum à Pupieno imperatore apud Aquileiam Maximinum esse victum dixerunt, & ipsum cum Balbino esse occisum, ita vt Maximi nomẽ prætereant. Tanta est autem historicorum inter se errantium imperitia, vel vsurpatio, vt multi eundem Maximum quem Pupienũ velint dici, quum Herodianus vitæ suæ temporum scriptor Maximum dicat, nos Pupienum: quum & Dexippus Græcorum scriptor, Maximum & Balbinum imperatores dicat factos contra Maximinum post Gordianos duos & à Maximo victum Maximinum, non à Pupieno. His accedit alia scriptorum imperitia qui præfectũ prætorij fuisse Gordianũ paruulum dicunt, ignorãtibus multis collo sæpe vectum vt militibus ostenderetur. Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno vno, quum Maximinus imperasset cum filio, vt quidam dicunt, per triennium: vt alij, per biennium. Nec reticendum est quod Maximus, quum & sibi & Balbino deferretur iudicio senatus imperium, Balbino dixisse fertur, (vt Herodianus dicit) *Quid tu Balbine, & ego merebimur, quum hanc tam immanem belluam exitio dederimus?* Quúmque Balbinus dixisset, *Senatus populíque Romani feruentissimum amorem & orbis terrarum,* dixisse fertur Maximus, *Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem.* Domus Balbini etiam nunc Romæ ostenditur in Carinis, magna & potens, & ab eius familia hucusque possessa. Maximus quem Pupienum ple-

A rique putant, summę tenuitatis, sed virtutis amplissimę fuit. Sub his pugnatum à Carpis contra Mœsos fuit, & Scythici belli principium, & Histriæ excidium eo tempore: vt autem Dexippus dicit, Histricæ ciuitatis. Dexippus Balbinũ satis laudat, & dicit forti animo militibus occurrisse, atque interfectum: vt mortem non timeret, quem in omnibus disciplinis instructum fuisse dicit. Maximum verò negat eiusmodi virum fuisse qualem Græci plerique dixerunt. Addidit prętereа contra Maximinũ Aquileiensium odium fuisse, vt de crinibus mulierum suarum arcubus neruos fa-
B cerent, atque ita sagittas emitterent. Dexippus & Herodianus qui horum principum historiam persequuti sunt, Maximum & Balbinum fuisse principes dicunt, delectos à senatu contra Maximinum post interitum duorum Gordianorum in Africa, cum quibus etiam puer, tertius Gordianus, electus est. Sed apud Latinos scriptores plerosque Maximi nomen non inuenio, & cum Balbino Pupienum imperatorem reperio, vsqueadeo vt idem Pupienus cum Maximino apud Aquileiam pugnasse dicatur, quum memoratis historicis asserentibus, ne Maximus quidem cõtra
C Maximinum pugnasse doceatur, sed resedisse apud Rauennam, atque illic patratam audisse victoriam: vt mihi videatur, idem esse Pupienus, qui Maximus dicitur. Quare etiam gratulatoriam epistolam subdidi, quæ scripta est à cos. sui temporis de Pupieno & Balbino, in qua lætatur redditam ab his post latrones improbos esse Rempub. *Pupieno & Balbino Augustis Claudius Iulianus. Quum primùm Iouis Opt. Max. & deorum immortalium senatúsque iudicio, & consensu generis humani suscepisse vos Remp. à nefarij latronis scelere seruandam reddendámq; Romanis legibus, domini sanctißimi & inuictis-*
D *simi Augusti, quamquam nondum ex vestris literis, sed tamen ex scripto quod V.C. Celsus Aelianus collega transmiserat, comperissem: gratulatus sum vrbi Romæ, cuius ad salutem estis electi: gratulatus senatui, cuius pro iudicio quod in vos habuit, reddidistis pristinam dignitatem: gratulatus Italiæ, quam cum maxima ab hostibus vastatione defendistis: gratulatus prouinciis, quas inexplebili auaritia tyrannorum laceratas ad spem salutis reduxistis: denique*

legionibus ipsis & auxiliis, quæ vbique terrarũ iam vultus vestros A
adorant; qui deposito dedecore pristino, nunc in vestro nomine dignam Romani principatus speciem receperunt. Quocirca nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fœcundum vnquam fuerit, quod possit publicam felicitatem dignè exprimere. Quæ quanta & cuiusmodi sint, iam in ipso exordio principatus vestri cognoscere potuimus: qui leges Romanas, æquitatémque abolitam, & clementiam quæ iam nulla erat, & vitam, & mores, & libertatem, & spem successionum atque hæredum reduxistis. Hæc enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate. Nam quòd nobis vita per vos reddita est, quum dimissis passim per pro- B
uincias carnificibus sic elatus latro surrexit vt se ordini profiteretur iratum, quomodo dicam aut prosequar? præsertim quum mediocritas mea non modò publicam felicitatem, sed ne peculiare quidem gaudium animi mei possit exprimere, quum eos Augustos & principes generis humani videam, quorum antehac perpetuo cultu mores & modestiam meam tanquam veteribus censoribus meis cuperem probatam: & etiamsi confidam in priorum principum testimoniis, vestris tamen vt grauioribus iudiciis glorior. Dij præstent præstabúntque hanc vrbi Romanæ felicitatem. Nam quum ad vos respicio, aliud nihil optare possum quam quod apud deos dicitur C
victor Carthaginis precatus, vt scilicet in eo statu Remp. seruarent in quo tunc esset, quòd nullus melior inueniretur. Ita ego precor, vt in eo statu vobis Remp. seruent, in quo eam vos adhuc nutantem collocauistis. Hæc epistola probat Pupienum eundem esse qui à plerisque Maximus dicitur nomine paterno. Siquidem per hæc tempora apud Græcos non facilè Pupienus, apud Latinos non facilè Maximus inueniatur, & ea quæ sunt gesta contra Maximinum, modò à Pupieno, modò à Maximo acta dicantur. Sed Fortunati ano credamus qui dicit Pupienum dictum nomine suo, cognomine verò pa- D
terno Maximum, vt omnium stupore legentibus aboliti videantur.

A
TREBELLII POLLIONIS

VALERIANVS PATER ET FILIVS.

VALERIANVS imperator, nobilis gene-
re, patre Valerio, censor antea, & per di-
gnitatum omnes gradus suis temporibus
B ad maximum in terris culmen ascendens,
cuius per annos LXX, vita laudabilis in
eam conscenderat gloriam, vt per omnes
honores & magistratus insigniter gestos, imperator fieret:
non vt solet tumultuario populi concursu, non militum
strepitu, sed iure meritorum, & quasi ex totius orbis vna
sententia. Denique si data esset omnibus potestas promē-
di arbitrij quem imperatorē vellent, alter non esset electus.
Et vt sciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit pu-
blicorum, ponam senatusconsulta, quibus animaduertant
C omnes quid de illo semper amplissimus ordo iudicauerit.
Duobus Deciis COSS. VI Cal. Nouemb. die, quum ob im-
peratorias literas in æde Castorum senatus haberetur, ire-
túrque per sententias singulorum cui deberet censura de-
ferri, (nam id Decij posuerant in senatus amplissimi po-
testate) vbi primùm prætor edixit, *Quid vobis videtur P. C. de censore deligendo?* atque eum qui erat princeps, quum se-
natus sententiam rogasset, absente Valeriano: (nam ille in
procinctu suo cum Decio agebat) omnes vna voce dixe-
runt, interrupto more dicendæ sententiæ, *Valeriani vita cen-*
D *sura est: Ille de omnibus iudicet qui est omnibus melior. Ille de se-*
natu iudicet qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam
ferat cui nihil potest obiici. Valerianus à prima pueritia censor fuit.
Valerianus in tota vita sua fuit censor. Prudens senator, modestus
senator, grauis senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum,
hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc censorem omnes accipi-
mus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine,
emen-

emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Quæ quũ essent sæpius dicta, addiderunt OMNES: atque ita discessum est. Hoc senatusconsultum vbi Decius accepit, omnes aulicos conuocauit, ipsum etiam Valerianũ præcepit rogari: atque in conuentu summorum virorum, recitato senatusconsulto. *Felicem te* (inquit) *Valeriane senatus sententia, imò animis atq; pectoribus: totius orbis humani suscipe censuram quam tibi detulit Romana Resp. quam solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in Curia debeant, tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges, tu censibus modum pones, tu vectigalia firmabis, diuides statum, Respublicas recensebis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies: tu de nostro Palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissimis iudicabis. Excepto denique præfecto vrbis Romæ, exceptis* COSS. *ordinariis, & sacrorum rege ac maxima virgine Vestalium, (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem etiam illi vt tibi placeant de quibus non potes iudicare.* Hæc Decius. Sed Valeriano sententia huiusmodi fuit: *Quæso sanctissime imperator, ne ad hanc me necessitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus, de senatu, de omni penitus orbe, iudicibus, & tribunis, ac ducibus. Hæc sunt propter quæ Augustum nomen tenetis, apud vos censura desedit, non potest hoc implere priuatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est confidentia, cui tempora sic repugnant vt censuram hominum natura non quærat.* Poteram multa & alia senatuscõsulta, & iudicia principum de Valeriano proferre, nisi ea vobis plerisque nota essent, vt puderet altius virum extollere, qui fatali quadam necessitate superatus est. Victus est enim à Sapore rege Persarum dum ductu cuiusdam sui ducis, cui summam omnium bellicarum rerum agendarum commiserat, seu fraude, seu aduersa fortuna in ea esset loca deductus vbi nec vigor nec disciplina militaris, quin caperetur, quicquam valere potuit. Captus igitur, in ditionem Saporis peruenit: quem quum gloriosæ victoriæ successu minus honorificè quàm deceret, superbo & elato animo detineret, atque cum Romanorum rege, vt vili & abiecto mancipio loqueretur, lite-

A ras ab amicis regibus, qui & ei contra Valerianum fauerāt, plerasque missas accepit, quarum seriem Iulius refert. *Sapori, rex regum Belsolus: Si scirem posse aliquando Romanos penitus vinci, gauderem tibi de victoria quam præfers. Sed quia vel fato vel virtute gens illa plurimum potest, vide ne, quòd senem imperatorem cepisti, & id quidem fraude, malè tibi cedat posterísque tuis. Cogita quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, à quibus sæpe victi sunt. Audiuimus certè quòd Galli eos vicerint, & ingentem illam ciuitatem incenderint. Certè Galli Romanis seruiunt. Quid Afri? eos nónne vicerunt? Certè seruiunt Romanis.*

B *De longioribus exemplis, & fortasse ignotioribus nihil dico. Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit: certè victus est, certè Asia Romanorum est. Si meum consilium requiris, vtere occasione pacis, & Valerianum suis redde: ego gratulor felicitati tuæ, si tamen illa vti tu scias.* Balerus rex Cadusiorum sic scripsit, *Remissa mihi auxilia integra & incolumia gratanter accepi. sed captum Valerianum principem principum non satis gratulor, magis gratularer si redderetur. Romani enim grauiores tunc sunt quando vincuntur. Age igitur vt prudentem decet: nec fortuna te inflet, quæ multos decepit. Valerianus & filium imperatorem habet &*

C *nepotem Cæsarem: & quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem, nobis etiam ob gentes Ponticas profuturam.* Artabasdes rex Armeniorum talem ad Saporem epistolam misit, *In partem gloriæ venio: sed vereor ne non tam viceris quam bella seueris. Valerianum & filius repetet, & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Vnum ergo senem cepisti, & omnes gentes orbis terrarū*

D *infestissimas tibi fecisti: fortassis & nobis qui auxilia misimus, qui vicini sumus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.* Bactriani, & Hiberi, & Albani, & Tauroscythæ Saporis literas non receperunt, sed ad Romanos duces scripserunt, auxilia pollicentes ad Valerianum de captiuitate liberandum. Sed Valeriano apud Persas consenescente, *Odenatus Palmyrenus*, collecto exercitu rem Romanā propè in pristi-

num statum reddidit. Cepit regis thesauros, cepit etiam A
quas thesauris chariores habent reges Parthici, cõcubinas.
Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore
Balistæ atque Odenati, in regnum suum ocyus se recepit.
Atque hic interim finis belli fuit Persici. Hæc sunt digna
cognitu de Valeriano, nunc ad Valerianum minorem reuertar.

TREBELLII POLLIONIS B

VALERIANVS IVNIOR.

VALERIANVS IVNIOR alia quàm Gallienus matre genitus, forma conspicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucũdus, atque à fratris dissolutione seiunctis, à patre absente Cæsar est appellatus, à fratre (vt Celestinus dicit) Augustus. nihil habet prædicabile in vita
nisi quòd est nobiliter natus, educatus optimè, & misera- C
biliter interemptus. Et quoniam scio errare plerosque qui
Valeriani imperatoris titulum in sepulchro legentes, illius
Valeriani redditum putant corpus, qui à Persis est captus:
ne vllus error obrepat, mittendum in literas censui, hunc
Valerianum circa Mediolanum sepultum, addito titulo,
Claudij iussu, VALERIANVS IMPERATOR. Non puto plus aliquid vel de maiore Valeriano, vel de iuniore requirendum. Et quoniam vereor ne modum voluminis
transeam, si Gallienum Valeriani filium, de quo iam nobis
multus sermo fuit: vel Sallonium filium etiam Gallieni, qui D
& Gallienus dictus est, huic libro adiungam, ad aliud volumen transeam. Semper enim me vobis dedidi & famæ, cui
negare nihil debeo neque possum.

A

TREBELLII POLLIONIS
GALLIENI DVO.

CAPTO Valeriano (enimuero vnde incipienda est Gallieni vita, nisi ab eo pręcipuè quo eius vita depressa est) nutante Repub. quum Odenatus iam Orientis cepisset imperiũ, & Gallienus comperta patris captiuitate gauderet, vagabãtur exercitus, murmurabant duces, erat ingens omnibus mœror quòd imperator Romanus in Perside seruiliter teneretur. Gallieno igitur & Volusiano COSS. Macrianus & Balista in vnum coeunt, exercitus reliquias conuocant: & quum Romanũ in Oriente nutaret imperium, quem facerent imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, vt eius ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique cum pluries eius rei causa conuenissent, placuit vt Macrianum cum filiis suis imperatores dicerent, ac Rempublicam defensandam capesserent. Sic igitur imperium delatum est MACRIANO. Et causæ Macriano imperandi cum filiis hæ fuerunt. Primùm, quòd nemo eo tempore sapientior ducum habebatur, nemo ad res gerẽdas aptior: deinde ditissimus, & qui priuatis posset fortunis publica explere dispendia. Huc accedebat quòd liberi eius fortissimi iuuenes tota mente in bellum ruebant, vt essent legionibus exemplo ad omnia militaria. Macrianus ergo vndique collectis exercitibus, Orientis partes petiit: atque vt posset latè sibi delatum defendere & tueri imperium, bellum sic instruxit, atque copias sic parauit, vt esset omnium circumspectus quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus Pisonem, vnum ex nobilibus principibus senatus, ad Achaiam destinauit ob hoc vt VALENTEM qui illic proconsulari imperio Rempublicam gubernabat, opprimeret. Sed Valens comperto quòd Piso contra se veniret, sumpsit imperium. Piso igitur in Thessaliam se recepit.

(Margin letters: B beside "uitate gauderet"; C beside "dam capesserent"; D beside "struxit".)

Vbi, miſſis, à Valente militibus compluribus, interfectus eſt: ipſe quoque imperator appellatus cognomẽto THESSALICVS. Sed Macrianus retento in Oriente vno ex filiis, pacatis tamen rebus, Aſiam primùm venit, deinde Illyricum petiit: in Illyrico cum AVREOLO imperatore, qui contra Gallienum imperium ſumpſerat, duce Domitiano nomine, manum conſeruit, vnum ex filiis ſecum habens, & xxx millia militum ducens. Sed victus eſt Macrianus cum filio Macriano nomine, deditúſque omnis exercitus Aureolo imperatori. Turbata interim Repub. totóq; penitus orbe terrarum, vbi ODENATVS comperit Macrianum cum filio interemptum, regnare Aureolum, Gallienũ remiſſius agere, feſtinauit ad alterum filium Macriani, quum exercitus hoc daret fortuna capiendum. Sed ij qui erant cum filio Macriani, Quieto nomine, conſentientes Odenato, autore præfecto Macriani BALISTA iuuenem occiderunt, miſſóque per murum corpore, Odenato ſe omnes affatim dediderunt. Totius propè igitur Orientis factus eſt Odenatus imperator, quum Illyricum teneret Aureolus, Romam Gallienus. Idem Baliſta multos Emiſſenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum Quieto & theſaurorum cuſtode interfecit, ita vt ciuitas penè deleretur. Odenatus inter hæc quaſi Gallieni partes ageret, cũcta eidem nuntiari ex veritate faciebat. Sed Gallienus cognito quòd Macrianus cum ſuis liberis eſſet occiſus, quaſi ſecurus rerum ac patre iam recepto, libidini ac voluptati ſe dedidit. Ludos circenſes ludóſque ſcenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit: populúmque quaſi victorialibus diebus ad feſtiuitatẽ ac plauſum vocauit. Et quum plerique patris eius captiuitatem mœrerent, ille ſpecie decoris quòd pater eius virtutis ſtudio deceptus videretur, ſupramodum lætatus eſt. Cõſtabat autem cenſuram parentis eum ferre non potuiſſe, votiuúmque illi fuiſſe, quòd imminentem ceruicibus ſuis grauitatem patriam non haberet. Per idem tempus ÆMILIANVS apud Ægyptum ſumpſit imperium, occupatis horreis multa oppida malo famis preſſit. Sed hunc

A dux Gallieni Theodotus conflictu habito cepit, atque imperatori Gallieno viuum transmisit. Ægyptus enim data Æmiliano per Transthebaitanos milites quum Gallienus in luxuria & improbitate persisteret. Quúmque ludibriis & helluationi vacaret, neque aliter Rempublicam regeret quàm quum pueri fingunt per ludibria potestates, Galli quibus insitum est esse leues ac degenerantes à ciuitate Romana, & luxuriosos principes ferre nõ posse, POSTHVMIVM ad imperium vocarunt: exercitibúsque consentientibus, qui occupatum imperatorem libidinibus sentiebant querebanturque. Contra hunc Theodotus exercitũ
B duxit. Quúmque vrbem, in qua erat Posthumius obsidere cœpisset, decernentibus Gallis Gallienus muros circũiens sagitta ictus est. Nam & per annos VII Posthumius imperauit, & Gallias ab omnibus circumfluentibus Barbaris validissimè vindicauit. His coactus malis Gallienus pacem cum Aureolo facit oppugnandi Posthumij studio, longóque bello tracto per diuersas obsidiones ac prælia, rem modò feliciter modò infeliciter gessit. Accesserat prę-
C terea his malis quòd Scythæ Bithyniam inuaserant, ciuitatésque deleuerant. Denique Astacum, quæ postea Nicomedia dicta est, incensam grauiter vastauerũt. Denique quasi coniuratione totius mundi, concussis orbis partibus, etiam in Sicilia quasi quoddam seruile bellũ extitit, latronibus euagantibus, qui vix oppressi sunt. Et hæc omnia Gallieni cõtemptu fiebant. Neque enim quicquam est ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis prõptius, quàm quum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur imperator. Gallieno & Faustino COSS. inter tot bellicas clades etiam terręmotus grauissimus fuit, & tenebræ per mul-
D tos dies. Auditum præterea tonitruum terra mugiente nõ Ioue tonante. Quo motu multæ fabricæ deuoratæ sunt cũ habitatoribus: multi terrore mortui. quod quidem malum tristius in Asię vrbibus fuit. Mota est & Roma, mota & Libya: hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, quum aqua salsa in fossis appareret. Maria etiam multas vrbes occuparunt. Pax igitur deûm quæsita, inspectis Sibyllæ libris, fa-

ctúmque Ioui salutari, vt præceptum fuerat, sacrificium. A
Nã & pestilentia tanta extiterat vel Romæ vel in Achaicis vrbibus, vt vno die quinque millia hominum pari morbo perirent. Sæuiente fortuna quũ hinc terræmotus, inde hiatus soli ex diuersis partibus pestilẽtia orbẽ Romanũ vastaret, capto Valeriano, Gallis parte maxima obsessis, quum bellum Odenatus inferret, quum Aureolus perurgeret Illyricum, quum Æmilianus Ægyptũ occupasset: GOTTHI & CLODIVS, de quo dictum est superius, occupatis Thraciis Macedoniam vastarunt, Thessalonicam obsederunt, neque vsquam quies mediocriter salutem ostentare visa B
est. Quæ omnia contemptu, vt sæpius diximus, Gallieni fiebant, hominis luxuriosissimi, & si esset securus, ad omne dedecus paratissimi. Pugnatum est in Achaia Macriano duce contra eosdem Gotthos. Vnde victi per Achæos, recesserunt. Scythę autẽ, hoc est pars Gotthorũ, Asiã vastabant. Tũc etiam templum Dianæ Ephesiæ dispoliatum & incensum est: cuius opes fama in populos satis notæ. Pudet numerare inter hæc tempora quum ista gererẽtur, quæ sæpe Gallienus malo generis humani quasi per iocũ dixerit. Nam quum ei nũtiatum esset, Ægyptum desciuisse, di- C
xisse fertur, *Quid? sine lino Ægyptio esse non possumus?* Quum autem vastatam Asiam, & elementorum concursionibus & Scytharum incursionibus comperisset, *Quid*, inquit, *sine apronitris esse non possumus?* Perdita Gallia arrisisse ac dixisse perhibetur, *Non sine trabeatis sagis tuta Resp. est?* Sic denique de omnibus partibus mundi, quum eas emitteret, quasi detrimẽtis vilium ministeriorum videretur affici, iocabatur. Ac nequid mali deesset Gallieni temporibus, Byzantiorum ciuitas clara naualibus bellis, claustram pon- D
ticum, per eiusdem Gallieni milites ita omnis vastata est vt prorsus nemo superesset. Denique nulla vetus familia apud Byzantios inuenitur, nisi siquis peregrinatione vel militia occupatus euasit, quí antiquitatem generis nobilitémque repræsentet. Contra Posthumiũ igitur Gallienus cũ Aureolo & Clodio duce, qui postea imperiũ obtinuit, principe generis Constantini Cęsaris nostri, bellũ incepit:

A & quum multis auxiliis Posthumius iuuaretur Celticis ac Frācicis, in bellum cum Victorino processit, cum quo imperium participauerat. Victrix Gallieni pars fuit, pluribus præliis euentuum ratione decursis. Erat enim in Gallieno subitæ virtutis audacia: nam aliquando iniuriis grauiter mouebatur. Denique ad vindictam Byzantiorum processit: & quum non putaret recipi se posse muris, receptus alio die omnes milites inermes, armatorum corona circundatos, interemit, fracto fœdere quod promiserat. Per eadem tempora etiam Scythæ, in Asia Romanorum ducum vir-
B tute ac ductu vastati, ad propria recesserunt. Interfectis sanè militibus apud Byzantium, Gallienus quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit: conuocatísque patribus, decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Iam primùm inter togatos patres, & equestrum ordinem, albatos milites, & omni populo præeunte, seruis etiam propè omnium, & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boues, cornibus auro
C iugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab vtraque parte c c præcesserunt, & x elephanti, qui tunc erant Romæ, mille c c gladiatores pōpaliter ornati, cum auratis vestibus matronarum, mansuetæ feræ diuersi generis, c c, ornatu quammaximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum pugiles sacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarij, ita vt miranda quædam & stupenda monstrarent. Omnes viæ ludis strepitúque & plausibus personabant, ipse medius cum picta toga & tunica palma inter
D patres (vt diximus) omnibus sacerdotibus prætextatis Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præter ea quæ collegiorum erant, dracones, & signa templorum omniúmque legionem ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, vt Gotthi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita vt non minus quàm ducenti singulis globis ducerentur. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit

popu-

populum Romanum: sed, vt sunt Romanorum facetiæ, alius Posthumio fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo, alius Æmiliano, alius Saturnino. nam & ipse iam imperare dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre: quem inultũ filius relinqueret, & quẽ externi vtcunque vindicauerant. Nec tamen Gallienus ad talia mouebatur, obstupefacto voluptatibus corde: sed ab iis qui circum eum erant requirebat, *Et quid habemus in prãdio? & quæ voluptates paratæ sunt? & qualis cras erit cœna? quales circenses?* Sic confecto itinere, celebratísque hecatombis, ad domum regiam rediit: conuiuiísque & epulis depulsis, alios dies voluptatibus publicis deputabat. Prætereundum non est haud ignobile facetiarum genus. Nam quum rex Persarum, quasi captiuorum, per pompam (rem ridiculam) duceretur, quidã scurrę miscuerunt se Persis, diligentissimè scrutantes omnia, atque vniuscuiusque vultũ mira inhiatione mirantes. A quibus quũ quæreretur quidnam agerent illa solertia, illi responderũt, *Patrem principis quærimus*. Quod quum ad Gallienum peruenisset, non pudore, non mœrore, non pietate commotus est, scurrásque iussit viuos exuri. Quod populus factũ tristius quàm quisquã existimaret, tulit: milites verò ita doluerunt vt non multo pòst vicem redderent. Gallieno & Saturnino coss. Odenatus rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis imperium, idcirco præcipuè quòd se fortibus factis dignũ tantæ maiestatis infulis declarauit: Gallieno aut nullas, aut luxuriosas, aut ineptas & ridiculas res agente. Denique Odenatus statim bellum Persis in vindictam Valeriani, quam eius filius negligebat, indixit. Nisibin & Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibenis atque Carrenis, & increpanitbus Gallienũ. Nec defuit tamen reuerentia Odenati circa Gallienum. Nam captos satrapas insultandi propè gratia & ostentandi sui ad eũ misit. Qui quum Romam deducti essent, vicente Odenato triumphauit Gallienus, nulla mentione patris facta: quem nec inter deos quidem nisi coactus retulit, quum mortuũ audisset, sed adhuc viuentem: nam de illius morte falsò cõpererat. Odenatus autem ad Ctesiphõtẽ Parthorum mul-

A titudinem obsedit: vastatísque circũ omnibus locis, innumeros homines interemit. Sed quũ satrapę omnes ex omnibus regionibus illud defensionis cõmunis gratia conuolassent, fuerũt longa & varia prælia, longior tamen Romana victoria. Et quum nihil aliud ageret nisi vt Valerianum Odenatus liberaret, instabat quotidie, ac locorum difficultatibus in alieno solo imperator optimus laborabat. Dum hæc apud Persas gerũtur, *Scythæ* in Cappadociam peruaserunt: illic captis ciuitatibus, bello etiam vario diu acies ad B Bithyniam cõtulerunt. Quare milites iterum de nouo imperatore faciendo cogitauerunt: quos omnes Gallienus more suo, quum placare atq; in gratiam suam reducere nõ posset, occidit. Quum tamen sibi milites dignum principẽ quærerent, Gallienus apud Athenas ἄρχων erat, id est summus magistratus, vanitate illa qua & ciuis adscribi desiderabat, & sacris omnibus interesse: quod neque Adrianus in summa felicitate, neque Antoninus in adulta fecerat pace quum tanto studio Græcarum docti fuerint literarũ, vt rarò aliquibus doctissimis magnorum arbitrio cesserint vi-C rorum. Areopagitarum præterea cupiebat ingeri numero, cõtempta propè Rebubl. Fuit enim Gallienus (quod negari nõ potest) oratione, poemate, atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium quod inter centum poetas præcipuum fuit. Nam quum fratrum suorum filios coniugaret, & omnes poetę Græci Latiníque epithalamia dixissent, ídque per dies plurimos, quum ille manus sponsorum teneret, vt quidam dicunt, sæpius ita dixisse fertur,

Ite, ait, ô pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

D Longum est eius versus orationésque connectere, quibus suo tẽpore tam inter poetas quàm inter rhetores emicuit. Sed aliud in imperatore quæritur, aliud in oratore vel poeta flagitatur. Laudatur sanè eius optimum factum. Nã cõsulto Valeriani fratris sui & Lucilli propinqui, vbi comperit ab Odenato Persas vastatos, redactã Nisibin & Carras in potestatem Rom, omnem Mesopotamiam nostram, denique Ctesiphontem esse peruentum, fugisse regem,

captos satrapas, plurimos Persarum occisos: Odenatum, A
participato imperio Augustum vocauit, eiúsque monetã
qua Persas captos traheret, cudi iussit, quod & senatus &
vrbs, & omnis ætas gratanter accepit. Fuit prȩterea idẽ in-
geniosissimus, cuius ostendentia acumẽ pauca libet pone-
re. Nam quum taurum ingẽtem in arenã misisset, exissétq;
ad eum feriendum venator, neq; perductũ decies potuisset
occidere, coronam venatori misit, mussantibúsq; cunctis
quid rei esset quòd homo ineptissimus coronaretur, ille
per curionẽ dici iussit, *Taurum toties non ferire difficile est*. Idẽ
quum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset eius B
vxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, surripi quasi ad
leonem venditorem iussit. Deinde è cauea caponẽ emittit,
mirantibúsque cunctis rem tam ridiculam, per curionẽ di-
ci iussit, *Imposturam fecit, & passus est*. deinde negotiatorẽ di-
misit. Occupato tamẽ Odenato bello Persico, & Gallieno
rebus ineptissimis, vt solebat, incumbẽte, Scythæ nauibus
factis Heracleam peruenerũt, atq; inde cum præda in solũ
proprium reuerterunt, quanuis multi naufragio perierunt,
nauali bello superati. Per idem tempus Odenatus insidiis
consobrini sui interemptus est cum filio Herode, quem & C
ipsum imperatorẽ appellauerat. Tum Zenobia vxor eius,
quòd paruuli essent filij eius qui supererãt, Herẽnius & Ti-
molaus, ipsa suscepit imperiũ, diúque rexit non muliebri-
ter, neque more fœmineo: sed non solùm Gallieno virago
melius imperare potuisset, verumetiam multis imperatori-
bus fortius atq; solertius. Gallieno sanè vbi nuntiatũ Ode-
natũ interemptũ, bellũ Persis ad serã nimis vindictã patris
parauit, collectísq; per Heraclianũ ducẽ militibus solertis
principis rem gerebat. Qui tamẽ Heraclianus quũ contra D
Persas profectus esset, à Palmyrenis victus oẽs quos pa-
rauerat milites perdidit, Zenobia Palmyrenis & oriẽtali-
bus plerisq; viriliter imperante. Inter hæc Scythȩ per Eu-
xinum nauigãtes, Istrũ ingressi, multa grauia in solo Rom.
fecerunt. Quibus cõpertis, Gallienus Cleodamũ & Athe-
næum Byzantios instaurãdis vrbibus muniendísq; præfe-
cit. Pugnatũ est circa Pontum, & à Byzãtiis ducibus victi
sunt barbari. Veneriano itẽ duce, nauali bello Gotthi supe-

A rati ſunt; tum ipſe Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum & Aſiam, deinceps Achaiam omnẽ vaſtauerunt, & ab Athenienſibus duce Dexippo, ſcriptore horum temporum, victi ſunt. Vnde pulſi per Epirum, Acarnaniam, Boetiam, peruagati ſunt. Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gotthis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuitò plurimos interemit. Quo comperto, Scythę facta carragine per montem Geſſacem fugere ſunt conati. Omnes inde Scythas Martianus varia bellorum fortuna agitauit: quæ omnes Scythas ad rebellionem excitarunt.

B Et hæc quidem Heracliani ducis erga Rẽpublicã deuotio fuit. Verùm quum Gallieni tãtam improbitatem ferre non poſſent, conſilium inierunt Martianus & Heraclianus, vt alter eorum imperium caperet: & Claudius quidem (vt ſuo dicemus loco) vir omniũ optimus, electus eſt, qui conſilio non adfuerat, eſſétque apud cunctos in reuerentia, vt dignus videretur imperio, quemadmodũ poſtea comprobatũ eſt. Is enim eſt CLAVDIVS à quo Conſtantinus vigilantiſſimus Cæſar originem ducit. Fuit eiuſdem ſocius in appetendo imperio quidã Ceronius ſiue Cecro-

C pius, dux Dalmatarum, qui eos & vrbaniſſimè & prudentiſſimè adiuuit. Sed quum imperium capere viuo Gallieno non poſſent, huiuſmodi eum inſidiis appetendum eſſe duxerunt, vt labem improbiſſimam, malis feſſa Republica, à gubernaculis humani generis dimouerẽt, ne diutius theatro & circo, addicta Republica per voluptatẽ deperiret illecebras. Inſidiarum genus fuit tale: Gallienus ab Aureolo qui principatum inuaſerat, diſſidebat, ſperãs quotidie grauem & intolerabilem tumultuarij imperatoris aduẽtum. Hoc ſciẽtes Martianus & Cecropius, ſubitò Gallieno iuſ-

D ſerant nuntiari Aureolum iam venire. Ille igitur militibus congregatis, quaſi certum proceſſit ad prælium, atque ita miſſis percuſſoribus interemptus eſt. Et quidem Cecropij Dalmatarũ ducis gladio Gallienus dicitur eſſe percuſſus, vt quidam ferunt, circa Mediolanum: vbi continuò & frater eius VALERIANVS eſt interẽptus quẽ multi Auguſtum, multi Cæſarẽ, multi neutrũ fuiſſe dicunt: quod veriſſimile

non est. Siquidem capto iam Valeriano, scriptum inuenimus in fastis, VALERIANO IMPERATORE COS. A
Quis igitur alius potuit esse Valerianus nisi Gallieni frater? Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel vt cœperunt alij loqui, de maiestate. Occiso igitur Gallieno seditio ingens militum fuit, quum spe prædæ ac publicæ vastationis imperatorem sibi vtilem, necessarium, fortem, efficacem, ad inuidiam faciendam, dicerēt raptum. Quare consilium principum fuit vt milites, eius, quo solent placari genere, sedarētur. Promissis itaque per Martianum aureis vicenis, & acceptis, (nam præstò erat thesaurorum B
copia) Gallienum tyrannum militari iudicio in fastos publicos retulerūt. Sic militibus sedatis Claudius, vir sanctus ac iure venerabilis, & bonis omnibus charus, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus senatui, populo bene cognitus, accepit imperium. Hæc vita Gallieni fuit breuiter à me literis intimata, qui natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & stupris perdidit orbem terrarū. Triginta propè tyrannos passus est, Romanum dehonestantes imperium, ita vt etiam mulieres eo melius imperarent. Ac ne eius prætereatur miserāda solertia, veris tempore cubicula C
de rosis fecit. De pomis castella composuit. Vuas triennio seruauit. Hyeme summa melones exhibuit. Mustum quemadmodum toto anno haberetur docuit. Ficos virides, & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit. Mantilibus aureis semper strauit. Gemmata vasa fecit, eadémque aurea. Crinibus suis auri scobem aspersit, radiatus sæpe processit. cum chlamyde purpurea gemmatísque fibulis & aureis Romæ visus est, vbi semper togati principes videbantur: purpuream tunicam aureatámque virilem eandémq; manicatam habuit. Gemmato baltheo vsus est, D
caligas gemmatas annexuit, quum campagos reticulos appellaret. Conuiuatus in publico est: congiariis populum molliuit: senatui sportulam sedens erogauit. Matronas ad consilium suum rogauit, iisdémque manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis dedit. Vbi de Valeriano patre comperit quòd captus esset, id quod philosophorum

A optimus de filio amiſſo dixiſſe fertur, *Sciebam me genuiſſe mortalem*, dixit ille, *Sciebam patrem meum eſſe mortalem.* Nec defuit Annius Cornicula qui eum quaſi conſtantem principem falsò ſua voce laudaret. peior tamẽ ille qui credidit. Sæpe ad tibicinem proceſſit, ad organum ſe recepit, quum proceſſui & receſſui cani iuberet. Lauit ad diem ſeptimò æſtate vel ſextò: hyeme ſecundò vel tertiò. Bibit in aureis ſemper poculis, aſpernatus vitrum, dicens nil eſſe eo communius. Semper vina variauit. Neque vnquam in vno conuiuio ex vno vino duo pocula bibit. Concubinæ in eius tri-
B cliniis ſæpe accubuerunt. Menſam ſecundam ſcurrarum & mimorum ſemper propè habuit. Quum iret ad hortos nominis ſui, omnia palatina officia ſequebantur. Ibant & præfecti, & magiſtri officiorum omnium: adhibebantur & conuiuiis & cœnationibus. lauabant etiã ſimul cum principe. Admittebantur ſæpe etiam mulieres, cum ipſo pulchræ & puellæ, & cum illis anus deformes, & iocari ſe dicebat quũ orbem terrarum vndique perdidiſſet. Fuit tamen nimiæ crudelitatis in milites: nam & terna millia, & quaterna militum ſingulis diebus occidit. Statuam ſibi maiorem co-
C loſſo fieri præcepit Solis habitu, ſed ea imperfecta periit. Tam magna denique cœperat fieri, vt duplex ad coloſſum videretur. Poni autem illam voluerat in ſummo Æſquiliarum monte, ita vt haſtam teneret, per cuius caput infans ad ſummum poſſet aſcendere. Sed & Claudio & Aureliano deinceps ſtulta res viſa eſt, ſiquidem etiã equos & currum fieri iuſſerat pro qualitate ſtatuæ, atque in acutiſſima baſe poni. Porticum Flaminiam vſque ad pontem Miluium & ipſe parauerat ducere, ita vt tetraſtiche fieret, vt autem alij dicunt, pentaſtiche: ita vt primus ordo pilas haberet, &
D ante ſe columnas cum ſtatuis, ſecundus & tertius, & deinceps διὰ πασσάρων columnas. Longum eſt eius cuncta in literas mittere. quæ qui volet ſcire, legat Palfurium Suram, qui Ephemeridas eius vitæ compoſuit. Nos ad Saloninum reuertamur.

DE SALONINO GALLIENO. A

SALONINVS hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani, de quo nihil est quod dignum in literas mittatur, nisi quòd nobiliter natus, educatus regiè, occisus deinde non sua sed patris causa. De huius nomine magna est ambiguitas. Nam multi eum GALLIENVM, multi SALONINVM in historiis prodiderunt. Et qui Saloninũ, idcirco quòd apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & aui Gallieni summi quondam in Repub. viri. Fuit denique hactenus statua B in pede montis Romulei, hoc est ante Sacram viam, intra templum Faustinæ aducta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptũ, GALLIENO minori, Salonino additum: ex quo eius nomen intelligi poterit. Transisse decennium imperium Gallieni satis clarum est: quod idcirco addidi quia multi eum imperij sui primo anno periisse dixerunt. fuisse autem & alias rebelliones sub eodem de quibus proprio dicemus loco. Siquidem placuit triginta tyrãnos vno volumine includere, idcirco quòd nec multa de his dici possunt & in Gallieni vita pleráque iam dicta sunt. Et hæc C quidem de Gallieno hoc interim libro dixisse sufficiat. Nam & multa iam in Valeriani vita: in libro qui *De triginta tyrannis* inscribendus est, iam loquemur quæ iterari ac sæpius dici minus vtile videbatur. Huc accedit quòd quædam etiam studiosè prætermisi, ne eius posteri multis rebus editis læderentur. Scis enim ipse quales homines cum iis qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: nec ignota esse arbitror quæ dixit M. Tullius in Hortensio quem ad exemplũ Protreptici scripsit. Vnum ponam tamẽ quod iucunditatem quandam, sed vulgarem D habuit, morem tamẽ nouum fecit. Nam quum cingula sua plerique militantium qui ad conuiuium venerant, ponerẽt hora conuiuij, Saloninus puer, siue Gallienus, his auratos constellatósq; balteos rapuisse perhibetur: & quũ esset difficile in aula palatina requirere quod periisset, ac taciti militares viri detrimẽti pertulissent, postea rogati ad cõuiuiũ

A cincti accubuerunt. Qúmque ab his quæreretur cur non soluerent cingulum, respondisse dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem vt deinceps cum imperatore cincti discumberent. Negare non possum, aliũde plerisque videri huius rei ortum esse morem. Dicunt enim militare prandium (quod dictum est prãdium ab eo quòd ad bellum milites paret) à cinctis initum: cui rei argumentum est quòd à discinctis etiam cum imperatore cœnatur. Quæ idcirco posui, quia digna & memoratu videbantur & cognitu. Nunc transeamus ad triginta tyrãnos, qui Gal-
B lieni temporibus contemptu mali principis extiterunt. De quibus breuiter & pauca dicenda sunt. Neque enim digni sunt eorum plerique vt volumen talium hominum saltem nominibus occuparetur. quamuis eorum aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam reipublicæ profuisse. Tam variæ item opiniones sunt de Salonini nomine, vt, qui se verius putant dicere, à matre sua Salonina appellatum esse dicant, quam is perditè dilexerit, Piparam nomine, Barbaram regis filiam. Gallienus cum suis semper flauum crinem condidit. De annis autem Gallieni
C & Valeriani ad imperium pertinentibus adeo incerta traduntur, vt quum XV annos eosdem imperasse constet, id est Gallienum vsque ad quintumdecimum peruenisse, Valerianus verò sexto sit captus, alij IX annis, alij decem etiam Gallienum imperasse in literas mittant: quum constet & decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post decennalia Gotthos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo initam esse concordiam: pugnatum contra Posthumium, contra Lollianum, multa etiam ab eo gesta quæ ad virtutem, plura tamen quæ ad dedecus pertinebant.
D Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus, ac etiam mimis scurrísque vixisse.

TRE-

A

TREBELLII POLLIONIS TRIGINTA TYRANNI.

SCRIPTIS iam pluribus libris, non historico nec diserto, sed pedestri eloquio, ad eam temporum veniemus seriem in qua per annos quibus Gallienus & Valerianus Rempubl. tenuerunt, triginta tyranni occupato Valeriano magnis belli Persici ne- B cessitatibus, extiterunt, quum Gallienum non solùm viri sed etiam mulieres contemptui haberent, vt suis locis probabitur. Sed quoniam tanta obscuritas eorum hominum fuit qui ex diuersis orbis partibus ad imperium conuolabant, vt non multa de his vel dici possint à doctioribus, vel requiri: deinde ab omnibus historicis qui Græcè ac Latinè scripserunt, ita nonnulli prætereantur, vt eorum nec nomina frequententur: postremò quum tam variè à plerisque super his nonnulla sint prodita: in vnum eos libellum contuli, & quidem breuem, maximè quum C vel in Valeriani, vel in Gallieni vita pleraque de his dicta, nec repetenda tamen satis constet.

DE CYRIADE, I.

HIc patrem Cyriadem fugiens, diues & nobilis, quum luxuria sua & moribus perditis sanctum senem grauaret, direpta magna parte auri, argenti etiam infinito pondere, Persas petiit: atque inde Sapori regi coniunctus atque sociatus, quum hortator belli Romanis inferendi fuisset, Odenatum primùm, deinde Saporem ad Romanũ solum D traxit: Antiochia etiam capta & Cæsarea, cæsarianum nomen accepit. Atque inde vocatus augustus, quum omnem orientem vel virium audacia vel terrore quateret, patrem verò interemisset (quod alij historici negant factum) ipse per insidias suorum, quum Valerianus iam ad bellum Persicum veniret, occisus est. Neque plus de hoc historię quic-

A quam mandatum est quod dignum memoria esse videatur. quem clarum, perfugium & parricidium, & aspera tyrannis & summa luxuries literis dederunt.

DE POSTHVMIO, II.

HIc vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni vita grauis, vsqueadeo vt Saloninum filium suũ eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi custodi vitæ, & morũ & actuum imperialium institutori. Sed, quãtum plerique asserunt, (quod eius non conuenit moribus) postea fidem fregit, & occiso Salonino sumpsit imperium. Vt autẽ verius plerique tradiderunt, quum Galli vehementissimè Gallienum odissent, puerum autẽ apud se imperare ferre non possent, eum qui commissum regebat imperium, imperatorẽ appellarunt, missisque militibus adolescentem interfecerũt. Quo interfecto ab omni exercitu & ab omnibus Gallis, Posthumius gratãter acceptus talem se præbuit per annos septem, vt Gallias instaurauerit, quum Gallienus luxurię & popinis vacaret, & amore Barbaræ mulieris consenesceret. Gestum est tamen à Gallieno contra hunc bellum tunc quum sagitta Gallienus est vulneratus. Siquidem nimius amor erga Posthumium omnium erat in Gallica gente populorum, quod submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem reuocasset imperium. Sed quum se grauissimè regeret, more illo quo Galli nouarum rerum semper sunt cupidi, Lolliano agente, interemptus est. Siquis sanè Posthumij meritum requirit, iudicium de eo Valeriani ex hac epistola quam ille ad Gallos misit, intelliget: *Transrhenani limitis ducem, & Galliæ præsidem Posthumium fecimus, virum dignissimum seueritate Gallorum. præsente quo non miles in castris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in Curia dignitas pereat: qui vnicuique proprium & suum seruet. Virum quem ego præ cæteris stupeo, & qui locum principis mereatur iure: de quo spero quòd mihi gratias agetis. Quòd si me fefellerit opinio quam de illo habeo, sciatis nusquam gentium reperiri qui possit penitus approbari. Huius filio Posthu-*

mio nomine, tribunatum Vocontiorum dedi adoleſcenti, qui ſe dignum patris moribus reddet. A

DE POSTHVMIO IVNIORE, III.

DE hoc propè nihil eſt quod dicatur, niſi quòd à patre appellatus eſt Cæſar, ac deinceps in eius honore Auguſtus cum patre dicitur interemptus, quum Lollianus in locum Poſthumij ſubrogatus, delatũ ſibi à Gallis ſumpſiſſet imperium. Fuit autem (quod ſolùm memoratu dignũ eſt) ita in declamationibus diſertus, vt eius controuerſiæ B Quintiliano dicantur inſertæ, quem declamatorem Romani generis acutiſſimum, vel vnius capitis lectio prima ſtatim fronte demonſtrat.

DE LOLLIANO, IIII.

HVius rebellione in Gallia Poſthumius, vir omniũ fortiſſimus, interemptus eſt, quum iam nutante Gallieni luxuria in veterem ſtatum Romanum reformaſſet imperium. Fuit quidem etiam fortiſſimus, ſed rebellionis intuitu minorem apud Gallos autoritatem de ſuis viribus tenuit. C Interemptus autem eſt à Victorino Victorinæ vel Victoriæ filio, quæ poſtea MATER CASTRORVM appellata eſt, & Auguſtæ nomine affecta, quum ipſa per ſe fugiens tanti ponderis molem, primùm in Marium, deinde in Tetricum atque eius filium contuliſſet imperia. Et Lollianus quidem nonnihilum Reipub. profuit. Nam pleraſque Galliæ ciuitates, nonnulla etiam caſtra quæ Poſthumius per ſeptem annos in ſolo Barbarico ædificauerat, quæque interfecto Poſthumio ſubita irruptione D Germanorum & direpta fuerant & incenſa in ſtatum veterem reformauit: deinde à ſuis militibus, quòd in labore nimius eſſet, occiſus eſt. In Gallieno perdente Rempubl. in Gallia primùm Poſthumius, deinde Lollianus, Victorianus deinceps, poſtremò Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) affectatores Romani nominis extiterũt: quos

A omnes datos diuinitus credo, ne quum illa pestis inaudita luxuria impediretur, in aliis possidendi Romanum solum Germanis daretur facultas: qui si eo genere tunc euasissent quo Gotthi & Persæ, consentiētibus in Romano solo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum esset imperium. Lolliani autem vita in multis obscura est, vt ipsius Posthumij, sed priuata virtute clari non nobilitatis pondere vixerunt.

DE VICTORINO, V.

B

POsthumius senior quum videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solùm militum, verumetiā alterius principis necessarium, Victorinum militaris industriæ virū in participatum vocauit imperij, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Qúmque adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt. Tunc interfecto etiam Lolliano, solus Victorinus in imperio remansit: qui & ipse, quòd matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, C cuius vxorē stuprauerat, cōposita factione Agrippinæ percussus, Victorino filio Cęsare à matre Victorina, siue Victoria, quę *mater castrorū* dicta est, appelato: qui & ipse puerulus statim est interemptus, quum apud Agrippinam pater eius esset occisus. De hoc quòd fortissimus fuerit, & præter libidinem optimus imperator, à multis multa sunt dicta. Sed satis credimus Iulij Ateriani partem libri cuiusdam ponere, in quo de Victorino, sic loquitur, *Victorino, qui Gallias post Iunium Posthumium rexit, neminem existimo præferendum. Non in virtute Traianum, non Antoninum in clementia, non in* D *grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ ac seueritate militari Pertinacem vel Seuerum. Sed omnia hæc, libido & cupiditas mulierariæ voluptatis sic perdidit vt nemo audeat virtutes eius in literas mittere, quem constat omnium iudicio meruisse puniri.* Ergo quū id iudicij de Victorino scriptores habuerint, satis mihi videor de eius dixisse moribus.

DE VICTORINO IVNIORE, VI. A

DE hoc nihil amplius in literas est relatum, quàm quòd nepos Victoriæ, Victorini filius fuit, & à patre & ab auia sub eadem hora qua Victorinus interemptus, Cæsar nuncupatus est, ac statim à militibus ita occisus. Extãt denique sepulcra circa Agrippinam breui marmore impressa humilia, in quibus vnus est inscriptus, HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT.

DE MARIO, VII. B

VIctorino, Lolliano, & Posthumio interemptis, Marius ex fabro, vt dicitur, ferrario triduo tantùm imperauit. De hoc quid amplius requiratur ignoro, nisi quòd eum insigniorem breuissimum fecit imperium. Nam vt consul ille qui sex pomeridianis horis consulatum suffectus tenuit, à M. Tullio tali aspersus est ioco, *Consulem habuimus tam seuerum támque censorium vt in eius magistratu nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit*: de hoc etiam dici posse videtur, qui vna die factus est imperator, alia die visus est imperare, C tertia interemptus est. Et vir quidem strenuus, ac militaribus vsque ad imperium gradibus euectus est: quem plerique *Mamurium*, nonnulli *Vecturium*, opificem vtpote ferrarium, nuncuparunt. Sed de hoc nimis multa: de quo illud addidisse satis est, nullius manus vel ad feriẽdum, vel ad impellendum fortiores fuisse, quum in digitis neruos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur, & fortissimos quosque vno digito sic affixisse vt quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorum allisione cõtriuit. Oc- D cisus est à quodam milite, qui quum eius quondam operarius in fabrili officina fuisset, contemptus est ab eodem, vel quum duxisset, vel quum imperium cepisset. addidisse hæc verba dicitur interemptor, *Hic est gladius quem ipse fecisti.* Huius concio prima talis fuisse dicitur, *Scio commilitones posse mihi obiici artem pristinam, cuius mihi omnes testes estis.*

A *Sed dicat quisque quod vult, vtinam semper ferrum exerceam. non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, vt facit Gallienus, indignus patre suo & sui generis nobilitate, depeream. Ars mihi obiiciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denique vt omnis Alemannia omnísque Germania cum cæteris quæ adiacent gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, vt specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamẽ cogitetis velim fecisse vos principem qui nunquam quicquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio mihi à luxuriosissima illa peste nihil opponi posse nisi* B *hoc quòd gladiorum armorúmque artifex fuerim.*

DE INGENVO, VIII.

FVsco & Basso coss. quum Gallienus vino & popinis vacaret, quúmque se lenonibus, mimis, & meretricibus dederet, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperderet, Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, à Mœsiacis legionibus imperator est dictus, cæteris Pannoniarum volẽtibus: neque in quoquam melius consultum Reip. à militi- C bus videbatur, quàm quòd instanribus Sarmatis creatus est imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset. Causa autem ipsi arripiendi tunc imperij fuit, ne suspectus esset imperatoribus quòd erat fortissimus ac Reip. necessarius, & militibus (quod imperantes vehementer mouet) acceptissimus. Sed Gallienus, vt erat nequam & perditus, ita etiã, vbi necessitas coegisset, velox, furibundus, ferus vehemẽs, crudelis: denique Ingenuũ conflictu habito vicit, eóque occiso, in omnes Mœsiacos tam milites quàm ciues asperrimè sæuiit: nec quenquam suæ crudelitatis ex- D ortem reliquit: vsqueadeo asper & truculentus vt plerasq; ciuitates vacuas à virili sexu relinqueret. Fertur sanè idem Ingenuus ciuitate capta intrasse domũ, in qua se pugione transfodit: atque ita vitam finisse, ne in tyranni crudelis potestatẽ veniret. Extat sanè epistola Gallieni, quàm ad Celerem Verianũ scripsit, qua eius nimietas crudelitatis ostẽditur: quam ego idcirco interposui, vt omnes intelligerẽt,

hominem luxurioſum crudeliſſimum eſſe, ſi neceſſitas poſtulet. *Gallienus Veriano. Non mihi ſatisfacies, ſi tantùm armatos occideris, quos & fors belli interimere potuiſſet. Perimendus eſt omnis ſexus virilis, ſi & ſenes atque impuberes ſine reprehenſione noſtra occidi poſſent. Occidendus eſt quicunque malè voluit. occidendus eſt quicunque malè dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot principum patrem & fratrem. Ingenuus factus eſt imperator. Lacera, occide. concide: animum meum intelligere potes, mea mente iraſcere qui hæc manu mea ſcripſi.* A

DE REGILLIANO, IX. B

FAti publici fuit vt Gallieni tempore quicunque potuit, ad imperium proſiliret. Regillianus denique in Illyrico ducatũ gerẽs, imperator eſt factus, autoribus imperij Mœſiis, qui cum Ingenuo fuerant antè ſuperati. in quorũ parẽtes grauiter Gallienus ſæuierat. Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas geſſit, ſed autoribus Roxolanis conſentientibúſque militibus, & timore prouincialium, ne iterum Gallienus grauiora faceret, interẽptus eſt. Mirabile fortaſſe videatur, ſi, quę origo imperij eius fuerit, declaretur. Militari enim ioco regna promeruit. Nã quum milites quidã cum eo cœnarent, aſtitit Valerianus tribunus qui diceret. *Regilliani nomen vnde credimus dictũ?* Alius cõtinuò, *Credimus quòd à regno.* Tũ is qui aderat ſcholaſticus, cœpit quaſi gramaticaliter declinare, & dicere, *Rex, regis, regi, Regillianus.* Milites, vt eſt hominum genus pronum ad ea quæ cogitãt, dixerunt, *Ergo poteſt rex eſſe?* item alius, *Ergo poteſt nos regere?* item alius, *Deus tibi regis nomen impoſuit.* Quid multa? His dictis quũ alia die manè proceſſiſſet, à principibus imperator eſt ſalutatus. Ita quod aliis vel audacia vel iudiciũ detulit, huic iocularis aſtutia. Fuit, quod negari non poteſt, vir in militari re ſemper probatus, & Gallieno iam antè ſuſpectus quòd dignus videretur imperio: gentis Daciæ, Decibali ipſius vt fertur, affinis. Extat epiſtola diui Claudij adhuc priuati, qua Regilliano Illyrici duci gratias agit ob redditũ Illyricum, quum omnia Gallieni ſegnitia deperirẽt: quam

A ego repertam in archiuis, inserendam putaui: fuit enim publica. *Claudius Regilliano multam salutem. Felicem Remp. quæ te talem virum habere rei castrensis bellis his meruit. felicem Gallienum, etiamsi ei vera nemo nec de bonis, nec de malis nuntiat. Pertulerunt ad me Bonitus & Celsus stipatores principis nostri, qualis apud Scupos in pugnando fueris, quot vno die prælia & qua celeritate confeceris. Dignus eras triumpho, si antiqua tempora extarent. Sed quid multa? Memor cuiusdam ominis cautius velim vincas. Arcus Sarmaticos & duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, quum ipse miserim de nostris.* Hac epistola ostenditur, quid de
B Regilliano senserit Claudius, cuius grauissimum iudicium suis temporibus fuisse nō dubium est. Nec à Gallieno quidem vir iste promotus est, sed à patre eius Valeriano, &, vt Claudius & Macrianus & Ingenuus & Postumius & Aureolus, qui omnes in imperio interempti sunt, quum mererentur imperiū. Mirabile autem hoc fuit in Valeriano principe, quòd omnes quoscūque duces fecit, postea militum testimonio ad imperium peruenerunt: vt appareat senem imperatorem in deligendis Reip. ducibus talem fuisse qualem Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset, sub
C bono principe requirebat. Et vtinam vel illi qui arripuerant imperia, regnare potuissent, vel eius filius Gallienus in imperio diutius non fuisset, vt liberè se in suo statu Resp. nostra tenuisset. Sed nimis sibi Fortuna indulgendū putauit, quæ cum Valeriano & bonos principes tulit, & Gallienum diutius quàm oportebat. Reip. reseruauit.

DE AVREOLO, X.

HIc quoq; Illyricianos exercitus regens in cōtemptum
D Gallieni, vt omnes eo tempore, coactus à militibus, sumpsit imperium. Et quum Macrianus cum filio suo Macriano contra Gallienum veniret, cum plurimis exercitus eius cepit: aliquos corruptos fidei suæ addixit. & quum factus esset inualidus imperator, qúmque Gallienus expugnare virum fortem frustra tētasset, pacem cum eo cōtra Posthumium pugnaturus fecit, quorum pleraque & dicta

cta sunt & dicenda. Hūc eundem Aureolum Claudius interfecto iam Gallieno conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc pons Aureoli nuncupatur, atque illic, vt tyrannum, sepulcro humiliore donauit. Extat etiam epigramma Græcum in hanc formam. A

Donat sepulcro victor post multa tyranni
Prælia, iam felix Claudius Aureolum
Munere prosequitur mortali, & iure superstes
Viuere quem vellet, si pateretur amor
Militis egregij vitam qui iure negauit
Omnibus indignis, & magis Aureolo. B
Ille tamen clemens, qui corporis vltima seruans,
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Hos ego versus à quodam grammatico translatos ita posui vt fidem seruarem: non quo melius non potuerint transferri, sed vt fidelitas historica seruaretur, quam ego præ cæteris custodiendam putaui, qui id quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, nō verba: maximè tanta rerum copia, vt triginta tyrannorum simul vitas scribendas accesserim.

C

DE MACRIANO, XI.

CApto Valeriano, diu clarissimo principe ciuitatis fortissimo deinde imperatore, ad postremum omnium infelicissimo, vel quòd senex apud Persas consenuit, vel quòd indignos se posteros dereliquit, quum Gallienum contemnendum Balista præfectus Valeriani & Macrianus primus intelligerent, quærentibus etiam militibus principem, vnum in locum concesserunt, quærentes quid faciēdum esset. Túncque constitit, Gallieno longè posito, Aureolo vsurpante imperium, debere aliquem principem fieri, & quidem optimum, ne quispiam tyrannus, existeret. Verba igitur Balistæ (quantum Mæonius Astyanax, qui consilio interfuit, asserit) hæc fuerunt. *Mea ætas & professio & voluntas longè ab imperio absunt, & ego, quod negare non possum, bonum principem quæro. Sed quis tandem est, qui Valeriani* D

A *locum posit implere? nisi talis, qualis tu es ô Macriane, fortis, constans, integer, probatus in Rep. &, quod maximè ad imperium pertinet, diues. Arripe igitur locum meritis tuis debitum: me profectò quamdiu voles, vteris tu cum Rep. Tantùm bene agas, vt te Romanus orbis factum principem gaudeat.* Ad hæc Macrianus, *Fateor Balista, imperium prudenti non frustra est. Volo enim Reip. subuenire, atque illam pestem à legum gubernaculis dimouere: sed non hoc in me ætatis est. Senex sum, ad exemplum equitare non possum. Lauandum est mihi frequentius, edendum delicatius, diuitiæ me iamdudum ab vsu militiæ retraxerunt. Iuuenes aliqui sunt quærendi, nec vnus, sed duo vel tres fortißimi, qui ex diuersis partibus orbis Rom. rempublicam restituant, quam Valerianus fato, Gallienus vitæ suæ genere perdiderũt.* Post hæc intellexit eum Balista sic agere vt de filiis suis videretur cogitare, atque adeo sic aggressus est. *Prudentiæ tuæ Rempublicam tradimus. Da igitur liberos tuos Macrianum & Quietum fortißimos iuuenes, olim tribunos à Valeriano factos: qui Gallieno imperante, quòd boni sunt, salui esse non possunt.* Tunc ille vbi intellectum se esse comperit, Do, inquit, *manus, de meo stipendiũ militi duplex daturus: tu tantùm præfecti mihi studium, & annonam in necessariis locis præbe. Iam ego faxim vt Gallienus sordidißimus fœminarum omnium duces sui parentis intelligat.* Factus est igitur cum Macriano & Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus, imperator. Ac statim contra Gallienum venire cœpit, vtcunque rebus in Oriente derelictis. Sed quum XLV millia militum secum duceret, in Illyrico vel in Thraciarum extremis congressus cum Aureolo, victus & cum filio interemptus est. Triginta denique millia militum in Aureoli potestatem concessere. Domitianus autem eundem vicit, dux Aureoli fortissimus & vehementissimus, qui se originem diceret à Domitiano imperatore trahere atque à Domicilla. De Macriano autem nefas mihi videtur iudicium Valeriani præterire, quod ille in oratione sua quam ad senatum è Persidis finibus miserat, posuit inter cætera. Ex oratione diui Valeriani, *Ego P. C. bellum Persicum gerens, Macriano totam Remp. credidi quòd à parte militari ille vobis fidelis, ille mihi deuotus, illum & amat & timet miles. Vtcunque res exe-*

gerit, cum exercitibus agit, nec P. C. noua vel inopinata nobis sunt, pueri eius virtus in Italia, adolescentis in Gallia, iuuenis in Thracia, in Africa iam prouecti, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est, quum in diuersis præliis ad exemplum fortiter faceret. Huc accedit quòd habet iuuenes filios, Romano dignos collegio, nostra dignos amicitia. & reliqua. A

DE MACRIANO IVNIORE, XII.

MVlta de hoc in patris imperio prælibata sunt, qui nũquam imperator factus esset nisi prudẽtiæ patris eius B creditum videretur. De hoc planè multa miranda dicũtur quæ ad fortitudinẽ pertineant iuuenilis ætatis. Sed ad facta aut quantum in bellis minus valet fortitudo. Hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cuius merito imperare cœperat, à Domitiano victus, triginta (vt superius dixi) millibus militum spoliatus est: matre nobili, patre tantùm forti & ad bellum parato, atque ab vltima militia in summum perueniente ducatum, & splendore sublimi.

DE QVIETO, XIIII. C

HIc, vt diximus, Macriani filius fuit, cum patre & fratre, Balistæ iudicio, imperator est factus. Sed vbi comperit Odenatus, qui olim iam Orientem tenebat, ab Aureolo Macrianũ patrem, Quietum & eius fratrem Macrianum victos, milites in eius potestatẽ concessisse, quasi Gallieni partes vindicaret, adolescentem cum Balista præfecto dudum interemit. Idem quoque adolescens dignissimus Rom. imperio fuit, vt verè Macriani filius, & Macrianus D etiam frater: qui duo afflictis rebus potuerũt remp. gerere. Videtur mihi non prętermittendum de Macrianorũ familia, quæ hodiéq; floret, id dicere quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnũ Macedonem viri in auro & argẽto, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exculptum semper habuerunt: eousque vt tunicæ & limbi & penulæ matronales

A in familia eius hodiéque sint quæ Alexandri effigiem de liciis variantibus, monstrent. Vidimus proximè Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiã contineret signis breuibus & minutulis, pontifici propinare: quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.

B

DE ODENATO, XIIII.

NIsi Odenatus princeps Palmyrenorum, capto Valeriano, fessis Rom. Reip. viribus sumpsisset imperium, in Oriente res perditæ essent. Quare assumpto nomine primùm regali cũ vxore Zenobia & filio maiore cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est. Nisibin primùm & orientis pleraque cum omni Mesopotomia in potestatẽ C recepit: deinde ipsum regem victum fugere coegit postremò Ctesiphõta vsque, Saporẽ & eius liberos persequutus, captis concubinis, capta etiam magna prȩda ad Orientem vertit, sperans quòd Macrianum, qui imperare cõtra Gallienũ cœperat, posset opprimere: sed illo iam profecto cõtra Aureolum & contra Gallienum, eo interempto, filium Quietum interfecit, Balista (vt plerique asserunt(regnum vsurpante, ne & ipse posset occidi. Cõposito igitur magna ex parte Orientis statu, à cõsobrino suo Mȩonio, qui & ipse imperium sumpserat, interẽptus est cũ filio suo Herode, D qui & ipse post reditũ de Perside cũ patre imperator est appellatus. Iratũ fuisse Reip. deũ credo, qui interfecto Valeriano noluit Odenatũ reseruare. Ille planè cũ vxore Zenobia nõ solùm Orientẽ, quẽ iã in pristinũ reformauerat statum, sed oẽs omnino totius orbis partes reformasset, vir acer in bellis, &, quantũ pleriq; scriptores loquuntur, venatu memorabili semper inclytus, qui à prima ætate capiẽdis leonib⁹

& pardis, vrsis, cæterísque syluestribus animalibus, sudorem officij virilis impendit, quíque semper in syluis ac mõtibus vixit, perferens calorem, pluuias, & omnia mala quæ in se continent venatoriæ voluptates: quibus duratus, solem ac puluerem in bellis Persicis tulit. Non aliter etiam coniuge assueta, quæ multorum sententia fortior marito fuisse perhibetur: mulierum omnium nobilissima orientalium fœminarum, & (vt Cornelius Capitolinus asserit) speciosissima. A

DE HERODE, XV. B

HERODES non Zenobia matre, sed priore vxore genitus, cum patre accepit imperium, homo omnium delicatissimus, & prorsus orientalis & Græcę luxuriæ, cui erãt sigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Persica. Denique ingenio eius vsus Odenatus quicquid concubinarum regalium, quicquid diuitiarum gemmarúmque cepit, eidem tradidit, paternæ indulgentiæ affectione permotus. Et erat circa illum Zenobia nouercali animo: qua re commendabiliorem patri eum fecerat: neque plura sunt C quæ de Herode dicantur.

DE MÆONIO, XVI.

HIc consobrinus Odenati fuit: nec vlla re alia ductus nisi damnabili inuidia, imperatorẽ optimũ interemit, quũ ei nihil aliud obiiceretur præter filij Herodis delicias. Dicitur autem primùm cum Zenobia consensisse, quæ ferre nõ poterat vt priuignus eius Herodes priore loco quàm filij eius Herennianus & Timolaus, principes dicerentur. D Sed hìc quoque spurcissimus fuit. quare imperator appellatus per errorem, breui à militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.

DE BALISTA, XVII.

DE hoc vtrum imperauit, scriptores inter se ambigunt. Multi enim dicunt, Quicto per Odenatum occiso, Ba-

A listæ veniam datam: tamen eum imperasse, quòd nec Gal-
lieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet. Alij asserunt,
priuatum eum in agro suo quem apud Daphnem sibi com-
pararat, interemptum. Multi & sumpsisse illum purpuram,
& more Romano imperasse, exercitũ duxisse, & de se plura
promisisse dixerunt: occisum autem per hos quos Aureo-
lus miserat ad comprehendendum Quietum Macriani fi-
lium, quem prædam suam esse dicebat. Fuit vir insignis,
eruditus ad gerendam Rempubl. in consiliis vehemens, in
expeditionibus clarus, in prouisione annonaria singularis.
B Valeriano sic acceptus vt eum quibusdam literis hoc testi-
monio prosequutus sit: *Valerianus Ragonio Claro præfecto Illy-
rici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, pa-
rens Clare, dispositionem Balistæ prosequere. Hac in forma Remp.
vides, vt nec ille prouinciales grauet, vt illic equos contineat vbi
sunt pabula, illic annonas militum mandet vbi sunt frumenta: non
prouincialem, non possessorem cogat illic frumenta vbi non habet,
dare, illic equum vbi non potest, pascere: nec est vlla alia prouisio
melior quàm vt in locis suis erogentur quæ nascuntur, ne aut vehi-
culis aut sumptibus Rempublicã grauent. Galatia frumentis abun-*
C *dat, referta est Thracia, plenum est Illyricum: illic pedites collocen-
tur. quamquam in Thraciã etiam equites sine noxa prouincialium
hyemare possint. Multum enim ex campis fœni colligitur. Iam vbi
laridum, iam cæteræ species in his dandæ sunt locis in quibus affa-
tim redundant. Quæ omnia sunt Balistæ consilia, qui ex quaque pro-
uincia vnam tantùm speciem præberi iussit, quòd ea redundaret,
atque ab ea milites submoueri, id quod publicitus est decretum.*
Est & alia eius epistola qua gratias Balistę agit: in qua docet
sibi præcepta gubernandæ Reip. ab eodem data. gaudens
quòd eius consilio nullum adscriptitium, id est vacantem,
D haberet, & tribunum nullum stipatorem, qui non verè pu-
gnaret. Hic igitur vir in tentorio suo cubans, à quodam
gregario milite Odenati in Gallieni gratiam dicitur inter-
emptus. De quo ipse vera non satis comperi, idcirco quòd
scriptores temporum de huius præfectura multa, de impe-
rio pauca dixerunt.

DE VALENTE, XVIII. A

HIc vir militaris, ſimul etiam ciuilium virtutum gloria pollens, proconſulatum Achaiæ dato à Gallieno tunc honore gubernabat: quem Martianus vehementer reformidans, ſimul quòd in omni genere vitæ ſatis clarũ norat, ſimul quòd inimicum ſibi eſſe inuidia virtutum ſciebat, miſſo Piſone nobiliſſimæ tunc & conſularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentiſſimè cauens & prouidens, neque aliter ſibi poſſe ſubueniri exiſtimans, ſumpſit imperium, & breui à militibus interemptus eſt. B

DE VALENTE SVPERIORE, XIX.

FVit & Valens ſuperior, & bene venit in mentẽ vt quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente qui ſuperiorum principum temporibus interemptus eſt, aliquid dicamus. Nam huius Valentis qui ſub Gallieno imperauit, auunculus magnus fuiſſe perhibetur. Alij tantùm auunculum dicunt. ſed par in ambobus fuit fortuna. Nam & ille quum paucis diebus Illyrico imperaſſet, occiſus eſt. C

DE PISONE, XX.

HIc à Macriano ad interficiendum Valentem miſſus, vbi eum prouidum futurorum imperare cognouit, Theſſaliam conceſſit, atque illic paucis ſibi conſentientibus ſumpſit imperiũ, *Theſſalicúſque* appellatus, interemptus eſt: vir ſummæ ſanctitatis, & temporibus ſuis *Frugi* dictus, & qui ex illa Piſonum familia ducere originem diceretur, cui ſe nobilitandi cauſa Cicero ſociauerat. Hic omnibus D principibus acceptiſſimus fuit. Ipſe denique Valens qui ad eum percuſſores miſiſſe perhibetur, dixiſſe dicitur, non ſibi apud deos inferos conſtare rationem, quòd quamuis hoſtem ſuum, Piſonem tamen iuſſiſſet occidi, virum cui ſimilem Romana reſpublica tunc non haberet. Senatuſconſultum de Piſone factum ad noſcendam eius ma-

A iestatem libenter inserui: Die septimo Cal. Iulias, quum esset nuntiatum Pisonem à Valente interemptum, ipsum Valentem à suis occisum, Aurelius Fuscus consularis primę sententiæ, qui in locum Valeriani successerat, ait, *Consul consule.* Quúmque consultus esset, *Diuinos* (inquit) *honores Pisoni decerno P. C. Gallienum, & Valerianum, & Saloninum imperatores nostros esse confido. Neque enim melior vir quisquam fuit, neque constantior.* Post quem cæteri consulti statuam inter triumphales, & currus quadriiugos Pisoni decreuerũt. Sed statua eius videtur: quadrigæ autem quæ decretæ fuerant quasi transferendæ ad alium positæ sunt, nec adhuc B redditæ. Nam in his locis fuerunt positæ in quibus thermæ Diocletianæ sunt exædificatæ, tam æterni nominis quàm sacrati.

DE ÆMILIANO, XXI.

ET hoc familiare est populo Ægyptiorum, vt vel furiosi ac dementes de leuibus quibusque ad summæ Reipub. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas salutationes, locũ in balneis non concessum, carnem & olera sequestrata, calceamenta seruilia, & cætera talia, vsque ad summum C Reip. periculum seditionis, ita vt armarentur contra eos exercitus, peruenerunt. Familiari ergo sibi furore quum quodam die cuiusdam seruus curatoris qui Alexandriam tunc regebat, militariè ob hoc cæsus esset quòd crepidas suas meliores esse quam militis diceret, collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps venit, atque eum omni seditionum instrumento & furore persequuta est. ictus est lapidibus, petitus est ferro: nec desiit vllum seditionis telum. Qua re coactus Æmilianus sumpsit imperium, quum sciret sibi vndecunq; pereundũ. Consenserũt ei Ægyptia- D cus exercitus, maximè in Gallieni odium: nec eius ad regendam rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totámque Ægyptum peragrauit, & quatenus potuit barbarorum gentes forti autoritate submouit. Denique ALEXANDER vel ALEXANDRINVS (nam incertum id quoque habetur) virtutum merito vocatus est. Et quum cõtra Indos pararet expeditionẽ, misso Theodoto duce, Gallieno iubente

iubente dedit pœnas: siquidē strangulatus in carcere captiuorum veterum perhibetur. Tacendum esse non credo, quòd quum de Ægypto loquor, vetus suggessit historia, simul etiam Gallieni factum: qui quum Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, à sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere. Cuius rei etiam Ciceronem, quum contra Gabinium loquitur, meminisse satis nouimus. denique non extat memoria rei frequētatæ. Quare scire oportet, Herennium Celsum vestrum parentem dum consulatum cupit, hoc quod desiderat, non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Ægyptiis literis scriptum, tunc demum Ægyptum liberam fore quū in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum: quod apud Proculum grammaticum doctissimum sui temporis virum, quum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur. A B

DE SATVRNINO, XXII.

SAturninus optimus ducum Gallieni temporibus, sed à Valeriano dilectus fuit. Hic quoque quum dissolutionē Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset, & milites non exemplo imperatoris sui, sed suo regeret, ab exercitibus sumpsit imperium, vir prudentiæ singularis, grauitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarum barbararum etiam vbique notarum. Hic ea die qua est amictus à militibus peplo imperatorio, concione habita dixisse fertur, *Commilitones bonum ducem perdidistis, & malum principem fecistis.* Denique quum multa strenuè in imperio fecisset, quòd esset seuerior & grauior militibus, ab iisdem ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est. Huius insigne est quòd conuiuio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis iussit, hyeme grauibus, æstate perlucidis. C D

DE TETRICO SENIORE, XXIII.

INterfecto Victorino & eius filio, mater eius Victoria siue Victorina, Tetricum senatorem pop. Rom. præsidatum in Gallia regentem, ad imperium hortata quòd eius erat vt

A plerique loquuntur, affinis, Augustum appellari fecit, filiúmque eius Cæsarem nuncupauit. Et quum multa Tetricus feliciter egisset, diúq; imperasset, ab Aureliano principe victus, quum militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, volens se grauissimo principi & seuerissimo dedit. Versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat,

Eripe me his inuicte malis.

Quare quum Aurelianus nihil simplex neque mite aut trãquillum facilè cogitaret, senatorē pop. Rom. eundémque
B consularem, qui iure præsidiali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit eodem tempore quo & Zenobiam Odenati vxorem cum filiis minoribus Odenati Herenniano & Timolao: pudore tamen victus vir nimium seuerus, eum quem triumphauerat, correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnij, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ, atque Vmbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omnísque annonariæ regionis: ac Tetricum non solùm viuere, sed etiam in summa dignitate manere passus est, quum illum sæpe collegam, nonnunquam commilitonem, aliquando etiam imperatorem appellaret.
C

DE TETRICO IVNIORE, XXIIII.

HIc puerulus à Victoria Cæsar est appellatus, quum illa MATER CASTRORVM ab exercitu nuncupata esset. qui & ipse cum patre per triumphum ductus, postea omnibus senatoriis honoribus functus est, illibato patrimonio, quod quidem ad suos posteros misit, vt Gellius Fuscus dicit, semper insignis. Narrabat auus meus, hunc sibi familiarem fuisse, neque quemquam illi ab Aureliano, aut postea
D ab aliis principibus, esse prælatum. Tetricorum domus hodiéque extat in monte Cælio inter duos lucos contra Isium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, vtrique prætextam tribuens senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam picturatam de museo. Quam quum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse conuiuio.

DE TREBELLIANO, XXV. A

PVdet iam persequi quanti sub Gallieno fuerũt tyranni, vitio pestis illius: siquidem erat in eo ea luxuria, vt rebelles plurimos mereretur: & ea crudelitas vt iure timeretur. Quare & in Trebellianũ factum in Isauria principem, ipsis Isauris sibi ducem quærentibus, quem quum alij archipiratam vocassent, ipse se imperatorem appellauit. Monetam etiam cudi iussit, Palatium in arce Isauriæ cõstituit: qui quidem quum se in intima Isaurorum loca munitus difficultatibus locorum & montibus contulisset, aliquamdiu apud Cilicas imperauit. Sed per Gallieni ducem Causisoleum natione Ægyptium, fratrem Theodoti, qui Æmilianum ceperat, ad campum deductus, est victus & occisus. B Neque tamen postea Isauri, timore ne in eos Gallienus sæuiret, ad æqualitatem perduci quauis principum humanitate potuerunt. Denique post Trebellianum pro Barbaris habentur, & quum in medio Rom. nominis solo regio eorum sit, nouo genere custodiarum quasi limes includitur, locis defensa non hominibus. Nam non sunt statura decori, non virtute graues, non instructi armis, non consiliis prudentes, sed hoc solo securi, quòd in editis positi adiri C nequeunt: quos quidem diuus Claudius penè ad hoc perduxerat, vt à suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus vni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, nequid ex ea postea rebellionis oriretur.

DE HERENNIANO, XXVI.

ODenatus moriens duos paruulos reliquit, Herennianum & fratrem eius Timolaum: quorum nomine Zenobia vsurpato sibi imperio diutius quam fœminam decuit, Remp. obtinuit, paruulos Rom. imperatoris habitu proferens purpuratos, eosdémque adhibens concionibus: D quas illa viriliter frequẽtauit: Didonem, & Semiramidem, & Cleopatram sui generis principem inter cætera prædicans. Sed de eorum exitu incertum est. Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte sua esse consumptos: siquidem Zenobiæ posteri etiam nunc Romæ inter nobiles manent.

A

DE TIMOLAO, XXVII.

DE hoc ea putamus digna memoria quæ de fratre sunt dicta. Vnum tamē est quod eum à fratre separat, quòd tanti fuit ardoris ad studia Romana, vt breui consequutus quæ insinuauerat grammaticus, esse dicatur: potuisse quinetiam summum Latinorum rhetorem facere.

DE CELSO, XXVIII.

B OCcupatis partibus Gallicanis, orientalibus, quinetiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur & balneis ac lenonibus deputat vitam, Afri quoque autore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano duce, limitis Libyci, Celsum imperatorem appellauerunt, peplo deæ Cælestis ornatum. Hic priuatis ex tribunis in Africa positus, in agris suis viuebat: sed ea iustitia, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. Quare creatus per quandam mulierē, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo imperij die interemptus
C est, atque adeo etiam inter obscuros principes vix relatus est. Corpus eius à canibus consumptum est, Siccensibus qui Gallieno fidem seruauerant perurgentibus: & nouo iniuriæ genere imago in crucem sublata persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.

DE ZENOBIA, XXIX.

OMnis consumptus est pudor: siquidem fatigata Repub. eousque peruentum est, vt Gallieno nequissimè agēte,
D optimè etiam mulieres imperarent. Et quidem peregrina, nomine Zenobia, de qua iam multa dicta sunt, quæ se de Cleopatrarū Ptolemæorúmque gente iactaret, post Odenatum maritum imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai diutius quàm fœmineus sexus patiebatur, imperauit. Siquidem Gallieno adhuc regente

Remp. regale mulier superba munus obtinuit: & Claudio bellis Gotthicis occupato, vix denique ab Aureliano victa & triumphata, cõcessit in iura Rom. Extat epistola Aureliani, quæ captiuæ mulieri testimonium fert. Nam quum à quibusdam reprehenderetur quòd mulierem veluti ducem aliquẽ vir fortissimus triumphasset, missis ad senatum populúmque Rom. literis, hac se attestatione defendit, *Audio* P. C. *mihi obiici quòd non virile munus impleuerim, Zenobiam triumphando. Næ illi qui me reprehendunt satis laudarent, si scirent qualis illa est mulier, quàm prudens in consiliis, quàm constans in dispositionibus, quàm erga milites grauis, quàm larga quum necessitas postulet, quàm tristis quum seueritas poscat. Possum dicere illius esse quòd Odenatus Persas vicit, ac fugato Sapore Ctesiphõtem vsq; peruenit. Possum asserere, tanto apud orientalis & Ægyptiorum populos timori mulierẽ fuisse, vt se non Arabes, non Sarraceni, nõ Armeni cõmouerent. Nec ego illi vitam conseruassem nisi eam scissem multum Rom. reip. profuisse, quum sibi vel liberis suis Orientis seruaret imperium. Sibi ergo habeant propriarum venena linguarum hi quibus nihil placet. Nam si vicisse ac triumphasse fœminam non est decorum, quid de Gallieno loquuntur, in cuius contemptum hæc bene rexit imperium? Quid de diuo Claudio, sancto ac venerabili duce, qui eam, quòd ipse Gotthicis esset expeditionibus occupatus, passus esse dicitur imperare, ídque occultè ac prudenter, vt illa seruante orientalis fines imperij, ipse securius quæ instituerat perpetraret?* Hæc oratio indicat quid iudicij Aurelianus habuerit de Zenobia: cuius ea castitas fuisse dicitur, vt ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nã quum semel concubuisset, expectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minus, iterum potestatem quęrendis liberis dabat. Vixit regali pompa, more magis Persico. Adorata est more regum Persarum. Conuiuata est imperatorum more Rom. Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per vltimam fimbriam media etiam cyclade veluti fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris, spiritus diuini, venustatis incredibilis: tantus candor in dentibus,

A vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Vox clara & virilis: seueritas, vbi necessitas postulabat, tyrannorum: bonorum principum clementia, vbi pietas requirebat. Larga prudēter, conseruatrix thesaurorum vltra fœmineum modum. Vsa vehiculo carpentario, rarò pilento, equo sæpius. Fertur autem vel tria vel quatuor milliaria frequenter cum peditibus ambulasse. Nata est Hispanorū cupiditate: bibit sæpe cum ducibus, quū esset aliâs sobria: bibit etiam cum Persis atque Armenijs, vt eos vinceret. Vsa est vasis aureis gemmatis ad conuiuia, quibus & Cleo-
B patra vsa est. In ministerio eunuchos grauioris ætatis habuit, puellas nimis raras. Filios Latinè loqui iusserat, adeo vt Græcè vel difficilè vel rarò loquerentur. Ipsa Latini sermonis non vsquequaque ignara, sed vt loqueretur pudore cohibita: loquebatur & Ægyptiacè ad perfectū modum. Historiæ Alexandrinæ atque orientalis ita perita vt eam epitomasse dicatur: Latinam autem Græcè legerat. Quum illam Aurelianus cepisset, atque in conspectum suum ductam sic appellasset, *Quid ô Zenobia ausa es insulare Romanis*
C *imperatoribus?* Illa dixisse fertur, *Imperatorem te esse cognosco qui vincis, Gallienum & Aureolum, & cæteros, principes non putaui. Victoriam mei similem credens, in consortium regni venire, si facultas locorum pateretur, optaui.* Ducta est igitur per triumphum ea specie vt nihil pompabilius populo Rom. videretur. iam primùm ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissime restitisse, quum diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Huic ab Aure-
D liano viuere concessum est. Fertúrque vixisse cum liberis, matronæ iam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti, quæ hodiéque Zenobia dicitur, non longè ab Adriani palatio, atque ab eo loco cui nomen est Conche.

VICTORIA, XXX.

NOn tam digna res erat vt etiã Victorina, siue Victoria, in literas mitteretur, nisi Gallieni mores hoc facerent vt memoria dignæ etiam mulieres censerentur. Victoria enim vbi filiũ ac nepotem à militibus vidit occisos. Posthumium, deinde Lollianum, Marium etiam, quem principem milites nuncuparunt, interemptos, Tetricum (de quo superius dictum est) ad imperium hortata est, vt virile semper facinus auderet: insignita est præterea hoc titulo, vt CASTRORVM se diceret MATREM. Cusi sunt eius nũmi ærei, aurei, & argentei, quorum hodiéque forma extat apud Treuiros. quæ quidem non diutius vixit. Nam Tetrico imperante, vt plerique loquuntur, occisa, vt alij asserunt, fatali necessitate consumpta. Hæc sunt quę de triginta tyrannis dicenda videbantur: quos ego in vnum volumen idcirco contuli, ne si de singulis singula quæque narrarem, nascerentur indigna fastidia, & ea quæ ferre lector non posset. Studiosè in medio fœminas posui ad ludibriũ Gallieni, quo nihil prodigiosius passa est respub. Rom. Duos etiam nunc tyrannos, quasi extra numerum (quòd alieni essent temporis) additurus: vnum qui fuit Maximini, temporibus, alterum qui Claudij: vt tyrannorum triginta viri hoc volumine tenerẽtur. Quęso qui expletũ iam librum acceperas, boni consulas, atque hos volumini tuo volens addas: quos ego quemadmodum Valentem superiorem huic volumini, sic post Claudium & Aurelianum his qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaueram. Sed errorem meum maior historiæ diligentia tuæ eruditionis auertit. Habeo igitur gratiam quòd titulũ meum prudentiæ tuæ benignitas impleuit. Nemo in templo Pacis dicturus est me fœminas inter tyrannos, cum risu & ioco tyrannas videlicet & tyrannides, vt ipsi de me solent iactare, posuisse. Habent integrum numerum ex arcanis historiæ in meas literas datum. Titus enim & Censorinus, quorum vnus, vt dixi, sub Maximino, alter sub Claudio fuit, ambo ab iisdem militibus, à quibus purpura velati fuerant, interempti sunt.

A

DE TITO.

DOcet Dexippus, nec Herodianus tacet, omnésque qui talia legenda posteris tradiderunt, Titum tribunum Maurorũ, qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat, timore violentæ mortis, vt alij dicunt: inuitum verò, & à milititibus coactum, vt plerique asserunt, imperasse. Atque hunc intra paucos dies post vindicatam defectionem quam consularis vir Magnus Maximino parauerat, à suis militibus interemptum. Imperasse autem mensibus sex.
B Fuit hic vir de primis erga Rempub. domi forísque laudabilis, sed imperio parum felix. Alij dicunt, ab Armeniis sagittariis, quos Maximinus vt Alexandrinos & oderat & offenderat, principem factum. Nec mireris tantam esse varietatem de homine cuius vix nomen agnoscitur. Huius vxor Calphurnia, fuit sancta & venerabilis fœmina, de genere Censorinorum, id est Pisonum, quam maiores nostri vniuiriam sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt: cuius statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam. Hæc vniones Cleopatranas habuisse
C se perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti, cuius plerique poetæ meminerunt, in qua maiorum eius expressa ostenditur historia. Longius mihi videor processisse quàm res postulabat: sed quid faciam? omnis scientia naturę facilitate verbosa est. Quare ad Censorinum reuertar, hominem nobilem: sed qui non tam bono quàm malo Reip. septem diebus dicitur imperasse.

DE CENSORINO.

D CEnsorinus, vir planè militaris & antiquæ in curia dignitatis, bis consul, bis præfectus prætorij, ter præfectus vrbis quartò proconsul, tertiò consularis, legatus prætorius secũdò, ędilitius quartò, quęstorius tertiò, extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica. Post omnes tamen honores quum in agro suo degeret senex, atque vno pede claudicans vulnere quod bello

Persi-

Persico Valeriani temporibus acceperat, factus est imperator, & scurrarum ioco Claudius appellatus est. Qùumq; se grauissimè gereret, neq; à militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est. Extat eius sepulcrum, in quo grandibus literis circa Bononiam incisi sunt omnes eius honores, vltimo tamen versu adscripto, A

FELIX AD OMNIA, INFELICISSIMVS IMPERATOR.

Extat eius familia, Censorinorum nomine frequentata: cuius pars Thracias odio rerũ Romanorum, pars Bithyniã petiit. Extat etiam domus pulcherrima adiuncta gentibus Flauiis, quæ quondam Titi principis fuisse perhibetur. Habes integrum numerum triginta tyrannorum, qui cum maleuolis quidem, sed bono animo causabaris. Da nunc cuiuis libellum, non tam disertè quàm fideliter scriptum. Neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem: qui hos libellos quos de vita principũ edidi, nõ scribo, sed dicto: & dicto cum ea festinatione quam, siquid vel ipse promisero vel tu petieris, sic perurges vt respirandi nõ habeam facultatem. Nunc ad Claudium principem redeo: de quo speciale mihi volumen, quanuis breue meritò vitæ illius videtur edendum: addito fratre singulari viro, ita vt de familia tam sancta & tam nobili saltem pauca referãtur. B C

TREBELLII POLLIONIS

DIVVS CLAVDIVS, AD Constantinum Augustum.

D

VEntum est ad principem Claudiũ, qui nobis intuitu Constantij Cæsaris cum cura in literis digerendus est. De quo ego idcirco recusare non potui, quòd alios, tumultuarios videlicet imperatores ac regulos, scripseram eo libro quem *De triginta tyrannis* edidi, qui Cleopatranam etiam stirpem, & Vi-

ctorianam, & quæ nunc est, detinet. Siquidem eò res processit vt mulierum etiam vitas scribi Gallieni comparatio effecerit. Neque enim fas erat eum tacere principem qui tantam generis prolem, qui bellum Gotthicum sua virtute confecit, qui manum publicis cladibus victor imposuit, qui Gallienum prodigiosum imperatorem, etiamsi non autor consilij fuit, tamen ipse imperaturus bono generis humani à gubernaculis publicis depulit: qui si diutius in hac esset commoratus Rep. Scipiones bonos & Camillos, omnésque illos veteres suis virtutibus, suis consilijs, sua
B prouidentia reddidisset. Breue illius in imperio fuit tempus: sed breue fuisset etiamsi quantum hominum vita suppetit, tantum vir talis imperare potuisset. Quid enim in illo non mirabile? quid non conspicuum? quid non triumphaphalibus vetustissimis præferendum? In quo Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum principum bona sic fuerunt vt non ab aliis exemplum caperet, sed etiam si illi nō fuissent, hic ceteris reliquisset exēplum. Doctissimi mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque amplius
C cuiquam iactitant esse concessum: etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, CXXV annos vixisse: qui quum quæreretur quòd iuuenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum. Quare etiam si C & XXV annos Claudius vixisset, necessariam quidam mortem eius expectandam fuisse, vt Tullius de Scipione loquitur pro Milone. stupenda & mirabilis docet vita. Quid enim magnum vir ille domi forísque non habuit? Amauit parentes. Quid mirum? Amauit & fratres. Iam potest dignum esse
D miraculo. Amauit propinquos: res nostris temporibus comparanda miraculo. Inuidit nulli, malos persequutus est. Fures iudices palàm apertéque damnauit. Stultis, quasi negligeret, indulsit. Leges optimas dedit. Talis in Rep. fuit, vt eius stirpem ad imperium summi principes eligerent, emendatior senatus optaret. In gratiam me quispiam putet Cōstantij Cæsaris loqui: sed testis est & tua cōscien-

tia & vita mea, me nihil vnquã cogitasse, dixisse, fecisse gratiosum. Claudium principem loquor, cuius vita, probitas, & omnia quæ in Republica gessit, tantam posteris famam dedere, vt senatus populúsque Rom. nouis eum honoribus post mortem affecerit. Illi clypeus aureus, vel vt grammatici loquuntur, clypeum aureum senatus totius iudicio in Romana Curia collocatum est, vt etiam nunc videtur. Expressa thorace vultus eius imago. Illi, (quod nulli antea) populus Rom. sumptu suo in capitolio ante Iouis Optimi Maximi templũ, statuã auream decẽ pedũ collocauit. Illi totius orbis iudicio in Rostris posita est colũna, cũ palmata statua superfixa, librarum argenti mille quingentarum. Ille velut futurorum memor, gentes Flauias, quę Vespasiani & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerãt, propagauit. Ille bellum Gotthicum breui tempore impleuit. Adulator igitur senatus, adulator populus Rom. adulatrices exteræ gẽtes, adulatrices prouincię: siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis ciuitas, statuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus bonum principem, aris ac templis honorauerunt. Interest eorum qui bonos imitantur principes, & totius orbis humani interest, cognoscere quæ de illo viro senatusconsulta sint condita, vt omnes iudicium publicæ mentis agnoscãt. Nam quum esset nuntiatum nono Calend. Aprilis ipso in sacrario Matris sanguinis die Claudium imperatorem factum, neque cogi senatus sacrorum celebrandorum causa posset, sumptis togis itũ est ad Apollonis tẽplum, ac lectis literis Claudij principis, hæc in Claudium dicta sunt, *Auguste Claudi, dij te nobis præstent:* (dictũ sexagies) *Claudi Auguste, principẽ te, aut qualis tu es, semper optauimus:* (dictũ quadragies) *Claudi Auguste, te Resp. requirebat:* (dictum quadragies) *Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus senator, tu verè princeps:*) dictũ octuagies) *Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Palmyrenis vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Zenobia & à Victoria libera:* (dictum septies) *Claudi Auguste, Tetricus nihil fuit:* (dictũ septies.) Qui primùm vt factus est imperator Aureolum qui grauior Reip. fuerat, quod mul-

A tum Gallieno placebat, conflictu habito à Reipub. gubernaculis depulit, tyrannúmque missis ad populum edictis, datis etiam ad senatum orationibus iudicauit. His accedit, quòd arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, imperator grauis & seuerus nõ audiuit, responso tali repudiatum, *Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat & timere.* Denique iudicio militũ apud Mediolanum Aureolus dignum exitum vitæ ac moribus suis habuit: & hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, & ridiculè quidem. Nam Gallus Antipater, ancillariorum & historicorũ B dehonestamentum, principium de Aureolo sic habuit, *Venimus ad imperatorẽ nominis sui.* Magna eius videlicet virtus, ab auro nomen accipere. At ego scio, sępius inter gladiatores bonis pugnatoribus hoc nomen appositũ. Habuit proximè tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum. Sed redeamus ad Claudium. Nam vt superius diximus, illi Gotthi qui euaserant eo tempore quo illos Macrianus est persequutus, quósque Claudius emitti non siuerat, ne quid fieret quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitauerunt prædas. Denique Scy- C tharum diuersi populi, Peucini, Trutungi, Austrogotthi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum & Rempub. venerunt, atque illic pleraque vastarunt, dum aliis occupatus est Claudius, dúmq; se ad id bellum quod cõfecit, imperatoriè instruit, vt videãtur fata Romana boni principis occupatione lentata. sed credo, vt Claudij gloria accresceret, eiúsque fieret gloriosior toto penitus orbe victoria. Armatarum denique gentium trecenta viginti millia tunc fuere. Dicat nũc qui nos adulationis accusat, Claudium minus esse amabi- D lem. Armatorum trecenta viginti millia. Quis tandem Xerxes hoc habuit? quæ fabella istum numerum effinxit? Quis poeta composuit? Trecenta viginti millia armatorum fuerunt. Adde seruos, adde familias, adde carraginem & epota flumina consumptásque syluas. Laborasse deniq; terrã ipsam, quæ tãtum Barbarici timoris accepit: terram puto. Extat ipsius epistola missa ad senatum legenda ad

populum, qua indicat de numero barbarorũ, quæ talis eſt: A
Senatui P.Q. Rom. Claudius princeps (hanc autem ipſe dictaſſe perhibetur, ego verba magiſtri memoriæ non requiro) *P. C. militantes audite quod verum eſt:* CCCXX *millia barbarorum in Romanum ſolum armati venerunt: hæc ſi vicero, vos vicem reddite meritis: ſi non vicero, ſcitote me poſt Gallienum velle pugnare. Fatigata eſt tota Reſp. Pugnabimus poſt Valerianum, poſt Ingenuum, poſt Regillianum, poſt Lollianum, poſt Poſthumium, poſt Celſum, poſt mille alios qui contemptu Gallieni principis à Rep. defecerunt. Non ſcuta, non ſpathæ, non pila iam ſuperſunt. Gallias & Hiſpanias, vires Reip. Tetricus tenet, & omnes ſagit-* B
tarios (quod pudet dicere) Zenobia poßidet. Quicquid fecerimus, ſatis grande eſt. Hos igitur Claudius ingenita illa virtute ſuperauit: hos breui tempore attriuit. De his vix aliquos ad patrium ſolum redire permiſit. Rogo quantum pretium eſt clypeus in Curia tantæ victoriæ, quantum vna aurea ſtatua. Dicit Ennius de Scipione, *Quantam ſtatuam faciet populus Romanus quantam columnam, quæ res tuas geſtas loquatur?* Poſſumus dicere, Flauium Claudium, vnicũ in terris principem, non columnis, non ſtatuis, ſed famæ viribus adiuuari. Habuerunt præterea duo millia nauium, duplicem C
ſcilicet numerum quàm illum quo tota pariter Græcia omniſque Theſſalia, vrbes etiam Aſiæ quondam expugnare conata eſt. Sed illud poeticus ſtilus fingit, hoc vera continet hiſtoria. Claudio igitur ſcriptores adulamur, qui duo millia nauium Barbararum, & trecenta viginti millia armatorum deleuit, oppreſſit, attriuit: qui carraginem tantam quantam numerus hic armatorum ſibimet aptare potuit & parare, nunc incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano ſeruitio deputauit, vt docet eiuſdem epiſtola quã ad Iunium Brocchum ſcripſit Illyricum tuentem. *Claudius* D
Broccho. Deleuimus CCCXX *millia Gotthorum,* II *millia nauium merſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis: ſpathis & lanceolis omnia littora operiuntur. Campi oßibus latent tecti, nullum iter purum eſt, ingens carrago deſerta eſt. Tantum mulierum cœpimus vt binas & ternas mulieres victor ſibi miles poßit adiungere.* Et vtinam Gallienum non eſſet paſſa Reſpub. vtinam ſexcen-

A tos tyrãnos non pertulisset. Saluis militibus quos varia prę-lia sustulerũt, saluis legionibus quas Gallienus malè victor occidit, quantum esset additũ Reipublicæ? Siquidem nunc verba naufragij publici colligit nostra diligentia ad Rom. Reip. decus. Pugnatũ est enim apud Mœsios, & multa prælia fuerunt apud Martianopolin, multi naufragio perierunt, plerique capti reges, captæ diuersarum gentiũ nobiles fœminæ: impletæ barbaris seruis, senibúsque cultoribus Romanę prouinciæ. Factus miles barbarus & colonus ex Gottho. Nec vlla fuit regio quæ Gotthum seruum triumphali B quodam seruitio non haberet. Quid boum barbarorum nostri videre maiores? quid ouium? quid equarum quas fama nobilitat Celticarum? Hoc totũ ad Claudij gloriam pertinet. Claudius & securitate Remp. & opulentiæ nimietate donauit. Pugnatum præterea est apud Byzantios, ipsis qui superfuerant Byzantiis fortiter facientibus. Pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari. Pugnatum in diuersis regionibus, & vbique auspiciis Claudianis victi sunt Gotthi, prorsus vt iam tunc Constantio Cæsari nepoti futuro videretur Claudius securam C parare Rempub. Et bene venit in mentem, exprimenda est sors quæ Claudio data esse perhibetur: eo magis, vt intelligant omnes genus Claudij ad felicitatem reip. diuinitus constitutum. Nam quum consuleret factus imperator, quamdiu imperaturus esset, sors talis emersit,

Tu qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis, arbiter deorum
In veteres tuis nouellis.
Regnabunt etenim tui minores,
Et reges facient suos minores.

D Item quum in Apennino de se consuleret, responsum huiusmodi accepit,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Item quum de posteris suis,

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Item quum de fratre Quintillo, quem consortem habere volebat imperij, responsum est,

Oſtendent terris hunc tantum fata. A

Quæ idcirco poſui, vt ſit omnibus clarum, Conſtantium diuini generis virum, ſanctiſſimum Cæſarem, & Auguſtæ ipſum familiæ eſſe, & Auguſtos multos de ſe daturũ, ſaluis Diocletiano & Maximiano auguſtis, & eius fratre Galerio. Sed dum hæc à diuo Claudio aguntur, Palmyreni ducibus Saba & Timogene contra Ægyptios bellum ſumunt, atq; ab his Ægyptia peruicacia & indefeſſa pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Ægyptiorum Probatus Timogenis inſidiis interemptus eſt. Ægyptij verò omnes ſe Rom. imperatori dediderunt, in abſentis Claudij verba B iurantes. Atticiano & Orphito coss. auſpicia Claudiana fauor diuinus adiuuit. Nam quum ſe in Hæmimontum multitudo Barbararum gentium quæ ſuperfuerant, contuliſſet, illic ita fame ac peſtilentia laborarunt, vt iam Claudius dedignaretur & vincere. Denique finitum eſt aſperrimum bellum, terroréſque Romani nominis ſunt depulſi. Vera dici fides cogit, ſimul vt ſciant hi qui adulatores nos exiſtimari cupiunt, id quod hiſtoria dici poſtulat, non tacere. Eo tempore quo parta eſt plena victoria, plerique milites Claudij ſecundis rebus elati, quæ ſapientium quoque C animos fatigant, ita in prædam verſi ſunt, vt non cogitarẽt à pauciſſimis ſe poſſe fatigari dum occupati animo atque corporibus auertendis prædis inſeruiunt. Denique in ipſa victoria propè duo millia militum à paucis Barbaris, & iis qui fugerant, interempti ſunt. Sed vbi hoc comperit Claudius, omnes qui rebelles animos extulerãt, conducto exercitu rapit, atque in vincula Romam etiam mittit ludo publico deputandos. ita id quod vel Fortuna vel miles egerat, virtute boni principis æquatum eſt. Nec ſola de hoſte victoria, ſed etiam vindicta pręſumpta eſt. In quo bello quod D geſtum eſt, equitum Dalmatarũ ingens extitit virtus quòd originem ex ea prouincia Claudius videbatur oſtendere, quamuis alij Dardanum, & ab Ilio Troianorum atque ipſo Dardano ſanguinem dicerent trahere. Fuerunt per ea tempora & apud Cretam Scythæ, & Cyprum vaſtare tentarunt: ſed vbiq; morbo exercitu laborante, ſuperati ſunt.

A Finito ſanè bello Gotthico, grauiſſimus moribus increbuit, tunc quum etiam Claudius affectus morbo mortales reliquit, & familiare virtutibus ſuis petiit cælum. Quo ad deos atque ad ſidera demigrante, QVINTILLVS frater eiuſdem, vir ſanctus, & ſui fratris (vt verè dixerim) frater, delatum ſibi omnium iudicio ſuſcepit imperium, non hæreditarium ſed merito virtutum: qui factus eſſet imperator etiamſi frater Claudij principis non fuiſſet. Sub hoc Barbari qui ſuperfuerant, Anchialo vaſtata, conati ſunt Nicopolin etiam obtinere. Sed illi prouincialium virtute obtri-
B ti ſunt. Quintillus autem ob breuitatem temporis nihil dignum imperio gerere potuit. Nam ſeptimadecima die, quòd ſe grauem & ſerium contra milites oſtenderat ac verum principem pollicebatur, eo genere quo Galba, quo Pertinax, interemptus eſt. Et Dexippus quidem Claudium non dicit occiſum, ſed tantùm mortuum. Nec tamen addidit morbo, vt dubium ſentire videatur. Quoniã res bellicas diximus. de Claudij genere & familia ſaltem pauca dicenda ſunt, ne ea quæ ſcienda ſunt, præteriſſe videamur. Claudius, Quintillus, & Criſpus, fratres fuerunt. Criſpi fi-
C lia, Claudia: ex ea & Eutropio nobiliſſimo gentis Dardanæ viro Conſtantius Cæſar eſt genitus. Fuerũt etiam ſorores, quarum vna Conſtantina nomine, nupta tribuno Aſſyriorum, in primis annis defecit. De auis nobis parum cognitũ. Varia enim plerique prodiderunt. Ipſe Claudius inſignis morũ grauitate, inſignis vita ſingulari & vnica caſtimonia, vini parcus, ad cibum promptus, ſtatura procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis vſqueadeo fortibus vt ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. Fecerat hoc etiam adoleſcens in militia, quum ludicro Martiali
D in campo luctamen inter fortiſſimos quoſque monſtraret. Nam iratus ei qui non balteum ſed genitalia ſibi contorſerat, omnes dentes vno pugno excuſſit. Quæ res indulgentiam meruit pudore vindictæ: ſiquidem tunc Decius imperator, quo præſente fuerat perpetratum, & virtutem & verecundiam Claudij publicè prædicauit: donatúmque armillis & torquibus, à militũ congreſſu faceſſere pręcepit,

nequid

nequid atrocius quàm luctamen exigit faceret. Ipsi Claudio liberi nulli fuerunt: Quintillus duos reliquit: Crispus, (vt diximus) filiam. Nunc ad iudicia principum veniamus, quæ de illo à diuersis edita sunt: & eatenus quidem vt appareret quandoque Claudium imperatorem futurum. Epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriæ. *Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legionis fortißimæ dedimus, virum deuotißimis quibusque ac fortißimis veterum præferendum. Huic salarium de nostro priuato ærario dabis annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, ceræ pondo centum quinquaginta, fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est, pellium tentoriarum decurias triginta, mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas nouem: argenti in opere annua pondo quinquaginta, philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem, & trientes centũ sexaginta. Item in caueos & scyphos pondo vndecim: item in caueos & scyphos & zuma pondo vndecim. Tunicas russas militares annuas, sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cumacum Cypream vnam. Balteum argenteum inauratum vnum, annulum bigemmeũ vncialem, brachialem vnum vnciarũ septem. Torquem libralem vnum, caßidem inauratam vnam. Scuta chrysographata duo, loricam vnã, quam refundat. Lanceas Herculeanas duas, aclydes duas, falces duas, falces fœnarias quatuor. Cocũ quẽ refundat, vnũ: mulionem, quem refundat, vnum. Mulieres speciosas ex captiuis duas. Albam subsericam vnam cum purpura succubitana: subarmale vnum cum purpura Maura. Notarium, quem refundat, vnum: structorem, quem refundat, vnum. Accubitalium Cypriorum paria duo. Interulas, puras duas: fascias viriles duas: togam, quam refundat, vnam. Latum clauum, quem refundat, vnum. Venatores qui obsequantur, duos: carpentarium vnum. Curam prætorij vnum. Aquarium vnum. Piscatorem vnum. Dulciarium vnum. Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: sin minus, quãtum fuerit, & vbi fuerit: coctilium quotidiana batilla quatuor. Balneatorem vnũ, & ad balneas ligna: sin minus, lauetur in publico. Iam cætera*

A *quæ propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione præstabis, sed ita vt nihil adderetur. Et si alicubi aliquid defuerit, non præstetur, nec in minimo exigatur. Hæc autem omnia idcirco specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci detuli, quia vir talis est vt ei plura etiam deferenda sint.* Item ex epistola eiusdem alia inter cætera ad Ablauium Murænam præfectum prætorij. *Desine autem conqueri quòd adhuc Claudius est tribunus, nec exercitus ducem loco accipit: vnde etiam senatum & populum cõqueri iactabas. dux factus est, & dux totius Illyrici. habet in potestatem Thracias, Mœsias, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus: vir ille*
B *summus nostro quoque iudicio speret consulatum, si eius animo accommodum est, quando voluerit, accipiat prætorianã, accipiat præfecturam. Sanè scias tantum ei à nobis decretum salarij quantum habet AEgypti præfectura: tantum vestium quãtum proconsulatui Africano detulimus: tantum argenti quantum accipit curator Illyrici Metatius: tantum ministeriorum quantum nos ipsi nobis per singulas quasque decernimus ciuitates: vt intelligant omnes quæ sit nostra de viro tali sententia.* Item epistola Decij de eodem Claudio, *Decius Messalæ præsidi Achaiæ salutem.* inter cætera, *Tribunum verò Claudium, optimum iuuenem, fortissimũ militem,*
C *constantissimum ciuem, castris, senatui & Reip. necessarium, in Thermopylas ire præcepimus: mãdata eidem cura Peloponnensium, scientes neminem melius omnia quæ iniungimus, esse curaturum. Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex cataphractariis centum, ex equitibus C & sexaginta, ex sagittariis Creticis sexaginta, ex tyronibus bene armatos mille. Nam bene illi noui creduntur exercitus. Neque enim illo quisquam deuotior, fortior, grauior inuenitur.* Item epistola Gallieni, quum nuntiatum esset per frumẽtarios Claudium irasci quòd ille mollius viueret, *Nihil me grauius accepit quàm quòd notoria tua intimasti, Clau-*
D *dium parentem amicúmque nostrum insinuatis sibi falsis plerisque grauiter irasci. Quæso igitur mi Venuste, si mihi fidem exhibes, vt eum facias à Grato & Herenniano placari, nescientibus hoc militibus Dacisianis, qui iam sæuiunt, ne grauiter ferant. Ipse ad eum dona misi: quæ vt libenter accipiat tu facias. Curandum præterea est ne me hoc scire intelligat, ac sibi succensere iudicet, & pro necessitate vltimum consilium capiat. Misi autẽ ad eum pateras gemmatas*

trilibres duas. Scyphos aureos, gemmatos trilibres duos: discum corymbiatum argenteum librarum viginti. Lancem argenteam pampinatam librarum triginta. Patinam argenteam hederatam librarum XX *&* III. *Voleta halieuticum argenteum librarum* XX. *Vrceos duos auro inclusos, argenteos librarum sex, & in vasis minoribus argẽti libras* XXV. *Calices AEgyptios, operisque diuersi, decem. Chlamydes veri luminis limbatas duas. Vestes diuersas* XVI. *Albam subsericam paragaudem triuncem vnam, Zanchas de nostris Parthicis paria tria. Singiliones Dalmatenses* X. *Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam. Penulam Illyricianam vnam. Bardocucullum vnum. Cucutia villosa duo. Oraria sarabadena quatuor. Aureos Valerianos* CL. *Trientes Saloninianos* CCC. Habuit & senatus iudicia priusquam ad imperium perueniret ingentia. Nam quum esset nuntiatum illum cum Macriano fortiter contra gentes in Illyrico dimicasse, acclamauit senatus, *Claudi dux fortissime habeas virtutibus tuis, deuotioni tuæ. Claudio statuam omnes dicamus. Claudium consulem omnes cupimus. Qui amat rempublicam, sic agit: qui amat principes, sic agit. Antiqui milites sic egerunt. Felicem te Claudi iudicio principum, felicem te virtutibus tuis, consulem te, te præfectum. Viuas Valerie, ameris à principe.* Longum est tam multa quàm meruit vir ille perscribere: vnum tamen tacere non debeo quòd illum & senatus & populus, ante imperium & in imperio & post imperium sic dilexit, vt satis constet, neque Traianũ, neque Antoninos, neque quemquã alium principem sic amatum.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII DIVVS AVRELIANVS.

Hilaribvs, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici, impletis solennibus, vehiculo suo me & iudiciali carpento præfectus vrbis vir illustris ac præfata reuerẽtia nominandus, Iunius Tiberianus accepit. Ibi quum animus à causis atque à negotiis publicis solutus ac liber vacaret, sermonem multum

A à Palatio vſque ad hortos Valerianos inſtituit: & in ipſo præcipuè de vita principum. Quúmque ad templum Solis veniſſemus, ab Aureliano principe cõſecratum, quòd ipſe nonnihilum ex eius origine ſanguinem duceret, quæſiuit à me quis vitam eius in literas retuliſſet. Cui ego quum reſpondiſſem neminem à me Latinorum, Græcorum aliquos lectitatos, dolorem gemitus ſui vir ſanctus per hæc verba profudit, *Ergo Therſitem, Sinonem, cæteráque illa prodigia vetuſtatis, & nos bene ſcimus, & poſteri frequentabunt: diuum Aurelianum, clariſſimum principem, ſeueriſſimum imperatorem, per* B *quem totus Romano nomini orbis eſt reſtitutus, poſteri neſcient? Deus auertat hanc amentiam. Et tamen, ſi bene noui, ephemeridas illius viri ſcriptas habemus, etiã bella charactere hiſtorico digeſta, quæ velim accipias, & per ordinem ſcribas, additis quæ ad vitam pertinent. Quæ omnia ex libris linteis, in quibus ipſe quotidiana ſua ſcribi præceperat, pro tua ſedulitate condiſces. Curabo autem vt tibi ex Vlpia bibliotheca & libri lintei proferãtur. Tu velim Aurelianum ita vt eſt, quatenus potes, in literas mittas.* Parui ipſe quidem præceptis: accepi libros Græcos, & omnia mihi neceſſaria in manum ſumpſi: ex quibus & quæ digna erant C memoratu, in vnum libellum contuli. Tu velim meum munus boni conſulas. Et ſi hoc contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, quum volueris, miniſtrabit. Et quoniam ſermo nobis de Trebellio Pollione, qui à duobus Philippis vſque ad diuum Claudium, & eius fratrem Quintillum, imperatores tam claros quàm obſcuros memoriæ prodidit, in eodem vehiculo fuit, aſſerente Tiberiano quòd Pollio multa incuriosè, multa breuiter prodidiſſet: me contrà dicente, neminem ſcriptorum, quantum ad hi- D ſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodente quinetiam in quo Liuius, in quo Saluſtius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtibus conuincerentur: pedibus in ſententiam tranſitum faciens, ac manum porrigens iucundam præterea, *Scribe* (inquit) *vt libet: ſecurus, quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur autores.*

Ac ne multa & friuola proœmiis odiosis intexam, diuus A
Aurelianus, ortus, vt plures loquuntur, Sirmij, familia obscuriore: vt nonnulli, Dacia ripensi. Ego autem legisse me memini autorem qui eum Mœsia genitum prædicaret. Et euenit quidem vt de eorum virorum genitali solo nesciatur qui humiliori loco nati plerique solum genitale confingunt, vt dent posteritati de locorum splendore fulgorē. Nec tamen magnorum principum virtutibus summa sciēdi est, vbi quisque sit genitus, sed qualis in repub. fuerit. An Platonem magis commendat quòd Atheniensis fuerit, quàm quòd vnicum sapientiæ munus illuxerit? An eo mi- B
nores inueniuntur Aristoteles Stagirita, Eleatésq; Zenon, aut Anacharsis Scytha, quòd in minimis nati sunt viculis, quum illos ad cælum omnis philosophiæ virtus extulerit? Atque vt ad ordinem redeam: Aurelianus modicis ortus parētibus, à prima ætate ingenio viuacissimus, viribus clarus, nullū vnquā diem prætermisit, quanuis festum, quanuis vacantem, quo non se pilo & sagittis cæterísque armorum exerceret officiis. Matrem quidem eius Callicrates Tyrius, Græcorum lōgè doctissimus scriptor, sacerdotem templi Solis, in eo vico in quo habitabant parentes, fuisse C
dicit. Habuisse quin etiam nonnihilum diuinationis, adeo vt aliquando marito suo iurgans ingesserit, quum eius & stultitiam increparet & vilitatem, *En imperatoris patrem.* Ex quo constat illam mulierem scisse fatalia. Idem dicit, auspicia imperij Aureliano hæc fuisse: Primum, pueri eius peluem serpentem plerunque cinxisse, neque vnquam occidi potuisse. Postremò ipsam matrem quæ hoc viderat, serpētem quasi familiarem occidere noluisse. His accedit quòd ex palliolo purpureo quod Soli sui temporis imperator tulerat, sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur. D
Addit etiam illud quòd vinctum fasciolę Aurelianū aquila innoxiè de cunis leuauerit, & in aram posuerit, quæ iuxta sacellum fortè sine ignibus erat. Idem autor est, vitulum matri eius natum miræ magnitudinis, candidum, sed purpurantibus maculis, ita vt haberet in latere vno auem, in alio coronam. Multa superflua in eodem legisse memini:

A quippe qui asseuerat etiam rosas in eiusdem mulieris chorte, nato Aureliano, exisse purpureas, odoris rosei, floris aurei. Fuerunt & postea multa omina iam militanti futuri, vt res monstrauit, imperij. Nam ingrediente eo Antiochiã in vehiculo, quòd præ vulnere tunc equo sedere non posset, ita pallium purpureum, quod in honorem eius expansum fuerat, decidit vt humeros eius tegeret. Et quum in equum transire vellet, quia inuidiosum tunc erat vehiculis in ciuitate vti, equus est ei imperatoris applicitus, cui per festinationem insedit. Sed vbi comperit, semet ad suũ
B transtulit. Data est ei præterea, quum legatus ad Persas isset, patera qualis solet imperatoribus dari à rege Persarum, in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur in eo templo in quo mater eius fuerat sacerdos. Donatus eidem etiam elephantus pręcipuus, quem ille imperatori obtulit: solúsque omnium priuatus Aurelianus elephanti dominus fuit. Sed vt hæc & talia omittamus, fuit decorus, & gratia viriliter speciosus: statura procerior, neruis validissimis, vini & cibi paulo cupidior, libidinis raræ, seueritatis immẽsę, disciplinæ singularis, gladij exerendi cupidus. Nam quum
C essent in exercitu duo Aureliani ttibuni, hic, & alius qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus apposuerat *manu ad ferrũ*, vt si fortè quæreretur quis Aurelianus aliquid vel fecisset vel gessisset, suggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum*, atque cognosceretur. Priuati huius multa extant egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecẽtis præsidiaris solus attriuit. Refert Theoclius Cæsarianorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico vno die quadraginta & octo interfecisse. plurimis autem & diuersis diebus vltra nongentos
D quinquaginta: adeo vt etiam balistea pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent, *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollauimus. Vnus homo mille, mille, mille, mille, decollauimus. Mille, mille, mille, viuat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Hæc video esse per friuola: sed quia suprà scriptus autor ita eadem vt sunt

Latinè, suis scriptis inseruit, tacenda esse non credidi. Idē A apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, quum vagarentur per totam Galliam, sic adflixit, vt trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Vnde iterum de eo facta est cantilena, *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus: Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Hic autem, vt suprà diximus, militibus ita timori fuit, vt sub eo posteaquam semel cum ingenti seueritate castrensia peccata correxit, nemo peccauerit. Solus denique omnium militem qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes mi- B litis deligaret, easdémque subitò dimitteret, vt scissus ille vtrinque penderet. Quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Huius epistola militaris est ad vicarium suum data huiusmodi, *Si vis tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis prouincialium, habeat: arma tersa sint: ferramenta samiata, calceamenta fortia. Vestis noua vestem veterem excludat.* C *Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & annulū apponat: equum sagmarium suum defricet, captū animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi seruus obsequatur: à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent: in hospitiis castè se agant. qui litem fecerit, vapulet.* Inueni nuper in Vlpia bibliotheca inter linteos libros epistolam diui Valeriani de Aureliano principe scriptam: quam ad verbum, vt decebat, inserui. *Valerianus Augustus Antonino Gallo consuli. Culpas me familiaribus literis quòd Posthumio filium meum* D *Gallienum magis quàm Aureliano commiserim: quum vtique & seueriori & puer credendus fuerit & exercitus: nec tu id diutius iudicabis, si bene scieris quantæ sit Aurelianus seueritatis. Nimius est, multus est, grauis est, & ad nostra iam non facit tempora. Testor autem omnes deos, me etiam timuisse nequid etiam erga filium meum seuerius, si quid ille fecisset, vt est natura pronus ad ludicra, sæuius cogitaret.* Hæc epistola indicat quantæ fuerit seueritatis, vt

A illum Valerianus etiam timuisse se dicat. Eiusdem Valeriani alia est epistola quæ laudes illius continet: quam ego ex scriniis præfecturæ vrbanæ protuli. Nam illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta. Exemplum epistolæ: *Valerianus Augustus Ceionio Albino præfecto vrbi. Vellemus quidem singulis quibusque deuotissimis Reipub. viris multo maiora deferre compēdia quàm eorum dignitas postulat, maximè vbi honorem vita commendat. Debet enim quid præter dignitatem pretium esse meritorum. Sed facit rigor publicus, vt accipere de prouinciarũ oblationibus vltra ordinis sui gradum nemo plus poßit. Aurelia-*
B *num fortißimum virum ad inspicienda & ordinãda castra omnia destinauimus: cui tantum à nobis atque ab omni Republica, communi totius exercitus confeßione, debetur, vt digna illo vix aliqua vel nimis magna sint munera. Quid enim in illo non clarum? quid non Coruinis & Scipionibus conferendum? Ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli. Et tamen nihil præterea poßum addere tanto viro ad muneris gratiam quam patitur sobria & bene gerenda Respub. Quare sinceritas tua mi parens charißime, supradicto viro efficiet, quandiu Romæ fuerit, panes militares mũdos sedecim, panes militares, castrenses quadragin-*
C *ta, vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcinæ pondo triginta, bubulæ pondo quadraginta, olei sextarium vnum, & item olei secundi sextarium vnum, liquaminis sextarium vnum, salis sextarium vnum, herbarum, olerum quantũ satis est. Sanè quoniam ei aliquid præcipuè decernendum est, quandiu Romæ fuerit, pabulo extra ordinem decernes. Ipsi autem ad sumptus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos, quinquagenos, æris denarios centum, reliqua per præfectos ærarij præbebuntur.* Friuola hæc fortassis cuipiam & nimis leuia esse videãtur, sed curiositas nihil recusat. Habuit ergo
D multos ducatus, plurimos tribunatus, vicarias ducum & tribunorum diuersis temporibus propè quadraginta, vsque adeo vt etiam Vlpij Criniti, qui se de Traiani genere referebat, & fortissimi re vera viri & Traiani simillimi, qui pictus est cum eodem Aureliano in templo Solis, quem Valerianus Cæsaris loco habere instituerat, vicem sumeret, exercitum duceret, limitem restitueret, prædam militi-

bus

bus daret: Thracias bobus, equis, mancipiis, captiuis locupletaret: manubias in Palatio collocaret: quingentos seruos, duo millia vaccarum, equas mille, ouiũ decem millia, caprarum quindecim millia, in priuatam villam Valeriani congereret. Tunc enim Vlpius Crinitus publicè apud Byzantium sedenti Valeriano in thermis egit gratias, dicens, magnum de se iudicium habitum quòd eidem vicariũ Aurelianum dedisset: quare eum statuit arrogare. Interest epistolas nosse Aureliano scriptas, & ipsam arrogationẽ. Epistola Valeriani ad Aurelianum: *Si esset alius Aureliane iucundißime, qui Vlpij Criniti vicem posset implere, tecũ de eius virtute ac sedulitate conferrem. nunc tecum requirere potuissem. Suscipe bellum à patre Nicopolis, ne nobis ægritudo Criniti obsit. Fac quicquid potes. Multa non dico, in tua erit potestate militiæ magisteriũ. Habes sagittarios Ityreos trecentos, Armenios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Saracenos ducẽtos, Mesopotamios auxiliares quadringentos: habes legionem tertiam Felicem, & equites cataphractarios: octingentos. Tecum erit Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Carioui scus. Commeatus à præfectis necessarius in omnibus castris est constitutus. Tuum est pro virtutibus tuis atque solertia illic hyemalia & æstiua disponere, vbi tibi nihil deerit: quærere præterea vbi carrago sit hostium, & verè scire quanti qualésque sint, vt non vinum aut annona consumatur, aut tela iaciantur in quibus res bellica constituta est. Ego de te tantum, Deo fauente, spero quantum de Traiano, si viueret, posset sperare Respub. Neque enim minor est, in cuius locum fidémque te legi. Consulatum cũ eodem Vlpio Crinito in annum sequentem à die vndecimo Calend. Iuniarum, in locum Gallieni & Valeriani, sperare te conuenit sumptu publico. Leuanda est enim paupertas eorum hominum qui diu reipublicæ viuentes, pauperes sunt, & nullorum magis.* His quoq; literis indicatur quãtus fuerit Aurelianus, & re vera. neque quisquam aliquando ad summam rerum peruenit, qui non à prima ætate gradibus virtutis ascenderit. Literæ de consulatu. *Valerianus Augustus Ælio Xifidio præfecto ærarii. Aureliano, cui consulatum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris maior, dabis ad editionem circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia,*

A B C D

A *in ære* H-S. *quinquagies, tunicas multicias viriles decem, lineas Ægyptias viginti, mantelia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, stragula Maura decem, porcos centum, oues centum: conuiuium autem publicum edi iubebis senatoribus, equitibus Romanis: hostias maiores duas, minores quatuor.* Et quoniam etiam de arrogatione aliqua me dixeram positurum quæ ad tantum principem pertineret, quæso ne odiosior verbosiórve ea re videar: quam fidei causa inserendam credidi ex libris Acholij, qui magister admissionum Valeriani principis fuit, libro Actorum eius nono. Quum consedisset Valerianus B Augustus in thermis apud Byzantium præsente exercitu, præsente etiam officio palatino, assidẽtibus Memmio Fusco consule ordinario, Bebio Macro præfecto prætorij, Quinto Ancario pręside orientis: assidentibus etiam à parte læua Auulnio Saturnino Scythici limitis duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Iulio Tryphone orientalis limitis duce, & Meceo Brundusino præfecto annonæ Oriẽtis, & Vlpio Crinito duce Illyriciani limitis & Thracii, & Fuluio Boio duce Rhetici limitis: Valerianus Augustus dixit, C *Gratias tibi agit Aureliane Resp. quòd eam Gotthorum potestate liberasti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & his omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te consulem hodie designo, scripturus ad senatum vt tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim imperator nõ solet dare, sed à senatu, quando fit consul, accipere.* Post hæc Valeriani dicta Aurelianus D surrexit, atque ad manus accessit, agens gratias militaribus verbis, quæ propria & ipsa apponenda decreui. Aurelianus dixit, *Et ego domine Valeriane imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo vulnera patenter excepi, ideo & equos & cantherios meos lassaui vt mihi gratias ageret Respubl. & conscientia mea. At tu plus fecisti: ago ego gratias bonitati tuæ, & accipio consulatum quem das. Dij faciant & deus certus Sol, vt & senatus de me*

ſic iudicet. Agentibus igitur gratias omnibus circunſtantibus, Vlpius Crinitus ſurrexit, atque hac oratione vſus eſt, *Apud maiores noſtros Valeriane Auguſte, quod & familiæ meæ amicum ac proprium fuit, ab optimis quibuſque in filiorum locum fortiſsimi viri ſemper electi ſunt, vt vel ſeneſcentes familias, vel fœtus matrimoniis iam caducos ſubſtitutæ fœcunditas prolis ornaret. Hoc igitur quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Adriano, quod Adrianus in Antonino, & cæteri deinceps propoſita ſuggeſtione fecerunt, iam in arrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicii tui autoritate feciſti, cenſui eſſe referendum. Iube igitur vt lege agatur, ſítque Aurelianus hæres ſacrorum, nominis & bonorum, totiúſque iuris, Vlpio Crinito iam conſulari viro, ipſe ac tu Crinite iudex cõſularis.* Longum eſt cuncta pertexere. Nam & actæ ſunt Crinito à Valeriano gratiæ: & adoptio, vt ſolebat, impleta. Memini me in quodam libro Græco legiſſe (quod tacendum eſſe non credidi) mandatum eſſe Crinito à Valeriano vt Aurelianus adoptaretur, idcirco præcipuè quòd pauper eſſet: ſed hoc in medio relinquendum puto. & quoniam ſuperius epiſtolam poſui qua ſumptus Aureliano ad conſulatum delatus eſt, quare poſuerim, rem quaſi friuolam, eloquendum putaui. Vidimus proximè conſulatum Furij Placidi tanto ambitu in Circo editum, vt non præmia dari aurigis, ſed patrimonia viderentur, quum darentur tunicæ ſubſericæ, lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiſcentibus frugi hominibus. Factum eſt enim vt iam diuitiarum ſit non hominum conſulatus: quia vtique ſi virtutibus defertur, editorem ſpoliare non debent. Perierunt caſta illa tempora, & magis ambitione populari peritura ſunt. Sed nos (vt ſolemus) hanc quoque rem in medio relinquimus. His igitur tot ac talibus præiudiciis muneribúſque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit, vt poſt eum Quintillo quoque fratre eius interempto, ſolus teneret imperium, Aureolo interfecto, cum quo Gallienus fecerat pacem. Hoc loco tanta eſt diuerſitas hiſtoricorum, & quidem Græcorum, vt alij dicãt, inuito Claudio ab Aureliano Aureolum interfectum,

A

B

C

D

A alij mandante ac volente, alij ab imperatore iam Aureliano eundem occisum, alij verò adhuc priuato. Sed hæc quoque media relinquemus, ab ipsis petenda per quos in literas missa sunt. Illud tamen constat, omne contra Mœotidas bellum diuum Claudium nulli magis quàm Aureliano credidisse. Extat epistola, quam ego (vt soleo) fidei causa, imò vt alios annalium scriptores fecisse video, inserendam putaui. *Flauius Claudius Valerio Aureliano suo salutem. Expetit à te munus solitum nostra Respub. Aggredere: quid moraris? Tuo magisterio milites vti volo, tuo ductu tribunos. Gotthi*

B *oppugnandi sunt: Gotthi à Thraciis amouendi. Eorum enim plerique Hæmi montem Europámque vexant, qui te pugnante fugerunt. Omnes exercitus Thracicos, omnes Illyricianos totúmque limitem in tua potestate constituo, solitam nobis ede virtutem. Tecum erit etiam frater Quintillus quum occurrerit. Ego aliis rebus occupatus, summam belli illius virtutibus tuis credo. Misi sanè equos decem, loricas duas, & cætera, quibus munire ad bellum euntem necessitas cogit.* Secundis igitur præliis vsus auspiciis Claudianis, Rempublicam in integrum reddidit: atque ipse statim (vt suprà diximus) consensu omnium le-

C gionum factus est imperator. Equites sanè omnes ante imperium sub Claudio Aurelianus gubernauit, quum offensam magistri eorum incurrissent quod temerè Claudio non iubente pugnassent. Item Aurelianus contra Sueuos & Sarmatas iisdem temporibus vehementissimè dimicauit, ac florentissimam victoriam retulit: accepta est sanè clades sub Aureliano à Marcomannis per errorem. Nam dum is à fronte non curat occurrere, subitò hostes erupere: dúmque illos à dorso persequi parat, omnia circa Mediolanum grauiter euastata sunt. Postea tamen ip-

D si quoque Marcomanni superati sunt. In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vastabant, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, pauentibus cunctis ne eadem que sub Gallieno fuerant, prouenirent. quare etiam libri Sibyllini noti beneficiis publicis inspecti sunt, inuentúmque vt in certis locis sacrificia fierent quæ Barbari transire non possent. Facta denique sunt ea quæ

præcepta fuerant in diuerſo ceremoniarum genere: atq; ita Barbari reſtiterunt, quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Libet ipſius ſenatuſconſulti formam exponere, quo libros inſpici clariſſimorum iuſſit autoritas. Die tertio Idus Ian. Fuluius Sabinus prętor vrbanus dixit, *Referimus ad vos P. C. Pontificum ſuggeſtionem, & Aureliani principis literas, quibus iubetur vt inſpiciantur fatales libri quibus ſpes belli terminandi ſacrato deorũ imperio continetur. Scitis enim ipſi quotieſcũque grauior aliquis extitit motus, eos ſemper inſpectos: neque prius mala publica eſſe finita, quàm ex iis ſacrificiorum proceßit autoritas.* Tunc ſurrexit primæ ſententiæ Vlpius Syllanus, atque ita loquutus eſt, *Serò nimis P.C. de Reip. ſalute conſulimus, ſerò ad fatalia iuſſa reſpicimus, more languentium qui ad ſummos medicos niſi in ſumma deſperatione non mittunt: proinde quaſi peritioribus viris maior facienda ſit cura, quũ omnibus morbis occurri ſit melius. Meminiſtis enim P.C. me in hoc ordine ſæpe dixiſſe iam tum quum primùm nuntiatum eſt Marcomannos erupiſſe, conſulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficiis, inſeruiendum deorum immortalium præceptis: recuſaſſe verò quoſdam, & cum ingenti calumnia recuſaſſe; quum adulando dicerent tantam principis eſſe virtutem vt opus non ſit deos conſuli, proinde quaſi & ipſe vir magnus non deos colat, non de diis immortalibus ſperet. Quid plura? audiuimus literas quibus rogauit opem deorum, quæ nũquam cuiquam turpis eſt vt vir fortißimus adiuuetur. Agite igitur pontifices, quà puri, quà mundi, quà ſancti, quà veſtitu animíſque ſacris commodi, templum aſcendite, ſubſellia laureata cõſtituite, veteranis manibus libros euoluite, fata Reip. quæ ſunt æterna perquirite: patrimis matrimíſque pueris carmen indicite: nos ſumptum ſacris, nos apparatum ſacrificiis, nos aris ambarualia indicemus.* Poſt hæc interrogati plerique ſenatores ſententias dixerũt, quas longum eſt innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in ſententias euntibus, pleriſque verbo conſentientibus, conditum eſt ſenatuſconſultum. Itum eſt deinde ad templum, inſpecti libri, proditi verſus, luſtrata vrbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarualia promiſſa: atque ita ſolennitas quæ iubebatur, expleta eſt. Eſt epiſtola Aureliani de libris Sibyllinis: nam

A ipſam quoque indidi ad fidem rerum. *Miror vos patres ſancti tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum eccleſia, non in templo deorum omnium, tractaretis. Agite igitur, & caſtimonia pontificum, ceremoniiſque ſolennibus iuuate principem neceſsitate publica laborãtem. Inſpiciantur libri: quæ facienda fuerint celebrentur, quemlibet ſumptum, cuiuſlibet gentis captiuos, quælibet animalia regia non abnuo, ſed libens offero: neque enim indecorum eſt diis iuuantibus vincere: ſic apud maiores noſtros multa finita ſunt bella, ſic cœpta. Siquid eſt ſumptuũ, datis ad præfectum ærarij literis decerni iuſsi. eſt præterea veſtræ* B *autoritatis arca publica, quam magis refertam eſſe reperio quàm cupio.* Quum autem Aurelianus vellet omnibus ſimul facta exercitus ſui conſtipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta eſt vt Romanum penè ſolueretur imperium. Et cauſa quidem huius periculi perfidia & calliditas Barbarici fuit motus. Nam quum cõgredi aperto Marte non poſſent, in ſyluas ſe denſiſſimas contulerunt, atque ita noſtros veſpera incumbente turbarũt. Denique niſi diuina ope poſt inſpectionem librorum ſacrificiorúmque curas, monſtris quibuſdam ſpeciebúſque diuinis impliciti eſſent C barbari, Romana victoria non fuiſſet. Finito prælio Marcomannico, Aurelianus, vt erat natura ferocior, plenus irarum Romam petit, vindictæ cupidus, quam ſeditionũ aſperitas ſuggerebat: inciuilius denique vſus imperio, vir aliâs optimus, ſeditionum autoribus interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda, compeſcuit. Interfecti ſunt enim nonnulli etiã nobiles ſenatores, quum his leue quiddam & quod contemni à mitiore principe potuiſſet, vel vnus, vel leuis, vel vilis teſtis obiiceret. Quid multa? Magnum illud, & quod iam fuerat, & quod non fruſtra ſperatũ D eſt, infamiæ triſtioris ictu contaminauit imperium. timeri cœpit princeps optimus, non amari, quum alij dicerent, perfodiendum talem principem, non optandum: alij bonũ quidem medicum, ſed mala ratione curantem. His actis, quum videret poſſe fieri vt aliquid tale iterum quale ſub Gallieno euenerat proueniret, adhibito conſilio ſenatus, muros vrbis Romæ dilatauit. Nec tamẽ pomœrio addidit

eo tempore, sed postea. Pomœrio autē nemini principum A
licet addere nisi ei qui agri Barbarici aliqua parte Romanā
Remp. locupletauerit. Addidit autem Augustus, addidit
Traianus, addidit Nero, sub quo Pontus Polemoniacus &
Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ. Transactis igitur
quę ad sectiones, atque vrbis statum & ciuilia pertinebant,
contra Palmyrenos, id est contra Zenobiam, quæ filiorum
nomine orientale tenebat imperium, iter flexit. Multa in
itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis & in Illyrico occurrens Barbaros vicit: Gotthorum
quinetiam ducem Cannabam, siue Cannabaudem, cum B
quinque millibus hominum trans Danubium interemit.
Atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit,
eámq; nullo certamine obtinuit. Multa eius magna & præclara tam facta quàm dicta sunt: sed omnia libro innectere
nec possumus fastidij euitatione, nec volumus: sed ad intelligendos mores atque virtutem pauca libanda sunt. Nam
quum Thyanam venisset, eámque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur, *Canem in hoc oppido non relinquam.* Tunc &
militibus acrius incumbentibus spe prædæ, & Heraclammone quodam, timore ne inter cæteros occideretur, patriam suam prodente, ciuitas capta est. Sed Aurelianus duo C
statim præcipua, quod vnum seueritatem ostenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monstrauit. Nam &
Heraclammonem proditorem patriæ suæ sapiens victor
occidit: & quum milites iuxta illud dictum quo canem se
relicturum apud Thyanæos negaret, euersionem vrbis exposcerent, respondit iis, *Canem,* inquit, *negaui in hac vrbe me relicturum, canes omnes occidite.* Grande principis dictū, grandius militum votum: nam dictum principis quo præda negabatur, ciuitas seruabatur, totus exercitus ita quasi ditaretur, accepit. Epistola de Heraclammone. *Aurelianus augu-* D
stus Mallio Chiloni. Occidi passus sum cuius quasi beneficio Thyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui: & libenter tuli quòd eum milites occiderunt: neq; enim mihi fidem seruare potuisset qui patriæ non pepercit. *Solum denique ex omnibus qui oppugnabātur, campus accepit. Diuitē hominem negare non possum,*

A *ſed cuius bona eius liberis reddidi: nequis me cauſa pecuniæ locu-*
pletem hominem occidi paſſum eſſe criminaretur. Capta autem
ciuitas eſt miro modo. Nam quum Heraclammon locum
oſtendiſſet aggeris naturali ſpecie tumentem, quà poſſet
Aurelianus occultus aſcendere, ille conſcendit, atque elata
purpurea chlamyde, intus ciuibus, foris militibus ſe oſten-
dit, & ita ciuitas capta eſt, quaſi totus in muris Aureliani
fuiſſet exercitus. Taceri non debet res quæ ad famam ve-
nerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Thya-
næ ciuitatis euerſione vera dixiſſe, vera cogitaſſe: verùm
B Apollonium Thyanæum celeberrimę famę autoritatíſque
ſapiẽtem, veterem philoſophum, amicum verum deorum,
ipſum etiam pro numine frequentandum, recipienti ſe in
tentorium ea forma qua videtur, ſubitò aſtitiſſe, atque hæc
Latinè, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixiſſe, *Au-*
reliane, ſi vis vincere, nihil eſt quod de ciuium meorum nece co-
gites. Aureliane, ſi vis imperare, à cruore innocentium abſtine.
Aureliane, clementer te age, ſi vis vincere. Norat vultum phi-
loſophi venerabilis Aurelianus, atque in multis, eius ima-
ginem viderat templis. Denique ſtatim attonitus, & ima-
C ginem & ſtatuas & templum eidem promiſit, atque in me-
liorem rediit mentem. Hæc ego à grauibus viris comperi,
& in Vlpiæ bibliothecę libris relegi, & pro maieſtate Apol-
lonij magis credidi. Quid enim illo viro ſanctius, venera-
bilius, antiquius, diuiniúſque inter homines fuit? Ille mor-
tuis reddidit vitam. Ille multa vltra homines & fecit & di-
xit: quæ qui velit noſſe, Græcos legat libros qui de eius
vita conſcripti ſunt. Ipſe autem, ſi vita ſuppetat, atq; ipſius
viri fauori vſquequaque placuerit, breuiter ſaltem tanti viri
facta in literas mittam: non quo illius viri geſta munere mei
D ſermonis indigeant, ſed vt ea quæ miranda ſunt, omnium
voce prædicentur. Recepta Thyana Antiochiam propoſi-
ta omnibus impunitate, breui apud Daphnen certamine
obtinuit: atque inde præceptis quantum probatur vene-
rabilis viri Apollonij parens, humanior atque clementior
fuit. Pugnatum eſt poſt hæc de ſumma rerum contra Ze-
nobiam & Zabam eius ſociam apud Emeſſam magno cer-
tami-

tamine. Quúmque Aureliani equites fatigati iam penè A
discederẽt,ac terga darent,subitò vi numinis,quod postea
proditum,hortante quadam diuina forma,per pedites etiã
equites restituti sunt. Fugata est Zenobia cum Zaba,& ple-
nissimè parta victoria. Recepto igitur Orientis statu,Emes-
sam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum
Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota solutu-
rus. Verùm illic eam formam numinis reperit quam in bel-
lo sibi fauentem vidit. Quare & illic templa fundauit, do-
nariis ingentibus positis: & Romæ Soli templum posuit
maiore honorificentia consecratum,vt suo dicemus loco. B
Post hæc Palmyram iter flexit, vt ea oppugnata, laborum
terminus fieret. Sed in itinere à latronibus Syris malè ac-
cepto frequenter exercitu, multa perpessus est, & in obsi-
dione vsq; ad ictum sagittæ periclitatus est. Epistola ipsius
extat ad Mucaporem missa,in qua de eius belli difficultate
vltra pudorem imperialem fatetur. *Romani me modò dicunt
bellum contra fœminam gerere, quasi sola mecum Zenobia & suis
viribus pugnet, ac non hostium, quantum si vir à me oppugnandus
esset,in conscientia & timore longè deteriore. Dici non potest quã-
tum hîc sagittarum,qui belli apparatus,quantum telorum,quantum* C
*lapidum: nulla pars muri est quæ non binis & ternis balistis occupa-
ta sit: ignes etiam tormentis iaciuntur. Quid plura? non quasi fœ-
mina pugnat,quasi pœnam timens: sed credo adiuturos Rom. Remp.
deos,qui nunquam nostris conatibus defuerũt.* Denique fatigatus
ac pro malis fessus, literas ad Zenobiam misit,deditionem
illius petens,vitam promittens,quarum exemplum indidi.
*Aurelianus imperator Rom. orbis, & receptor Orientis, Zenobiæ
cæterísque quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis id quod
meis literis nunc iubetur: deditionem præcipio impunitate vitæ pro-
posita,ita vt illic Zenobia cum tuis agas vitam vbi te ex senatus am-* D
*plißimi sententia collocauero. Gemmas,argentum,aurum,sericum,
equos,camelos in ærarium Rom. conferas. Palmyrenis ius suum ser-
uabitur.* Hac epistola accepta, Zenobia superbius insolen-
tiúsq; rescripsit quàm eius fortuna poscebat. credo ad ter-
rorem: nam eius quoque epistolæ exemplum indidi. Zeno-
bia regina Orientis Aureliano Augusto. Nemo adhuc præ-

A ter te quod poſcis, literis petiit. Virtute faciẽdum eſt quicquid in rebus bellicis eſt gerendum. *Deditionem meam petis, quaſi neſcias Cleopatram reginam perire maluiſſe quàm in qualibet viuere dignitate. Nobis Perſarum auxilia non deſunt, quæ iam ſperamus: pro nobis ſunt Saraceni, pro nobis Armenij. Latrones Syri exercitum tuum Aureliane vicerũt: quid igitur ſi illa venerit manus quæ vndique ſperatur? pones profectò ſupercilium, quo nunc mihi deditionem, quaſi omnifariam victor, imperas.* Hanc epiſtolam Nicomachus ſe tranſtuliſſe in Græcum ex lingua Syrorum dicit ab ipſa Zenobia dictatam. nam illa ſuperior Aureliani, Græca miſſa eſt. His acceptis literis, Aurelianus nõ

B erubuit, ſed iratus eſt: ſtatímque collecto exercitu ac ducibus ſuis, vndique Palmyram obſedit: neque quicquam vir fortis reliquit quod aut imperfectum videretur aut incuratum. Nam & auxilia quæ à Perſis miſſa fuerant, intercepit: & alas Saracenas Armeniáſque corrupit atque ad ſe modò ferociter modò ſubtiliter tranſtulit, denique poſt multa mulierem potentiſſimam vicit. Victa igitur Zenobia quum fugeret camelis quos dromadas vocitant, atque ad Perſas iter tenderet, equitibus miſſis eſt capta, atque in Aureliani

C poteſtatem deducta. Victor itaque Aurelianus, totiúſque iam orientis poſſeſſor, quum in vinculis Zenobiam teneret cum Perſis, Armeniis, Saracenis ſuperbior atque inſolentior egit ea quæ ratio temporis poſtulabat. Tunc illæ veſtes quas in templo Solis videmus, conſertæ gemmis, tum Perſici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ quod poſtea nec vlla gens detulit, nec Romanus orbis vidit: de qua pauca ſaltem libet dicere. Meminiſtis enim fuiſſe in templo Iouis Optimi Maximi Capitolini pallium breue purpureum laneſtre, ad quod quum matronæ atque ipſe Aurelianus iun-

D gerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari videbantur cæteræ diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Perſarum ab Indis interioribus ſumptum, Aureliano dediſſe perhibetur, ſcribens, *Sume purpuram qualis apud nos eſt.* ſed hoc falſum fuit. Nam poſtea diligentiſſimè & Aurelianus, & Probus & proximè Diocletianus miſſis diligentiſſimis confectoribus, requiſiuerunt tale genus purpuræ, nec tamẽ

inuenire potuerunt. Dicitur enim sandix Indica talem pur- A
puram facere, si curetur. Sed ad incepta redeamus. Ingens tamen strepitus militum fuit omnium, Zenobiam ad pœnam poscentium. Sed Aurelianus indignum existimans mulierem interimi, occisis plerisque quibus autoribus illa bellum mouerat, parauerat, gesserat, triumpho mulierem reseruauit, vt populi Romani oculis esset ostentui. Graue inter eos qui cæsi sunt, de Longino philosopho fuisse perhibetur, quo illa magistro vsa esse ad Græcas literas dicitur. Quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse
quòd superbior illa epistola ipsius diceretur dictata con- B
silio, quamuis Syro esset sermone contexta. Pacato igitur Oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit: & quum illum *Carpicum* senatus absentem vocasset, mandasse ilico fertur, *Superest P. C. vt me etiam Carpisculum vocetis. Carpisculum* enim genus calciamenti esse satis notum est, quod cognomen deforme videbatur: quum & *Gotthicus*, & *Sarmaticus*, & *Armeniacus*, & *Parthicus*, & *Adiabenicus* diceretur. Rarum est vt Syri fidem seruent, imò difficile. Nam Palmyreni, qui iam victi
atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europensibus oc- C
cupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionem enim, quem in præsidio illic Aurelianus posuerat, cum sexcentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiæ parantes imperium. Verùm adeo Aurelianus, vt erat paratus ex Europa reuertit: atque vrbem, quia ita merebatur, euertit. Crudelitas denique Aureliani, vel (vt quidam dicunt) seueritas, eatenus extitit, vt epistola eius feratur, confessionem immanissimi furoris ostentans, cuius hoc exemplum est. *Aurelianus Augustus Ceionio Basso. Non oportet vlte-*
rius progredi militũ gladios. iam satis Palmyrenorum cæsum atque D
occisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes iugulauimus, rusticos interemimus: cui terras, cui vrbem deinceps relinquemus? Parcendum est iis qui remanserunt. Credimus enim tam paucos tam multorum suppliciis esse correctos. Templum sanè Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiæ cum vexilliferis & draconario cornicinibus atque litinicibus diripuerunt,

A *ad eam formam volo quæ fuit, reddi. Habes trecentas auri libras Zenobiæ capsulis: habes argenti mille octingenta pondo. De Palmyrenorum bonis habes gemmas regias. Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi & diis immortalibus gratissimum feceris. Ego ad senatum scribam, petens vt mittat pontificem qui dedicet templum.* Hæ literæ vt videmus, indicant satiatam esse immanitatem principis duri. Securior denique iterum in Europam rediit: atque illic omnes qui vagabãtur, hostes nota illa sua virtute cõtudit. Interim res per Thracias Europámque omnẽ Aureliano ingẽtes agente, Firmus quidã extitit,

B qui sibi Ægyptum sine insignibus imperij, quasi vt esset ciuitas libera, vindicauit. Ad quem continuò Aurelianus reuertit: nec illi defuit felicitas solita. Nam Ægyptum statim recepit: atque, vt erat ferox animi, cogitatione multus, vehemẽter irascens quòd adhuc TETRICVS Gallias obtineret, occidẽtem petiit: atq; ipso Tetrico exercitum suũ prodente, quòd eius scelera ferre non posset, deditas sibi legiones obtinuit. Princeps igitur totius orbis Aurelianus pacatis per Occidẽtem Gallis, atq; vndique terris, Romam iter flexit, vt de Zenobia & Tetrico, hoc est de Oriẽte & Occi-

C dente, triumphum Romanis oculis exhiberet. Non ab re est cognoscere, qui fuerit Aureliani triumphus. Fuit enim speciosissimus. Currus regij tres fuerunt. In his vnus Odenati, argẽto, auro, & gemmis operosus atq; distinctus: alter, quem rex Persarũ Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperãs se vrbem Romanam cum eo visuram: quod illam nõ fefellit. nam cum eo vrbem ingressa est victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur regis Gotthorum: quo, vt multi memoriæ tradiderunt, Ca-

D pitoliũ Aurelianus inuectus est, vt illic cęderet ceruos quos cum eodem curru captos vouisse Ioui Optimo Maximo ferebatur. Præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ, Palestinę diuersæ ducẽtæ: quas statim Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonis grauaret. tigrides quatuor: camelopardali, alces, cætera talia per ordinem ducta: gladiatorum paria octingenta: præter captiuos gentiũ Bar-

bararũ, Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ, cum suis quinque muneribus: Gotthi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, religatis manibus captiui præcesserũt. Inter hos etiam Palmyreni, qui superfuerant principes ciuitatis, & Ægyptij ob rebellionem. Ductæ sunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat: quum multæ essent interemptæ, quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati sunt tituli gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica galbina, braccis Gallicis ornatus, adiuncto sibi filio quem imperatorem in Gallia nuncupauerat. Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alij sustentabant. præferebantur coronæ omnium ciuitatũ aureæ titulis eminentibus proditę. Iam populus ipse Rom. iam vexilla collegiorum atque castrorum, & cataphractarij milites, & opes regiæ, & omnis exercitus, & senatus, etsi aliquando tristior quòd senatores triumphari videbat, multum pompæ addiderant. Denique vix nona hora in Capitolium peruenit, serò autem ad Palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ. Non prætermittendum videtur, quod & memoria tenet publica & fides historica frequentauit: Aurelianũ eo tempore quo proficiscebatur ad bellum orientale, bilibres coronas populo promisisse si victor rediret: & quum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, coronas eum fecisse de panibus qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita vt siligineum suum quotidie toto æuo suo, & vnusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret. Nam idem Aurelianus & porcinã carnem populo Rom. distribuit, quæ hodiéque diuiditur: leges plurimas sanxit, & quidem salutares: sacerdotia composuit, templum Solis fundauit, & pontifices roborauit. Decreuit etiam emolumenta architectis & ministris. His gestis, ad Gallias profectus, Vindelicos obsidione Barbarica liberauit: deinde ad Illyricum rediit, paratóque ma-

A gno potius quàm ingenti exercitu, Perſis, quos eo quoque tempore quo Zenobiam ſuperauit, glorioſſimè iam vicerat, bellum indixit. Sed quum iter faceret, apud Cænophrurium, manſionem quæ eſt inter Heracliam & Byzantium, malitia notarij ſui, & manu Mucaporis interemptus eſt. Et cauſa occidendi eius quæ fuerit, & quemadmodum ſit occiſus, ne res tanta lateat, breui ediſſeram. Aurelianus, quod negari non poteſt, ſeuerus, truculentus, ſanguinarius fuit princeps. Hic quum vſque eò ſeueritatem tetendiſſet, vt & filiam ſororis occideret, nō in magna neque ſatis idonea cauſa, iam primùm in odium ſuorum B venit. Incidit autem, vt ſe res fataliter agunt, vt Mneſtheum quendam quem pro notario ſecretorum habuerat, libertū, vt quidam dicunt, ſuum infenſiorem ſibi minando redderet, quòd neſcio quid de quodam ſuſpicatus eſſet. Mneſtheus, qui ſciret Aurelianum neque fruſtra minari ſolere, neque ſi minaretur, ignoſcere, breue nominum cōſcripſit, mixtis iis quibus Aurelianus verè iraſcebatur, cū iis de quibus nihil aſperum cogitabat, addito etiā ſuo nomine, quo magis fidem faceret ingeſtæ ſolicitudinis: ac breue legit C ſingulis quorum nomina continebat: addens, diſpoſuiſſe Aurelianum eos omnes occidere: illos verò debere ſuę vitæ, ſi viri ſunt, ſubuenire. Hi quū exarſiſſēt timore qui merebantur offenſam, dolorem miſcentes beneficiis atq; officiis quibus Aurelianus videbatur ingratus, in ſupradicto loco iter facientem principem ſubito adorti, interemerūt. Hic finis Aureliano fuit principi neceſſario magis quàm bono. Quo interfecto quum eſſet res prodita, & ſepulcrum ingens, & templum illi detulerunt ij à quibus interemptus eſt. Sanè Mneſtheus poſtea ſurrectus ad ſtipitē beſtiis ob-D iectus eſt, quod ſtatuę marmoreę poſitę in eodē loco vtrinque ſignificant, vbi & in columnis diuo Aureliano ſtatuæ cōſtitutæ ſunt. Senatus mortem eius grauiter tulit, grauius tamen pop. Rom. qui vulgò dicebat, *Aurelianum pædagogū eſſe ſenatorum.* Imperauit annis ſex, minus paucis diebus: ac rebus magnis geſtis inter diuos relatus eſt. Quia pertinet ad Aurelianum id quod in hiſtoria relatū eſt, tacere nō debui.

Nam multi ferunt Quintillum fratrem Claudij, quum in præsidio Italico esset, audita morte Claudij sumpsisse imperium. Verùm postea vbi Aurelianum comperit imperare, à toto exercitu derelictum, quúmque contra eum concionaretur, nec à militibus audiretur, incisis sibimet venis die vigesimo imperij sui periisse. Quicquid sanè scelerum fuit, quicquid malæ conscientiæ, vel artium funestarum, quicquid deniq; factionum, Aurelianus toto penitus orbe purgauit. Hoc quoq; ad rẽ pertinere arbitror, Balbati filij nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, imperiũ tenuisse quod tenuit. Fuit sub Aureliano etiã monetariorũ bellum, Felicissimo rationali autore: quod accerrimè seuerissiméq; compescuit, septem tamen militibus suorum militum interemptis: vt epistola docet missa ad Vlpium Crinitum ter cõsulem, qui eum antè adoptauerat. *Aurelianus Augustus Vlpio patri. Quasi fatale quiddam incessit, vt omnia quæcunque gessero, omnes motus ingrauescãt. Ita enim seditio intramurana bellum mihi grauissimũ peperit, monetarij autore Felicissimo vltimo seruorum, cui procurationem fisci mandaueram rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septem millibus Hiberorum Ripariensium & Castrianorũ & Daciscorum interemptis. Vnde apparet nullã mihi à diis immortalibus datam sine difficultate victoriam.* Tetricum triumphatum correctorẽ Lucaniæ fecit, filio eius in senatu manente. Templum Solis magnificentissimũ cõstituit: muros vrbis Romæ sic ampliauit vt quinquaginta propè millia murorum eius ambitus teneant. Itẽ quadruplatores ac delatores ingẽti seueritate persequutus est: tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Atheniensium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Fures prouinciales repetundarum ac peculatus reos vltra militarem modum est persequutus, vt eos ingentibus suppliciis cruciatibúsque puniret. In templo Solis multum auri gemmarúmque constituit. Quum vastatum Illyricum ac Mœsiam deperditam videret, prouinciam trãs Danubium Daciam à Traiano constitutam sublato exercitu & prouincialibus

A reliquit, desperans eam posse retineri: abductósque ex ea populos, in Mœsiam collocauit, appellauítque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias diuidit. Dicitur præterea huius fuisse crudelitatis vt plerisque senatoribus simulatã ingereret factionem coniurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere: Addunt nonnulli, filium sororis non filiam ab eodem interfectum: plerique autem etiam filiam sororis. Quàm difficile sit imperatorem in locum boni principis legere, & senatus sanctioris grauitas probat, & exercitus prudentis autoritas. Occiso nanque seuerissimo B principe, de imperatore deligendo exercitus retulit ad senatum, idcirco quòd nullum de his faciẽdum putabat qui tam bonum principem occiderant. Verùm senatus hanc eandem delectionem in exercitum refudit, sciens, non libenter iam milites accipere imperatores eos quos senatus elegerit. Denique id tertiò factum est, ita vt per sex menses imperatorem Romanus orbis non habuerit, omnésque iudices ij permanerent quos aut senatus aut Aurelianus elegerat, nisi quòd proconsulem Asiæ Falconium in locũ Aurelij Fusci delegit. Non iniucũdum est ipsas inserere li-C teras quas ad senatum exercitus misit. *Felices ac fortes exercitus senatui populóque Romano. Aurelianus imperator noster per fraudem vnius hominis, & per errorem bonorum ac malorum, interemptus est. Hunc inter deos referte sancti & domini* P.C. *& de vobis aliquem, sed dignum vestro iudicio, principem mittite. Nos enim de iis qui vel errauerunt vel malè fecerunt, imperare nobis neminem patimur.* Rescriptum est senatusconsulto, Quum die tertio nonas Febr. senatus amplissimus in curiam Põpilianam conuenisset, Aurelius Gordianus consul dixit, *Referimus ad vos* P.C. *literas exercitus felicißimi.* Quibus recita-D tis Aurelianus Tacitus primę sentẽtię senator ita loquutus est, (hic autem est qui post Aurelianum sententia omnium imperator est appellatus) *Recto ordine consuluissent dij immortales* P.C. *si boni principes ferro inuiolabiles extitissent, vt longiorem ducerent vitam: neque contra eos aliqua esset potestas iis qui neces infandas tristißima mente concipiunt. Viueret enim princeps noster Aurelianus, quo neque vtilior fuit quisquã. Respirare certè*

post infelicitatem Valeriani, post Gallieni mala, imperante Claudio cœperat nostra Respublica: at eadem reddita fuerat Aureliano toto penitus orbe vincente. Ille nobis Gallias dedit: ille Italiam liberauit: ille Vindelicis iugum Barbaricæ seruitutis amouit. Illo viuente Illyricum restitutum est, redditæ Romanis legibus Thraciæ. Ille (proh pudor) Orientem fœmineo pressum iugo in nostra iura restituit: ille Persas insultantes adhuc Valeriani nece, fudit, fugauit, oppressit. Illum Saraceni, Blemyes, Axomitæ, Bactriani, Seres, Hiberi, Albani, Armenij, populi etiam Indorum, veluti præsentem penè venerati sunt deum. Illius donis quæ à Barbaris gentibus meruit, refertum est Capitolium: quindecim millia librarum auri ex eius liberalitate vnum tenet templum, omnia in vrbe fana eius micant donis. Quare P.C. vel deos ipsos iure conuenio, qui talem principem interire paßi sunt, nisi fortè secum eum esse maluerunt. Decerno igitur diuinos honores: id quod vos omnes existimo esse facturos. Nam de imperatore deligendo ad eundem exercitum censeo esse referendum. Etenim in tali genere sententiæ, nisi fiat quod dicitur, & electi periculum erit, & eligentis inuidia. Probata est sententia Taciti: attamen quum iterum atque iterum mitterent, ex s.c. quod in Taciti vita dicemus, Tacitus factus est imperator. Aurelianus filiam solam reliquit, cuius posteri etiam nunc Romæ sunt. Aurelianus namque proconsul Ciliciæ, senator optimus, sui verè iuris vitæque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, eius est nepos. Quid hoc esse dicam, tam paucos bonos extitisse principes, quum iam tot Cæsares fuerint? Nam ab Augusto in Diocletianũ Maximianúmque principes, quæ series purpuratorum sit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipse Augustus, Flauius Vespasianus, Titus Cocceius Nerua, diuus Traianus, diuus Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammææ, diuus Claudius & diuus Aurelianus. Valerianus enim quum optimus fuerit, ab omnibus infelix apparuit. Vides quæso quàm pauci sint principes boni, vt bene dictũ sit à quodam mimico scurra Claudij, huius temporibus, *In vno anulo bonos principes posse perscribi atque depingi.* At contrà, quæ series malorum? vt enim omittamus Vitellios, Caligulas & Nerones, quis ferat Ma-

A ximinos & Philippos, atque illam inconditæ multitudinis fæcem? Tametsi Decios excerpere debeam, quorũ & vita & mors veteribus comparãda est. Et quæritur quidem *quæ res malos principes faciat*: Iam primùm nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia. Sed ego à patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatũ, dixisse *nihil esse difficilius quàm bene imperare*. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipien-
B dum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantùm scire quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet à Republica quos debebat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur imperator*. Hæc Diocletiani verba sunt, quæ idcirco inserui, vt prudentia tua sciret nihil esse difficilius bono principe. Et Aurelianum quidem multi neque inter bonos, neque inter malos principes ponunt, idcirco quòd ei clementia, imperatorum dos prima, defuerit. Ver-
C conius Herennianus præfectus pretorio. Diocletiani, teste Asclepiodoto, sæpe dicebat, Diocletianum frequenter dixisse quum Maximiani asperitatem reprehenderet, Aurelianum magis ducem esse debuisse quàm principem. Nam eius nimia ferocitas eidem displicebat. Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano Asclepiodotus Celsino consiliario suo dixisse perhibet. sed de hoc posteri iudicabunt. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem vtrum apud eius posteros imperium permaneret: tum illas respondisse
D dixit, Nullius clarius in Republica nomen quàm Claudij posterorum futurum. Et est quidem iam Constãtius imperator eiusdẽ vir sanguinis, cuius puto posteros ad eam gloriam quæ à Druidibus prænuntiata sit, peruenire. Quod idcirco ego in Aureliani vita constitui, quia hæc ipsi Aureliano cõsulenti respõsa sunt. Vectigal ex Ægypto vrbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ, atque anabolicas spe-

cies æternas constituit. Thermas in Trastiberina regione A
Aurelianus facere parauit hyemales, quòd aquæ frigidioris copia illic deesset. Forum nominis sui in Hostiensi ad mare fundare cœpit. In quo postea prætorium publicum constitutum est. Amicos suos honestè ditauit & modicè, vt miserias paupertatis effugerēt, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neq; alteri vtendam dedit. Et quum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit, *Absit vt auro fila pensentur:* libra enim auri tunc libra serici fuit. Habuit in animo vt aurum neque in B
cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura quàm argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum vsus perire, argentum autem in suo vsu manere. Idem dederat facultatem vt aureis qui vellent & vasis vterentur & poculis. Dedit præterea potestatem vt argentatas priuati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent. Idem concessit vt blatteas matronæ tunicas haberent, & cæteras vestes, quum antea coloreas habuissent, & vt multum oxypæderotinas. Et vt fibulas au- C
reas gregarij milites haberent, idem primus concessit: quum antea argenteas habuissent. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit: quum antè nonnisi rectas purpureas accepissent: & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vsq; ad pentelores, quales hodie lineæ sunt. Panibus vrbis Romæ vnciam de Ægyptio vectigali auxit, vt quadam epistola data ad præfectum annonæ vrbis etiam ipse gloriatur. *Aurelianus Augustus Flauio Arabiano præfecto annonæ. Inter cætera quibus diis fauētibus Romanam Rempub. iuuimus, nihil mihi est magnificētius quàm quòd additamēto vnciæ om-* D
ne annonarum vrbicarum genus iuui: quod vt esset perpetuum, nauicularios Niliacos apud Ægyptum nouos, & Romæ amnicos posui. Tiberinas extruxi ripas: vadum aluei tumētis effodi, diis & perennitati vota constitui, almam Cererem cōsecraui. Nunc tuum est officiū Arabiane iucundißime, elaborare ne meæ dispositiones in irritū veniant. Neque enim populo Rom. saturo quicquā potest esse lætius.

A Statuerat & vinũ gratuitum populo Rom. dare, vt quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberẽtur, sic etiam vinum daretur, quod perpetuũ hac dispositione conceperat. Hetruriæ per Aureliam vsque ad Alpes maritimas ingentes agri sunt, iique fertiles ac syluosi. Statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen vellent pretia dare, atque illic familias captiuas constituere, vitibus montes conserere, atque ex eo opere vinum dare, vt nihil redituum fiscus acciperet, sed totum populo Rom. concederet. Facta erat ratio dochæ, cuparũ, nauium & operum.
B sed multi dicunt, Aurelianum, ne id faceret, præuentum, alij à præfecto prætorij sui prohibitum, qui dixisse fertur, *Si & vinum populo Rom. damus, superest vt & pullos & anseres demus.* Argumento est id verè Aurelianum cogitasse, imò etiam facere disposuisse, vel ex aliqua parte fecisse, quòd in porticibus templi Solis fiscalia vina ponuntur, nõ gratuita populo eroganda, sed pretio. Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse, donasse etiam pop. Rom. tunicas albas manicatas ex diuersis prouinciis, & lineas Afras atq; Ægyptias puras: ipsumque primùm donasse oraria pop. Rom.
C quibus vteretur populus ad fauorem. Displicebat ei quum esset Romę, habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Sallustij vel in Domitiæ viuere. Miliarensem denique porticum in hortis Sallustij ornauit, in qua quotidie & equos & se fatigabat, quamuis esset non bonę valetudinis. Seruos & ministros peccantes coram se cædi iubebat, vt plerique dicunt, causa tenendæ seueritatis: vt alij, studio crudelitatis. Ancillam suam quæ adulterium cum seruo suo fecerat, capite puniuit. Multos seruos è familia propria qui peccauerãt, legibus audiendos iudiciis publicis dedit. Senatum,
D siue senatulum, matronis reddi voluerat: ita vt primæ illic quę sacerdotia senatu autore meruissent. Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederacios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. Cursores eo habitu quo ipse habebat, senatoribus concessit. Concubinas ingenuas haberi vetuit. Eunuchorũ modum pro senatoriis professionibus statuit, idcirco quòd ad ingentia pretia peruenissent. Vas argenti

eius nunquam triginta libras transiit. Conuiuium de assaturis maximè fuit. Vino rufo maximè delectatus est. Medicum ad se quum ægrotaret, nunquam vocauit, sed ipse se inedia præcipuè curabat. Vxori & filiæ anulum sigillaricium quasi priuatus instituit. Seruis suis vestes easdem imperator quas & priuatus dedit, præter duos senes, quibus quasi libertis plurimum detulit, Antistium & Gillonem, qui post eum ex senatus sententia manumissi sunt. Erat quidem rarus in voluptatibus, sed miro modo mimis delectabatur: vehementissimè autem delectatus est Phagone, qui vsque eo multum comedit vt vno die ante mensam eius aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Habuit tempus, præter seditiones quasdam domesticas, fortunatissimum. Populus autem Romanus eum amauit: senatus timuit.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII TACITVS.

QVOD post excessum Romuli nouello adhuc Romanæ vrbis imperio factum pontifices, penes quos scribendæ historiæ potestas fuit, in literas retulerunt, vt interregnum, dum post bonũ principem bonus alius quæritur, iniretur, hoc post Aurelianum, habito inter senatum exercitúmque Romanum non inuido, nõ tristi, sed grato religiosóque certamine sex totis mensibus factum est. Multis tamen modis hæc ab illo negotio causa separata est. Iam primùm enim quum interregnum initum post Romulum, interreges tamen facti sunt. Totúsque ille annus per quinos & quaternos dies siue ternos centum senatoribus deputatus est, ita vt qui valerent, interreges essent singuli dumtaxat. Quare factum est vt & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub æquali dignitate Romani expers remaneret imperij. Huc accedit

A quòd etiam ſub conſulibus tribuniſque militaribus prædictis imperio conſulari, ſiquando interregnum initum eſt, interreges fuerunt. Nec vnquam ita vacua fuit hoc nomine Romana Reſpub. vt nullus interrex biduo ſaltem triduóve crearetur. Video mihi poſſe obiici, curules magiſtratus apud maiores noſtros quadriennium in Rep. non fuiſſe: ſed erant tribuni plebis cum tribunitia poteſtate, quę pars maxima regalis imperij eſt: tamen non eſt proditum, interreges eo tempore non fuiſſe. Quinetiam verioribus hiſtoricis referentibus declaratum eſt, conſules ab interregibus B prius creatos, qui haberent reliquorum comitia magiſtratuum. Ergo, quod rarum & difficile fuit, S. P. Q. R. perpeſſus eſt vt imperatorem per ſex mēſes, dum bonus quæritur, Reſpub. non haberet. Quæ illa concordia militum? quāta populo quies? quàm grauis ſenatus autoritas fuerit? Nullus vſquam tyrannus emerſit: ſub iudicio ſenatus & militum populíque Romani totus orbis eſt temperatus: non illi principem quemquam, vt rectè facerent, non tribunitiam poteſtatem formidabant, ſed (quod eſt in vita optimum) ſe timebant. Dicenda eſt tamen cauſa tam felicium mora- C rum, & ſpeciatim monumentis publicis inſerenda ea in poſteros humani generis ſtupenda moderatio: vt diſcant qui regna capiunt, non raptum ire imperia ſed mereri. Interfecto ſanè fraude Aureliano, vt ſuperiore libro ſcriptum eſt, calliditate ſerui nequiſſimi, errore militarium, vt apud quoſlibet commenta plurimum valent, dummodo irati audiant, plerunque temulenti, certè cōſiliorum propè ſemper expertes, reuerſis ad bonam mētem omnibus, eiſdémque ab exercitu grauiter confutatis: cœptum eſt quæri, & quis fieri deberet ex omnibus princeps. Tunc odio præſen- D tium, exercitus qui creare imperatorem raptim ſolebat, ad ſenatū literas miſit, de quibus priore libro iam dictum eſt, petens vt ex ordine ſuo principem legerēt. Verùm ſenatus ſciens lectos à ſe principes militibus non placere, rem ad milites retulit. Dúmque id ſæpius fit, ſextus peractus eſt menſis. Intereſt tamen vt ſciatur quemadmodum Tacitus imperator ſit creatus. Die ſeptimo Cal. Octob. quum in

Curiam Pompilianam ordo amplissimus consedisset, Velius Cornificius Gordianus cos. dixit, *Referimus ad vos P. C. quod sæpe retulimus. Imperator est deligendus: exercitus sine principe rectè diutius stare non potest, simul quia cogit necessitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes. Iam si nihil de Persicis motibus nuntiatur, cogitate tam leues esse mentes Syrorum vt regnare vel fœminas cupiant potius quàm nostram perpeti sanctimoniam. Quid Africam? Quid Illyricum? Quid Ægyptum, earúmque omnium partium exercitum, quousque sine principe credimus posse consistere? Quare agite P. C. & principem dicite: aut accipiet eum exercitus quem elegeritis: aut si refutauerit, alterũ faciet.* Post hæc quũ Tacitus, qui erat primæ sententiæ consularis, sententiã incertũ quam vellet dicere, omnis senatus acclamauit, *Tacite Auguste, dij te seruent. te deligimus, te principem facimus, tibi curam Reipub. orbísque mandamus. Suscipe imperium ex senatus autoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis est quod mereris. Princeps senatus rectè Augustus creatur, primæ sententiæ vir rectè imperator creatur. Et quis melius quàm grauis imperat? & quis melius quàm literatus imperat? Quod bonum, faustum, salutaréque sit, diu priuatus fuisti. Scis quemadmodum debeas imperare qui alios principes pertulisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus iudicasti.* At ille, *Miror P. C. in locum Aureliani fortissimi imperatoris senem velle principem facere. En membra quæ iaculari valeant, quæ hastile torquere, quæ clypeis intonare, quæ ad exemplum docendi milites frequenter equitare. Vix munia senatus implemus, vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus. Videte diligentius quam ætatem de cubiculo atque vmbra in pruinas æstúsque mittatis. An probaturos senem imperatorem milites creditis? Videte ne Reip. non eum quem velitis principem detis: & mihi hoc solùm obesse incipiat quòd me vnanimiter delegistis.* Post hæc acclamationes senatus hæ fuerũt. *Et Traianus ad imperium senex venit* (dixerũt decies) *Et Adrianus ad imperiũ senex venit* (dixerũt decies.) *Et Antoninus ad imperiũ senex venit* (dixerũt decies) *Et tu legisti, incanáq; mẽta Regis Romani* (dixerũt decies) *Et quis melius quàm senex imperat?* (dixerũt decies) *Imperatorẽ te, nõ militem, facimus,* (dixerũt vicies) *Tu iube milites pugnent.*

A (dixerunt tricies) *Habes prudentiam & bonum fratrem.* (dixerunt decies) *Seuerus dixit, Caput imperare non pedes.* (dixerunt tricies) *Animum tuum non corpus eligimus.* (dixerunt vicies) *Tacite Auguste, dij te seruent.* Deinde omnes interrogati: præterea qui post Tacitum sedebat senator consularis Metius Falconius Nicomachus in hęc verba disseruit, *Semper quidem P. C. rectè atque prudenter Reip. magnificus hic ordo consuluit, neque à quoquam orbis terræ populo solidior vnquam expectata sapientia est: attamen nulla vnquam neque grauior, neque prudentior in hoc sacrario dicta sententia est. Seniorem principem* B *fecimus, & virum qui omnibus quasi pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil properum, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta grauia, & quasi ipsa Resp. iubeat, auguranda sunt. Scit enim qualem sibi principem semper optauerit: nec potest aliud nobis exhibere quàm quod ipse desiderauit & voluit. Enimuero si recolere velitis vetusta illa prodigia, Nerones dico & Heliogabalos, & Commodos, seu potius semper Incommodos, certè non hominum magis vitia illa quàm ætatum fuerunt. Dij auertant principes pueros, & patres patriæ dici impuberes: & quibus ad subscribendum magistri literarij manus teneant: quos ad consulatus dan-* C *dos dulcia & circuli, & quæcunque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malùm, ratio est habere imperatorem qui famam curare non nouerit: qui quid sit Resp. nesciat, nutritorem timeat, respiciat ad nutricem, manuum magistralium ictibus terroríque subiaceat: faciat eos consules, duces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta nõ norit? Sed quid diutius P. C. protrahor? magis gratulemur quòd habemus principem senem, quàm illa iteremus quæ plusquam lacrymanda tolerantibus extiterũt. Gratias igitur diis immortalibus ago atque habeo, & quidem pro vniuersa Rep. téque Tacite Auguste conuenio, petens, obsecrans, liberè pro communis patriæ legibus de-* D *poscens ne paruulos tuos, si te citius fata præuenerint, facias Romani hæredes imperij: ne sic Remp. patrésque conscriptos populúmque Romanum, vt villulam tuam, vt colonos tuos, vt seruos tuos relinquas. Quare circumspice, imitare Neruas, Traianos, Adrianos. Ingens est gloria morientis principis Remp. magis amare quàm filios.* Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius ordo concussus: statímque acclamatum est,

Omnes

Omnes, Omnes. Inde itum ad campum Martium: ibi commitiale tribunal ascendit: ibi præfectum vrbis Ælius Cesetianus sic loquutus est, *Vos sanctißimi milites, & sacratißimi vos Quirites, habetis principem quem de sentētia omnium exercituum senatus elegit: Tacitum dico augustißimum virum, vt qui hactenus sententiis suis Remp. iuuit, nunc iuuet iussis atque consultis.* Acclamatum est à populo, *Felicissime Tacite Auguste, dij te seruent,* & reliqua quæ solent dici. Hoc loco tacendum non est plerosque in literas retulisse, Tacitum absētem & in Campania positum, principem nuncupatum: quod verum est, nec dissimulare possum. Nam quum rumor emersisset illum imperatorem esse faciendum, discessit, atque in Baiano duobus mensibus fuit. Sed inde deductus huic senatusconsulto interfuit, quasi verè priuatus, & qui verè recusaret imperium. Ac nequis me Grȩcorum alicui vel Latinorū existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia in Armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S.C perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nā diu hæc S.C. quæ ad principes pertinebat, in libris elephantinis scribebantur. Inde ad exercitus profectus: ibi quoque quum primùm tribunal ascendit, Mesius Gallicanus præfectus prætorio in hæc verba disseruit, *Dedit sanctißimi commilitones senatus principem quem petiistis: paruit præceptis & voluntati castrensium ordo ille nobilißimus. Plura mihi apud vos præsente imperatore non licet loqui. Ipsum igitur qui tueri nos debet, loquentem dignanter audite.* Post hoc Tacitus Augustus dixit, *Et Traianus ad imperium senex venit, sed ille ab vno deductus est: at me sanctißimi commilitones primùm vos qui scitis principes approbare, deinde amplissimus senatus dignum hoc nomine iudicauit: curabo, enitar, efficiam ne vobis desint, si non fortia facta, at saltem vobis atque imperatore digna consilia.* Post hoc stipendium & donatiuum ex more promisit, & primam orationem ad senatum talem dedit, *Ita mihi liceat P.C. sic imperium regere vt à vobis me constet electum, vt ego cuncta ex vestra facere sententia & potestate decreui. Vestrum est igitur ea iubere atque sancire quæ digna vobis, digna modesto exercitu, digna populo Romano esse videantur.* In eadem oratione Aureliano sta-

A tuam auream ponendam in Capitolio decreuit. item statuam argenteam in Curia, item in templo Solis, item in foro diui Traiani. Sed aurea non est posita: dedicatæ autem sunt solæ argenteæ. In eadem oratione cauit vt siquis argento publicè priuatímque æs miscuisset, siquis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione. In eadem oratione cauit vt serui in dominorum capita non interrogarentur, ne in causa maiestatis quidem. addidit, vt Aurelianum omnes pictum haberent. Diuorum templum fieri iussit, in quo essent statuæ princi-
B pum bonorum, ita vt iisdem natalibus suis, & parilibus, & Calend. Ianuariis & Votis, libamina ponerentur. In eadem oratione fratri suo Floriano consulatum petiit, & non impetrauit, idcirco quòd iam senatus omnia nundina suffectorum consulum clauserat. Dicitur autem multum lætatus senatus libertate, quòd ei negatus est consulatus quem fratri petierat. Fertur denique dixisse, *Scit senatus quem principem fecerit*. Patrimonium suum publicauit quod habuit in reditibus, H-S. bis millies octingentes. Pecuniam quã domi collegerat, in stipendium militum vertit.
C Togis & tunicis iisdem est vsus quibus priuatus. Meritoria intra vrbem stare vetuit: quod quidem diu tenere non potuit. Thermas omnes ante lucernam claudi iussit, ne quid per noctem seditionis oriretur. CORNELIVM TACITVM, scriptorem historiæ augustæ, quòd parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit: & ne lectorum incuria deperiret, librũ per annos singulos decies scribi publicitus in* euicis archiis iussit, & in bibliothecis poni. Holosericam vestem viris omnibus interdixit. Domum suam destrui præcepit, atque in eo loco thermas
D publicas fieri priuato sumptu iussit, columnas centum Numidicas pedum vicenûm ternûm Hostiensibus donauit. De proprio possessiones quas in Mauritania habuit, sartis tectis Capitolij deputauit. Argentum mensale quod priuatus habuerat, ministeriis conuiuiorum, quæ in templis fierent, dedicauit. Seruos vrbanos omnes manumisit vtriusque sexus, intra centum tamen, ne Caniniam transire vide-

retur. Ipse fuit vitę parcissimę, ita vt sextarium vini tota die nunquã potauerit, sæpe intra heminam. Conuiuium verò vnius gallinacei, ita vt sinciput adderet & oua. Præ omnibus oleribus affatim ministratis, lactucis impatiẽter indulsit. somnũ enim se mercari illa sumptus effusione dicebat. Amariores cibos appetiuit. Balneis raro vsus est, atque validior fuit in senectute. Vitreorum diuersitate atque operositate vehementer est delectatus. Panem nisi siccum nũquam comedit, eundémque sale atque aliis rebus conditum. Fabricarum peritissimus fuit, marmorum cupidus, nitoris senatorij, venationum, studiosus. Mensam denique suam nunquam nisi agrestibus opimauit'. Fasianam auem, nisi suo & suorum natali & diebus festissimis, non posuit. Hostias suas semper domum reuocauit, iisdémque suos vesci iussit. Vxorem gemmis vti non est passus. Auroclauatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse autor Aureliano fuisse perhibetur vt aurum à vestibus & cameris & pellibus submoueret. Multa huius feruntur, sed longum est ea in literas mittere. Quòd siquis omnia de hoc viro cupit scire, legat Suetonium Optatianum qui eius vitam affatim scripsit. Legit sanè senex minutulas literas ad stuporem: nec vnquam noctem intermisit qua non aliquid vel scriberet vel legeret, præter posterum calendarum diem. Nec tacendum est, & frequenter imitandum, tantam senatus lætitiam fuisse quòd eligendi principis cura ad ordinem amplissimum reuertisset, vt & supplicationes decernerentur, & hecatombe promitteretur à singulis: denique senatores ad suos scriberent, nec ad suos tantùm, sed etiam ad externos. Mitterentur præterea literę ad prouincias, vt scirent omnes socij omnésque nationes in antiquum statum redisse Rempub. ac senatum principes legere, imò ipsum senatum principem factum: leges à senatu petendas, reges Barbaros senatui supplicaturos: pacem ac bella senatu autore tractanda. Ne quid deniq; deesset cognitioni, plerasque huiusmodi epistolas in fine libri posui, & cum cupiditate & sine fastidio, vt existimo, perlegendas. Et prima quidem illi cura imperatoris facti hæc fuit, vt omnes qui

A Aurelianum occiderant, interimeret, bonos malósve, quū iam ille vindicatus esset. Et quoniā à Mœotide multi barbari eruperant, hos eosdē consilio atq; viribus, vt eò redirent, compulit. Ipsi autem Mæotidæ ita congregabantur, quasi accitu Aureliani ad bellum Persicum conuenissent, auxilium daturi nostris, si necessitas postularet. Quū Tullius dicat, magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum: at in isto viro magnificum fuit quòd tanta gloria cepit imperium. Gessit autem propter breuitatem
B temporum nihil magnum. Interemptus est enim insidiis militaribus, vt alij dicunt, sexto mense: vt alij, morbo interiit. Tamen constat, factionibus eum opressum, mente atque animo defecisse. Hic idem mensem Septembrem TACITVM appellari iussit, idcirco quòd eo in mense & natus & factus est imperator. Huic frater FLORIANVS imperio successit, de quo pauca ponenda sunt.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII,

C

FLORIANVS.

HIC frater Taciti germanus fuit, qui post fratrem arripuit imperium, non senatus autoritate, sed suo motu, quasi hæreditarium esset imperium: quum sciret adiuratum esse in senatu Tacitum, vt quum mori cœpisset, nō liberos suos, sed optimum aliquem principem faceret. Denique vix duobus mensibus imperium tenuit, & occisus est Tarsi à militibus, qui
D Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. Tantus autem Probus fuit in re militari, vt illum senatus optaret, miles eligeret, ipse populus Rom. acclamationibus peteret. Fuit etiam Florianus morum fratris imitator, nec tamen vsquequaque. Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas aliis eum moribus ostendit fuisse quàm fratrem. Duo igitur

principes vna extiterũt domo:quorum alter ſex menſibus, A
alter vix duobus imperauerunt, quaſi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, poſt interregnum principes nuncupati. Horum ſtatuæ fuerunt Interamnæ duæ pedum tricenûm ex marmore, quòd illic eorum cenotaphia conſtituta ſunt in ſolo proprio : ſed deiectæ fulmine, ita contritæ ſunt vt membratim iaceant diſſipatæ, quo tempore reſponſum eſt ab aruſpicibus quandoque ex eorum familia imperatorem Romanum futurum, ſeu per fœminam, ſeu per virum, qui det iudices Parthis ac Perſis: qui Francos & Alemanos ſub Romanis legibus habeat: qui per omnem B
Africam Barbarum non relinquat: qui Taprobanis præſidem imponat: qui ad Romanam inſulam proconſulem mittat: qui Sarmatis omnibus iudicet: qui terram omnem quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, ſuam faciat: poſtea tamen ſenatui reddat imperium, & antiquis legibus viuat ipſe victurus annis c x x, & ſine hærede moriturus. Futurum autem eum dixerunt à die fulmine præcipitatis ſtatuíſque confractis poſt annos mille. Non magna hæc vrbanitas aruſpicum fuit, qui principem talem poſt mille annos futurum eſſe dixerunt? quia ſi poſt centum an- C
nos prædicerent fore, poſſent eorum deprehendi mēdacia, quum vix remanere talis poſſit hiſtoria. Ego tamen idcirco hæc inſerenda volumini credidi ne quis me leges legiſſe nō crederet. Tacitus congiarium populo Romano intra ſex menſes vix dedit. Imago eius poſita eſt in Quintiliorum in vna tabula quincuplex, in qua ſemel togatus, ſemel chlamydatus, ſemel armatus, ſemel palliatus, ſemel venatorio habitu. De qua quidā epigrammatarius ita luſit, vt diceret, *Non agnoſco ſenem armatum, non chlamydatum inter cætera, ſed agnoſco togatum.* Et Floriani liberi & Taciti multi extiterũt: D
quorũ ſunt poſteri credo milleſimum annum expectantes. In quos multa epigrammata ſcripta, quo iocati ſunt aruſpices imperium pollicentes. Hæc ſunt quæ de vita Taciti atq; Floriani digna memoratu comperiſſe memini. Nunc nobis aggrediendus eſt PROBVS, vir domi foríſque conſpicuus: vir Aureliano, Traiano, Adriano, Antoninis, Ale-

A xandro, Claudióque præferendus: nisi quia in illis varia, in hoc omnia pręcipua tunc fuere: qui post Tacitum omnium iudicio bonorum imperator est factus, orbémque terrarũ pacatissimum gubernauit, deletis Barbaris gentibus, deletis etiam plurimis tyrannorum, qui eius temporibus extiterunt: de quo dictum est vt Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. Quem quidem multi ferunt Sibyllinis libris fore promissum: qui si diutius fuisset, orbis terræ Barbaros non haberet. Hæc ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum aliquid sidi B vindicaret, ne fatali necessitate absumptus Probo indicto deperirem. Nunc claudam volumen, satisfactum arbitrans studio & cupiditati meæ. Omina imperij Tacito hæc fuerunt: Fanaticus quidam in templo Syluani tensis membris exclamauit, *Tacita purpura, tacita purpura.* (ídque septimo) Quod quidem postea omini deputatum est. Vinum quo libaturus Tacitus fuerat in templo Herculis Fundani, subitò purpureum factum est. Vitis quæ vuas Amineas albas ferebat, eo anno quo ille imperium meruit, purpurascere plurima purpura cœpit. Mortis omina hæc fuerunt: Patris C sepulcrum disruptis ianuis se aperuit, matris vmbra se per diem & Tacito & Floriano velut viuentis obtulit: nam diuersis patribus nati ferebantur: in larario dij omnes seu terræ motu, seu casu aliquo cõciderunt. Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine cuiuspiam manu deprehensa est. Sed hæc sunt quæ à plerisque dicuntur. Nos ad Probum & ad Probi gesta insignia reuertemur. Et quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurũ quæ creato Tacito principe gaudia senatus ostenderent, his additis, finem scribendi faciam. Epistolæ publi-D cæ. *Senatus amplissimus curiæ Carthaginensi S.D. Quod bonum, faustum, felix salutaréque sit Reipublicæ orbíque Rom. dandi ius imperij, appellandi principis, nuncupandi Augusti, ad nos reuertit. Ad nos igitur referte quæ magna sunt. Omnis prouocatio præfecti vrbis erit: quæ tamẽ à procõsulibus & ab ordinariis iudicibus emerserit, in quo quidem etiam vestram in antiquum statum redisse credimus dignitatem, siquidem primus hic ordo est qui recipiendo vim*

ſuam,ius ſuum cæteris ſeruat. Alia epiſtola. *Senatus ampliſſimus curiæ Treuirorum. Vt eſtis liberi & ſemper fuiſtis, lætari vos credimus. Creandi principis iudicium ad ſenatum redit, ſimul etiā præfecturæ vrbanæ appellatio vniuerſa decreta eſt.* Eodē modo ſcriptum eſt Antiochenſibus, Aquileienſibus, Mediolanenſibus, Alexādrinis, Theſſalonicenſibus, Corinthiis & Athenienſibus. Priuatæ autē epiſtolæ hæ fuerunt. *Autronio, iuſto patri, Autronius Tiberianus ſalutē. Nunc te pater ſancte intereſſe decuit ſenatui ampliſſimo, nunc ſententiam dicere, quum tantum autoritatis ampliſſimo ordini creuerit vt reuertat in antiquum ſtatum Reſp. & nos principes demus, nos faciamus imperatores, nos denique nuncupemus Auguſtos. Fac igitur vt conualeſcas, Curiæ interfuturus antiquæ. Nos recepimus ius proconſulare, redierunt ad præfectum vrbis appellationes omnium poteſtatum & omnium dignitatum.* Item alia. *Claudius Capellianus Cereio Metiano patruo S. Obtinuimus pater ſancte quod ſemper optauimus: in antiquum ſtatum ſenatus reuertit. Nos principes facimus, noſtri ordinis ſunt poteſtates. Gratias exercitui Romano & verè Romano: reddidit nobis quam ſemper habuimus poteſtatem. Abiice Baianos Puteolanóſque ſeceſſus. Da te vrbi, da te curiæ. Floret Roma, floret tota Reſp, Imperatores damus, principes facimus: poſſumus & prohibere, qui cœpimus facere. Dictum ſapienti ſat eſt.* Longum eſt omnes epiſtolas connectere, quas reperi, quas legi. Tantùm illud dico, ſenatores omnes ea eſſe lætitia elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequēter aperirent, albati ſederent, conuiuia ſumptuoſiora præuenirent, antiquitatem ſibi redditam crederent.

A B C (margin letters)

FLAVII VOPISCI SYRACVSII PROBVS.

D

CERTVM eſt quod Salluſtius Criſpus, quódque M. Cato & Gellius hiſtoricæ ſententię modo in literas retulerunt, *Omnes omnium virtutes tantas eſſe quantas videri eas voluerint eorum ingenia qui vniuſcuiuſque facta deſcripſerint.* Inde eſſe quòd Alexánder Magnus

A Macedo, quum ad Achillis ſepulcrum veniſſet, grauiter ingemiſcẽs, *Felicem te,* (inquit) *iuuenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperiſti:* Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum ſtudio finxit quantum ipſe valebat ingenio. Quorſum hæc pertineant mi Celſe, ne fortaſſis requiras. Probum principem, cuius imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septẽtrio, omnéſque orbis partes in totam ſecuritatem redactæ ſunt, ſcriptorũ inopia iam penè neſcimus. Occidit, pro pudor! tanti viri & talis hiſtoria qualem non habent bella Punica, non terror Gallicus, non motus B Pontici, non Hiſpanienſis aſtutia. Sed non patiar ego ille, à quo dudum ſolus Aurelianus eſt expetitus, cuius vitam quantum potui perſequutus, Tacito Florianóque iam ſcriptis, non me ad Probi facta conſcendere: ſi vita ſuppetet, omnes qui ſuperſunt vſque ad Maximianum Diocletianúmque dicturus. Neque ego nunc facultatem eloquentiámque polliceor, ſed res geſtas, quas perire non patior. Vſus autem ſum, ne in aliquo fallam chariſſimam mihi familiaritatem tuam, præcipuè libris ex bibliotheca Vlpia ætate mea thermis Diocletianis, item ex domo Tiberiana. C Vſus etiam ex regeſtis ſcribarum porticus Porphyreticæ, actis etiam ſenatus ac populi. Et quoniam me ad colligenda talis viri geſta ephemeris Turduli Gallicani plurimum iuuit, viri honeſtiſſimi ac ſinceriſſimi, beneficium amici ſenis tacere non debui. Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarúmque rerum geſtarum maieſtate ſublimem, quis tandem noſſet niſi eum M. Tullius & T. Liuius in literas retuliſſent? P. Scipionem Africanum, imò Scipiones omnes, ſeu Lucios, ſeu Naſicas, nónne tenebræ poſſiderent ac D tegerent niſi commendatores eorũ hiſtorici nobiles atque ignobiles extitiſſent? Longum eſt omnia perſequi quæ ad exemplum huiuſcemodi etiam nobis tacẽtibus vſurpanda ſunt. Illud tantùm conteſtatum volo, me & rem ſcripſiſſe, quã ſiquis voluerit honeſtius, eloquio celſiore demõſtret. Et mihi quidem id animi fuit non vt Salluſtios, Liuios, Tacitos, Trogos, atque omnes diſertiſſimos imitarer viros in

vita principum & temporibus diſſerendis,ſed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem,Iulium Capitolinum,Ælium Lampridium,cæteróſque qui hęc & talia non tam diſertè quàm verè memoriæ tradiderunt. Sum enim vnus ex curioſis, quòd infinita ſcire non poſſum, incendentibus vobis, qui quum multa ſciatis,ſcire multo plura cupitis. & ne diutius ea quæ ad meum conſilium pertinent loquar, magnum & præclarum principem & qualem hiſtoria noſtra non nouit, arripiã. PROBVS oriũdus è Pannonia,ciuitate Sirmienſi, nobiliore matre quàm patre, patrimonio moderato,affinitate non magna,tam priuatus quàm imperator nobiliſſimis virtutibus claruit. Probo, vt quidam in literas retulerunt, pater nomine Maximus fuit: qui quum ordines honeſtiſſimè duxiſſet,tribunatum adeptus,apud Ægyptum vita functus eſt, vxore ac filio & filia derelictis. Multi dicunt Probum Claudij propinquum fuiſſe,optimi & ſanctiſſimi principis:quod quia per vnum tantum Græcorum relatum eſt, nos in medio relinquemus.Vnũ tamen dico quòd in ephemeride legiſſe me memini,à Claudia ſorore Probum ſepultum. Adoleſcens Probus corporis moribus tam clarus eſt factus vt Valeriani iudicio tribunatum propè imberbis acciperet. Extat epiſtola Valeriani ad Gallienum, qua Probum laudat adhuc adoleſcentem, & imitationi omnium proponit. Ex quo apparet neminem vnquam perueniſſe ad virtutum ſummam iam maturũ,niſi qui puer ſeminario virtutum generoſiore concretus aliquid inclytũ deſignaſſet. Epiſtola Valeriani. *Valerianus pater Gallieno filio, Auguſtus Auguſto. Et meũ ſequutus iudicium, quod ſemper de Probo adoleſcente primò habui,& omnium bonorum qui eundem ſui nominis virum dicunt, tribunatum in eum contuli, datis ſex cohortibus Saracenis, creditis etiam auxiliaribus Gallis cum ea Perſarum manu quam nobis Artabaſſes Syrus mancipauit. Te quæſo fili chariſſime,vt eum iuuenem quem imitari pueris omnibus volo, in tãto habeas honore quantum virtutes eius & merita pro debito mentis ſplendore deſiderant.* Alia epiſtola de eodem ad præf. præt. cum ſalario. *Valerianus Auguſtus Muluio Gallicano præfecto*

A B C D

A *prætorij. Miraris fortaßis, quòd ego imberbem tribunum fecerim contra constitutū diui Adriani. Sed non multum miraberis si Probum cogitas adolescentē verè probum. Nunquam enim aliud mihi, quum eum cogito, nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomen. Huic igitur dari iubebis (quoniam mediocris fortunæ est) vt eius dignitas incremētis iuuetur, tunicas rufulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragaudias duas, patinam argenteā librarū decem specillatam, aureos Antonianos centū, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decē millia. Item in salario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decē, galli-*
B *naceū per biduū, olei per biduū sextarium vnū, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino: salis, olerum, lignorum, quantum satis est. Hòspitia præterea eidem vt tribunis legionum præberi iubebis.* Et hæc quidem epistolæ declarant. Nunc quātum ex ephemeride colligi potuit, quum bello Sarmatico iam tribunus, transmisso Danubio, multa fortiter fecisset, publicè in concione donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque aureo vno, patera sacrificali quinque libri vna. Quo quidem tempore Vale-
C rium Flaccum, adolescentem nobilem, parentem Valeriani, è Quadorum liberauit manu: vnde illi Valerianus coronam ciuicam detulit. Verba Valeriani pro cōcione habita, *Suscipe Probe præmia pro Rep. suscipe coronam ciuicam pro parente.* Quo quidem tempore legionē tertiam eidem addidit sub testimonio eiusmodi. Epistola de legione tertia. *Res gestæ tuæ Probe charißime faciunt vt & serius tibi tradere maiores exercitus videar, & citò tamen tradam. Recipe in fidem tuā legionem tertiam felicem, quam ego adhuc nulli nisi prouecto iam credidi: mihi autem eo tempore credita est quo & me canosum, qui cre-*
D *debat, cum gratulatione vidit. Sed ego in te non expecto ætatem, quum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas. Vestes tibi triplices dari iußit, salarium duplex feci, vexillarium deputaui.* Longum est, si per res gestas tanti percurram viri, quæ ille sub Valeriano, quæ sub Gallieno, quæ sub Aureliano & Claudio priuatus fecerit, quoties murum conscenderit, vallum diripuerit, hostem cominus interemerit, dona principum

emeruerit, rempublicam in antiquum ſtatum ſua virtute A reddiderit. Docet Gallieni epiſtola ad tribunos data, qui fuerit Probus. *Gallienus Auguſtus tribunis exercituum Illyricianorum. Etiamſi patrem meum fatalis belli Perſici neceßitas tenuit, habeo tamen parentem Aurelium Probum, quo laborante poſſim eſſe ſecurus. qui ſi affuiſſet, nunquam ille ne nominãdus quidem tyrannus, ſibi vſurpaſſet imperium. Quare omnes vos conſiliis eius cupio parere, qui & patris iudicio probatus eſt & ſenatus.* Non magnum fortaſſis iudicium Gallieni eſſe videatur, principis mollioris, ſed quod negari nõ poteſt, ne diſſolutus quidem quiſpiã ſe, niſi in eius fidem tradit cuius ſibi virtutes exiſtimat profuturas. B Sed eſto, Gallieni epiſtola ſequeſtretur. Quid Aureliani iudicium? qui Probo decimanos, fortiſſimos exercitus ſui, & cum quibus ipſe ingentia geſſerat, tradidit ſub huiuſmodi teſtimonio: *Aurelianus Auguſtus Probo S.D. Vt ſcias quanti te faciam, decimanos meos ſume, quos Claudius mihi credidit. Iſti enim ſunt qui quadam felicitatis prærogatiua præſules niſi futuros principes habere non norunt.* Ex quo intellectum eſt Aurelianum in animo habuiſſe vt ſi quid ſibi ſcienti prudentíque eueniret Probum principem faceret. Iam Claudij, iam Taciti iudicia de Probo longum eſt in- C nectere: quamuis feratur in ſenatu Tacitus dixiſſe, quum eidem offerretur imperium, debere Probum principem fieri. Sed ego S.C. ipſum inueni. Ipſe autem Tacitus imperator primam talem ad Probum epiſtolam dedit: *Tacitus Auguſtus Probo. Me quidem ſenatus principem fecit de prudentis exercitus voluntate. Attamen ſciendum tibi eſt tuis nunc humeris magis incubuiſſe Remp. qui & quantus ſis omnes nouimus, ſcit ſenatus. Adeſto igitur noſtris neceßitatibus: tuæ familiæ aſſere, vt ſoles, Rempub. Nos tibi decreto totius Orientis ducatu, ſalarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminauimus, conſula- D tum in annum proximum nobiſcum decreuimus: te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Ferunt quidam Probo id pro imperij omine fuiſſe quod Tacitus ſcripſit, *Te manet Capitolina palmata.* Sed in hanc ſententiam omnibus ſemper c o s. ſcribebatur. Amor militum erga Probum ingens ſemper fuit. Neque enim vnquam ille paſſus eſt

A peccare militem. Ille quinetiam Aurelianum sæpe à graui crudelitate deduxit. Ille singulos manipulos adiit, vestes & calceamenta perspexit: siquid prædæ fuit, ita diuisit, vt sibi nihil præter tela & arma seruaret. Quinetiam quum de prædato, siue ex Alanis siue ex aliqua alia gente incertum est, repertus esset equus non decorus, neque ingens, qui, quantum captiui loquebantur, centum ad diem miliaria currere diceretur, ita vt per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet seruaturum, iam primùm dixit, *Fugitiuo militi potius quàm forti*
B *hic equus conuenit.* Deinde in vrnam militares iussit nomen suum mittere, vt aliquis eum sorte ductus acciperet. Et quum essent in exercitu quidam nomine Probi alij quatuor milites, casu euenit vt primùm emergeret cui Probo nomen existeret, quum ipsius Probi ducis nomen missum non esset. Sed quum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisque defenderet, iussit iterum agitari vrnam: sed & iterum Probi nomen emersit: qúmque tertiò & quartò fecisset, quartò Probi nomẽ effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicauit, ipsis etiã
C militibus quorum nomina exierant, id volentibus. Pugnauit & contra Marmaridas in Africa fortissimè, eos denique vicit, atque ex Libya Carthaginem transiit, eandémque à rebellionibus vindicauit. Pugnauit & singulari certamine contra quendam Aradionem in Africa, eundémque prostrauit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulcro ingenti honorauit, quod adhuc extat tumulo vsque ad ducẽtos pedes terræ lato per milites quos otiosos esse nunquam est passus. Extant apud Ægyptum eius opera quæ per milites struxit in plurimis ciuitatibus. In Nilo
D autem tam multa fecit vt vectigal frumentarium solus adiuuerit: pontes, templa, porticus, basilicas labore militum struxit: ora fluminum multa patefecit, paludes plerasque siccauit, atque in his segetes agrósque constituit. Pugnauit etiam contra Palmyrenos pro Odenati & Cleopatræ partibus Ægyptum defendentes, primò feliciter, postea temerè, vt penè caperetur: sed postea refectis viribus, Ægyptum

& Orientis maximam partem in Aureliani poteſtatem redegit. Quum his igitur tot & tãtis virtutibus eniteret, Tacito abſumpto fataliter, ac Floriano imperium arripiente, omnes orientales exercitus eundẽ imperatorem fecerunt. A
Non inepta neque inelegans fabula eſt, ſcire quemadmodum imperium Probus ſumpſerit. Quum ad exercitus nũtius veniſſet, tum primùm animus militibus fuit præuenine Italicos exercitus, ne iterum ſenatus principem daret. ſed quum inter milites ſermo eſſet quis fieri deberet, & manipulatim in campo tribuni eos alloquerentur, dicentes requirendum eſſe principem aliquem fortem, ſanctum, B
verecundum, clementem, probum: idque per multos circulos, vt fieri aſſolet, diceretur, quaſi diuino nutu vndique ab omnibus acclamatum eſt, *Probe Auguſte dij te ſeruent.* deinde concurſus, & ceſpitium tribunal: appellatúſque imperator, ornatus etiam pallio purpureo quod de ſtatua tẽpli oblatum eſt: atque inde ad Palatium reductus, inuitus & retrectans, & ſæpe dicens, *Non enim vobis expedit milites, non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non poſſum.* Prima eius epiſtola data ad Capitonem præfectum prætorio talis fuit: *Imperium nunquam optaui, & inuitus accepi. Deponere* C
mihi rem inuidioſiſsimam non licet. Agenda eſt perſona quam mihi miles impoſuit. Te quæſo Capito, ita mecum ſalua Repub. perfruaris. Annonam & commeatus & quicquid neceſſarium eſt vbique militi pares: ego, quantũ in me eſt, ſi rectè omnia gubernaueris, præfectum alterum non habebo. Itaque milites cognito quòd imperaret Probus, Florianum qui quaſi hæreditarium imperium arripuerat, interemerunt, ſcientes neminẽ dignius imperare quàm Probum. Ita ei ſine vlla moleſtia totius orbis imperium & militum & ſenatus iudicio delatum eſt. Et D
quoniam mentionem ſenatus fecimus, ſciendum eſt quid ipſe ad ſenatum ſcripſerit, quid item ad eum ampliſſimus ordo reſcripſerit. Oratio Probi prima ad ſenatum. *Rectè atque ordine P. C. proximo ſuperiore anno factum eſt vt veſtra clementia orbi terrarum principem daret, & quidem de vobis, qui & eſtis mundi principes, & ſemper fuiſtis, & in veſtris poſteris eritis. atque vtinam id Florianus expectare voluiſſet, nec velut*

A *hæreditarium sibi vindicasset imperium, vel illum vel alium quempiam maiestas vestra fecisset. Nunc quoniam ille imperiū arripuit, nobis à militibus delatum est nomen Augustum, vindicatum quin etiam in illū à prudētioribus militibus, quod fuerat vsurpatū. Quæso vt de meis meritis faciatis quicquid iusserit vestra clementia.* Item S.C. Die tertio nonas Februarias in æde Concordię: inter cætera. Ælius Scorpianus COS. dixit, *Audistis P.C. literas Aurelij Valerij Probi: de his quid videtur?* Tunc acclamatū est, *Probe auguste dij te seruent. Olim dignus, & fortis, & iustus, bonus ductor, bonus imperator. Exemplū militiæ, exemplum imperij, dij*
B *te seruent. Assertor Reipubl. felix imperes: Magister militiæ felix imperes: te cum tuis dij custodiant. Et senatus antea te delegit. Ætate Tacito posterior, cæteris prior. Quòd imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere Rempubl. bene tibi committimus quos antè seruasti. Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia, & prius fuisti semper dignus imperio, dignus triūphis: felix agas, feliciter imperes.* Post hæc Manlius Statianus, qui primę sententiæ tūc erat, ita loquutus est, *Diis immortalibus gratias, & præ cæteris P.C. Ioui Optimo, qui nobis principem talem qualem semper optabamus, dederūt. Si rectè cogitemus, non nobis Aurelia-*
C *nus, non Alexander, non Antonini, non Traianus, nō Claudius requirendi sunt: omnia in vno principe constituta sunt: rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ reipublicæ, atque omnium prærogatiua virtutum. enimuero quæ mundi pars est quam ille non vincēdo didicerit? Testes sunt Marmaridæ in Africæ solo victi, testes Frāci inuiis strati paludibus, testes Germani & Alemanni longè à Rheni submoti litoribus. Iam verò quid Sarmatas loquar, quid Gotthos, quid Parthos, ac Persas, atque omnem Ponticū tractum? vbique vigent Probi virtutis insignia. Lōgum est dicere quot reges magnarum gentium fugauerit, quot duces*
D *manu sua occiderit, quantum armorum sit quæ ipse cepit priuatus. Superiores principes, quas illi gratias egerint, testes sunt literæ publicis insertæ monumentis. Dij boni quoties ille donis militaribus est donatus? quas militum laudes emeruit? Adolescens tribunatum, nō longè post adolescentiam, regendas legiones accepit. Iupiter* OPT. MAX. *Iuno regina, túque virtutum præsul Minerua, tu orbis Concordia, & tu Romana Victoria, date hoc senatui* P. Q. R. *date mi-*

litibus, date sociis, atque exteris nationibus. Imperet quemadmodũ militauit. Decerno igitur P.C. *votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum, addo proconsulare imperium, patris patriæ reuerentiam, pontificatum maximum, ius tertiæ relationis, tribunitiam potestatem.* Post hęc acclamatum est, *Omnes, Omnes.* Accepto igitur hoc S.C. secũdum orationem permisit patribus vt ex magnorum iudicũ appellationibus ipsi cognoscerent, proconsules crearent, legatos consulibus darent, ius prætorium præsidibus darent: leges quas Probus ederet, senatuscõsultis propriis consecrarẽt. Statim deinde, siqui de interfectoribus Aureliani superfuerant, vario genere vindicauit. Mollius tamen moderatiúsque quam prius exercitus & postea Tacitus vindicauerant. Deinde animaduertit etiam in eos qui Tacito insidias fecerãt. Floriani sociis pepercit, quòd non tyrannum aliquẽ videbantur sequuti, sed sui principis fratrẽ. Recepit deinde omnes Europenses exercitus, qui Florianum & imperatorem fecerant & occiderant. His gestis, cum ingenti exercitu Gallias petit: quę omnes, occiso Posthumio, turbatę fuerãt, interfecto Aureliano, à Germanis possessæ. tanta autem illic prælia feliciter gessit, vt à Barbaris sexaginta per Gallias, nobilissimas reciperet ciuitates: prædam deinde omnem, qua illi præter diuitias etiam efferebantur ad gloriam. Et quum iam in nostra ripa, imò per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis propè quadringẽtis millibus qui Romanũ occupauerant solum, reliquias vltra Nicrum fluuiũ & Albam remouit, tantum his prædæ Barbaricæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant: contrà vrbes Romanas & castra in solo Barbarico posuit, atque illic milites collocauit: Agros, & horrea, & domos, & annonam Transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet quos in excubiis collocauit: nec cessatum est vnquam pugnari, quum quotidie ad eum Barbarorum capita deferrentur, iam ad singulos aureos singula, quandiu reguli nouem ex diuersis gentibus venirent, atque ad pedes Probi iacerent: quibus ille primùm obsides imperauit, qui statim dati sunt: deinde frumentum, postremò etiam vaccas atq; oues. Dicitur iussisse his

A acrius, vt gladiis nõ vterentur, Romanam expectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed visum est id non posse fieri, nisi si limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota prouincia. Maximè tamen, ipsis regibus consentientibus, in eos vindicatum est qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepit præterea sedecim millia tyronum, quos omnes per diuersas prouincias sparsit ita vt numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos intersereret, dicens sentiendum esse non videndum quum auxiliaribus Barbaris Romanus iuuatur. Compo-B sitis igitur rebus in Gallia, tales ad senatum literas dedit, *Ago diis immortalibus gratias P.C. quia vestra in me iudicia comprobarunt. Subacta est omnis quà tenditur latè Germania: nouem reges gentium diuersarum ad meos pedes, imò ad vestros, supplices stratique iacuerunt. Omnes iam Barbari vobis arant, vobis iam seruunt, & cõtra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam & quadringenta millia hostium cæsa sunt & sedecim millia armatorũ nobis oblata, & septuaginta vrbes nobilißimæ captiuitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates au-*C *reas, vestræ P.C. clementiæ dedicaui. Et has Ioui* OPT. MAX. *cæterísque diis deabúsque immortalibus vestris manibus consecrate. Præda omnis recepta est, capta etiam alia & quidem maior quàm fuerat antè direpta. Arantur Gallicana rura Barbaris bobus, & iuga Germanica captiua præbent nostris colla cultoribus: pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diuersarum: equinum pecus nostro iam fœcundatur equitatui: frumẽto barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus sola, nos eorum omnia poßidemus. Volueramus P.C. Germaniæ nouum præsidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus. Quod quidem credimus conferre, quum* D *diuina prouidentia nostros vberius fœcundarit exercitus.* Posthæc Illyricum petiit: & prius quàm veniret, Rhetias sic pacatas reliquit vt illic ne suspicionem quidẽ vllius terroris relinqueret. In Illyrico Sarmatas cæterásque gentes ita contudit, vt propè sine bello cũcta reciperet quæ illi diripuerãt. Tetendit deinde iter per Thracias, atque omnes Geticos populos fama rerum territos, & antiqui nominis potentia

pressos,

pressos, aut in deditionẽ aut in amicitiam recepit. His gestis Orientem petiit, atque in itinere potentissimo quodam latrone Palfurio capto & interfecto, omnem Isauriam liberauit: populis atque vrbibus Romanis legibus restitutis. Barbarorum qui apud Isauros sunt, vel per terrorem vel per voluntatem, loca ingressus est: quæ quum peragrasset, hoc dixit, *Facilius est ab istis locis latrones arceri quàm tolli.* veteranis omnia illa quæ angustè adeũtur loca priuata donauit, addens vt eorum filij ab anno octauodecimo mares duntaxat ad militiã mitterentur, ne antè latrocinari quàm militare discerent. Pacatis denique omnibus Pamphyliæ B partibus, cæterarúmque prouinciarum quæ sunt Isauriæ vicinæ, ad Orientem iter flexit. Blemyas etiam subegit, quorum captiuos Romam transmisit, qui mirabilem sui visum, stupente pop. Rom. præbuerunt. Copton præterea & Ptolemaidem vrbes, ereptas Barbarico seruitio, Romano addidit iuri. Ex quo tantum profecit vt Parthi legatos ad eum mitterent, confitentes timorem pacémque poscẽtes: quos ille superbius acceptos, magis timẽtes domum remisit. Fertur etiã epistola illius, repudiatis donis quæ rex Parthorum miserat, ad Narseum talis fuisse, *Miror te de omnibus* C *quæ nostra futura sunt, tã pauca misisse. Habeto interim omnia illa quibus gaudes: quæ si nos habere cupiamus, scimus quemadmodum poßidere debeamus.* His acceptis literis Narseus maximè territus, & eo pręcipuè quòd Copton & Ptolemaidem cõperit à Blemyis qui eas tenuerant vindicatas, cæsósq; ad internecionem eos qui gentibus fuerant antè terrori. Facta igitur pace cum Persis, ad Thracias rediit, & cẽtum millia Bastarnarum in solo Rom. constituit, qui omnes fidẽ seruauerunt. Sed quum & ex aliis gentibus plerosque pariter transtulisset, id est, ex Gepidis, Gautunnis, & Vandalis, illi D omnes fidem fregerunt, & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum penè orbem pedibus & nauigando vagati sunt, nec parũ molestiæ Rom. gloriæ intulerunt. quos quidem ille diuersis vicibus, variísque victoriis oppressit, paucis cum gloria domũ redeuntibus, quòd Probi euasissent manus. Hæc Probus cum Barbaris gessit. Sed habuit

A etiam non leues tyrãnicos motus. Nam & SATVRNINVM, qui Oriẽtis imperium arripuerat, variis præliorum generibus & nota virtute superauit. Quo victo, tanta in Oriente quies fuit, vt (quemadmodum vulgò loquebantur) mures rebelles nullus audiret. Deinde quum PROCVLVS & BONOSVS apud Agrippinam in Gallia imperium arripuissent, omnésque sibi Britannias, Hispanias, & braccatæ Galliæ prouincias vindicarẽt, Barbaris semet iuuantibus, vicit. Ac ne requiras plura vel de Saturnino, vel de Proculo, vel de Bonoso, suo eosdem inserã libro, pauca de iisdẽ, vt decet,
B imò vt poscit necessitas, loquuturus. Vnum sanè sciendum est quòd Germani omnes, quum ad auxiliũ essent rogati à Proculo, Probo potius perseruire maluerunt quàm cũ Bonoso & Proculo esse. Gallis omnibus & Hispanis ac Britãnis hinc permisit vt vites haberent vinûmque conficerẽt. Ipse Almam montẽ in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum, lecta vite conseuit. Dedit Rom. etiam voluptates, & quidem insignes: delatis etiam cõgiariis. Triumphauit de Germanis & Blemyis: omnium gẽtium drungos vsque ad quinquagenos homines ante triumphũ duxit. Ve-
C nationem in Circo amplissimã dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsę connexis latè longéq; trabibus affixę sunt, terra deinde superiecta, totúsque Circus ad syluæ consitus speciem, gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus strutiones mille, mille cerui, mille apri, mille damę, ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in Amphitheatro vna missione centũ iubatos leo-
C nes, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interempti sunt, nõ magnum præbentes spectaculũ quum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt pręterea multi qui diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum leænæ, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnũ ma-

gis constat spectaculum fuisse quàm gratum. Edita prætere- A
ea gladiatorum paria trecenta, Blemyis plerisque pugnã-
tibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis
& Sarmatis, nõnullis etiã latronibus Isauris. Quibus per-
actis, bellum Persicum parans, quum per Illyricum iter fa-
ceret, à militibus suis per insidias interemptus est. Causæ
occidendi eius hæ fuere. Primùm: quòd nunquam militẽ
otiosum esse perpessus est. Siquidem multa opera militari
manu perfecit; dicens *annonam gratuitam militem comedere
non debere*. His addidit dictũ eius graue, Si vnquam eueniat
salutare, Reip. breui milites necessarios non futuros. Quid B
ille conceperat animo qui hoc dicebat, nonne omnes bar-
baras nationes subiecerat pedibus? quia totũ mundum fe-
cerat iam Romanum: *Breui* (inquit) *milites necessarios non ha-
bebimus*. Quid est aliud dicere? Romanus iã miles erit nul-
lus, vbique regnabit, omnia possidebimus, secura Resp. or-
bis terrarum non arma fabricabit, nõ annonam præbebit:
vobis habebuntur aratra, equus nascetur ad pacem, nulla
erunt bella, nulla captiuitas. vbiq; pax, vbique Rom. leges,
vbique iudices nostri. Lõgius amore imperatoris optimi
progredior quàm pedestris sermo desiderat. Quare addam C
illud quod præcipuè tanto viro fatalẽ properauit necessi-
tatem. Nam quum Sirmium venisset, ac solum patriũ effœ-
cundari cuperet & dilatari, ad siccandã quãdam paludem
multa simul millia militum posuit, ingentem parans fossã,
qua, deiectis in altum nauibus, loca Sirmiensibus profu-
tura siccaret. permoti milites cõfugientem eum in turrem
ferratam, quam ipse speculæ causa editissimam exædifica-
uerat, interemerunt anno imperij sui quinto. Postea tamẽ
ingẽs ei sepulcrum elatis aggeribus, omnes pariter milites D
fecerũt cum titulo huiusmodi inciso marmori, HIC PRO-
BVS IMPERATOR, ET VERE PROBVS SI-
TVS EST, VICTOR OMNIVM GENTIVM
BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.
Cõferens ego cum aliis imperatoribus principem Probũ,
omnibus propè Romanis ducibus, qui fortes, qui clemẽ-
tes, qui prudentes, qui mirabiles extiterunt, intelligo hunc

A virum parẽ fuiſſe, aut, ſi non repugnat inuidia furioſa, meliorem. Quinquennio enim imperij ſui per totum orbem terrarum tot bella geſſit, & quidem per ſe, vt mirabile ſit quemadmodum omnibus occurrerit præliis. Multa manu ſua fecit, duces præclariſſimos inſtituit. Nam ex eius diſciplina Carus, Diocletianus, Conſtantius, Aſclepiodorus, Annibalianus, Leonides, Cecropius, Piſonianus, Herennianus, Gaudioſus, Vrſinianus, Herculius, Maximianus, & cæteri, quos patres noſtri mirati ſunt, & de quibus nõnulli boni principes extiterunt, inſtituti ſunt. Conferat, nũc, cui B placet viginti Traiani Adrianíque annos, conferat propè totidem Antoninorũ. Nam quid de Auguſto loquar? cuius imperij anni vix poſſunt credi. Malos autem principes taceo: ipſa vox Probi clariſſima indicat quid ſe facere potuiſſe ſperaret qui dixit, *Breui neceſſarios milites non futuros.* Ille verò conſcius ſui, non Barbaros timuit, nõ tyrannos. Quæ deinde felicitas emicuiſſet, ſi ſub illo principe milites non fuiſſent? Annonam prouincialibus daret nullus, ſtipendia de largitionibus nulla erogarentur, æternos theſauros haberet Romana Reſp. Nihil expenderetur a principe, nihil C à poſſeſſore redderetur: aureum profectò ſeculum promittebat. Nulla futura erant caſtra, nuſquam lituus audiendus, arma non erant fabricanda: populus iſte militantium, qui nunc bellis ciuilibus Remp. vexat, pacis ſtudiis incũberet, erudiretur artibus, nauigaret. adde quòd nullus occideretur in bello. Dij boni quid tantũ vos offendit. Rom. Reſp. cui talem principem ſuſtuliſtis? Eant nunc qui ad ciuilia bella milites parant, in Germanorũ necẽ, arment dexteras fratrum, horrentur in patrum vulnera liberos, & dignitatẽ Probo derogent, quam imperatores noſtri prudenter & D conſecrandam vultibus, & ornandam templis, & celebrãdam ludis circenſibus iudicarunt. Poſteri Probi vel odio inuidiæ, vel timore, Romanam rem fugerunt: & in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium, atque in his regionibus, larem locauerunt. Sanè, quod præterire non potui, quũ imago Probi in Veronenſi ita fulmine icta eſſet vt eius prætexta colores mutaret, aruſpices reſponderunt,

huius familiæ poſteros tantæ in ſenatu claritudinis forè vt A
omnes ſummis honoribus fungerentur. Sed adhuc nemi-
nem vidimus: poſteri autem videntur æternitatem habere.
Senatus mortem Probi grauiſſimè accepit, æquè populus.
Et quum eſſet nuntiatum, Carum imperare, virum bonum
quidem, ſed longè à moribus Probi, cauſa filij eius Carini
qui ſemper peſſimè vixerat, tam ſenatus quàm populus in-
horruit. Metuebant enim vnuſquiſque triſtiorem princi-
pem, ſed magis improbum metuebant hæredem. Hæc ſunt
quæ de Probo cognouimus, vel quæ digna memoratu exi-
ſtimauimus. Nunc in alio libro, & quidẽ breui, de Firmo, B
& Saturnino, & Bonoſo, & Proculo dicemus. Non enim
dignum fuit vt quadrigæ tyrannorũ bono principi miſce-
rentur. Pòſt deinde, ſi vita ſuppetit, Carum incipiemus
propagare cum liberis.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

FIRMVS, SATVRNINVS Proculus & Bonoſus. C

MINVSCVLOS tyrannos ſcio pleroſque
tacuiſſe, aut breuiter præteriſſe. Nam &
Suetonius Tranquillus, emendatiſſimus
& candidiſſimus ſcriptor, Antonium &
Vindicem tacuit, cõtentus eo quòd eos
curſim perſtrinxerat: & Marius Maximus,
qui Auidium Marci temporibus, Albi-
num & Nigrum Seueri, non ſuis propriis libris, ſed alienis
innexuit. Et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit D
amare breuitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium
verboſiſsimus, qui & mythiſtoricis ſe voluminibus impli-
cauit, non ad iſtam deſcriptionem curámque deſcendit?
At contrà Trebellius Pollio ea fuit diligentia, eáque cura
in edendis bonis maliſque principibus, vt etiam triginta ty-
rannos vno breuiter libro concluderet, qui Valeriani &

A Gallieni, nec multo ſuperiorum aut inferiorum fuere principum temporibus. Quare nobis etiam non minima fuit cura vt dictis Aureliano, Tacito & Floriano, Probo etiam magno ac ſingulari principe, quum dicendi eſſent Carus, Carinus, & Numerianus, de Saturnino, Bonoſo, Proculo, & Firmo, qui ſub Aureliano fuerant, non taceremus. Scis enim, mi Baſſe, quanta nobis cõtentio proximè fuerit cum amatore hiſtoriarum M. Fonteio, quum ille diceret FIRMVM qui Aureliani temporibus Ægyptum occupauerat, latrunculum fuiſſe non principem: contrà ego mecúmque B Rufus Celſus, & Ceionius Iulianus, & Fabius Soſianus contenderent, dicentes illum & purpura vſum, & percuſſa moneta AVGVSTVM eſſe vocitatũ. quinetiam nummos eius Seuerus Archontius protulit: de Græcis autem Ægyptiíſque libris conuicit, illum ΑΥΤΟΚΡΆΤΟΡΑ in edictis ſuis eſſe vocitatum. Et illi quidem aduerſum nos contendenti hæc ſola ratio fuit quòd dicebat Aurelianũ in edicto ſuo non ſcripſiſſe quòd tyrannum occidiſſet, ſed quòd latrunculum quendam à Rep. remouiſſet: perinde quaſi dignè tanti princeps nominis debuerit tyrannum appellare C hominem tenebrarium, aut non ſemper *latrones* vocitauerint magni principes eos quos inuadentes purpuras necauerũt. Ipſe ego in Aureliani vita prius quã de Firmo cuncta cognoſcerem, Firmum non inter purpuratos habui, ſed quaſi quendam latronem: quod idcirco dixi, nequis me oblitum exiſtimaret mei. Sed ne volumini, quod breuiſſimum promiſi, multa connectam, veniamus ad Firmum. FIRMO patria Seleucia fuit: tametſi plerique Græcorum alteram tradunt, ignari eo tempore ipſo tres fuiſſe Firmos, quorum vnus prefectus Ægypti, alter dux limitis Africani, D idémque proconſul, tertius iſte Zenobiæ amicus ac ſocius: qui Alexandriam Ægyptiorum incitatus furore peruaſit, & quem Aurelianus ſolita virtutum ſuarum felicitate contriuit. De huius diuitiis multa dicũtur. Nam & vitreis quadraturis bitumine aliíſque medicamentis inſertis domum induxiſſe perhibetur: & tantum habuiſſe de chartis vt publicè ſæpe diceret, exercitum ſe alere poſſe papyro & glu-

tino. Idem & cum Blemyis ſocietatem maximam tenuit, & A
cum Saracenis naues quoque ad Indos negotiatorias ſæpe
miſit. ipſe quoque dicitur habuiſſe duos dentes elephanti,
pedum denum, è quibus Aurelianus ipſe ſellam cōſtituerat
facere, additis aliis duobus, in qua Iupiter aureus & gem-
matus ſederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis,
Apenninis ſortibus additis: quē appellari voluerat IOVEM
CONSVLEM vel CONSVLENTEM. Sed eoſdem dentes
poſtea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex
iis feciſſe narratur. Et quia nunc ſcitur, & ſciri apud poſte-
ros nihil proderit, taceo. Ita donum Indicum Ioui OPT. B
MAX. conſecratum, per deterrimum principem & miniſte-
rium libidinis factum videtur & pretium. Fuit tamen Fir-
mus ſtatura ingenti, oculis foris eminētibus, capillo criſpo,
frōte vulnerata, vultu nigriore, reliqua parte corporis can-
didus, ſed piloſus atque hiſpidus, ita vt eum plerique *Cy-
clopem* vocarent. Carne multa veſcebatur, ſtruthionem ad
diem comediſſe fertur. Vini non multum bibit, aquæ plu-
rimum, mente firmiſſimus, neruis robuſtiſſimus ita vt tria-
rium vinceret, cuius Varro Ælius meminit. Nam & incu-
dem ſuperpoſitā pectori conſtanter aliis tundentibus per- C
tulit, quum ipſe recliuus ac reſupinus & curuatus in manus
penderet potius quàm iaceret. Fuit tamen ei contentio
cum Aureliani ducibus ad bibendum, ſiquando eum ten-
tare voluiſſet. Nam quidam Burburus nomine, de numero
vexillariorū notiſſimus potator, quum ad bibendū eūdem
prouocaſſet, ſitulas duas plenas mero duxit: & toto poſtea
conuiuio ſobrius fuit. Et quum ei Burburus diceret, *Quare
non fæces bibiſti?* reſpondit ille, *Stulte, terra non bibitur.* Leuia
perſequimur, quum maiora dicenda ſint. Hic ergo contra
Aurelianum ſumpſit imperium ad defendendas partes quę D
ſupererant Zenobiæ. Sed Aureliano de Carris redeunte
ſuperatus eſt. Multi dicunt laqueo vitam eum finiſſe: aliud
edictis ſuis oſtendit Aurelianus. namque quum eum vi-
ciſſet, tale dictum Romæ proponi iuſſit. *Amantiſſimo ſui
pop. Rom. Aurelianus Auguſtus S. D. Pacato vndique gen-
tium toto quà patet orbe terrarum, Firmum etiam latronem*

A *Ægyptium, barbaricis motibus æstuantem, & fœminei propudij reliquias colligentem, ne plurimum loquar, fugauimus, obsedimus, cruciauimus, & occidimus. Nihil est, Romulei Quirites, quod timere poßitis. Canon Ægypti, qui suspensus per latronem improbum fuerat, integer veniret si vobis esset cum senatu concordia, cum equestri ordine amicitia, cum prætorianis affectio. Ego efficiam ne sit aliqua solicitudo Romana. Vacate ludis, vacate circensibus. Nos publicæ neceßitates teneant: vos occupent voluptates. Quare sanctißimi Quirites.* & reliqua. Hæc nos de Firmo cognouisse scire debuisti, sed digna memoratu. Nam ea quæ de B illo Aurelianus Festiuus libertus Aureliani sigillatim retulit, si vis cognoscere, eundem oportet legas, maximè quum dicat Firmum eundem inter crocodilos vnctum, crocodilorum adipibus natasse, & elephantum rexisse, & hippopotamos edisse, & sedentem ingẽtibus struthionibus vectum esse, & quasi volitasse. Sed hæc scire quid prodest? quum & Liuius & Sallustius taceant res leues de iis quorum vitas scribendas arripuerint. nõ enim scimus quales mulos Clodius habuerit, aut mulas T. Annius Milo, aut vtrum Tusco equo sederit Catilina an Sardo, vel quali chlamyde Pom- C peius vsus fuerit, an purpura. Quare finem de Firmo faciemus, venientes ad Saturninum, qui contra Probum imperium sibimet in Orientis partibus vindicauit.

SATVRNINVS.

SAturninus oriundus fuit Gallis ex gente hominum inquietißima, & auida semper vel faciendi principis vel imperij. Huic inter cæteros duces, qui verè summus videretur, Aurelianus limitis orientalis ducatum dedit, sapien- D ter præcipiens ne vnquam Ægyptum videret. Cogitabat enim, quantum videmus, vir prudentißimus, Gallorũ naturam, & verebatur ne si perturbidam ciuitatem vidisset, quò eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur. Sunt enim Ægyptij (vt satis nosti) viri ventosi, furibundi, iactantes, iniuriosi, atque adeò vani, liberi, nouarum rerũ vsque ad cantilenas publicas cupientes, versifica-

ficatores, epigrammatarij, mathematici, aruspices, medici. A
nam & Christiani, Samaritæ, & quibus præsentia semper tempora cum enormi libertate displiceant. Ac nequis mihi Ægyptiorum irascatur, & meum esse credat quod in literas retuli, Adriani epistolam ex libris Phlegontis liberti eius proditam, ex qua penitus Ægyptiorum vita detegitur, indidi. *Adrianus Aug. Seruiano* COS. *S. Ægyptum quam mihi laudabas, Seruiane charissime, totam didici, leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chri-* B
stianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha quum Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. Genus hominum seditiosissimũ, vanissimum, iniuriosissimum: ciuitas opulenta, diues, fœcunda, in qua nemo viuat otiosus. Alij vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: omnes certè lymphiones cuiuscunque artis & videntur & habentur. Podagrosi quod agant habent, cæci quod agant habent, cæci quod faciant: ne chiragrici quidem apud eos otiosi viuunt. Vnus illis deus est. hunc Christiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes: & vtinam melius esset morata ciuitas, digna pro- C
fectò sui profunditate, quæ pro sui magnitudine totius Ægypti teneat principatum. Huic ego cuncta concessi, vetera priuilegia reddidi, noua sic addidi vt præsenti gratias ageret. denique vt primùm inde discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino quæ dixerunt, comperisse te credo. nihil illis opto nisi vt suis pullis alantur, quos quemadmodum fœcundant, pudet dicere. Calices tibi allassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conuiuiis adhibeas. Caueas tamen ne his Africanus noster indulgenter vtatur. Hæc ergo cogitans de Ægyptiis Aure- D
lianus iusserat ne Saturninus Ægyptum videret: & mente quidem diuina. Nam vt primùm Ægyptij magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamauerunt, *Saturnine Auguste, dij te seruent*: & ille quidem, quod negari non potest, vir sapiens, de Alexandrina ciuitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit. Ibi tamen quum cogitare cœpisset,

A tutum sibi non esse si priuatus viueret, deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade vxoria militibus circunstantibus amictus, & adoratus est. Auum meum sæpe dicentem audiui se interfuisse quum ille adoraretur. Flebat (inquit) & dicebat, *Necessarium (si non arroganter dicam) Resp. virum perdidit. Ego certè instauraui Gallias, ego à Mauris possessam Africam reddidi. Ego Hispanias pacaui. Sed quid prodest? omnia hæc affectatò semel honore perierunt.* Et quum eum animarent, vel ad vitam, vel ad imperium, qui induerũt purpuram, in hæc verba disseruit, *Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladij &*
B *tela nostris ceruicibus impendent, imminẽt hastæ vndique, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro autoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quòd omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam? inhabilis videtur: sin minus, inest furor. nam quòd imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.* M. Saluidienus hanc ipsius orationem verè fuisse dicit, & fuit re vera non parum literatus. Nam & in Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentauerat pergulas magistrales. Et ne
C longius progrediar, dicendum est quod præcipuè ad hunc pertinet. Errare quosdam scio, & putare hunc esse Saturninũ qui Gallieni temporibus imperium occupauit: quum hic longè alius fuerit, & Probo penè nolente sit occisus. Fertur autem Probus & clementes ad eum literas sæpe misisse & veniam esse pollicitum: sed milites qui cum eo fuerant, non credidisse. Obsessum denique in castro quodam ab iis quos Probus miserat, inuito Probo esse iugulatum. Longum est friuola quæque cõnectere, & odiosum dicere quali statura fuerit, quo corpore, quo decore, quid biberit,
D quid comederit, ab aliis ista dicantur quæ propè ad exemplum nihil prosunt. Nos ad ea quæ sunt dicenda, redeamus.

PROCVLVS.

PRoculo patria Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis: domi nobilis, sed maioribus latrocinantibus,

atque adeo pecore ac seruis & iis rebus quas abduxerat, satis diues. Fertur denique eo tempore quo sumpsit imperiũ duo millia seruorum suorum armasse. Huic vxor virago, quę illũ in hanc præcipitauit dementiam, nominẽ Sampso, quod ei postea inditum est: nam antea Viturgia nominata est. Filius Herennianus, quem & ipsum, quinquennium si impleβet, (ita enim loquebatur) dicasset imperio. Homo, quòd negari non potest, optimus, idémque fortissimus: ipse quoque latrociniis assuetus, qui tamen armatam semper egerit vitam. Nam & multis legionibus tribunus præfuit, & fortia edidit facta: & quoniam minima quæque iucunda sunt, atque habent aliquid gratiæ quum leguntur, tacendũ non est, quod & ipse gloriatur in quadam sua epistola, quam ipsam melius est ponere quàm de ea plurimum dicere. *Proculus Metiano affini* S. D. *Centum ex Sarmatia virgines cepi. Ex his vna nocte decem iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra dies* XV *reddidi.* Gloriatur (vt vides) rem ineptam, & satis libidinosam: atque inter fortes se haberi credit si criminum densitate coalescat. Hic tamen quum etiam post honores militares se improbè & libidinosè, tamen fortiter ageret, hortantibus Lugdunensibus, qui & ab Aureliano grauiter contusi videbantur, & Probum vehementissimè pertimescebãt, in imperium vocitatus est ludo penè & ioco, vt Onesimus dicit: quod quidem apud nullũ alium reperisse me scio. Nam quum in quodam cõuiuio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies imperator exisset, quidam nõ ignobilis scurra, *Aue* (inquit) *Auguste.* Allatáq; lana purpurea, humeris eius iunxit, eúmq; adorauit: timor inde consciorum, atque inde iam exercitus tentatio & imperij. Non nihilum tamẽ Gallis profuit. Nam Alemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine glorię splendore contriuit, nunquam aliter quàm latrocinandi pugnãs modo. Hunc tamen Probus fugatum vsque ad vltimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, à quibus originem se trahere ipse dicebat, ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit & interemit. Posteri eius etiam nunc apud Albingaunos agunt,

A qui ioco ſolent dicere ſibi nō placere eſſe vel principes vel latrones. Hæc digna memoratu de Proculo didiciſſe memini. Veniamus ad Bonoſum, de quo multo minora condidi.

BONOSVS.

BOnoſus homo Hiſpanienſis fuit, origine Britannus: Galla tamen matre (vt ipſe dicebat) rhetoris filius: vt ab aliis comperi, pædagogi literarij. paruulus patrem amiſit, atque à matre fortiſſima educatus, literarum nihil didi-
B cit. Militauit primùm inter ordinarios, deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit, dux limitis Rhetici fuit: bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus ſæpe dicebat, *Non vt viuat natus eſt, ſed vt bibat.* quem quidem diu in honore habuit cauſa militiæ. Nam ſiquando legati Barbarorum vndecunque gentium veniſſent, ipſis propinabat, vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognoſceret. Ipſe quantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius: &, vt Oneſimus dicit ſcriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabi-
C lem, vt quãtum bibiſſet, tantum mingeret: neque vnquam aut eius pectus, aut venter, aut veſica grauaretur. Hic idem quum quodam tempore in Rheno Romanas luxurias Germani incendiſſent, timore ne pœnas daret, ſumpſit imperium: ídque diutius tenuit quàm rebatur. Nam longo grauíque certamine à Probo ſuperatus, laqueo vitam finiuit. Tunc quidem iocus extitit, *Amphoram pendere, nō hominem.* Filios duos reliquit, quibus ambobus Probus pepercit, vxore quoque eius in honore habita, & vſque ad mortem ſalario præſtito. Fuiſſe enim dicitur (vt & auus meus dice-
D bat) fœmina ſingularis exempli, & familiæ nobilis gentis Gotthicæ: quam illi Aurelianus vxorem idcirco dederat vt per eum à Gotthis cũcta cognoſceret. Erat enim illa virgo regalis. Extant literæ ad legatũ Thraciarum ſcriptæ, de iis nuptiis & donis quæ Aurelianus Bonoſo dari nuptiarũ cauſa iuſſit, quas ego inſerui: *Aurelianus Auguſtus Gallonio Auito ſalutẽ. Superioribus literis ſcripſerã, vt optimates Gotthicas*

apud Perinthum collocares, decretis salariis, non vt singulæ acciperent, sed vt septem simul vnum conuiuium haberent. Quum enim diuisæ accipiunt, & illæ parum sumũt, & Resp. plurimum perdit. Nunc tamen quoniam placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei iuxta breue infrà scriptum omnia quæ præcipimus: sumptu etiam publico nuptias celebrabis. Breuis numerus fuit: Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas: tunicam auro clauatam subsericam librilem vnam, interulas dilores duas, & reliqua quæ matronæ conueniunt. Ipsi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris H-S *decies.* Hæc me legisse teneo de Bonoso, & potui quidem horum vitam præterire, quos nemo quærebat. B Attamen, ne quid fidei deesset, etiam de iis quæ didiceram intimanda curaui. Supersunt mihi Carus, Carinus, & Numerianus: nam Diocletianus & qui sequuntur, maiore stylo dicendi sunt.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII CARVS.

C

FATO remp. regi, eámque nunc ad summum euehi, nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit. Nam quum ducta per tempora variis vel erecta motibus, vel afflicta, nunc tempestate aliqua, nunc felicitate variata, omnia propè passa esset quæ patitur in homine vno mortalitas, videbatur post diuersitatem malorum iam secura continuata felicitatis mensura, post Aurelianum vehementem principem Probo ex sententia senatus & populi, leges & gubernacula tē- D perante. Sed ruina ingens vel naufragij modo vel incendij accensis fataliter militibus, sublato è medio tali principe, in eam desperationem votum publicum redegit vt timerent omnes Domitianos, Vitellios, & Nerones. Plus enim timetur de incertis moribus principis, maxime in ea Repub. quæ recentibus confossa vulneribus, Valeriani

A captiuitatem, Gallieni luxuriam, xxx etiam prope tyrannorum cæsa ciuilium membra sibimet vindicantium perpessa mœruerit. Nā si volumus ab ortu vrbis repetere quas varietates sit passa Rom Resp. inueniemus nullam magis vel bonis floruisse vel malis laborasse. Et vt à Romulo incipiam vero patre ac parente Reip. quæ illius felicitas: qui fundauit, constituit, roborauítque Remp. atque vnus omnium conditorum perfectam vrbem reliquit: Quid deinde Numam loquar: qui frequentem bellis & grauidam triumphis ciuitatem religione muniuit? Venit igitur vsque B ad Tarquinij Superbi tempora nostra Resp. sed passa tempestatem de moribus regiis, non sine graui exitio semet vlta est. Adoleuit deinde vsque ad tempora Gallicani belli: sed quasi quodam mersa naufragio, capta præter arcem vrbe, plus penè mali sensit quàm tūc boni habuerat. Reddidit se deinde in integrum, sed eousque grauata est Punicis bellis ac terrore Pyrrhi, vt mortalitatis mala pręcordiorum timore sentiret. Creuit deinde victa Carthagine, trans maria missis imperiis: sed socialibus affecta discordiis, extenuato felicitatis sensu vsque ad Augustum bellis ciuili-C bus confecta consenuit: per Augustum deinde reparata: si reparata dici potest, libertate deposita. Tamen vtcunque (etiamsi domi tristis fuit) apud exteras gentes effloruit: passa deinceps tot Nerones, per Vespasianum caput extulit. Nec omni Titi felicitate lætata, Domitiani vulnerata immanitate, per Neruam atque Traianū vsque ad Marcum solito melior, Commodi vecordia, & crudelitate lacerata est: nullum post hæc præter Seueri diligentiam vsque ad Alexādrum Mammææ sensit bonum. Longum est quæ sequuntur vniuersa connectere. Vti enim principe Vale-D riano non potuit, & Gallienū per quindecim annos passa est. Inuidit Claudio longinquitatem imperij, amans varietatum propè & semper inimica fortuna iustitiæ. Sic enim Aurelianus occisus est, & sic Tacitus absumptus, sic Probus cæsus, vt appareat nihil tam gratum esse fortunæ quàm vt ea quæ sunt in publicis actibus, euētuum varietate mutentur. Sed quorsum talibus querelis & temporum

casibus destinemur? veniamus ad Carum, medium (vt ita dixerim) virum, inter bonos magis quàm inter malos principes collocandum, & longè meliorem, si Carinum non reliquisset hæredem. Cari patria sic ambiguè à plerisque proditur vt præsumptè veritatem dicere nequeam quę illa vera sit. Onesimus enim, qui diligentissimè vitam Probi scripsit, dicit Romæ illum & natum & literis eruditum: sed Illyricianis parentibus fuisse contendit. Sed Fabius Cerilianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani solertissimè persequutus est, neque Romę, sed in Illyrico genitum, neque Pannonis, sed Pœnis parentibus asserit natum. In ephemeride quadam legisse memini Carum Mediolanensem fuisse, sed auo iuri Aquileiēsis ciuitatis insertum. Ipse, quod negari non potest, vt epistola eius indicat quàm proconsul ad legatum scripsit, quum eum ad bona hortaretur officia, Romanus vult videri. Epistola Cari: *Carus Manlius Aurelianus proconsul Ciliciæ, Iunio legato suo. Maiores nostri Romani illi principes in legatis creandis hac vsi sunt consuetudine, vt morum suorum specimen per eos ostenderent quibus Rempub. delegabant. Ego verò, si ita non esset, alıter non fecissem: feci aliter, si te iuuante non fallar. Fac igitur vt maioribus nostris, id est Romanis, nō discrepemus viris.* Vides quòd tota epistola maiores suos Romanos vult intelligi. Indicat & oratio eius ad senatum data istam generis prærogatiuam. Nam quumprimùm imperator esset creatus, sic ad senatorium ordinē scripsit inter cætera. *Gaudendum est itaque P. C. quòd vnus ex vestro ordine, vestri etiā generis imperator est factus. Quare adnitemini ne meliores peregrini quàm vestri esse videātur.* Hoc quoque loco satis clarum est illum voluisse intelligi se esse Romanum, id est Roma oriundū. Hic igitur per ciuiles & militares gradus, vt tituli statuarū eius indicāt, præfectus prætorij à Probo factus tantum sibi apud milites amoris locauit, vt interfecto Probo tāto principe, solus dignissimus videretur imperio. Non me præterit suspicatos esse plerosque, & eos in fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum, sed neque meritum Probi erga Carum, neque Cari mores id credi patiūtur: simul quia Probi mortem &

A acerrimè & constantissimè vindicauit. Quid autem de eo Probus senserit, indicant literæ de eius honoribus ad senatum datæ. *Probus Augustus amantißimo senatui suo salutẽ dicit,* Inter cætera: *Felix esset nostra Resp. si qualis Carus est, aut plerique vestrûm, plures haberem in actibus collocatos. Quare equestrem statuam viro morum veterum (si vobis placet) decernendam censeo: addito eo, vt publico sumptu, vel eidem exædificetur domus, marmoribus à me delatis. Decet enim nos talis integritatem remunerari viri.* & reliqua. Ac ne minima quæque cõnectam, & ea quæ apud alios poterunt inueniri, vbi primùm accepit

B imperium, consensu omnium militum bellum Persicum quod Probus parabat, aggressus est, liberis Cęsaribus nuncupatis: & ita quidem vt Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret: secum verò Numerianum adolescentem, cum lectissimum, tum etiam disertissimum, duceret. Et dicitur quidem sępe dixisse se miserum quòd Carinum ad Gallias principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani vt illi Gallicanum, quod maximè constantem principem quærit, crederetur imperium. Sed hæc aliâs.

C Nam extãt iam literæ Cari, quibus apud præfectum suum de Carini moribus queritur, vt appareat verum esse quod Onesimus dicit, habuisse in animo Carum vt Carino Cæsareum abrogaret imperium. Sed hæc (vt diximus) aliâs in vita Carini dicenda sunt. Nunc ad ordinem reuertamur. Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico quod gerebat, cõtra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam Carus cepit, & Ctesiphõtem vsque peruenit. Occupatísque Persis domestica seditionè, imperatoris Persici nomen meruit. Verùm quum auidus gloriæ, præfecto suo maximè iurgante

D qui & ipsius & filij eius quærebat exitium, pupiẽs imperare, longius progressus esset, vt alij dicunt morbo: vt plures, fulmine interemptus est. Negari non potest eo tempore quo periit tãtum fuisse subitò tonitruum vt multi terrore ipso exanimati esse dicãtur. Quum igitur ægrotaret atque in tentorio iaceret, ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori, vt diximus, tonitru, exanimatus est.

Iunius

Iunius Calphurnius qui ad memoriam dictabat: talem ad præfectum vrbis ſuper morte Cari epiſtolam dedit inter cætera: *Quum* (inquit) *Carus princeps noſter verè carus ægrotaret tanti turbinis ſubitò exorta tempeſtas eſt vt caligarent omnia, neque alter alterum noſceret: coruſcationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti ſideris continuata vibratio, omnibus nobis veritatis ſcientiam ſuſtulit. Subitò enim conclamatum eſt imperatorem mortuum, & poſt illud præcipuè tonitruum quod cuncta terruerat. His acceſſit quòd cubicularij dolentes principis mortem, incenderunt tentorium. Vnde fama emerſit fulmine interemptum eum quem, quantum ſcire poſſumus, ægritudine conſtat abſumptũ.* Hanc ego epiſtolam idcirco indidi quòd plerique dicunt vim fati quondam eſſe vt Rom. princeps Cteſiphontem tranſire non poſſit: ideóque Carum fulmine abſumptum quòd eos fines tranſgredi cuperet qui fataliter conſtituti ſunt. Sed ſibi habeat artes ſuas timiditas calcanda virtutibus. Licet planè ac licebit per ſacratiſſimum Cæſarem Maximianum Perſas vincere, atque vltra eos progredi: & futurum reor, ſi à noſtris non deſeratur promiſſus numinum fauor. Bonum principem Carum fuiſſe, cum multa indicant, tum illud etiam quòd ſtatim adeptus imperium, Sarmatas adeo morte Probi feroces vt inuaſuros ſe non ſolùm Illyricum, ſed Thracias quoque Italiámque minarentur: ita inter bella patiendo contulit vt pauciſſimis diebus Pannonias ſecuritate donauerit, occiſis Sarmatarum ſedecim millibus, captis diuerſi ſexus viginti millibus. Hęc de Caro ſatis eſſe credo. Veniamus ad Numerianum, cuius & vicinior patri, & admirabilior per ſocerum ſuum facta videtur hiſtoria. Et quanuis Carinus maior ætate fuerit, prior etiam Cæſar ſit nuncupatus, tamen neceſſe eſt vt prius de Numeriano loquamur, qui patris ſequutus eſt mortem: pòſt de Carino, quem vir Reip. neceſſarius, Auguſtus Diocletianus, habitis conflictibus interemit.

A
FLAVII VOPISCI SYRACVSII NVMERIANVS.

NVMERIANVS Cari filius, moratus egregiè & verè dignus imperio, eloquentia etiam præpollens, adeo vt publicè declamauerit, ferantúrque illius scripta nobilia, declamationi tamen quàm Tulliano accommodatiora stylo. Versu autem ta-
B lis fuisse prædicatur vt omnes poetas sui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, & ναυτικὰ, scripsit: quíq; omnibus coloniis illustratus emicuit & Aurelium Apollinarem amborum scriptorem, qui patris eius gesta in literas retulit, iisdem quæ recitauerat editis veluti radio solis obtexit. Huius oratio fertur ad senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, vt illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Vlpia, cui subscriptum est, NVMERIANO
C CÆSARI ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Hic patri comes fuit bello Persico: quo mortuo quum nimio fletu oculos dolere cœpisset, quòd illud ægritudinis genus nimia vtpote familiarissima; confectus angustia incurrisset: & dum lectica portaretur, factione Arrij Apri soceri sui, qui inuadere conabatur imperium, occisus est. Sed quum per plurimos dies de imperatoris salute quæreretur à milite, cócionaretúrque Aper, idcirco illum videri non posse quòd oculos inualidos à vento ac sole subtraheret, fœtore tamē cadaueris res esset prodita, omnes inuaserunt Aprum, cuius factio non latere
D potuit, eúmque ante signa & principia protraxere. Tunc habita est ingens concio, factum etiam tribunal. Et quum quæreretur quis vindex Numeriani iustissimus fieret, quis daret Reip. bonus princeps, DIOCLETIANVM omnes diuino consensu, cui multa iam signa facta dicebātur imperij, Augustum appellauerūt, domesticos tūc regentem, virum insignem, callidum, amantem Reip. amantem suorum, &

ad omnia quæ tempus quæſierat, paratum: conſilij ſemper alti, nonnunquam tamen effrontis, ſed prudētis, nimia peruicacia motus inquieti pectoris comprimentis. Hic quum tribunal conſcendiſſet, atque Auguſtus eſſet appellatus, & quæreretur quemadmodū Numerianus eſſet occiſus, educto gladio Aprum præfectum prætorij oſtentans percuſſit, addens verbis ſuis, *Hic eſt autor necis Numeriani*. Sic Aper ſeipſum fœdauit, & deformibus conſiliis agens dignum moribus ſuis exitum dedit. Auus meus retulit ſe interfuiſſe concioni quum Diocletiani manu eſſet Aper occiſus: percuſſiſſe autē dicebat Diocletianum, & dixiſſe, *Gloriare Aper, Æneæ magni dextra cadis*. Quid ego miror de homine militari, quanuis ſciam plurimos plus quàm militares vel Græcè vel Latinè, vel comicorum vſurpare dicta vel talium poetarum. Ipſi denique comici plerunque ſic milites inducunt, vt eos faciant vetera dicta vſurpare. Nam &, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris*, Liuij Andronici dictum eſt: multáque alia quæ Plautus Cæciliúſque poſuerūt. Curioſum non puto, neque ſatis vulgare, fabellam de Diocletiano Auguſto ponere hoc conuenientem loco, quæ illi data eſt ad omen imperij. Auus meus mihi retulit ab ipſo Diocletiano compertū. Quum (inquit) Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem conuictus ſui quotidiani faceret, at illa diceret, *Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es*, ioco non ſeriò Diocletianus reſpondiſſe fertur, *Tunc ero largus quum imperator fuero*. Poſt quod verbum Druias dixiſſe fertur, *Diocletiane iocari noli: nam imperator eris quum Aprum occideris*. Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperij cupiditatem, ídque Maximiano cōſcio atque auo meo, cuius hoc dictum à Druide ipſe retulerat. Denique vt erat altus, riſit & tacuit. Apros tamen in venationibus, vbi fuit facultas, manu ſua ſemper occidit. Denique quum Aurelianus Imperium accepiſſet, quum Probus, quum Tacitus, quum ipſe Carus, Diocletianus dixit, *Ego ſemper apros occido, ſed alter ſemper vtitur pulpamento*. Iā illud notū eſt, at-

A que vulgatum, quòd quum occidisset Aprum præfectum prætorij dixisse fertur, *Tandem Aprum fatalem occidi*. Ipsum Diocletianum idem auus meus dixisse dicebat, nullam aliã fuisse sibi causam occidendi manu sua Aprum, nisi vt impleret Druidis dictum, & suum firmaret imperium. Non enim tam crudelem se innotescere cuperet, primis maximè diebus imperij, nisi illum necessitas ad hanc atrocitatem occisionis attraheret. Dictum est de Caro, dictum etiam de Numeriano, superest nobis Carinus.

B

FLAVII VOPISCI SYRACVSII CARINVS.

CARINVS homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor iuuentutis (pudet dicere quod in literas Onesimus retulit) ipse quoque male vsus genio sexus sui. Hic quum Cæsar decretis sibi
C Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis & Africa, relictus à patre Cæsarianum teneret imperium, sed ea lege vt omnia faceret quę Augusti faciũt, enormibus se vitiis & ingenti fœditate maculauit. Amicos optimos quosque relegauit: pessimum quenque elegit aut tenuit: præfectum vrbi vnum ex cancellariis suis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici. Præfectum pretorij quem habebat, occidit: in eius locum Matronianum, veterem conciliatorem fecit. Vnum ex his notarium quem stuprorum & libidinum conscium semper atque ad-
D iutorem habuerat, inuito patre consulem fecit. Superbas ad senatum literas dedit. Vulgo vrbis Romæ quasi populo Rom. bona senatus promisit. Vxores ducendo ac reiiciendo nouem duxit, pulsis plerisq; prægnantibus. Mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus atq; lenonibus, Palatium impleuit. Fastidium subscribendi tantum habuit vt impurum quemdam cum quo semper meridie iocabatur,

ad subscribendum poneret, quem obiurgabat plerunque A
quòd bene suam imitaretur manum. Habuit gemmas in
calceis: nisi gemmata fibula vsus non est. Balteum etiam
sæpe gemmatum. Regem denique illum Illyrici plerique
vocitarunt. Præfectus nunquam COSS. obuiam processit.
Hominibus improbis plurimum detulit, eósque ad conuiuium
semper vocauit. Centũ libras auium, cẽtum piscium,
mille diuersæ carnis in conuiuio suo frequenter exhibuit.
Vini plurimum effudit. Inter poma & melones natauit.
Rosis Mediolanensibus & triclinia & cubicula strauit. Balneis
ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ suppositoriæ, fri- B
gidariis semper niualibus. Quum hyemis tempore ad quẽdam
locum venisset in quo fons erat aqua pertepida, vt solet
per hyemen naturaliter, eáque in piscina vsus esset, dixisse
balneatoribus fertur, *Aquam mihi muliebrem præparatis*:
atque hoc eius clarissimum dictum effertur. Audiebat pater
eius quæ ille faceret, & clamabat, *Non est meus*. Statuerat
denique Constantium (qui postea Cæsar est factus tunc
autem præsidatum Dalmatiæ administrabat) in locum eius
subrogare quòd nemo tunc vir melior videbatur: illum
verò (vt Onesimus dicit) occidere. Longum est si de eius C
luxuria plura velim dicere. Quicunque ostiatim cupit noscere,
legat etiam Fuluium Asprianum vsque ad tædium gestorum
eius vniuersa dicentem. Hic vbi patrem fulmine
absumptum, fratrem à socero interemptum, Diocletianum
Augustum appellatum comperit, maiora vitia & scelera
edidit, quasi iam liber à frenis domesticæ pietatis suorum
moribus absolutus. Nec ei tamen defuit ad vindicandum
sibimet imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianũ
multis præliis conflixit. Sed vltima pugna apud Murtium
commissa, victus occubuit. Hic trium principum finis fuit, D
Cari, Numeriani, & Carini: post quos Diocletianum &
Maximianum principes dij dederũt, iungentes talibus viris
Galerium atque Constantium: quorum alter natus est,
qui acceptam ignominiam Valeriani captiuitate deleret:
alter qui Gallias Romanis legibus redderet. Quatuor sanè
principes mundi, fortes, sapientes, benigni, & admodum li-

A berales, vnum in Republica ſentientes: præterea ſenatus Rom. moderati, populo amici, poteſtate graues, religioſi, & quales principes ſemper orauimus: quorum vitam ſingulis libris Claudius Euſthenius, qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit: quod idcirco dixi, nequis à me tantam rem quæreret, maximè quum vel viuorum principum vita non ſine reprehenſione dicatur. Memorabile maximè & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos ſpectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum ſtabuli pictos vidimus. Nam & neuro-
B baten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & Tichobaten, qui per parietem vrſo eluſo cucurrit: & vrſos mimum agentes: & item centum ſalpiſtas vno crepitu concinentes, & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos & gymnicos mille: pegma præterea, cuius flammis ſcena conflagrauit, quam Diocletianus poſtea magnificentiorem reddidit. Mimos præterea vndique aduocauit. Exhibuit & ludum Sarmaticum quo dulcius nihil eſt. Exhibuit Cyclopem adornatū. & Græcis artificibus & gymnicis, & hiſtrionibus & muſi-
C cis aurum & argentum donata, & veſtis ſerica. Sed hæc omnia neſcio quantum ad populum gratiæ habeant, nullius certè ſunt momenti apud principes bonos. Diocletiani denique dictum fertur, quū ei quidam largitionalis ſuus editionem Cari laudaret, dicens multum placuiſſe principes illos cauſa ludorum theatralium ludorúmque circenſium, *Ergo* (inquit) *bene riſus eſt imperio ſuo Carus.* Denique quum omnibus gentibus aduocatis Diocletianus daret ludos, parciſſimè vſus liberalitate, dicens, *caſtiores eſſe oportere ludos ſpectante cenſore.* Legat hunc locum Iunius Meſſala,
D quem ego liberè culpare audeo. Ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, hæredibus abnegauit: matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: & rectè ſi auiæ pallio aurato atque purpurato, pro ſyrmate tragœdus vteretur. Inſcriptum eſt adhuc in choraule pallio tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſalæ nomen & vxoris. Iam quid lineas petitas Ægypto loquar? quid Tyro &

Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi A
difficultate pernobiles? Donati ſunt ab Atrebaticis birri
petiti, donati birri Canuſini, Africanæ opes in ſcena non
prius viſæ. Et hæc quidem idcirco ego in literas retuli quò
futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia ſua, pro-
ſcriptis legitimis hæredibus, mimis & balatronibus depu-
tarent. Habe mi amice meum munus, quod ego (vt ſæpe
dixi) non eloquẽtiæ cauſa, ſed curioſitatis, in lumen edidi:
id præcipuè agens vt ſiquis eloquens vellet facta princi-
pum reſerare, materiam non requireret, habiturus meos li-
bellos miniſtros eloquij. Te quæſo ſis contentus, nóſque B
ſic voluiſſe ſcribere, meliúſque potuiſſe, contendas.

F I N I S.

RERVM ET VERBORVM IN HIS SEX SCRIPTORIBVS MEMORABILIVM INDEX.

Litera A.

B.

C.

Cælianus

D.

Dicta-

G.

H.

M.

O

P.

Q

R

T.

X.

Z.

FINIS.

ISAACI CASAVBONI

IN

Ælium Spartianum,
Iulium Capitolinum,
Ælium Lampridium,
Vulcatium Gallicanum,
Trebellium Pollionem, &
Flauium Vopiſcum.

EMENDATIONES
AC
NOTÆ.

PARISIIS,
Apud AMBROSIVM DROVART, ſub ſcuto
Solari via Iacobæa.

M. DCIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ISAACI CASAVBONI
IN ÆLII SPARTIANI HADRIANVM EMENDATIONES ET NOTÆ.

AELII SPARTIANI.] Liber manu exaratus qui in Chriſtianiſſimi Regis luculentiſſima bibliotheca ſeruatur, *Helius* ſemper non *Aelius* ſcribit. ſolenni librariorum errore, de quo mox dicemus. Princeps editio Veneta anni CIↃCCCCLXXXX. recte *Aelius*. Fuerunt iſti ſex temporum Cæſareorum ſcriptores ætate propemodum æquales: quod ſolùm videtur illi Critici ſpectaſſe, qui ante multa ſecula ex omnibus Latinis hiſtoriæ Auguſtæ conditoribus, (ferme quinquaginta poſſumus nominare: quos hodie omnes maximo rei literariæ damno deſideramus:) hos potiſſimum ſex elegerunt, vnde iſtud nobis corpus πολύμορφον concinnarent. Omnes imperante Diocletiano, aut Conſtantio qui ei ſucceſſit, vel certe filio eius Conſtantino vixerunt. Spartianum verò Diocletiani amicitia valde familiariter eſſe vſum, aut fortaſſe etiã libertum fuiſſe ipſius, coniecturam faciebamus ex iſtis verbis initio præfationis in vitam Aelij Veri, *Diocletiano Auguſto Aelius Spartianus ſuus.* videtur enim adiectione inſolentis vocis *ſuus* eiuſmodi aliquid ſignificari: vt cum exempli gratia, Dio Caſſius Heliodorum epiſtolarum Hadriani magiſtrum τὸν αὐτοῦ ἴδιον *ſuum illius* nominat. Offendi annotatum à ſuperioris memoriȩ viro docto, contentos volumine iſto auctores, non ſex, verum quinque tantum eſſe: vnius quippe hominis eſſe nomina, *Aelius Lampridius Spartianus*: vnde librariorum imperitiâ duo ſint facti, *Aelius Spartianus*, & *Aelius Lampridius*. Hanc ego ſententiam nec pro vera & certa amplecti, nec pro falſa penitus auſim reijcere. Satis enim mirum videtur nobis, quod de Aelio Spartiano, Aelio Lampridio, & Iulio Capitolino vulgati libri ſuggerunt: omnes hos tres cum ſub Diocletiano cepiſſent florere, ad Conſtantini tempora duraſſe: omnes Imperatorũ

omnium vitas tempore eodem ſcribere aggreſſos, (& quidem ſtylo ita parum diſſimili,vt diſcrimen vix vllum liceat notare) pariter in opere inſtituto progreſſos,pariter deſiiſſe. Ita plane eſt neceſſe,ſi vulgarium codicum non fallunt nos inſcriptiones. Extant enim horum omnium parili modo aliæ Diocletiano , aliæ Conſtantino inſcriptæ vitæ. Spartianus ad Diocletianum miſit *Hadrianum* ſuum,*Aelium Verum* , *Didium Iulianum* , *Seuerum* & *Peſcennium Nigrum* : at *Antoninus Geta* , Conſtantini Auguſti titulum præfert. *Antoninus Caracallus*,vtri miſſus fuerit, ſilentibus libris , eſt incertum. Iulius Capitolinus Diocletiano inſcripſit *Antoninum Pium*,& *Verum Imperatorem*. *Clodium* verò *Albinum* Conſtantino Auguſto. In *Opilio Macrino* , quod iure aliquis miretur , redit ad Diocletianum:deinde iterum ad Conſtantinum : cui inſcribuntur *Maximini* duo,*Gordiani* tres.*Marcus Antoninus* & *Pertinax*,itemque *Maximus* & *Balbinus* cui à Capitolino fuerint nuncupati neſcimus. Aelij Lampridij *Commodus Antoninus* Diocletiani nomen habet præſcriptum: *Heliogabalus* & *Alexander Seuerus* Conſtantini. Aduertit nos haud immerito hæc tot circunſtantiarum in tribus perſonis ξυγκυρεία καὶ ξυνέμπτωσις : futura vtique in duobus longe probabilior. Nam quod aliquis obiiciat, nomen Aelius gentis eſſe appellationem non prænomen : id verò pluma leuius. Quis neſcit totam illam Romanorum nominum veterem rationem ſub Imperatoribus varie fuiſſe immutatam ? Sed & gentilia duo nomina ſæpe copulari ſolita Faſti arguũt,& omnis hiſtoria Auguſta. Verùm iſtud,vt incertum,eſto per nos in medio relictum. Porrò omnis quæ ſex hiſce auctoribus deſcribitur hiſtoria , annorum eſt circiter centũ & ſexaginta. Nam Hadrianus imperij habenas ſuſcepit circa annum à conditu Vrbis CIƆCCCCLXX. ab eo habes hîc omnes Cæſares & Auguſtos ad Diocletiani vſque principatũ : hoc eſt annum V.C. quadrageſimum,vel XLI. ſupra milleſimum. Excipiendi ſunt anni circiter nouem aut decem propter amiſſas caſu neſcio quo principum aliquot vitas : Philipporum , Deciorum,& Galli Hoſtilianique , cum Galli filio Voluſiano,& Aemilio Aemiliano.

ADRIANVS.] Melius ſcribitur hoc nomen cum aſpiratione *Hadrianus*,vt in prima editione. quæ ſi maturius in noſtras manus incidiſſet,cum alia nonnulla , tum iſtud nomen aliter vbique eſſet ſcriptum. nam ita nummi & lapides conſtanter. Scripti tamen , quos vidimus aliter:& Græci fere cum tenui Ἀδειανὸς : aut etiam , ſi Muſis placet,Ἀνδειανὸς : quaſi eſſet deductum nomen ab ἀνδρεία, vel ἀνδριάς : ſic enim ſcriptum inuenimus tum alibi perſæpe,tum in Procopio regiæ bibliothecæ. Familiaris eſt Græcis hæc propriorum nominum deprauatio: cuius cauſſam ad Alagabalum aperiemus. Hebræi melius qui ita efferunt חדריינוס : vnde הדריינא *Hadrianeus nummus* apud Nathanem Iuſtum è tractatu Thalmudico De peregrino cultu,ſiue Idololatria. Legimus tamen in aliis eorundem libris , & quidem vetuſtis אדריאנוס

Adria-

Adrianus. Reperi etiam in vno aut altero lapide ADRIANVS: quod rarissimum est.

ADDIOCL. AVG.] Regius liber & editio Aldina hæc non agnoscunt.

Pag.1.vers.1. *Origo Imperatoris Hadriani vetustior à Picentibus.*] Sane vetusta origo: & cuius seruare memoriam quî potuerint maiores Hadriani, homines præsertim prouinciales aut municipales, non sine caussa addubites. Nam si ab eius natalibus ad tempora quæ hîc designantur retro ascendas, trecentos & plures multo annos inuenies. Ego verò nullus dubito Hadrianum, à quo sumserunt quantum fuit historicorum, ex censoriis tabulis, quæ summa cura vbique seruabantur, gentis suæ stemma ab origine vltima repetiisse: idque maiore fortasse diligentia, quæ fere hominũ ambitio, quàm fide. De Picentibus Italiæ populo supra Vmbros sito non dicam quæ nota sunt omnibus.

2. *Posterior ab Hispaniensibus manat.*] *Hispanus*, ὁ αὐτόχθων, & cuius maiores aliunde orti non dicantur: *Hispaniensis* hoc loco qui etsi in Hispania natus, aliunde tamen sit oriundus. Vopiscus, *Bonosus homo Hispaniensis fuit, origine Britannus.* Sic Iudæos toto orbe à tot seculis θεηλάτῳ πάθει dispersos, proprie non Hispanos aut Germanos dixeris, sed Hispanienses, vel Germanienses. Sic Gallienses, Italienses, Sicilienses. Alibi accipiuntur hæc nomina aliter: vt cum *Hispanienses merces* dicuntur, *Græciense mare* & *scimpodium Græciense.* Aliter item *Romanensem ecclesiam* Tertullianus, eiusdem cum Romana fidei: *Hispaniensem astutiam*, Vopiscus in Probo.

4. *Apud Italicam Scipionum temporibus resedisse.*] Sic rectè, non vt in primis editionibus, *apud Italiam.* Ex A. Gellio, Eutropio, & Eusebij Chronico docti homines pridem emendarunt. Clarissimè Appianus in Hispanicis de Italica loquens, καὶ πατρὶς ἐστὶ Τραϊανοῦ τε καὶ Ἀδριανοῦ, τῶν ὕστερον Ῥωμαίοις ἀρξάντων τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν. Neque aliter habuerunt membranæ illę, quibus olim iuuenis in Italia vsus amplissimus atque integerrimus curiæ Parisiensis senator Claudius Puteanus: vir inter paucos, dum viueret, bonarum literarum & amans & callens. Alij omnes libri corrupti: & quidem iam olim: nam & Robertus à Porta Bononiensis qui ante aliquot secula res Romanas ab vrbis conditu ad Constantini vsque tempora contexuit, Spartiani verba corrupta recitat. Is liber à clarissimo doctissimóque senatore Paulo Petauio commodatus, sæpe nobis in recensendis hisce scriptoribus fuit non inutilis. Falluntur qui huc afferũt Aurelij Victoris iunioris verba ista. *Aelius Hadrianus stirpis Italicæ, Aelio Hadriano Traiani principis consobrino Adriæ orto genitus.* non enim hoc dicit Victor, Hadrianum Italica vrbe Hispaniæ esse oriundum: sed planè è contrario, dissimulans originem illius Hispanicam, aut quasi rem notam omnibus prætermittens, Italiæ, quantum potest, Hadrianũ asserit. *stirpis Italicæ* quid aliud est interpretari quàm

Ἰταλικοῦ γένους? quin plerique libri ſcripti non *Italicæ* ſed *Italæ* præferunt eo loci.

4. *Scipionum temporibus.*] Liber Puteani, *ſub Scipionum temporibus.* ſic etiam Robertus à Porta deſcribit. Fuerit olim, *ſub Sc. tempus* vel *tempora.* aut, ſi diſcedere licet paullo longius à veſtigiis ſcripturæ huius, *P. & Cn. Scipionum temporibus.* Obſcurè autem Spartianus illud tempus denotat, cum Scipio rebus in Hiſpania compoſitis, de reditu in Italiam cogitans, omnes Italos vulneribus affectos in vna vrbe collocauit, quam de ipſorum patria Italicam nominauit. auctor Appianus.

5. *In libris vitæ ſuæ.*] Iidem, *in libro v. ſ.* ſed iterum infra, *libros vitæ ſuæ ſcriptos à ſc.*

7. *Hadriano pater Aelius Hadrianus cognomento Afer fuit.*] Xiphilinus, ἦν δ᾽ ὁ Ἀδριανὸς γένος μὲν Ἀδριανοῦ Ἄφρου υἱός. Magnam iniuriam accuratiſſimæ diligentiæ hiſtorico Dioni iuit factum breuiator hic cum iſta ſcriberet. Falſiſſimam enim ſententiam illi appingit: cum ſit indubitatum Hadriani patrem non ortu fuiſſe Afrum: ſed cognomento ſic dictum. Satis conſtat multas gentium Romanarum familias hoc cognomen frequentaſſe. Afrum verò genere fuiſſe Hadriani Auguſti patrem, quis veterum præter Xiphilinum, & qui ipſo duce eundem illi errorem errarunt, vnquam ſcripſit? Errat ſane Xiphilinus, & auctoris ſui mentem aliud agẽs corrumpit. Nam Dionem ipſum huius ſententiæ auctorem putare, quod viros tamen doctiſſimos facere video, iniquum iudicio meo fuerit, imò abſurdum. Quis putet tantum virum, & rerum Romanarum adeo peritum, ignoraſſe quod nemo tũc hominum neſciuit, Hadrianum ſtirpis eſſe Italicæ, aut, vt dicam verius Italo-Hiſpanicæ? Atqui legerat Dio Hadriani libros de vita ſua, ſicut ipſe ſignificat. Adde quòd de Hadriano omnia ſibi certa & comperta patrem ſuum Apronianum narraſſe, principis illius prope æqualem, ſtatim initio ſcribit idem. Quid multa? ipſe Dio procul à ſe errorem hunc amolitur, cum Hadrianum Τραϊανοῦ πολίτην nominat, ſicut Spartianus in Seuero *Traiani municipem.* Porrò Traianũ Dio pariter cum cæteris omnibus prodit Hiſpanum. Scripſerat fortaſſe Xiphilinus, ἦν δ᾽ ὁ Ἀδριανὸς Σπανὸς μὲν γένος, Ἀδριανοῦ δ᾽ Ἄφρου υἱός. Hiſpaniam Græci, vt alibi dicebamus, modò Σπανίαν dicunt, modò Ισπανίαν. & Σπανὸς iidem ſæpe pro Ισπανός. etiam Iuuenalis vetus interpres *Spaniam* nominat aliquoties nõ Hiſpaniam. Pæanius de Hadriano, Ἰταλικοῦ μὲν γένους, τεχθέντα δ᾽ ἐν Σπανίαις. ſic enim more ſuo Eutropij illa deprauat, *natus Italicæ in Hiſpania.* Poſſumus & ſine mutatione vlla Dionis breuiatorem culpæ abſoluere: cum non ſit neceſſe γένος de patria interpretari. Atque hoc fortaſſe rectius. Suadet Suidas: ἦν δέ, ait, τὸ γένος βουλευτοῦ παιδὸς, ἐστρατηγηκότος, Ἄφρου· οὕτω γὰρ ὠνομάζετο. lege quæ ſequuntur: non dubitabis è Dione totum locum eſſe deſcriptum. Cedrenus contra non Dionem ſed Xiphilinum ſecutus, male capit eius verba. inquit enim, ἦν δὲ Ἄφρος τὸ γένος. ſed in talibus ſolens more ſuo

Græ-

Græcus ille fallitur. *Aelius* autem ſcribendum, non *Helius*: etſi ita fere cum in libris citimæ vetuſtatis: tum in eiuſdem ætatis ſcriptoribus, Iohanne Sariſberienſi, Roberto Bononienſi, aliis. ſic *Helius* Verus, *Helius* Spartianus, *Helius* Lampridius in iiſdem libris ſemper: confuſis perperam duabus Romanis gentibus, Helia & Aelia. An poteſt ambigi de nomine Hadriani, à quo Aeliam vrbem, & alia multa loca eiuſdem appellationis, conſtat eſſe denominata? Mirum verò quod Græcorum vetuſtiſſimi critici de hoc nomine obſeruãt: quia Hadrianus dicebatur Aelius, propterea & cæteros Auguſtos *Aelios*, & Auguſtas *Aelias* appellari. Orion, Αἴλιος ὁ Ἀδριανὸς βασιλεὺς ἐκαλεῖτο· ὅθεν Αἴλιοι χρηματίζουσιν ἐκ τούτου, καὶ Αἴλιαι αἱ βασιλίδες. Eſto: de imperatoribus ſui temporis verè hoc dixerit Orion: qui iuuenis ſub Hadriano (cui & panegyricum ſcripſerat) proximos tantum Auguſtos vidit: quos ſcimus Hadriani nomina aſſumpſiſſe: at de vxoribus imperatorum quî poteſt excuſari? cum neque Sabina Hadriani, neque Lucilla Aelij Veri, neque Fauſtina Antonini Pij, aut altera Fauſtina Marci Aeliæ reperiantur nominatæ, neq; in ſcriptis hiſtoriis, neque in ſculptis lapidibus aut nummis.

8. *Conſobrinus Traiani imperatoris.*] Aelio Aelij Hadriani imperatoris auo coniux fuit Vlpia M. Vlpij Traiani ſoror, Traiani Auguſti amita. Traianus igitur imperator & pater Hadriani Cæſaris, vt ex fratre & ſorore nati, amitini inuicem fuerunt: quos etiam conſobrinos nominare ſolent Latini, vt & iuriſconſultus notat. Sed & filij conſobrinorum vocantur conſobrini: quare Spartiano etiam Traianus & Hadrianus Auguſti ſic dicuntur. Præter hoc ius cognationis, erant & vinculo adfinitatis coniuncti. Vtriuſque cõiunctionis meminit ex Dione Xiphilinus. γήμας δέ οἱ ἐκοινώνει, Hadrianus Traiano, καὶ ἀδελφιδῆν αὐτοῦ ἐγεγαμήκει. Sabina nẽpe Hadriani vxor ſorore Traiani Marciana erat genita.

9. *Domitia Paulina Gadibus orta.*] In inſula hac oppidum fuit ciuium Romanorum, vt ſcribit Plinius: ne quis hîc miretur nomina Romana. Ait autem *Gadibus orta*, quia etſi Gaditanis parentibus nata, non Gadibus tamen. fere enim ciues Gaditani Romæ habitabant aut alibi locorum, vt de iis obſeruat non ſemel Strabo.

10. *Soror Paulina.*] Hadrianus in epiſtola qua matrem ad natalitiam cœnam inuitat. ἐὰν θέλεις οὖν ἐνωρότερον μετὰ τῶν ἀδελφῶν μου λελουμένη ἔρχου. plures igitur vna ſorores habuit: ſi fides conſtat ei ſcripto.

10. *Nupta Seruiano.*] Hic eſt Iulius Seruianus, qui ad tertium conſulatum peruenit, in quo habuit collegam Vibium Verum, anno Hadriani XVII. De eius cæde ſub finem huius libri Spartianus. Xiphilini codices initio quidem Hadriani Seruianum cum Spartiano: ſed poſtea ſemper cum in eo libro, tum in Seueri vita, Seuerianum nominant. Et eſt ſcriptura illa antiqua: nam Zonaras quoque Seuerianum, è Dione vtique, non è Xiphilino, eum appellat qui ab Hadriano occiſus. Scribe vbique Σερουϊανόν. nam ita conſtanter Latini codices.

10. *Auus Marillinus.*] Scribe, *atauus M.* nam & vetuſtæ editiones & ſcripti ſic habent: neque aliter Robertus Bononienſis. Eruditiſſimus Onuphrius proauum facit, nullo auctore.

11. *Qui primus in ſua familia ſenator populi R. fuit.*] Etiam coloniarum & municipiorum decuriones dicti ſunt ſenatores: & cœtus eorum minor ſenatus, vel etiam ſenatus ἁπλῶς: maiorum præſertim vrbium, cuiuſmodi fuit Vienna Allobrogum: vnde etiam ipſa aliquando *vrbis ſenatoriæ* nomen tulit. Ad diſtinctionem igitur addit, *populi R.* nam Adriæ aut Italicæ quin ante Marillinum ſenatores in eius familia & gente Aelia fuerint, non dubium. Sic Trebellius Pollio in Vopiſco, *Victorina Tetricum ſenatorem populi R. ad imperium hortata eſt.* Aurelius Victor in Pio, *Vir veterrimæ familiæ è Lanuuino municipio ſenator vrbis.* Lampridius in Alexandro Seuero, *ſenator Romanus.* Dio in Seuero, βουλευτὴς τῶν Ῥωμαίων. & ſæpe apud Grecos ſcriptores, ἀνὴρ ἐκ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς. nunquam enim illis βουλευτὴς per ſe, eſt populi R. ſenator.

12. *Natus eſt Romæ.*] Eutropius, *Natus eſt Italicæ in Hiſpania.* Puto falli Eutropiũ, & Spartiano fidem habeo potius. Erroris cauſſam fuiſſe coniecto iſtam: quod parentes Hadriani domicilium Italicæ haberent: Romam autem non aliter quàm rationibus ipſorum id poſtulantibus commearent. propterea & Spartianus propriam Hadriani patriam, etſi Romæ nati, Italicam, ſiue Bæticam in qua fuit Italica nominat in ſequentibus.

13. *Vlpium Traianum prætorium virum.*] Ita veteres: priùs editi, *prætorium tunc.* Scribo, *prætorium tunc virum.* Quod autem fuerit tunc temporis prætorius tantum Traianus, annorum ratio probat. Nam Hadriani pater anno ſexto imperij Domitiani fati legem impleuit: Traianus primùm conſul decimo eiuſdem anno.

14. *Cœlium Tatianum equitem Ro.*] Mira varietas in hoc nomine. Scripti codices modò *Arcianum*, modò *Artianum*, aut *Accianum*, rariſſimè *Tatianum*, hunc nominant. quam tamen ſcripturam & Zonaras firmat, qui è libris Dionis Tatianum appellat: firmat & corrupta apud Xiphilinum lectio, ὅ,τε Ἀτιλιανός. paret enim ſcripſiſſe illum, ὁ Τατιανός. In regio codice *Titianum* ſemel nominatum inuenimus. an igitur ita ſcribendum? nam videtur hic eſſe Titianus ille Gallicani collega in conſulatu quem geſſerunt anno Hadriani decimo. Ita ſane viſum patri Romanæ hiſtoriæ Onufrio. Eſt tamen dubitationi locus: vt iure placeat magis ἐπέχειν, & lectoris arbitrio iudicium permittere. nam, vt diximus aliter Græci.

15. *Imbutuſque impenſius Græcis literis.*] Iunior Victor, *Hic Græcis literis impenſius eruditus, à pleriſque Græculus appellatus eſt.* amat enim ille ſcriptor & res & verba è Spartiano mutuari. Græco ſermone ſcriptas non dubito Hadriani declamationes, quas ait vidiſſe, legiſſe, probaſſéque mediocriter, eruditiſſimus vir, Photius patriarcha. Ἀνεγνώσθησαν

Ἀδρια-

Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως μελέται διάφοροι, εἰς τὸ μέτρον τοῦ λόγου ἐσκημμέναι, καὶ οὐκ ἀηδεῖς. Cum igitur vtriusque linguæ peritissimus esset Hadrianus, præsides prouinciarum vtroque sermone literas ad illum dare solitos obseruamus: Latinas quidem de iis negotiis quæ ad rem publicam, aut administrationem suam pertinerēt: Græcas verò de literis & iis quæ ad eruditionem spectarent. Lege Arrianum in Euxini ponti Periplo.

16. *Ingenio eius sic ad ea declinante.*] adeo quidem, vt & rescripta illius Græca, & ad necessarios ac familiares epistolæ, lingua eadem scriptæ, per multa secula in eruditorū manibus sint versatæ: quod ex Dosithei reliquiis hodie cognoscimus.

17. *Ad patriam rediit.*] Ad pro in, sequioris seculi idiotismus. sic, *profectus est ad Campaniam*, in Pio. contra *in* pro ad. vt apud Marcellum empiricum, *medicamentum hoc refertur in Musam Antonium.* Patria Hadriani, vt iam diximus, Italica Bæticæ vrbs fuit. Sic accipiendum apud Dionem cum scribit, Hadrianum qui tantum terrarum sit emensus, patriam tamen suam, post susceptum imperium adiisse nunquam. *τὴν πατρίδα*, ait, *καίτοι μεγάλα τιμήσας καὶ πολλὰ καὶ ὑπερήφανα αὐτῇ δοὺς, ὅμως οὐκ εἶδεν.* Hanc igitur patriam suā primum vidit Hadrianus, vt auctor est Spartianus anno decimoquinto: quippe & natus & educatus Romæ. Atqui notandum est Spartiani verbum, *rediit.* cur enim sic loquitur? an quia natus quidem Romæ Hadrianus, sed Italicæ conceptus?

19. *Venandi vsque ad reprehensionem studiosus.*] Libri multi, *prehensionem.* simplex pro composito, vt *tulit* pro abstulit toties in his libris, & similia multa. De venandi studio Hadriani plura Dio. Ita instituebantur ad militiam. Vide Trebellium Pollionem de Odenato.

20. *Pro filio habitus.*] refer ad consuetudinē & conuictum vitæ quotidianæ, aut militiæ contubernium. Erat moris vt nobiles adolescentes tirocinium agerent apud aliquem è præcipuis amicorum. sed Hadrianus præter cæterorum morem in contubernio Traiani permansit etiam *ἀνδρωθείς*. Dionis breuiator, *τὸ σύμπαν συνῆν αὐτῷ καὶ συνδιῃτᾶτο.*

21. *Nec multo post decemuir litibus iudicandis datus.*] Ait, *nec multo post*, vt hoc significet, multo ante vigesimum ætatis annum factum est iudicem Hadrianum: quod & sequentia arguunt. nam decemuiratu hoc functus, tribunusque militum creatus, in Mœsiam est translatus, viuo adhuc Domitiano: quo pereunte agebat Hadrianus annum vitæ primum & vigesimum. Sane & Vlpianus, eum qui non sit minor decem & octo annis iudicem admittit. Decemuiros litibus siue stilitibus iudicandis ita circumloquitur Dio libro LIV. *οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι.* nimirum è numero centum illorum virorum qui caussas centumuirales disceptabant, erāt decemuiri, quorum in eo negotio præcipuæ partes.

22. *Atque inde tribunus secundæ Adiutricis legionis cr.*] Regius codex, *ac idem.* non rectè: cum non posset idem Romæ litibus operam dare, &

tribunum legionis agere. Sed mutata distinctione sententia hoc fortasse modo reformanda. *Atque idem tribunus secundæ Adiutricis legionis creatus post hoc, in inferiorem Mœsiam translatus.* Non est dubitãdum quin tempore eodem Hadrianus & creatus fuerit tribunus legionis, & in Mœsiam inferiorem missus. neque duæ hîc promotiones illius diuersæ notantur: sed vna tantum. Fauere tamẽ vulgatæ lectioni videtur quod legio secunda Adiutrix, non in Mysia inferiore, verum in Pannonia inferiore prætendebat. Dio libro LV. Οὐεσπασιανὸς (κατέλεξε) τὸ δεύτερον (στρατόπεδον) τὸ ἐπικουρικὸν, τὸ ἐν Παννονίᾳ τῇ κάτω. Sed de temporibus suis loquitur Dio: facile autem fieri potuit, (& scimus sæpe factum) vt de prima statione sua legio hæc in aliam prouinciam transferretur. Legionis II. Adiutricis cuius auctor Vespasianus, mentio etiam in Codice Iustinianeo, lege prima, De professoribus & medicis. Primæ verò Adiutricis quam Galba conscripsit, meminerunt Impp. Theodosius & Valens lege vltima Codicis, De castrensi peculio, & lege vlt. De apparitoribus præfectorum præt.

Pag. 2. vers. 1. *Peritiam cælestium callente.*] σοφὸν τὰ οὐράνια, vel τὰ περὶ οὐρανοῦ. quod eleganter dixit Ausonius, *Tu cæli numeros & conscia sidera fati Callebas.* Sic autẽ loquitur Spartianus ne si diceret astrologum aut mathematicum vel genethliacum, ciuem Romanũ eius loci infamaret: nam ita vocibus illis ad inuidiam vtebantur. Hic igitur cum recens nati Hadriani genesin indagasset, ex artis præceptis imperij spem aliquãm ei fecerat: quod cum in illius animum penitius descendisset, nactus in Mysia mathematicum, hoc arcanum cum ipso communicauit. Spartiani hæc mens.

2. *Traiano à Nerua adoptato ad gratulationem exercitus missus.*] Emendabat columen literarum Iosephus Scaliger, *ad gratulationem, exercitus missu, in Germaniam superiorem translatus est.* certa emendatio si *translatus est* interpretemur, profectus est, venit. Erit tum sensus: allato in Mysiam inferiorem nuntio de adoptione Traiani, missum fuisse Hadrianum ab exercitu Mysiaco in Germaniam, vt Traiano qui illi tum præerat, exercitus nomine gratularetur. Sin ita τὸ *translatus est*, accipimus, vt paullo antè cum in inferiorem Mysiam Hadrianum dixit translatũ, nec mutatione opus, & totius loci sententia capienda hoc modo. Cum XIIII. Kal. Octobris, aut non multo post, celebrata fuisset Romæ Traiani per Neruam adoptio, vbi eius rei fama in Mœsiam inferiorem est perlata, statim à prouinciæ Præside, vel ab ipso exercitu missus est Hadrianus Romam, qui seni Imperatori consensum & gratulationem exercitus deferret. Ibi tum egisse cum Nerua Hadrianus videtur, vt quo propius à Traiano consobrino suo abesset, relicta Mysia, stipendia mereretur in Germania. Ita Imperatoris iussu in superiorem Germaniam translatus est Hadrianus. qui vix eo peruenerat, cum de morte Neruæ auditum est, quæ sequentis anni principio ante diem sextum acci-

dit Kal. Febr. Erat tum temporis Traianus in Germania inferiore, longiusque à Roma aberat quàm Hadrianus. qui intellecto Neruæ excessu, è vestigio ad Traianum iter arripuit, gratiam aucupatus læti adeo nuntij. Inuenit autem, opinor, Traianũ apud Agrippinam coloniam: ibi enim susceptum ab illo imperium Aurelius Victor scribit.

5. *A Seruiano sororis viro diu detentus.*] Videtur Seruianus stationarij aut potius curiosi (cursum publicum curabant isti, vt & qui Græcis λογοθέται vel φροντισταὶ τοῦ δρόμου dicebantur) munus curasse in illa prouincia. Tergiuersandi autem prætextus non deerat: quia sine tractoria & apicibus principis cogi ad veredorum exhibitionem stationarij non poterant. Hadriano, vt in tali re, diploma fuit nullum.

7. *Pedibus iter faciens.*] Rara & merito mirabilis diligentia: pedibus cursum publicum anteuertisse. Alibi scribit Spartianus Hadrianum *vicena millia pedibus armatum ambulasse.* quot igitur fecit expeditus? Et tamen res eò facilior quòd paucis diebus confici hoc curriculum potuit: neque enim Traianus in vltimam recesserat prouinciam: quem in Agrippinensium Vbiorum colonia repertum modò dicebamus. In longiore interuallo maior fuisset difficultas, atque adeo, ὡς ἐμαυτὸν πείθω, supra humanarum virium modum.

7. *Eiusdem Seruiani beneficiarium anteuênit.*] Legebatur in omnibus libris, *eiusdem S. beneficio ad Traianum antè venit.* absurda sententia: sed & falsa ac palàm cum superioribus verbis pugnante. Regius codex & Puteani, *e. S. veneficiarium anteuênit.* prono errore & frequenti *v* litera loco *b* posita. nam auctor scripserat *beneficiarium.* Elegans prorsus & necessaria correctio. Seruianus cum non posset ipse ad Traianum cõtendere, vnius è militibus suis opera in eam rem est vsus. Soliti milites hãc operam ducibus suis ac præfectis præstare. Aristides Sacrarum libro II. vbi suum in Italiam iter describit, tanta contentione se vsum ait, vt ipsos milites qui nuntios deferunt anteuerteret: οὔτε γὰρ, inquit, οἱ τὰς ἀγγελίας κομίζοντες τῶν στρατιωτῶν ἡμᾶς γε παρῆλθον. Huius generis milites erant certo numero singulis legionibus attributi, optiones, tesserarij, speculatores, & frumentarij. At Seruianus, vt in tanti momenti re, hominem misit, cuius sibi esset perspecta fides ac diligentia: hoc est, vt loquitur Spartianus, beneficiarium suum. Qui alicuius commendatione aut suffragio fuerant promoti, beneficiarij illius dicebantur: vt in veteri inscriptione, BENEFICIARII CONSVLIS. & BENEFICIARIVS PROCONSVLIS, item BENEFICIARIVS PRÆTORIS, & id genus alia. Suetonius in Tiberio cap. XII. *Venit etiam in suspicionem per quendam beneficij sui centurionem*: ad quem locum plura olim de istis beneficiis notabamus. Quia autem persæpe improbi magistratus per istos scelera sua patrabant, & concussiones exercebant, ideo Tertullianus *beneficiarios* accenset curiosis, tabernariis, laniis, furibus balnearum, aleonibus & lenonibus. Iustinianus quoque No-

uella XIII. inter præfecti vigilum ministros rapinis suis notos βενεφικιαλίοις nominat, hoc est beneficiarios. λ in hac voce locum τοῦ ρ occupat: vt contra in Euangelio φραγελλῶσαι pro flagellare. sunt enim hæ liquidæ facile inuicem permutabiles, vt alibi disputamus.

9. *Nec tamen ei per pædagogos p.*] Corruptus locus, & vt videtur mutilus. quid enim hæc significent? à mss. auxilium nullum. Vir magnus tentabat facere medicinam & rescribebat, *nec tamen ei, pædagogo puerorũ quos Traianus impensius diligebat, Gallo fauente, defuit.* Mouent nos illa verba, *fuitque in amore Traiani*: quibus non satis hæc lectio videtur conuenire. si enim per se amatus est Traiano, nihil ei opus cuiusquam patrocinio. Sed & sequẽtia verba aliò nos ducunt. Nam si amicitia Traiani floruit tum Hadrianus, quid est cur eo potissimum tempore de illius iudicio dicatur fuisse sollicitus? Adde quod sequitur non longo post interuallo: *Denique statim suffragante Sura ad amicitiam Traiani pleniorem rediit.* quibus verbis significatur, nisi fallor, frigusculum aliquod Traiani erga Hadrianum amori interuenisse. Quare totum locum ita concipimus: *fuitque in amore Traiani: nec tamen ei per pædagogos puerorum quos Traianus impensius diligebat, Gallo faciente, inuidia defuit.* hoc vult: Gallum qui Hadriano Traiani amicitia florenti inuideret, pædagogos delicatorum Traiani puerorum stimulasse, vt Hadrianum apud imperatorem παιδομανῆ traducerent, quasi riualem videlicet eius amorum. Traianum in eam fœditatem fuisse procliuem, notissimum ex Dione, Iuliano, aliis. etsi contrariũ Plinius suadet, castitatem illius dilaudans.

ib. *Pædagogos puerorum.*] Lapis Romæ. T. FLAVIO. AVG. LIB. GANYMEDI. PÆDAGOGO. PVERORVM. CÆS. N. alius, D. M. TI. CLAVDIO. AVG. LIB. GRATIO. PÆDAGOGO. PVERORVM. CÆRETANORVM. AVG. N. SER. FECIT. item alius lapis: D. M. P. ÆLIVS. AVG. LIB. LYCVS. PÆDAGOG. PVERORVM. AC. APVT. AFRICAS. τὸ AC. principium est nominis quo patria istorum puerorum declarabatur. sed erant in Africa plures populi quorum nomina ita incipiebant.

11. *De imperatoris erga se iudicio.*] *Iudicium* hîc non est κρίσις, & opinio de alicuius virtute aut vitio: sed, vt passim apud iuris auctores, propensio ad amorem aut odium: quos affectus suprema sua ordinantes declarare homines solent. De successione imperij sollicitus erat Hadrianus.

12. *Virgilianas sortes consuleret.*] Μαντικῆς illius quæ per sortes diuinabat multæ leguntur species. Est enim κληρομαντεία quasi genus quoddam in diuersas species fusum. quæ hîc commemoratur ea est quam Græci ῥαψῳδομαντείαν vel ῥαψῳδομαντικὴν, & eam callentes ῥαψῳδομάντεις nominãt. Etiam huius varij modi. Interdum nobilis alicuius poëtæ selectos versus in pittaciis describebant: quibus in situlam cõiectis idem ordo seruabatur qui in aliis sortitionibus, queis vrna interueniebat. de hoc genere propriè dicitur *sors excidit* vel *extitit*, & κλῆρος ἐξέπεσε. Interdum

ver-

verſus fatidicos in tabella deſcribebant, & talorum arbitrante alea diuinationem peragebant. Hic eſt πίναξ ἀγυρτικὸς ſiue ἀγυρτικὴ σανὶς, cuius ſæpe in libris Græcorum fit mentio. Fuit & modus alias ῥαψῳδομαντείας: cum temere arrepto & aperto poëtæ cuiuſdam libro, vt quidque primum oculis ſe objecerat, pro ſorte id & oraculi loco habebantur. B. Auguſtinus Confeſſionum libro IV. capite III. *A quo ego cum quæſiſſem qua ex cauſſa hoc fieret, vt multa vera à planetariis pronunciarentur: reſpondit ille vt potuit, vim ſortis hoc facere in rerum natura vſquequaque diffuſam. Si enim de paganis poëtæ cuiuſpiam longe aliud canentis atque intẽdentis, cum ſorte* (vel *ſortem*) *quis conſuluit, mirabiliter conſonus negotio ſæpe verſus exiret: mirandum non eſſe*, &c. Atque hoc diuinationis genus à paganis acceptum, & Rabbinorum curioſitas frequentauit, & veteres etiam Chriſtiani interdum vſurparũt, ſubſtituto in poëtarum locum ſacri fœderis vtroque teſtamento. Gregorius Turonenſis libro IV. tmemate XVI. *Poſitis clerici tribus libris ſuper altarium, id eſt prophetiæ, apoſtoli, atque euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chriſtiano quid eueniret oſtenderet.* Mox, *Aperto igitur primo omnium prophetarum libro reperiunt, Auferam maceriam eius.* libro quinto; *ego verò reſerato Salomonis libro verſiculum qui primus occurrit arripui, qui hæc continebat, Oculum qui aduerſus aſpexerit patrem*, &c. Sequitur, *Poſt hæc continuato triduo in ieiuniis, vigiliis atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, reuoluit librum qui erat Regum. Verſus autem primum paginæ quam reſerauit, hic erat: Pro eo quod dereliquiſtis Dominum Deum*, &c. Vide eiuſdem librum V. tmemate XLIX. Aliquando qui cõſulebant, non aperiebant ipſi libros ſacros, ſed de voce diaconi legẽtis in eccleſia omen captabant: cuius rei exemplum eſt apud eundem Gregorium libro octauo, tmemate quarto. Metaphraſtes in Octobri, de B. Cypriano loquens tranſitum ad partes Chriſti meditante. εἰσιὼν τοίνυν εἰς τὸ κυριακὸν δεξιὸν ἐποιεῖτο σύμβολον τῆς εἰς τὸν ναὸν εἰσόδου, εἰ τῷ σκοπῷ αὐτοῦ καὶ τὰ τῆς ἀκροάσεως ῥήματα συμβαίνοντα ἕξοι· εἶχε μὲν οὖν τοὺς πόδας τῆς ἐκκλησίας ἐντός· εἶχε δὲ παραδόξως καὶ τὸν διάκονον, ταῦτα δὴ τὰ τοῦ ἀποστόλου διατρανοῦντα· Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα· ὡς δὲ καὶ τὰ τοῦ προφήτου, Εἶδες Κύριε, μὴ παρασιωπήσῃς. Κύριε μὴ ἀποστῇς ἀπ' ἐμοῦ. κατ' αὐτὸ δὲ καὶ τὸν Ἡσαΐαν ὑπανεγίνωσκεν ἕτερος, Ἰδοὺ συνήσει λέγων ὁ παῖς μου ὁ ἀγαπητὸς, ὃν ᾑρέτισα. ἅπερ ἅπαντα συνᾴδοντα τῷ ἰδίῳ κρίνας σκοπῷ, ἐντελέστερος πρὸς τὴν εἰς Θεὸν πίστιν συνεβίβαζε τὴν ψυχὴν, ἅτε συνετὸς ὢν ἄγαν, καὶ τὸ δέον συνιδεῖν ὀξύτατος.

15. *Primam qui legibus vrbem Fundauit.*] Scrib. *Fundabit.* Apud poëtam eſt *primus*: ſed hoc videtur de induſtria mutatum, vt falſum de Hadriano & inuidioſum nimis futurũ. Regius codex, *Romam qui l. v. Fundabit.*

18. *Quam alij ex Sibyllinis verſibus ei proueniſſe dixerunt.*] cum Hadrianus non Virgilium, ſed oraculorum Sibyllinorum librum cõſuluiſſet. Sane etiam in ſubditítiis verſibus qui extant hodie ſub Sibyllarum nomine, luculentum de Hadriano eſt oraculum hoc:

—μετ' αὐτὸν δ' ἄλλος ἄναξ

Ἀργυρόκρανος ἀνήρ· τῷ δ' ἔσσεται οὔνομα πόντου.
Ἔσται καὶ πανάριστος ἀνὴρ, καὶ πάντα νοήσει.

Planiſſime Hadrianum deſcribit : cui illud optime conuenit, πάντα νοήσει : nam hãc maximè gloriam affectauit, vt omnes artes, omnes diſciplinas, atque adeo quicquid ἐπιστητὸν aut ſciret, aut videretur ſcire. de canitie quam voce ἀργυρόκρανος illi attribuit, poteſt dubitari : non enim videtur ad imperium canos attuliſſe : qui annis quadraginta non eſſet tunc multo maior. Illud perſpicuè falſum ἔσται καὶ πανάριστος. Illéne perfectè bonus, cuius defuncti memoriam ſenatus minimo minus damnauit & nomen eraſit?

19. *Habuit autem præſumptionem imperij.*] *præſumptio* eſt πρόληψις, anticipata rei notitia, πρόγνωσις. vox philoſophorum. nam apud I. Ctos Caſſiodorum, alios, non id ſignificat. Prætermittit autem Spartianus hoc loco aliam pręſumptionem futuri imperij quam ex Caſtalio fonte habuit Hadrianus. Narrat Ammianus Marcellinus libro XXII. *Hæc dum ita procedunt more pacis, multorum curioſior Iulianus nouam conſilij viam ingreſſus eſt, venas fatidicas Caſtalij recludere cogitans fontis : quem obſtruxiſſe Cæſar dicitur Hadrianus, mole ſaxorum ingenti: veritus ne vt ipſe præcinentibus aquis capeſſendam Remp. comperit, etiam alij ſimilia docerentur : ac ſtatim circumhumata corpora ſtatuit exinde transferri, eo ritu quo Athenienſes inſulam purgauerant Delon.* Fuit cum de Caſtalio fonte ad Delphos locum hunc caperem. Memineram enim legere in Græcorum hiſtoriis & martyrologiis miſſum aliquando ad Delphicum Apollinem Oribaſium à Iuliano : cui hæc ſors dicitur edita:

Εἴπατε τῷ βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά·
Οὐκέτι φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μάντιδα δάφνην,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν· ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.

Sed vetat præcedens apud Marcellinum Antiochiæ mentio : & liquidius multo Sozomenus qui eandem hiſtoriam his verbis refert libro quinto cap. XIX. Ἀμέλει τοι, inquit, καὶ Ἀδριανῷ ἔτι ἰδιωτεύοντι τὰ περὶ τῆς βασιλείας αὐχοῦσιν ἐνθάδε προμηνυθῆναι· φασὶ γὰρ αὐτὸν φύλλον δάφνης ἐμβάψαντα τῇ πηγῇ ἀρύσασθαι τὴν τῶν ἐσομένων γνῶσιν ἐγγράφως ἐπὶ τοῦ φύλλου δηλωθεῖσαν. παρελθόντα δὲ εἰς τὴν ἡγεμονίαν καταχῶσαι τὴν πηγὴν, ὥστε μὴ ἐξεῖναι καὶ ἄλλοις προμανθάνειν τὸ μέλλον.

20. *Ex fano quoque Nicephorij Iouis manante reſponſo.*] Prima editio *Nicefori*, rectius. nam poſt victoriam partam, cuius fuit monumentum oppidum Nicephorium, ante omnia poſitũ eſt Iouis Victoris fanum: quo nomine etiam Romæ colebatur: Græcis ἱερὸν Διὸς νικηφόρου : non autẽ Νικηφορίου : quaſi ab vrbe, quæ poſtea acceſſit, cognomen illud Iupiter inueniſſet. imò verò ἀπὸ τοῦ Νικηφόρου Διὸς, Νικηφόριον τὸ κτίσμα eſt appellatũ. Vbi verò fuerit iſtud Nicephori Iouis fanum, quod oracula ſciſcitantibus redderet, nemo veterũ, opinor, eſt qui nos doceat : cum ex hiſtoria & geographia conſtet, variis locis eo cognomine cultum olim Iouem.

21. *Apollonius Syrus Platonicus.*] Addit *Platonicus*, ne confundamus cum

cum Apollonio Calchidensi, de quo in M. Antonino. vterque Syrus, vterque philosophus: ætas quoque eadem, aut non multum diuersa. sed Platonicus hic, ille Stoicus.

22. *Suffragante Sura.*] Licinio Sura: de quo & de Traiani erga ipsum amicitia, multa Iuuenalis, Martialis, & Dio. Iulianus est auctor in suis Cæsaribus, Traianum in formādis epistolis & orationibus, huius opera plurimum vsum.

23. *Nepte per sororem Traiani vxore accepta.*] Sabina vt antè diximus. Iuris auctoribus & vetustioribus Latinis *nepos* est tantum, ὁ ἔκγονος, filij aut filiæ natus. Posterior ætas produxit vocis vsum ad ἀδελφιδοῦς, natos fratre aut sorore: quam solam vocis eius notionem, vernaculus sermo noster & Italicus agnoscunt. Sic aliquoties in his libris capiuntur nepotis & neptis appellationes: & in Liuiana epitoma atque Eutropio, qui inde habet, Octauianus C. Cæsaris ex sorore nepos dicitur. Apud beatum Ambrosium in eadem epistola LXVI. & veteri notione & hac posteriore obseruabamus positū neptis vocabulum. Agitur ibi de matrimonio inter Paterni filium, & neptem eiusdem ex filia. cum veteribus loquitur, quando ait, *vis filio neptem copulare ex filia.* alteram notionem vulgo tum receptam indicat, cum scribit, *Interroga nominum religionem: nempe auunculus iste illius, ista huius neptis vocatur.* Ouidius quoq; sic locutus illo versu, vt à Iosepho Scaligero literarum lumine sumus docti, *Cæsar ab Aenea qui tibi fratre nepos.*

24. *Marius Maximus.*] Historiæ Augustæ scriptor inter primos è Latinis: vnde pleraque constat desumta, quæ hisce continentur libris ad Alexandrum vsque Seuerum: in quo principe videtur Marius scribendi fecisse finem, ipse, nisi fallor, eorum temporum æqualis. Opus suum in septenorū librorum tomos aliquot tribuerat: nam alibi eum Spartianus in primo septenario laudat. Scribit Ammianus Marcellinus, fuisse suo seculo multos, qui in summo veterum omnium scriptorum fastidio, hunc solum ex historicis, è poëtis vnū Iuuenalem mirarentur ac studiosè lectitarent. Qui si iudicio pari Maximi historiam ac Iuuenalis satyras probarunt: næ actum male nobiscum, quibus eius viri omnia monumenta perierunt. Sed non omnium de tanta Marij Maximi præstantia idem fuit iudicium: nam Flauius Vopiscus scriptor elegantissimus, lōge aliter de eo pronunciat libelli eius initio, quo Firmum & alios tres minusculos imperatores posteris tradidit. Laudatur Marius Maximus & à veteri Iuuenalis interprete.

25. *Quæsturam gessit Traiano IIII. & Arunculeio COSS.*] Erat hic Hadriano annus legitimus petendæ quæsturæ: vigesimus quintus nempe. Scribendum autem vt in editione prima, & codice Augustano, *& Articuleio.* Vetus lapis,

M. VLPIO. TRAIANO. AVG. IIII.
SEX. ARTICVLEIO. PÆTO.

De huius nomine Senatusconsultum Articuleianum est appellatum: cuius meminit Martianus lege I. I. Dig. De fideicommissariis libertatibus.

26. *Orationem Imperatoris in senatu agrestius pronuntians.*] Notus mos ex Dionis variis locis, iuris auctoribus, Cassiodoro, & aliis historicis. Olim conscripti illi patres sententiam de more ex scripto in senatu recitaturi surgebant: quod & Imperatores initio factitarunt. Dio de Claudio: ὅσα δ' αὐτὸς ἀνεγίνωσκε, καθήμενος ὡς τὸ πολὺ ἐπελέγετο. Obseruat Dio, vt illa ætate insolens, quod sedens Imperator sententiam in curia legerit. Huius igitur molestiæ vitandæ, simul stabiliendæ suæ maiestatis, iam idem ab Augusto sæpius factum ab Imperatoribus, vt vel quæstoris, vel curionis aut præconis ore tam in senatu patres, quàm in concione populum alloquerentur.

Quæstoris munus in senatu Epistolas vel orationes Imperatorum recitare

28. *Latinis operam dedit.*] Regius vocem *Latinis* omisit: penitus tamen necessariam. *Latinis operam dare* pro literis Latinis, aut rhetoribus Latinis, siue grammaticis. Audiuit Hadrianus Scaurum grammaticũ, vt in Lucio Vero scribit Capitolinus.

28. *Post quæsturam acta senatus curauit.*] Videtur Hadrianus & questuram & curam actorum senatus paucos menses eodem anno egisse: qui quidem in expeditione Dacica Traianũ sit comitatus, vt statim subiicitur: nam ea expeditio illo ipso anno suscepta. Propterea etiam ædilitas ab Hadriano omissa: cum tamen esset moris ab actorum senatus cura ad illam ascendere. scribit enim Dio Cassius de quodam Domitio Floro, τὰ δὲ βουλῆς ὑπομνήματα διὰ χειρὸς ἔχων, καὶ ἀγορανόμος ἐπ' αὐτοῖς ἀποδειχθῆναι ὀφείλων.

29. *Familiarius prosecutus est.*] hoc est, vt ex Dione iam diximus, τὸ σύμπαν συνῆν αὐτῷ καὶ συνδιῃτᾶτο. Mox, *per ea tempora quibus in aula familiarior fuit.* Euertunt hi loci emendationem viri docti qui corrigit hoc loco *in familiaribus*. magnum enim discrimen inter familiares alicuius, & iunctos alicui familiarius.

30. *Quando quidem & iud.*] Male alij *quandoquidem*. est enim ὅτε καὶ, non ἐπειδή. sic mox, *quando quidem multa egregia eius facta claruerunt.* & sæpe in his libris. quod alibi, *qua quidem tempestate* vel *cum* simpliciter. infra *cum accepit*, ὅτε καὶ ἔλαβε.

31. *Traiani moribus obsequentem.*] de cuius vinositate Dio Cassius, Lampridius in Alexandro Seuero, multique alij. Iulianus, οὐκ ἦν ἔξω τοῦ δύνασθαι ῥητορεύειν, ὑπὸ δὲ τῆς φιλοποσίας ἀμβλύτερος ἑαυτοῦ πολλάκις ἦν. Sed notanda adprime quæ de ea re scribit Aurelius Victor, *Vinolentiam quo vitio, vti Nerua, angebatur, prudentia mollinerat: curari vetans iussa post longiores epulas.* vbi scribendum *agebatur*. *Agi vitio* tam Latinè dicitur, quàm falsum est vitio angi vitiosum quo delectatur. sic alibi idem scriptor *agi libidine*, tmemate XXXIX. *Quippe Herculius libidine tanta agebatur, vt ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret.*

33. *Candido & Quadrato iterum* COSS.] τὸ *iterum* refer ad vtrumque. Vetus inſcriptio, T. IVLIO. CANDIDO. II. A. IVLIO QVADRATO. II. COS. Erat hic annus imperij Traiani octauus: ætatis Hadriani nonus & vigeſimus. Obſeruabit diligens lector, ordinem hîc temporum, vt ſæpe in iſtis vitis, peruerti ab auctore: nam horum conſulatum biennio Dacicum bellum ſecundum præceſſit, de quo mox dicturus eſt.

34. *Ad perpetuam tribunitiam poteſtatem.*] ad imperium, cuius indiuidua comes poteſtas tribunitia. Cauſſam eius rei ad Suetonium declarauimus libro II.

36. *Imperatores autem nunquam.*] Erat enim pænula veſtis non Romana, ſed peregrina, & exotica. Lacedæmoniorum eſſe inuentum ne ludis frigerent, ſcribit Tertullianus in Apologetico. Ideo è Græcis antiquis ſoli Dores huius veſtis meminerunt. Extant apud Heſychium veteris poëtæ verba, ὅπως ἔχωσα καινὰν φαινόλαν. quæ Rinthonis Tarentini eſſe ex illius Iphigenia in Tauris ſcimus Iulij Pollucis teſtimonio. ac fortaſſe apud Heſychium pro ὅπως, quam vocem Pollux non agnoſcit, ſcribendum, Ρίνθων. Φαινόλα, ſiue φαινόλας, nam vtrumque dixerunt, veſtis aſtricta, & quæ partium corporis quas tegebat, figuram exprimeret: quod proprium eſt earum veſtium quæ arcte, non ſolutim, amiciunt, nec multo patent latius quam id quod tegunt corpus. non multo aliter φαινολὶς αὔως quæ ortu ſuo terras & vniuerſum hoc patefaciat oculis ſpectandum, apud Sapphonē, Doricam & ipſam poëtriam, illo verſu, Ἕσπερε πάντα φέρων ὅσα φαινολὶς ἐσκέδασ' αὔως. A magnæ Græciæ incolis aut etiam aliis Græcis vſum ſimul & nomen pænulæ habuerunt Romani. Etſi autem veriſimile eſt, non eandem penitus Romanæ pænulæ formam fuiſſe, quæ erat olim Laconicarum φαινολῶν: tamen & hæc recentior veſtis arctius amiciebat & preſſiùs, quam toga aut pallium. Ideo Artemidorus inter veſtes quæ θλίψιν ac στενοχωρίαν ſignificant διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα, & pænulas recenſet. Dio Caſſius Romanorũ pænulam μανδύην ſemper vertit: quia vt etiam Artemidorus eo loco ſignificat, ſimiles fuere pænula & chlamis illa quã vulgo tum dicebant μανδύην, aut βηρίον: Latini birrum. Initio pænulam apud Romanos tenuiſſimi quique tantum geſtabant: puta ſerui aut his conditione proximi: eratque propria iter facientium veſtis: cuiuſmodi mulionica pænula Ciceroni nominatur. Poſtea etiam intra vrbem cepere geſtari pænulæ: nec vt antè à ſeruis ſolùm, aut ſordidioris cõditionis hominibus: ſed etiam ab honeſtis ciuibus: donec tandem eò ventum, vt Hadriani tempore etiam ſenatores & magiſtratus ipſos in publicum prodire pænulatos non puderet: quod ex hoc Spartiani loco apparet, & A. Gellij libro XIII. capite XX. Aſſumebatur autem pænulæ frigoris aut pluuiæ cauſſa: vel cum Imperatoris funus celebraretur, vt dicemus ad Lampridij Commodum: nec viri tantum, ſed & matronæ Romanæ pænularum vſum

probarunt, vt in Alexandro Seuero auctor est idem Lampridius. Atque hæc de pænulis hoc loco satis: nam de illis πᾶσαν τὴν ἱστορίαν scripsimus vbertim in nostris De re vestiaria commentariis. Cæterum quod negat hîc Spartianus factum vnquam vt pluuiæ tempore Imperatores pænulati in publico viderentur: penitus & sine exceptione verum non est: scribit enim Dio libro LVII. de Tiberio, ὑετοῦ ἐν πανηγύρει τινὶ γενομένου, φαιὰν μανδύην ἐπενέδυ. Nam vt diximus, μανδύης Dioni semper est Romana pænula. atque ita eruditiores Græcorum nominabant. quam ob caussam vocem φαινόλης hoc significatu non sine περιεργίᾳ apud Athenæum vsurpat Cynulcus libro III.

37. *Vnde hodieque imperatores sine pœnulis à togatis videntur.*] à salutatoribus nempe: qui Romano more imperatoribus salutationem matutinam, velut officium aliquod necessarium præstabant. Res notissima. *Togati* pro salutatores: quia in alia veste matutinum illud aue deferre fas non erat: quod sciunt qui Martialem saltem legerunt. nec soli salutãtes togati, verum & imperator. Trebellius Pollio in Gallienis: *cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis & aureis Romæ visus est: vbi semper togati principes videbantur.* Vtrumque diligenter seruatum: vt & qui viserent principem, & princeps cum videretur essent togati. Cum autem Spartianus hîc de principum veste agat, nõ eorum qui ad principem adibant, scribi malim, *sine pænulis togati videntur.* aut potius, *s. p. attogati v.* Glossæ veteres præstãtissimi Puteani, *attogatio, paradisis.* lego, παρένδυσις. sic togam vocat quæ tunicis superinduitur. Græci melius ἐπενδύματα & ἐπενδύτας omne extimarum genus vestium. *attogatio* igitur ἡ τηβεννοφορία. contrarium apud alios *extogatus*. Legi etiam apud Ammianum *contogatus*. vt libro XXIX. *sodalis & contogatus*. Etsi autem constans mos fuit vt togati principes viderentur: interdum tamen qui aulicum fastigium spernebãt imperatores, etiam in domesticis vestibus se passi sunt videri. Capitolinus de Pio. *Visus est sane ab amicis & cum priuatis vestibus, & domestica quædam gerens.*

Pag. 3. vers. 1. *Secunda expeditione Dacica.*] Prior suscepta quarto Traiani cõsulatu: altera quinto, cum sextum iam annum imperaret. Testes nummi hoc anno cusi: quales videre est passim multos.

2. *Primæ legionis Mineruiæ.*] Hanc Domitianus conscripsit, vt scribit Dio. nominatur & in veteribus inscriptionibus sæpe. Secundam verò Mineruiam inueni adhuc nusquam: quæ tamen si fuit nulla, cur hæc prima dicebatur?

2. *Quando quidem multa egregia eius facta claruerunt.*] ὅτι καὶ πολλὰ αὐτοῦ ἀνδραγαθήματα διέλαμψε. poëticum est pro, multis egregiis factis claruit. Græci dicerent, πολλὰ ἔργα λόγου ἄξια ἀπεδείξατο: vel πολλὰς ἀριστείας ἠρίστευσε.

3. *Adamante gemma, quam Traianus à Nerua acceperat, donatus.*] Virtutis præmia in militia Romana & multa & diuersi generis. In his erant armillæ, coronæ etiam aureę, torques vel simplares vel duplares, & pro acci-

accipientis conditione maioris,aut minoris pretij fibulæ. Gemmas inter ἀριστεῖα Romanorum fortium legere non memini:imò verò certum est, morem eum non fuisse. Quare Hadrianus extra ordinem gemma donatus,& quidem ea quæ iam semel omen fuerat imperij,non temere ad successionis spem est erectus. Erat enim consuetudo veterum, anuli traditione heredem & successorem designare. Sic Alexãder Magnus ἐπειδὴ τὸ ζῆν ἀπέγνω, περιελόμενος τὸν δακτύλιον ἔδωκε Περδίκκᾳ, inquit Diodorus Siculus. Valerius Maximus libro VII. T.*Barrulus* L.*Spintheri decedens suos anulos perinde atque vnico heredi tradidit.*

5. *Prætor factus est.*] Fuit tum Hadrianus annorum vnius & triginta: decem ipsis annis iunior quàm M.Tullius cum prætor est factus.

5. *Sura bis,Seruiano iterum* COSS.] Scribe,*Surano bis,& Seruiano iterũ* COSS. quia Suram sæpius in hac vita nominat Spartianus,hîc quoque putarunt eum intelligi. Regius sic,*Suriano & Seruiano* i.C. sed isti nomen Surano fuit,non Suriano:neque aliter Augustanus. deinde voculam *bis* tuetur lapis vetus apud eruditissimum Onuphrium,C.IVLIO. SERVILIO. VRSO. SERVIANO. & SVRANO. II. COS. Fuit sane etiam Licinius Sura eodem anno consul: sed ordinarius,collega Senecione. Seruianus & Suranus suffecti.

6. *Cum sestertiûm vicies ad ludos edendos à Traiano accepit.*] Ita fuit tum moris, vt tenuioris census hominibus, vel quibus aliàs cuperent imperatores,simul cum honoribus sumtus quoque decernerent. Magni enim ludorum cura & præsidatus constabant. Exempla passim in his scriptoribus. Mamertinus in Gratiarum actione ad Iulianum: *Quid quod nihil speranti mihi de honoris augmento perfertur nuntius, Consulem me creatum sine impendio? quod iamdiu paucis.* Caussam huius moris præclare explicat Valerianus in epistola ad Aurelianum. *Leuanda est enim paupertas eorum hominum,qui diu Reip. viuentes, pauperes sunt,vt nullorum magis.* Sic accipe paullo post quod dicitur de Hadriani largitionibus *ad honores explendos.* Illa autem *sestertiûm vicies,*an satis ex fide? Nam in regio & Augustano scriptum,*sestertiûm iterum vicies.* Sanè etsi magna satis est summa vulgatæ editionis, vt quæ ad coronatorum hodiernorum quinquaginta millia accedat: longe tamen maiore opum vi ad ludorũ editionem Hadriano fuit opus. Quare de hac scriptura cur sit cogitãdum amplius caussa subest. Valerianus in epistola ad Aelium Xiphidium præfectum ærarij, *Aureliano cui cõsulatum detulimus ob paupertatem qua ille magnus est, cæteris maior,dabis ad editionem circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære sestertiûm quinquagies.* Lege quæ sequuntur, vt videas quanto illa Valeriani liberalitas ista sit profusior. Habes huiusmodi impensarum definitum ab Imperatore Constantino modum lege quinta & XXV. Codicis Theodos. De prætoribus & quæstoribus. Olympiodorus historicus, Μάξιμος εἷς τῶν εὐπόρων εἰς τὴν τοῦ υἱοῦ πραιτοῦραν τεσσαράκοντα κατεβάλετο κεντηνάρια. hoc est,

aureorum millia quadraginta.

7. *Legatus postea prætorius.*] Qui in Cæsaris prouincias mittebantur, ij ex institutione Augusti, Legati Cæsaris, & Proprætore dicebātur, vt scribit Dio Cassius. Sed ex lectione historicorum & antiquis inscriptionibus constat, etiam aliter postea hos fuisse nominatos. nam etiam Proconsules hi quoque dicti, & Proconsules Augusti vel principis eius à quo mittebantur: vt *Proconsul Tiberij* apud Tertullianum in Apologetico: sic enim ibi legendum est, vt obseruauit Iosephus Scaliger, doctissimè & acutissimè. Dicebantur & Legati consulares, ij nempe qui è consulatu in Cæsaris prouincias mittebantur: & Legati prætorij, vt Hadrianus hîc, qui mox à Prætura in Pannoniam inferiorem, Cæsaris tum prouinciam, missus est. Lapis antiquus: PRÆTORIO. LEGATO. PROVINCIÆ. AFR.

8. *Sarmatas compressit.*] Rectè *compressit.* Inter gentes quas Traianus non subegit sed in fidem accepit & Sarmatæ siue Sauromatæ nominātur Eusebio in Chronico. Sarmatas autē intellige populos trans Istrū, non procul ab eius ostiis, (vbi etiam fuit Sarmatarum quædam insula) partem aliquam τῶν πολυανθρώπων Scytharum. Bosporo Thracio vicinos fuisse Plinij ad Traianum epistola docet libro decimo: quam vide. nam gestarum rerum per Traiani legatos cum Sarmatis nusquam hodie extat memoria. Hi iam ab Augusti temporibus, vt scribit Dio, Romanis molesti, frequentes in Mysiam & Pannoniam impressiones factitarūt. Vide Iosephum Belli Iudaïci libro quinto, cap. XII.

9. *Procuratores latius euagantes coërcuit.*] Non igitur in omnibus semper Traiani procuratoribus verum, quod de illis prodidit memoriæ Plinius in Panegyrico: *Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus: cuius mala caussa nunquam est, nisi sub bono principe. Ingens hoc meritum: maius illud, quod eos procuratores habes, vt plerumque ciues tui nō alios iudices malint.* Victor alter, siue Victorinus, in vita Constantij. *Pompeia Plotina, incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores cum prouincias calumniis agitarent, illa coniugem corripuit, atque increpauit, quod laudis esset incuriosus.* Hadrianus verò & ante imperium, & postea princeps, huic generi hominum infestus. Paullo pòst: *circumiens prouincias procuratores & præsides pro factis puniit.* Eleganter *latius euagari*, pro eo quod Capitolinus in Gordianis, *sibi præter procurationem omnia vindicare.* Idem in Pio, *Procuratores suos modeste suscipere tributa iussit: excedentes modum, rationem factorum suorum reddere præcepit.* sic apud Ammianum, *vltra terminos potestatis delatæ procurrere*, quod alibi dixit idem, *supra plantam euagari*, vt in historia XXVIII.

10. *Ob hoc consul est factus.*] Tertio post præturam anno Hadrianus agens annum XXXIV. consul fuit non ordinarius, sed suffectus, cum L. Publilio Celso. Propterea Dio de Traiani in Hadrianū lento affectu, ὕπατος ἐν τοῖς προτέροις οὐκ ἐγένετο.

13. *Cauſſa præcipuè orationum quas pro imperatore dictauerat.*] Caliginoſum nonnihil locum qui me audiet ita capiet. Fuit Licinius Sura, dum vixit, Traiano familiariſſimus; & omnium arcanorum vel ideo conſcius, quod ſolitus imperator fugitans eius laboris, epiſtolas omnes & orationes de maiori re dictandas ipſi relinquere. Iulianus de Traiano, ὁ δὲ καῖσαρ δυνάμενος λέγειν, ὑπὸ ῥαθυμίας ἐπιτρέπειν εἰώθει τὰ πολλὰ τῷ Σύρᾳ γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ. Sura defuncto in vacuum eius locum prudentia & aſtu inuaſit Hadrianus. Inde igitur familiaritas creuit. *dictauerat*, hoc eſt, dictare ſolitus fuerat Sura.

14. *Legatus expeditionis Parthicæ tempore.*] non, vt quidem arbitror, à principio expeditionis illius, in qua plures annos poſuit Traianus: ſed cum iam vltimarent eius tempora, & de reditu in Italiam cogitaret. tum Hadrianus Syriæ eſt impoſitus. Dio, τῇ Συρίᾳ ἐπὶ τῷ Παρθικῷ πολέμῳ προσετάχθη. initio Hadriani: vide eundem fine Traiani.

16. *Soſij Pappi, & Pletorij Nepotis.*] Soſium in hiſtoria temporum Traiani inuenio, & quidem notiſſimum: fuit enim quartum conſul: ſed illi cognomen Senecioni, non Pappo. at hic de quo Spartianus, ille eſt quem narrat Dio ſic dilectum Traiano, vt ei ſtatuam dicaret. Pletorius Nepos is eſt de cuius cæde infra Spartianus.

17. *Liuiani Turbonis.*] Martius Liuianus Turbo notiſſimæ famæ vir ſub Traiano & Hadriano.

17. *Palma & Celſo.*] A. Cornelium Palmam, ſine dubio intelligit, qui fuit C O S. I I. ordinarius, eodem anno quo inter ſuffectos Hadrianus. Celſi plures in Rep. illo tempore clari: hic verò eſt opinor, L. Publilius Celſus, Hadriani in illo ſuo conſulatu collega. Sed velim doceant me peritiores qualenam hoc loquendi ſit genus; *In adoptionis ſponſionem venit, Palma & Celſo inimicis ſemper ſuis.* nam hîc coniectore opus non interprete. An hæc mens eſt? Illis temporibus hoc eſt, paullo ante Traiani exceſſum veniſſe Hadrianũ in ſpem certam adoptionis: futuramque adeo fuiſſe ſpem eius non vanam, niſi in hoc incepto retardatus fuiſſet à Palma & Celſo, inimicis ſemper ſuis. Per hanc ſententiam non *ſponſionem* fuerit legendum, ſed *ſpem*. ſic in Aelio Vero, *qui in famam aut in ſpem principatus venerunt.* ſed editam lectionem retinent omnes libri. An igitur hoc potius? Hadrianũ qui iam tum ſpem aliquam adoptionis ſuæ conceperat, & per Plotinam id ſeriò agebat, auſum eſſe de eo cum Palma & Celſo ſponſione contendere: qui videlicet ad Traianum rem detulerint, & inſtituti negotij rationes conturbarint. Scribo, *In adoptionis ſponſionem venit cum Palma, &* C. Nouum, ſed non inelegans dicendi genus, *in ſponſionem venire cum aliquo.* vt dicimus, venire in ſuſpicionem apud aliquem. Cædem vtriuſque horum infra narrat auctor.

21. *Secundo* C O S. *fauore Plotinæ factus.*] hoc eſt, deſignatus. Annis nouem poſt priorem conſulatum deſignatus eſt Hadrianus conſul or-

dinarius in annũ proximum:quem & geſſit ex Kal.Ianuarij:ſed auctus imperatoria maieſtate,mortuo Traiano a. d. III. Eidus Auguſti. Hallucinantur omnino qui putant Traiano viuo Hadrianum conſulatum ſuum ſecundum egiſſe. Quid Dioni reſpondebunt qui diſertè negat? οὐ μέντοι οὔτ᾽ ἄλλο τι ἐξαίρετον παρ᾽ αὐτοῦ ἔλαβεν, οὔθ᾽ ὕπατος ἐν τοῖς πρώτοις ἐγένετο.

22. *Totam præſumtionem adoptionis emeruit.*] pro incerta ſpe quam dudum conceptam hactenus fouerat, πληροφορίαν eſt conſecutus ac ſpem certam. *præſumtio*, πρόγνωσις. *tota præſumtio*, plena & perfecta cognitio futuri. Primo Hadrianus de imperio cogitauit ex ſuggeſtione patrui magni, & Mœſi cuiuſdam mathematici. ſed id votũ erat potius quàm ſpes. deinde autem donatus à Traiano adamante gemma, *ad ſpem ſucceſſionis eſt erectus.* in ea ſpe poſtea confirmauit eum Sura, *à quo comperit adoptandum ſe à Traiano.* Itaque auſus eſt aliquanto poſt *in adoptionis ſponſionem venire cum Palma & Celſo.* Tandem verò ſecundum conſul deſignatus, *totam præſumtionem adoptionis emeruit.* Hæc ita Spartianus, ſane quàm hac in re diligentiſſimus. *Merere* ſiue *emerere* pro nanciſci Tertulliano & deinceps omnibus Latinis familiare.

23. *Corrupiſſe eum Traiani libertos.*] id eſt, δώροις πεῖσαι, & muneribus.

ib. *Curaſſe delicatos.*] θεραπεῦσαι τὰ παιδικὰ αὐτοῦ. *Delicati* qui & *deliciæ* etiam Suetonio οἱ ἐρώμενοι. & in antiquis lapidibus DELICATI ac DELICATÆ ſæpe nominantur: *Curare* quod in idiotiſmo noſtro *faire la cour.* Martialis libro VI. in Theleſinum, Curare

Obſcænos poſtquam cepit curare cinædos
Argentum, menſas, prædia ſolus emit.

ſed nec male acceperis hîc curare pro eo quod alibi, *pſilothro curare.* Lampridius in gemina huic de Heliogabalo hiſtoria: *In balneis cum mulieribus fuit, ita vt ipſe eas pſilothro curaret.* quod Martialis dixit, *pſilothro læuare.* Tranquillus de Domitiano: *Erat fama quaſi concubinas ipſe diuelleret.*

24. *Eoſdemque ſæpeliſſe.*] Corrupta lectio in omnibus libris. Non diſplicet quod excogitarunt viri docti: *eoſdemque depilaſſe.* ſed magis ipſis, niſi animi fallor, placebit cõiectura noſtra. Scribimus ſine vllius literæ mutatione, *eoſdemque ſæpe liſſe.* hoc eſt, liuiſſe. Aptiſſimum huic loco eſt τὸ *linere*, verbum τῆς κομμωτικῆς proprium, & τῆς θεραπευτικῆς: vnde & *curare* eſt traductũ. Nemo dubitat coſmetas illos, quorũ circa cutim occupabatur induſtria, plurimum collyriorum inunctionibus, omnibuſque illis remediis vſos, quæ eò quod linantur ἔγχριστα aut περίχριστα φάρμακα vocant Græci. Linebant faciem vel ad oculorum ὑπογραφάς, quibus adeo veteres delectati: vel ad glabritiem & læuigationem. Suetonius de Othone, *Quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum.* vel ad ſollicitandum candorem. Iuuenalis vetus interpres, ad ſextam ſatyram: *Aſinino lacte faciem linit, vt cutem tendat & candorem eliciat.* Idem, *Otho tam probroſa cura in polienda forma fuit, vt humecto pane faciem liniret ad ſollicitandum candorem.* pro *linere* dixit *linire:* linire faciem

quo-

quomodo apud Suetonium quidam codices. nam hæc verba indiſcriminatim vſurpant. Quidam vt næuos occultarent faciem linebant: vt ille apud Martialem libertinus frontem literatus:

Et numeroſa linunt ſtellantem ſplenia frontem:
Ignoras quid ſit? ſplenia tolle: leges.

Atque hinc ortum prouerbium *os ſublinere*: quod de eo proprie dicebant, qui ſimulans ſe os alicui linere ad decorem, vti mos fuit, contra & ſecus quàm erat conſuetudo, os illi ridiculis picturis deturpabat, vt qui olim gryllum pingebãt. nam *ſublinere* in hac paræmia eſt παραχρίειν, potius quàm ὑποχρίειν. Plautus etiam *os oblinere* dixit: quod iis κυρίως cõuenit, qui non faciei partem de cõſueto more liniebant, ſed os totum. *oblinere* eſt καταχρίειν, ad plenum linere. vt apud Marcellum empiricum, *pinnula oblinere ſtrumas.* E contrario *linere aliquem* pro κολακεύειν dixerunt. Hieronymus in Ezechielem libro VII. *Prophetæ quoque illi qui ventura pronuntiant, liniebant eos abſque temperamento.*

25. *Opinio multa firmauit.*] Eſt ſententia notiſſimi verſiculi Aſcræi ſenis. Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥντινα πολλοὶ Λαοὶ φημίζουσι. nam opinio non eſt δόξα, ſed φήμη ἣν πολλοὶ φημίζουσι, vt ad Suetonium exponebamus. Sic accipe in his auctoribus ſæpe.

ib. *Quinto Iduum Aug.*] Apparet Traianum in Hadriani adoptionem non ante Plotinæ conſenſiſſe, quàm ſpe diuturnioris vitæ poſita. Obiit enim Traianus biduo poſt aut triduo.

26. *Quando & natalem adoptionis celebrari iuſſit.*] Antiqui vocarunt natales omnes dies propter aliquam lætitiam inſignem ſibi ſolennes. Hegio Plautinus cum audiſſet adueniſſe filium ſuum captiuum, *Di immortales, iterum natus videor, ſi vera autumas.* Inde in hiſtoriis principis eiuſdem tot natales. Theodorus Balſamon ad Photij Nomocanonem, Ναταλίκια δέ εἰσι τὰ τῶν βασιλέων γενέθλια, καὶ ἡ τούτων ἀναῤῥήσις. ſic rectè Græcus codex ms. nam interpretum vterque ſine cauſſa hîc turbant. Duos natales agnoſcit: natiuitatis, ſiue genitalem: vnde *genitalitij ludi* in Pertinace: & delati imperij. Tertium hîc habes qui vocatur adoptionis. Sic veteres quoque Chriſtiani eam vocem vſurparunt multifariam. Alij enim erant natales ordinationis: vt in Martyrologio Romano, ordinationis Ambroſij: & apud Ambroſium epiſtola quinta natalis Felicis Comenſis: quo ille ſuſceperat gubernacula ſummi ſacerdotij: alij τῆς τελειώσεως cuiuſque martyrum: qui & *depoſitionis dies* dicebantur. Cuius appellationis cauſſam fusè explicat Ambroſius ſermone LXX.

27. *Tertio Iduum earundem, exceſſus ei Traiani nuntiatus eſt.*] Notari hũc locum velim: nam ex doctiſſimorum virorum ratiociniis incidit mors Traiani in hunc ipſum diem. Atqui longiore interuallo Selinus Ciliciæ & Antiochia Syriæ metropolis ſeiunctæ ſunt, quàm vt vel rapidiſſimi veredi, vel incitatiſſimus myoparo pauculis horis tantum iter emetirentur. Traianum Selinunte hominem exuiſſe dubitat nemo,

etsi non ignoramus esse qui Seleuciæ dicant: sed cur illis potius quam Dioni fidem habeamus? In quinto Sibyllinorum oraculorum, de loco vbi fato concessurus esset Traianus hæc verba leguntur:

Οὐ κόνις ἀλλοτρίη κρύψει νέκυν· ἀλλ' ἀνεμείης
Ἄνθεος οὔνομ' ἔχουσα.

non nominat, sed periphrasi circumloquitur Selinuntem. Quare corrigendum — ἀλλὰ Νεμείου Ἄνθεος οὔν. ἔ. Apium appellat Νέμειον ἄνθος: quia Nemeonicarum erat præmium σέλινον, id est ex apio corona. res notissima. Gentile huius loci vsitatius Νεμεαῖος: sed & Νέμεος dixerunt ac Νέμειος, sicut obseruat è Stephano Hermolaus Byzantius.

30. *Neratium Priscum.*] Iurisconsultum illum nobilem: cuius virtutibus nullum excellentius elogium, aut testimonium ἀξιοπιστότερον possit desiderari isto Optimi principum iudicio.

32. COMMENDO TIBI PROVINCIAS.] παρακατατίθεμαί σοι τὰς ἐπαρχίας. propria vltimis illis pietatis curis verba apud Græcos & Latinos. sed cur prouincias nominat potius quàm Rempublicam? Puto erupisse in hæc verba Traianũ de miseriis prouincialium cogitantem, vel cum Prisco sermones habentem.

33. SI QVID MIHI FATALE ACCIDERIT.] *fatale* hoc est, mors, τὸ χρεών. sed in hoc loquendi genere sæpius reticetur hoc verbum à Latinis: etiam à Græcis ἐάν τι πάθω, ἐάν τι συμβῇ.

34. *Vt exemplo Alexandri Macedonis.*] Respicit morientis Alexandri dictum: cum interrogatus ab amicis cui regnum relinqueret, *Optimo*, inquit, & addidit Προορῶμαι γὰρ ἐπιτάφιον μέγαν ἀγῶνα γινόμενόν μοι τῶν φίλων. Etiam Augustum putarunt quidam ob similem ambitionem herede Tiberio voluisse mori, vt scribit Tranquillus libro III. cap. XXI. Fuit autē Romanis principibus familiare, vt sequioribus aut asperioribus suis factis exemplum aliquod ex veteri memoria repetitum prætenderent. Sic Traianus hîc Alexandri auctoritate consilium suum defendit: Hadrianus mox Catonis: *exemplo, vt dicebat, Catonis, qui Macedones liberos pron.* & paullo post de eodem, *exemplo Scipionis Aemiliani & Metelli, & auctoris sui Traiani.* Alibi de Caracallo, *Eos quos legerat occidit, exemplo Ptolemæi Euergetis.* Simile est quod de maximo principum Augusto obseruat Suetonius capite LXXXIX.

Pag. 4. vers. 1. *Additis duntaxat nominibus.*] Fortasse deest hic numeri nota post vocem *additis*.

4. *Nec desunt qui factione Plotinæ m.*] Fuse narrat Dio Cassius: etiam è Latinis quidam. Aurelius Victor: *Quanquam alij Plotinæ Traiani coniugis fauore imperium assecutum putent: quæ viri testamento hæredem regni institutum simularat.* Profertur inscriptio vetus in qua sunt de hac Tanaquile & de Traiano verba ista: EIVS. OPERA. HADRIANVM. ADOPTATVM. IN. IMPERIO. SVCCESSOREM. HABVIT. & dicitur ad Aquas Sextias hodie extare. Atqui vbivbi illa sit, adulte-

rina est,& à semidocto quodam antiquario conficta.

6. *Et tenendæ p.o.t.paci operam intendit.*] Regius & Roberti Bon. *e.t. p.o.t. pacis operam dedit.* perperam.

8. *Britanni teneri sub Romana ditione non poterant.*] Regius, *Bractiani.* qui nulli fuerunt in rerum natura. sed *Bactrianos* habuit in animo librarius. Firmat quod scriptum infra de Bactrianorum rege, legatos tandem ad Hadrianum mittente: vbi iterum idem monstrum offendimus. Idem codex, *dictione.* Est verò *ditio* quasi dictio: *quia,* inquit Seruius, *omnis potestas dictis constat, id est imperio.*

10. *Lycia denique ac Palæstina reb.*] De Palæstina temporibus illis tumultuante notum omnibus. Lyciam mouere aliquid ausam mirum est: nationem neque præpotentem,& Romanæ seruitutis iugo ita dudum assuetam. Sed non dubitamus scribendum esse *Libya.* Ita vocabant veteres Africæ prouinciam Aegypto vicinam:quę inter Aegyptũ & Pentapolim media,à Romanis Aegypto fuit attributa.aliis Maræotis Libya appellatur. Iudæos tempestate illa totum eum tractum sua rebellione infestasse,ex historia rerum Traiani & Hadriani notum est.

11. *Quare omnia trans Euphratem & Tigrim reliquit.*] vt esset imperij finis Euphrates,inquit Eutropius:qua de re alio dicemus loco. At Traianus *ad ortum solis cunctas gentes quæ inter Indum & Euphratem amnes inclytos sunt,bello concusserat,*vt scribit Aurelius Victor. De Hadriano eleganter Augustinus De ciuitate Dei libro IV. cap. XXVIII. *In orientalibus partibus Hadriani voluntate mutati sunt termini imperij Romani. Ille namque tres prouincias nobiles Armeniam,Mesopotamiam, Assyriam Persarum concessit imperio. vt deus ille Terminus qui Romanos terminos secũdum istos tuebatur, & per illud pulcherrimum auspicium loco non cesserat Ioui, plus Hadrianum regem hominum,quàm regem deorum timuisse videatur.*Hadriani factum reprehendunt plerique omnes: non illi,opinor,improbent,qui statuant cum sapientissimo principum Augusto, & publicam habendi cupiditatem esse coërcendam. Quamobrem Diocletianus,princeps & ipse prudentissimus,Augusti præceptum,Hadrianique exemplum secutus, imperij fines à meridie supra Aegyptum arctauit:auctor Procopius in Persicis. Idem Imperator reliquit & Daciam à Traiano constitutam, sublato exercitu & prouincialibus: *desperans eam posse retineri,*Vopiscus ait. Iouiani factum in ore omnibus est; sed Iouianum multi, nominis præsertim Christiani hostes,hanc ob caussam lacerarunt. Nolo patrocinium illius suscipere: tantum dicam,falso in eius inuidiam scriptum Ammiano, *nunquam* ait *ab Vrbis ortu inueniri potest annalibus replicatis, vt arbitror, terrarum partes vllas nostrarum ab Imperatore vel* C O S. *hosti concessas.* esto de consulibus: de imperatoribus liquet contrarium ex antè dictis.

12. *Qui Macedonas liberos pronuntiauit,quia teneri non poterant.*] Perseo deuicto cum missi sunt in Macedoniam legati decem,vt de eorũ sen-

tentia res componerentur, pronuntiata ea eſt libera, & ſuis legibus vti permiſſa: Hiſtoriam narrat Liuius libro XLV. ſed cauſſa longè aliter ibi explicatur. Apponam eius verba: *Omnium primum liberos eſſe placebat Macedonas atque Illyrios, vt omnibus gentibus appareret, arma populi Romani non liberis ſeruitutem, ſed contra ſeruientibus libertatem afferre.* Pro *teneri* liber regius & Auguſtanus *tueri*, paſſiua notione, vt apud Lucretium, Varronem, & paſſim in Pandectis.

13. *Pſamatoßirim quem Traianus Parthis regem fecerat.*] Lectio ſcripta, *Sarmatheſirim.* Scripſiſſe Spartianum autumo, *Parthamoſirim*, vt apud Dionem Παρθαμοσίριν: vel *Pharmacoſirim*, cum Eutropio: in cuius libris malè hodie, *Pharnace Syro occiſo*: pro, *Pharmacoſiri occiſo.* Sed falſus eſt in hoc nomine Spartianus, deceptus affinitate duarum dictionum. Nam ille rex quem Parthis impoſuit Traianus, & quem ipſi expulerunt, Parthamaſpates nominabatur. at is cuius nomen poſuit Spartianus, Armeniorum rex erat, & regno ſuo à Traiano fuit ſpoliatus. Hæc liquido conſtant ex Dione. confirmat & Eutropius, *Armeniam quam occupauerant Parthi, recepit: Pharmacoſiri occiſo qui eam tenebat.* cætera Eutropius rectè, & conuenienter Dioni: at regem illum fuiſſe occiſum, apparet falſum ex Dionis hiſtoria. Inſcitiſſime Pæanius, vt alia pleraque omnia, deprauatiſſimis Eutropij codicibus vſus pro bonis & emédatis.

14. *Quod eum non magni ponderis apud Parthos videret.*] Paullo aliter Dio: non enim contemtui ſolum habitum, ſed plane eiectum. οἱ Παρθοὶ τὸν Παρθαμασπάτην ἀπαξιώσαντες, ἐν τῷ σφετέρῳ τρόπῳ ἤρξαντο βασιλεύεσθαι.

15. *Proximis gentibus regem dedit.*] Temporibus illis pleræque Orientis gentes aut à Traiano aut ab Hadriano acceptos reges habuerunt. Vide Arrianum in Euxini ponti periplo.

17. *Ab Tatiano.*] Regius, *ab Arriano*: Puteani, *Arciano* Auguſtanus, *Actiano.*

18. *Bæbius Macer præfectus vrbi.*] Hic eſt Bæbius Macer, cuius nomen inter conſules ſuffectos eius anni, cui nomen dederunt Traianus IIII. & Articuleius COS. de eodem conſule deſignato Plinius libro IV. epiſtola nona. An hic eſt Bæbius Macer hiſtoricus, quem aliquoties Seruius aliique laudant? Scripſiſſe hunc faſtos dies auctor Fulgentius de priſco ſermone. Bæbij Macrini rhetoris mentio in Alexandro Seuero: & item alius Bæbij Macri præfecti prætorio ſub Valeriano principe apud Vopiſcum in Aureliano.

19. *Et Laberius Maximus.*] Regius, *Labienus.* ſed Laberius Maximus notus illa tempeſtate inter Romanos proceres. Vide Plinij epiſtolam XVI. libri decimi. Labienus Maximus nuſquam repertus.

20. *Suſpectus imperio.*] hoc eſt, affectatæ tyrannidis. Sic iterum mox loquitur.

22. *Egreſſum inſula, quaſi res nouas molir.*] Ex Hadriani conſtitutione exſul in inſulam relegatus, qui exceſſerit, non punitur capite, ſed in-

inſu-

inſulam deportatur, auctore Calliſtrato, lege XXVIII. Dig. De pœnis.

ib. *Iniuſſu eius occiderit.*] Regius, *iuſſu.* quod putem verius.

23. *Militibus ob auſpicia imperij.*] Qui imperium ſuſcipiebant, aut in eam ſpem adoptabantur, donatiuo milites, populum congiario ſibi cõciliabant. Sed conſuetum & quaſi legitimum eius largitionis modum duplicauit Hadrianus. de militibus hîc Spartianus: de populo non longè poſt.

24. *Luſium Quietum.*] Hic eſt ille Luſius inter Traiani duces ſtrenuiſſimus: de quo tam multa in illius principis hiſtoria. In deprauando eius nomine varie luſit librariorum oſcitantia. Regius hîc, *Buſium.* apud Xiphilinum Λούκιος ſemel aut iterum pro Λούσιος, vt ſemper alibi. id enim rectum. Euſebius in Chronico *Lyſiam Quietum* nominat, ſecutus inconſultò alicuius deprauati codicis fidem: aut Græcorum more Romanum nomen in affine Græcum corrumpens. Nam ita ſcripſiſſe ipſum Euſebium, & poſt illum Hieronymum, antiquiſſimus codex clariſſimi Petauij arguit: & cõfirmat vetuſtiſſimus Georgij Monachi liber regius, vbi ſcriptum offendimus ex illo Euſebij loco, Λυσίαν Κύητον. At in Hiſtoria eiuſdem Euſebij libro quarto, capite ſecũdo, perperam ſcriptum Λούκιος Κόϊντος, pro Λούσιος Κύητος. ſicut & apud Mauricium imperatorem Τακτικῶν libro IX. capite, de circuitionibus nocturnis: ὅπερ ἐποίησε Λούκιος ὁ στρατηγὸς Ῥωμαίων ἐπὶ Τραϊανοῦ: ita legi in codicibus regiæ bibliothecæ. ſed etiam hîc Λούσιος ſcribendum, vel teſte Ammiano Marcellino libro xxix. *Luſius*, inquit, *Traiano rem regente Romanam pluribus inclaruit fortibus factis.* Inter Romanas gentes & Luſia. Apud Cælium Aurelianum eſt Luſius quidam medicus. Lapis Comenſis. LVSIÆ. L. F. QVINTÆ VX. EIVS. vbi cenſeo aut lectum male, aut ſculptum à quadratario QVINTÆ pro QVIETÆ. Eſt & Luſius Lupus apud Marcum Antoninum in duodecimo libro: ſed de eo parum nobis liquet. apud Tacitum in rebus Claudij nominantur Luſius Geta, & Luſius Varius.

ib. *Sublatis gentibus Mauris quos regebat.*] Σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον, *gentibus quos.* nam ita ſcripti. Infra, *non iniucundum rem inſerere, ex quo cõſtet eum multa didiciſſe.* niſi ex gloſſa irrepſit vox *gentibus.* ſed ea figura frequentius nihil. Hieronymus in Ezechielis cap. XVI. *Omnes nationes quæ à principio idolis ſeruierunt, non tanti criminis rei ſunt.* Non diu autem rexit Mauros Luſius. nam extremis Traiani temporibus aduerſus rebellantes Iudæos in Cyprum inſulam miſſum refert Dio. Functus eſt & pręſidatu Iudææ, non multo ante Traiani exceſſum. Vide Euſebij hiſtoriam libri quarti initio.

25. *Martio Turbone Iudæis compreſſis.*] Vbi? & quibus? nam paullo ante obitum Traiani variis locis Aſiæ Africæque motus Iudæorum extiterunt. Narrat Euſebius vſum opera huius Traianum contra Iudæos Cyrenenſes, & vicinos Aegyptios. Videtur & Hadrianus primo

imperij ſui tempore, in ordinandis Aegypti rebus eiuſdem vſus miniſterio. In Chronico Euſebij legimus ad annum Hadriani primum: *Hadrianus Alexandriam à Romanis ſubuerſam publicis inſtaurauit expenſis.* Hem! à Romanis? quis hoc alius dixit? Georgius Monachus ſic: Ἀδριανὸς Ἰουδαίους κατ' Ἀλεξάνδρειαν στασιάζοντας ἐκόλασε. & in eam ſententiam plura Oroſius, libro ſeptimo, cap. XII. An igitur ſcribendum apud Euſebium à *Iudæis*? Sed ἐπέχω, & herois illius heroe nati Ioſephi Scaligeri Euſebianas curas auidiſſime expecto. Quo diuino opere tam multa, ſcio, indicta, inaudita, planeque noua docebimur, ὅσ' ἐνὶ πόντῳ κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή.

Ioſephi Scaligeri Euſebianæ curæ.

ib. *Ad deprimendum tumultum.*] Vix Latinæ aures admittant *deprimere tumultum* pro reprimere. tamen ita ſcripti.

26. *Poſt hoc Antiochia digreſſus eſt.*] Reg. *Poſt hæc Antiochiam dig. e.* ſed refutat hiſtoria.

27. *Ad inſpiciendas Traiani reliquias.*] Malim, *excipiendas.* Sequitur ſtatim, *quibus exceptis, & naui Romam dimiſſis.* an ibi potius *inſpectis* ſcribendum? Reliquiarum exceptio videtur ad oſſilegium pertinere. nam mirum ſanè fuerit Hadrianum ad legendas de more reliquias parẽtis ſui, (ita voluit credi,) Selinuntem non veniſſe. Inſpectio reliquiarum ad venerationem illarum ſpectat, & ritum inferias faciendi. Sic apud Herodianum vrnam feralem in qua Seueri reliquiæ S. P. Q. R. προσκυνοῦσι.

Reliquiarum exceptio

28. *Et Mattidia.*] Scrib. *Matidia.* vnico T. vt in ſaxis.

31. *Catilio Seuero.*] de quo in vita Marci Antonini. Qui legunt hîc *C. Atilio Seuero* refelluntur etiam à literatis lapidibus.

ib. *Per Illyricum Romam venit.*] Hic primus eſt Hadriani Imperatoris aduentus Romam. Cum enim in Oriente ſub Traiani mortem magni motus variis locis fuiſſent excitati, vt antè dictum: coactus eſt nouus Auguſtus componendis iis rebus, & paci ſtabiliendæ, diutius in Syria morari, aut vicinis prouinciis. Ideo Plotina, & Matidia eo non expectato, defuncti reliquias Romam aduexerunt. Mox compoſito Orientis ſtatu, cum ſe itineri Hadrianus accinxit, *per Illyricum* inquit Spartianus, *Romam venit.* nimirum prudens princeps nauigationi terreſtre iter antepoſuit, vt in tranſitu prouincias Achaiam, Macedoniamque poſſet inſpicere. Ex iſtis perſpicuum fit, non potuiſſe Hadrianum, eo anno qui ſupremus fuit Traiano, Romam venire. Atqui ſecundùm Conſul venit. nam id euincũt nummi decreto ſenatus cuſi, in quibus ab altera parte ſecundus eius conſulatus eſt adnotatus: ab altera hæc: FORTVNÆ. REDVCI. S. C. Quamobrem falluntur viri magni, qui ab Onuphrio diſſentientes, putant Hadrianum ſecundum conſulatum viuo Traiano egiſſe: & primum hunc illius in Vrbem aduentum ad tertium ipſius referunt conſulatum. Quid enim fiet illis quos dixi nummis? quales & deſcripti ſunt ab eruditis hominibus multi: & nobis aliquot oſtendit Phœnix ille Galliarum, Virtutis imago

certa & vera, omni eruditione instructissimus, Iacobus Augustus Thuanus, Præses, & supremæ curiæ *τὸ καλὸν ἄγαλμα*. Nummi de tertio consulatu, quos docti illi viri afferunt, nihil quicquam huc pertinent, vt mox dicemus.

ib. *Traiano diuinos honores, d.*] Hæc alieno loco ab auctore posita. prius enim hoc factum quàm itineri se accingeret: cum de eius reditu iam dixerit. Sexcenta in his scriptoribus talia: quę facile incauto lectori imponant. Fere enim vbique in conscribendis hisce vitis, mera fecerunt mapalia. Adeo sæpe in eorum narrationibus & historiis, quod doctores Hebræorum dicere solent, nec prius est, nec posterius. Duos excipio Trebellium Pollionem, & Flauium Vopiscum: in quorũ scriptis hanc *ἀταξίαν* minus deprehendes. Vopiscus quidem ita accuratus & castigatus scriptor, vt videatur nobis vnus ex omnibus merito suo *ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων*.

36. *Quod de imperio suo iudicium senatui non detulisset.*] quod fecere alij imperatores, verè an simulatè. Gordianus in epistola ad senatum prima post assumtam purpuram: *Vestrum est æstimare quid velitis: Nam ego vsque ad senatus iudicium incertus & varius fluctuabo.* Probus imperator oratione prima ad senatum. *Quæso vt de meis meritis faciatis quicquid iusserit vestra clementia.* Opilius quoque Macrinus etsi tyrannus manifestus, hac tamen simulatione vsus, scribens ad senatum in hæc verba. *Milites detulerunt ad me imperium, cuius ego P.C. interim tutelam recepi, tenebo regimen, si & vobis placuerit, quod militibus placuit.* De Hadriani autem literis ita Dio, *ἔγραψε πρὸς τὴν βουλὴν ὁ Ἀδριανὸς, ἀξιῶν βεβαιωθῆναι αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν καὶ παρ' ἐκείνης.* *Dare iudicium*, pro deferre. aliter in iure cum Prætor *iudicium dare* dicitur.

Pag. 5. vers. 1. *Quod esse Resp. sine imperatore non posset.*] Id olim tristissimi ominis loco habitum. Nam inde est, quod inter Caij immania id quoque posuerunt, per illum Remp. triduo sine summa fuisse potestate. Suetonius cap. XXVI. *Consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogauit magistratum: fuitque per triduum sine summa potestate Resp.* Hoc igitur prætexit Hadrianus festinationi suæ in occupando imperio. At enimuero posse Remp. etiam sine imperatore esse declaratum est post cædem Aureliani: cùm quidem totis sex mensibus principe caruit Respublica.

3. *Imaginem Traiani curru triumphali vexit.*] De hac imagine alter Victor siue Victorinus, *Huius exusti corporis cineres relati Romam, humatique Traiani foro sub eius columna: & imago superposita, sicuti triumphantes solent in Vrbem inuecta, senatu præeunte & exercitu.*

4. *Vt optimus imperator.*] allusum ad Traiani cognomẽ OPTIMVS. Porrò videtur Hadriani hęc moderatio ita grata vulgo omnibus fuisse, vt eius pietatem erga Traiani manes publico testimonio senatus sibi prosequendum iudicarit. Huc enim refero nummum eo anno cusum cum hac inscriptione, PIETAS.

5. *Patris patriæ nomen s. d. statim, & iterum postea distulit.*] quamdiu autem? hoc vellem adiecisset Spartianus. Cæterum constat hanc moram longam non fuisse: atque fortasse minimam, ne dicam nullam. Lapis secundo eius consulatu positus, hoc est, paullo post quam imperium Hadrianus suscepit. IMP. CÆS. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. POT. COS. II. P. P. Sunt & similes alij: ex quibus rectè coniiciebat eruditissimus Onuphrius, Hadrianum vna cum imperio omnes ἀθρόως suscepisse titulos Augustis solennes. Quod adeo verum est, vt reperiantur nummi ad celebrandam adoptionis eius memoriam, in quibus eadem est appellatio. vt in isto: IMP. CÆS. TRAIAN. HADRIAN. OPT. P. F. AVG. GERM. DAC. PARTHIC. DIVI. TRAIANI. AVG. F. P. M. TR. P. COS. P. P. ADOPTIO. nec miramur: nam testamento adoptatus, cum Traiani nomine & imperium, & omnia imperij ornamenta, quantumuis initio aliqua dissimulatione vsus, re tamen ipsa & suscepit & gessit.

6. *Quòd hoc nomen Augustus serò meruisset.*] Sane serò, & vix nouem ante excessum suum annis, cum tot imperarit.

7. *Aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit.*] Notum genus exactionis, & circa illud indulgentia principum, iam inde ab Augusto. Vide lapidem Ancyranum, & quæ in illum olim adnotauimus. Exigebatur ob varias caussas: frequētissimè propter partam de hoste victoriam, vel susceptum imperium, aut Cæsaris adoptionem. Dio vocat τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον. incertus scriptor apud Suidam στεφανικὸν τέλεσμα, Strabo libro VIII. φιλικῶν λειτουργιῶν appellatione est complexus. *Remittere* hîc quod idem scriptor ὑφίεσθαι. alibi idem ac minuere. nam vtrumque vox ea significat. Italis igitur remissum hoc aurum: prouinciis saltem minutum. cur silet de Roma? nam & ab vrbicis exigebant. Lampridius Alexandro Seuero: *Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit.* non dubium quin & his Hadrianus remiserit: semper enim in talibus ciuium vrbanorum ante Italicos habita ratio: tum deinde Italicorum ante prouincias.

9. *Audito dein tumultu Sarmatarum & Roxolanorum.*] Regius, *Audito de tum. Sar. & regum Alanorum.* Possit legi *S. regum & Al.* sed veriùs *Roxolanorum.* nam in Augustano scriptum, & *rex Alanorum.* Inter septentrionis populos Romanis tum infestos & Roxolani fuerunt. Situm eorum pete è geographis. Dio in Marco Daciam facit mediam inter hos & Iazyges. Trebellius Pollio in Regilliano Tyranno Sarmatarum & Roxolanorum coniunctim meminit vt hoc loco. Illud *audito* quod habetur in regio esset, προσαγγελθέντος. vt sæpe apud Liuium. nihil tamen muto, & vocem *dein* retinendam censeo: qua docet nos Spartianus, primam post reditum in Vrbem susceptam hanc fuisse expeditionem ab Hadriano. Incidit in proximum à reditu annum: quando cusi hi nummi: EXPED. AVG. COS. III. S. C. nam secundum & tertium consu-

consulatum gessit Hadrianus annis continuis. Eusebius in Chronico: *Bellum contra Sauromatas gestum.* male hæc adnotantur è regione anni quarti: ad tertium enim pertinent: quo tempore & susceptum & finitum hoc bellum, coacto Hadriano Romam repetere, ex sequentibus Spartiani verbis colligimus.

11. *Turbonem post Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum.*] Regebatur Mauritania à Præside. quare infulæ hîc sunt insignia Præsidatus. alia erāt insignia proconsulatus, & omnium aliorum magistratuum. Glossæ, *Infulæ* στέμματα. aliæ Glossæ, *Infulæ*, καυσίαι. falsum hoc; nam infulæ non sunt causię, sed lorum illud & diadema quo cingebant suas causias siue pileos Macedoniæ reges. De iis Seruius ad decimam Aeneidem. Melius glossographus alius: *Infula, sacerdotalis vitta, & administratio iudicialis.* Duo infularum genera: sacrarum, quæ Homero στέμματα. de his Varro, Festus, & Spartianus in Iuliano. & ἀρχοντικῶν: quas iste vocat administrationem iudicialem: iudicem enim appellabant omnem magistratum Vrbis, Italiæ aut prouinciæ. Erat autem & Dacia tunc temporis prouincia præsidialis. Sed Turboni mox delatum honoris incrementum, vt postea dicitur.

12. *Cum rege Roxolanorum.*] Ita veteres libri: edita lectio *c. r. mox Alanorum.* erat autem Pharasmanes Alanorum rex, cuius infra habetur mentio. Alani Dione auctore & Ammiano Marcellino Romanis, qui olim Massagetæ. Vide Procopium secundo libro Persicorum. Roxolanorum autem in historia Romana non infrequens mentio etiam ante hæc tempora: vt in lapide qui Vespasiano principe dicatus est honori Ti. Plautij Siluani. *Regibus Bastarnarum & Rhoxolanorum filios Dacorum fratrum captos aut hostibus ereptos remisit.*

13. *Qui de imminutis stipendiis querebatur.*] Vetus malum in Romano imperio, annuis muneribus gentium barbararum pacem redimere. Quod quid erat aliud quàm probrosa tributi pensione, ad rebellandū animos illis facere? Exemplum à Domitiano primo, quantum memoria teneo, in Remp. introductum. Nam illa pestis Decebalum Dacorū regem, cum armis vincere non posset: annui tributi pensitatione sibi eum placauit. Pernitiosissimum exemplum retinuere omnes deinceps principes in vtroque imperio. De Traiano & Hadriano cōstat ex istis. iterum Spartianus paullo post: *A plerisque regibus pacem redemit.* Sed consuluerunt existimationi suæ Rom. imperatores, cum pensionem hanc annuam, quæ verum erat tributum, honestiore vocabulo *stipendium* nominarunt, aut *munus*. Herodianus συντάξεις. Saluianus De prouidentia Dei libro VI. *Vbi sunt antiqua Romanorum opes & dignitates? Fortissimi quondam Romani erant, nunc sine viribus. Terrebant Romani veteres, nos timemus: vectigalia illis soluebant populi Barbarorum, nos vectigales Barbaris sumus. Vendunt nobis hostes lucis vsuram: tota admodum salus nostra commercium est.* & statim: *Insuper etiam ridiculos ipsi nos facimus, aurū quod*

pendimus MVNERA *vocamus. Dicimus* DONVM *esse quod pretium: & quidem conditionis durißimæ ac miserrimæ.* Hæc ille sanctissimus episcopus: qui Theodosij & Valentiniani temporibus viuens, iniquo ferebat animo Romanos Francis, quorum erat tum in Galliis recens imperium, tributa pendere. Sic narrat Procopius Iustinianum imperatorem pacem Persarum pretio emisse: & velandæ ignominiæ munus appellasse aut fœdus, quod erat tributum. Sed nominum, inquit, potius quam rerum turpitudinem fugiũt mortales. Ipsa magni illius scriptoris verba apponam. ὕστερον μέντοι τὸ ξυγκείμενον ἅπαν χρυσίον Ῥωμαῖοι Πέρσαις εὐθὺς ἔδοσαν, τοῦ μὴ δοκεῖν δασμὸς ἀνὰ πᾶν ἔτος αὐτοῖς ἀποφέρειν. Τὰ γὰρ αἰσχρὰ ὀνόματα οὐ τὰ πράγματα εἰώθασιν ἄνθρωποι ἐκ τοῦ ἐπιπλεῖστον αἰσχύνεσθαι. & mox: ὄνομα τῷ ΔΑΣΜΩ, τὰς ΣΠΟΝΔΑΣ θέμενοι. Indignatur & Synesius in oratione sua ad Arcadium, audere barbaros exigere à Romanis μισθὸν εἰρήνης.

14. *Nigrini insidias.*] Fuêre tum in Rep. Nigrini plures, diuersarum gentium, Auidiæ, Pontiæ, Domitiæ: ex qua hic. nam eius filia erat Domitia Lucilla Aelij Veri vxor: quem, etsi insidiatoris sui generum, adoptauit Hadrianus. Meminit & Galenus Domitij Nigrini cuiusdam, libro septimo De compositione medicamentorum κατὰ γένη.

15. *Sacrificanti Hadriano.*] Dio Cassius: ὡς ἐν θήρᾳ δῆθεν ἐπιβεβουλευκότες αὐτῷ. Dissentit de modo insidiarũ: nisi scripserat ὡς ἐν θυσίᾳ. Vtrumque tempus & venationis & rei diuinæ aptum insidiis. fiunt enim opportuni iniuriæ qui alibi mentem habent occupatam. Valerius Maximus de Q. Pompeio consule. *Ambitiosi ducis illecebris corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum victimæ mactarũt.* Propterea Hadrianus, vt narrat alibi Spartianus, cum Græcanicis sacris interesset, veterem sustulit morem: per quem soliti multi cultros in sacris habere. Quantopere autem genus hoc cædis abominati sint veteres, ad Suetonium notare meminimus.

ib. *Et multis aliis.*] hi sunt quibus cum esset ab Hadriano remissa pœna, cusus est hic nummus: CLEMENTIA. AVG. COS. III. P. P.

22. *Romam venit.*] Refer huc istos nummos perperam nonnullis acceptos: FORT. RED. COS. III. S. C. & in aliis eiusdem anni, ADVENTVS. AVG. S. C. Rediit autem non pedibus, sed nauigio. Alij nummi, NEPTVNO. RED. COS. III. S. C.

ib. *Titulo Aegyptiacæ præfecturæ, quò plus haberet auctoritatis ornato.*] Tiberij institutum fuit, vt referunt Tacitus & Tranquillus, prouinciæ alicuius præfecturam alij deferre, nomine tenus, alij eam regendam credere. Ad id exemplum, etsi mente diuersa ac fine, videtur Hadrianus Turbonem Daciæ præfectum, alius præfecturæ titulo ornasse. Aegyptiacæ autẽ præfecturæ honor illi defertur: quia inter præfecturas ordini equestri proprias, Augustalis Aegypti præcipua fuit dignatio. Neque nouum est, vt & insignia & salaria maioris ordinis alicui virtutis ergo decernantur. Vide epistolam Valeriani Augusti ad procura-

curatorem Syriæ de honoribus Aureliani tribuni legionis. Ibi leges inter cætera. *Hæc autem omnia idcirco ſpecialiter non quaſi tribuno, ſed quaſi duci detuli, quia vir talis eſt, vt ei plura etiam deferenda ſint.* An hoc potius Spartianus? Turboni Daciæ præſidi titulum communicatū Aegyptiacæ præfecturæ? hoc eſt, Præfectum Auguſtalem eſſe iuſſum appellari.

24. *Congiarium duplex præſens populo dedit.*] Referas huc non abſurde nummum: LIBERALITAS. AVG. COS. III. addit *præſens*: quia vt plurimum Imperatores pronuntiabant, nō repræſentabāt cōgiaria.

25. *Per ſingulos diuiſis.*] Reg. *pro ſingulis.* minus elegāter: minus verè.

26. *Excuſatis quæ facta erant.*] Dio, καὶ ἀπελογήσατο, καὶ ἐπώμοσε μὴ κεκελευκέναι ἀποθανεῖν αὐτούς.

28. *Statim curſum fiſcalem inſtituit.*] Quò illis duobus viris doctis mens, qui *inhibuit* ſcribendum cenſuerunt? Quia meminerant curſum ab Auguſto pridem fuiſſe inſtitutum: putarunt falſum eſſe quod diceretur hîc Hadrianus eum inſtituiſſe. Atqui id Spartianus non dicit: ſed hoc potius, curſum à priuatis ad fiſcum eſſe traductū, ſicut alibi idem loquitur. τὸ *inſtituit*, refer ad *fiſcalem*: non ad *curſum*. Auguſtus qui primus publicum & vehicularium curſum inſtituit, (errant qui inter iſta diſcrimen ſtatuunt) plúſne Romano imperio commodarit, an vrbibus Italiæ & prouincialibus incommodarit, dictu difficile. Vtilitas inuēti pace belloque palàm maxima: ſed calamitas non minor illorum, quorum poſſeſſionibus ſiue patrimoniis indicebantur angariæ aut veredi, vt ſcribit Arcadius Iuriſconſultus. Conatus ex parte mederi æquiſſimus Nerua: qui durum munus remiſit: ſed Italis. Extant cum hac inſcriptione nummi: VEHICVLATIONE. ITALIÆ. REMISSA. S. C. Traianus verò ſeuerè, ſi minus ab Italicis, certè ab prouincialibus iſtud præſtationis genus exegit. de quo Aurelius Victor: *Simul noſcēdis ocyus quæ vbique è Rep. gerebantur, admota media publici curſus. Quod equidem munus ſatis vtile, in peſtem Romani orbis vertit, poſteriorū auaritiâ inſolentiaque.* Hæc Victor: cuius querimonia, etſi ad ipſius tempora propriè ſpectat, vt clarum ex iis quæ ſubiicit, & ex eius æquali Ammiano Marcellino: certum tamen eſt, iam inde à principio angariarum onere ciuitates & prouincias multimodis ſemper eſſe vexatas. Hinc illæ tot leges, tot principum conſtitutiones, ad ſubleuandum curſum publicum promulgatæ. Habes hodieque in libris omnibus iuris ciuilis multa quæ illuc ſpectent. Cum autem in curſu publico etiam eorum qui illum vſurpabant, ſumtus interuenirent: videtur Hadrianus ea lege qua de hic Spartianus, non prouincialium conſuluiſſe commodis: ſed illorum qui curſum eſſent vſurpaturi. Nam ſubiungit auctor: *ne magiſtratus hoc onere grauarentur.* Magiſtratus hîc capio, non vrbicos: quid enim illis cum curſu? ſed qui irent in prouincias, aut per prouincias ſuas iter facerent. Hos iuſſit Hadrianus, non propriis ipſorum, ſed fiſci impenſis, vti publicis equis. Ante Octauium nihil opus tali ſubſidio

magistratibus prouinciarum: cum præsto ipsis adessent præbendorum mancipes, qui equos, mulos, tabernacula, & quicquid ad iter necessarium, de publico exhiberent. Postea verò quàm mutata est per Augustum ratio vetus, & cuique eorum qui in prouincias destinarētur, certum quid, vt referunt Suetonius libro secundo, capite XXXVI. & Dio libro LIII. fuit attributum pro cuiusque dignitate: tum cepêre illi vecturæ sumtus experiri quàm essent magni. His igitur Hadrianus lege ista iuit consultum. Nam de magistratibus vrbium, in quibus stationes collocatæ, aut decurionibus interpretari, si quid iudico, non debemus. Si obstaret nihil aliud, illud tamen magnum: quod non istorum profectò, sed Romanorum procerum gratiam captabat Hadrianus. cuius etiam similis munificentia erga milites quosdam infra commemoratur. Nam scribit Spartianus, *Iis quos ad militiam ipse per se vocauit, equos, mulos, vestes, sumtus & omnem ornatum semper exhibuit.* Vt istis instrumenta viæ de suo exhibuit Hadrianus: sic magistratibus in prouincias suas ituris, publici cursus vsum gratuitum. Post hunc principem quid sit seruatum, haud scio satis. De Pio scribit Capitolinus: *Vehicularium cursum summa diligentia subleuauit.* Planius de Seuero Spartianus: *Post hæc cum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus à priuatis ad fiscum traduxit.* Sed ex his verbis non colligas, prouincialiúmne commodis, an eorũ qui publicis equis currebant Pius ac Seuerus consuluerint. Alexander Seuerus antiquum ius retulisse visus est: *cum præberet prouinciarum præsidibus mulos binos, equos binos*, inquit Lampridius. sed non propterea minus illis publicus cursus fuit necessarius. Extat in Codice lex Arcadij, Honorij, & Theodosij A. A. A. qua vetantur prouinciarum duces, postquam in illas venerint, cursu atque angariis vti. Qua constitutione videtur beneficium ab Hadriano in illos collatum, partim confirmatum, partim abrogatum. Fuisse autem Hadrianum ad huius generis beneficia facilem, testis illorum temporum historia. Scribit Philostratus de Dionysio Milesio sophista: Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν. κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι. Vides simul deferri præfecturam prouinciæ, & ius vtendi publicis veredis. Et nota verbum κατέλεξε: ex quo intelligimus omnium qui hoc à principe beneficium impetrassent, nomina in laterculo fuisse descripta. Idem alibi de Heliodoro item sophista: αὐτῷ τε ἱππεύειν δημοσίᾳ ἔδωκεν, imperator videlicet, siue is Hadrianus fuit, siue aliquis Antoninorum: καὶ παισὶν ὁπόσους εἶχε. Si quis malit in istis similibusque locis δημοσίᾳ ἱππεύειν, de promotione in equestrem ordinem interpretari, non deerit, quo suam sententiam tueatur.

ib. *Ne magistratus hoc onere grauarentur.*] Iam exposuimus. Sed non deerunt fortasse qui referre malint ad magistratuum prædia quæ in Italia & prouinciis possidebant: quæ hac lege Hadriani munere angariarum fuerint subleuata. quæ interpretatio etsi non est absurda: ve-

riorem tamen censemus illam quæ à nobis supra est allata.

30. *Infinitam pecuniam quæ fisco debebatur.*] Fisci nomine etiã populi Ro. ærariũ debes hîc intelligere. Zonaras ex Dione: ἐπεὶ δ' ἐς τὴν Ῥώμην ἧκε, χρεωκοπίαν ἐκήρυξε τοῖς ὀφλοῦσι τῷ βασιλικῷ ταμείῳ, καὶ τῷ δημοσίῳ τῷ τῶν Ῥωμαίων. vbi vides tempus indicari liberalitatis huius; sub primum Hadriani Romam aduentum. Ex diuersis lapidibus discimus, inchoatam secundo eius cõsulatu liberalitatem, tertio, id est anno sequente fuisse consummatam.

ib. *Priuatis debitoribus in vrbe atque Italia.*] Separat debita ciuium vrbanorum atque Italicorum à debitis prouincialium. Omnes perinde fisco tenebantur: sed diuerso modo. ciues vrbani & Italici priuatim ex diuersis caussis: puta, legatis testamentorum, administratione rerum fisci, aut ærarij, item ex mulctis, & similibus: prouinciales homines etiam publicè tributorum reliqua debebant.

31. *In prouinciis verò etiam ex reliquis.*] Eusebius in Chronico, Ἀδριανὸς χρεῶν ὀφειλὰς τῶν ὑπ' αὐτὸν πόλεων (addit Cedrenus καὶ πολιτῶν) ἀνηκούσας τῷ δημοσίῳ λόγῳ ἀπέκοψε, καύσας τοὺς χάρτας. ὁ αὐτὸς Ῥωμαίοις φόρους πολλοὺς ἐχαρίσατο. de ciuibus vrbanis & Italicis nihil nominatim.

32. *Ex reliquis.*] Non rectè prius editi, *reliquis*: etsi dicunt Græci & ἐλλείμματα & λοιπάδας. dicunt & λοιπά. Gloss. λοιπὰ, *reliqua, reliquorum*. non vt est editum *reliquarum*.

ib. *Ingentes summas remisit.*] Definit vetus lapis summam huius indulgentiæ. IMP. CÆSAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. P. COS. III. RELIQVA. VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA. ait VETERA: hoc est proximorum sedecim annorum: quo spatio liberalitas hæc ab Hadriano circumscripta, teste Dione.

ib. *Syngraphis in foro incensis.*] Fecere hoc multi principes: qua de re ad Suetonium multa, libro secundo, capite XXXII. in editione altera: quæ certorum hominum culpa, quibus ante biennium eum codicem misimus, adhuc tamen differtur.

34. *Damnatorum bona.*] an omnium? an illorum tantum quatuor consularium, de quorum damnatione ac cæde modò dictum?

ib. *In fiscum priuatum redigi vetuit.*] quasi alius esset fiscus præter priuatum principis. Sed abutuntur vocibus *fiscus* & *ærarium* mediæ ætatis scriptores. Volcatius Gallicanus, in Auidio Cassio & gemina sententia. *Bona proscripti Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit: quare senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata.*

35. *Omni summa in ærarium publicum suscepta.*] Inuenio scripturam longe aliam in regio: vbi totus locus ita est conceptus. *Damn. b. in f. pr. r. vetuit. omnem summam in ærario publico receptam, pueris ac puellis, quibus e. T. a. d. incrementum liberalitatis adiecit.*

ib. *Pueris ac puellis quibus etiam Trai.*] Veteri lege ante vndecimum

ætatis annum pueri ad frumentationem non admiſſi. Primus gratiam fecit annorum Auguſtus, vt narrat Suetonius, vitæ eius, capite XLI. Sed Auguſti beneficium ad vnam aut fortaſſe alteram ipſius liberalitatem pertinuit, non immutata lege veteri: quam primus ille Optimus principum labefactauit, etiam cum pueris & puellis hoc iure communicato. Quo nomine merito laudatur in illo perfectæ artis panegyrico Plinij. Aucta eſt deinde aliorum principum munificentiâ Traiani liberalitas: quod in Hadriani, Pij, & Marci, vitis non eſt prætermiſſum. Signatè locutus eſt cum dixit, *incrementum liberalitatis adiecit.* nam huiuſmodi largitiones *incrementa* vocabant. Flauius Vopiſcus in Probo. *vt eius dignitas incrementis adiuuetur.* id eſt, liberalitate. Sic in veteribus inſcriptionibus, vt obſeruatũ eſt Ioſepho Scaligero: INCREMENTA. PVERIS. CVRIÆ. ET. SPARSIONEM. NVCVM. DENT. Contra apud Caſſiodorum libro nono, AVGMENTVM, proprium tributi nomen. & in XVII. Ammiani indictionale AVGMENTVM, quod & *Incrementum* appellat.

37. *Senatoribus patrimonium expleuit.*] Suetonius in Veſpaſiano, *Expleuit cenſum ſenatorium.* Exemplum ab Auguſto. Suetonius, cap. XLI. *Senatorum cenſum ampliauit, ſuppleuitque non habentibus.* de Nerone idem cap. X. *Senatorũ nobiliſſimo cuique, ſed à re familiari deſtituto, annua ſalaria, & quibuſdam quingena conſtituit*, narrat & Tacitus Annal. lib. XIII. vbi ſumma eadem: quam & Veſpaſianus retinuit, vt eſt apud Suetonium. Sed illud Hadriano proprium, quod *pro liberorum modo* cuique cenſus expletur ſenatoriæ profeſſionis. Addit, *qui non vitio ſuo decoxerant*: quia in decoctores ſeuere animaduertit Hadrianus, vt narratur inferius.

Pag. 6. verſ. 2. *In diem vitæ ſuæ.*] διὰ βίου. Mira locutio: nam dies obitus intelligitur, ſiue vltimus vitæ. Saxum vetus Romæ: IN. DIEM VITÆ SVÆ QVIBVS. EX. S. C. COIR. LIC. OB. DEDICATIONEM. DEDIT SING. &c. B. Ambroſius, epiſtola XXIV. *Tu obtuliſti quaſi arbiter litis, vt ſoror in diem vitæ ſuæ poſſideret partem prædij: poſt obitum eius fratri cederet omnis poſſeſſio.* Sic viuere pro mori. Capitolinus in Vero: *non imperando ſecutos ordinem: ſed viuendi.* id eſt, vitam implendi & moriendi, vt ibi exponemus.

ib. *Dimenſum ſine dilatione reſtituerit.*] Lego *præſtiterit*, aut, *exhibuerit.* Eſt enim *reſtituere* debitori proprium verbum, non beneficium præſtantis.

4. *Sed etiam paſſim aliquantis m.*] Regius, *ſed peſſimis etiam al.* atque ita deſcripſit. Robertus Bonon. ſanè peſſimè: nam verum eſt *paſſim*: id eſt, χύδην & ſine priuatæ amicitiæ reſpectu, vt quemque fors obtulerat Hadriano eius opis egentem. inde *paſſiuus* apud Tertull. & Firmium, & *paſſiuitus*, quod aliis paſſim. De pallio: *pars veſtium paſſiuitus omnibus vtiles.* hoc eſt, αἱ δὲ ἀδιακρίτως πᾶσι χρησιμεύουσι. *Aliquãtis* pro aliquot, vt *tanti* pro tot, *quanti* pro quot, apud Tertullianum & omnes inferio-

res ſcriptores nuſquam non. etiam apud Manilium, poëtam adeo antiquum, aliquoties. Sic apud Græcos πόσοι & ποσοῦτοι confunduntur.

5. *Sumtibus iuuit.*] id eſt pecunia. M. Tullius, *pecuniæ collocandæ ratio eſt, quæ perpetuos ſumtus ſuppeditat.* Infra, *& ſeruis eum donauit & ſumtibus.* ſic cum dicimus, *magnis ſumtibus redimere aliquid.* vel alimentis: vt apud Græcos ἀναλίσκειν pro edere. & ἀναλώματα victus: Paulinus in vita Ambroſij, *cui non minimum ſolatij ſacerdos præbuit, dando ſumtus, vel alia quæ erant neceſſaria.* ſeparat victum ἀπὸ τῶν ἐπιτηδείων. cum tamen ſæpe idem ſint. Inde *exercere ſumtum diurnum*, locutio eius ſeculi, pro χρηματίζειν, πορίζειν αὐτῷ τὰ ἐπιτήδεια, vel τὰ καθ' ἡμέραν. Ambroſius libro ſecundo, cap. xv. *maximè ſi non effuſione adoleſcentiæ, ſed direptione alicuius, & amiſſione patrimonij, in eam reciderit iniuriam, vt ſumtum exercere non queat.* Sic loquitur & alibi, vt epiſtola xvii. *Quid mihi prodeſt in clero manere, ſubire iniurias, labores perpeti, quaſi non poßit ager meus me paſcere: aut ſi ager deſit, quaſi aliter exercere ſumtum nequeam!* Mox, *quaſi verò hoc ſolum ſit in clerico, vt ſumtum expediat ſuum.*

7. *Mille feras natali ſuo exhibuit.*] Dio centum leones & leas totidem ludis natalitiis ſimul exhibuiſſe Hadrianum ſcribit. vt mirum non ſit vniuerſas eorũ ludorum feras tot numero fuiſſe, quot ait Spartianus.

8. *In contubernium imperatoriæ maieſtatis.*] hoc eſt, in conſilium ſuum, & ad de publicis rebus conſultationes. hoc enim vocat cõtubernium imperatoriæ maieſtatis. Sic Auguſtus è ſenatoribus conſilium ſibi inſtituit, cum quo de negotiis ad frequentem ſenatum referendis ante tractaret. Suet. cap. xxxv. Nihil hoc ad conuictum & interiorem Hadriani vitam.

9. *Et in concione & in ſenatu ſæpe dixit.*] Robertus à Porta olim legit, *& in conſilio & in ſ.*

10. *Vt ſciret populi rem eſſe, non propriam.*] Eadem mens illius φιλοσοφωτάτου imperatoris Marci, de quo Dio Caſſius, ὁ Μάρκος πάντα τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τὰ χρήματα, καὶ τἄλλα ἔλεγεν εἶναι. Alexãder quoque Seuerus diſpenſatorem ſe publicum ſolitus appellare.

11. *Tertiò conſules cum ipſe ter fuiſſet, plurimos fecit.*] Quinam ſunt iſti tertiò conſules ab Hadriano facti? nam in faſtis cõſularibus vix vnum inuenias aut alterum. atqui Spartianus ait factos plurimos. vereor ne oratoriè nimis. Sed interiere videlicet horũ nomina, vt fere omnium ſuffectorum conſulum: quos memoriæ hominum ereptos fama obſcura recondit. Cur autem non & quartò conſules quoſdam fecit? Eius rei rationem reddit hanc Spartianus: cum ipſe ter fuiſſet. Res nempe abſurda futura erat, ſi aliquis reperiretur, qui ſæpius quàm Imperator conſul fuiſſet: neque hoc moderatio & pudor tunc hominum ſuſtinuiſſet, vt diſcimus ex Plinij Panegyrico. Obſeruabamus ad quartum Suetonij, manſiſſe conſulatui ſummum honorem, etiam poſt imminutum, & penitus eneruatum eius robur. Inter præcepta imperandi qui-

bus apud Dionem libro LII. Augustus instituitur à Mecænate, est & istud: τοῖς ὑπάτοις τὴν μὲν τιμὴν φύλαξον, τῆς δὲ ἰσχύος παράλυσον. Vtrumque seruatum est ad vltima vsque tempora. durauit verborum honos, potentia est sublata. Suetonius vocat *summam potestatem*, cap. XXII. eius libri. Plinius quoque in Panegyrico, imperium & consulatum duas nominat *potestates summas*. Procopius Persicorum libro primo, de infelice illo Iohanne, ἄνδρα ἐς τὸν ὑπάτων ἀναβεβηκότα τὸν δίφρον· οὗ μεῖζον εἶναι οὐδὲν ἔν γε τῇ Ῥωμαίων πολιτείᾳ δοκεῖ. negat esse maiorem vllum cõsulatu gradum dignitatis in Rep. Ro. neque imperium saltem excipit: vt neque B. Chrysostomus homilia decima in eam ad Hebræos. τί γὰρ εἰπέ μοι, μέγα νομίζεις; ποῖον ἡγῇ μέγα ἀξίωμα εἶναι; τὸ τοῦ ὑπάτου; οὐδὲν γὰρ τούτου τοῦ ἀξιώματος μεῖζον νομίζουσιν οἱ πολλοί. Corrige verò apud eundem sanctissimum patrem paullo post: ποῦ εἰσὶν οἱ δεκάκις ὕπατοι γενόμενοι; non vt editum est δέκα: quod interpretibus imposuit. Repetitio consulatus honorem augebat. Esto, inquit, fuerint aliqui decies consules: illi tamen, vbi iam sunt? Sequentia lege.

14. *Senatui legitimo.*] Exposuimus ad Suetonium libro II. cap. XXXV. Capitolinus in Gordianis, *Non legitimo sed indicto senatu* COS. *venit in curiam.*

15. *Senatus fastigium in tantum extulit.*] Certum multis argumentis. Inlustre est quod commemorat Vlpianus libro primo, De appellationibus: *Sciendum est appellari à senatu non posse principem: idque oratione diui Hadriani effectum.*

16. *Ex præfecto prætorij faceret senat.*] nam præfectura prætorij ex Mecænatis consilio, quod ille Augusto dedit, vt refert Dio libro LII. penes equestrem ordinem diu mansit: rarissime ad præfecturam vocatis qui ordinis essent senatorij: interdum tamen: vt de Arretino Clemente refert Tacitus: de Tito obseruat Suetonius. Mutauit hoc institutum Alexander Seuerus: qui narrante Lampridio, *præfectus prætorio suis senatoriam addidit dignitatem.*

20. *Equites Romanos nec sine se de senatorib.*] Capitolinus in Marco, *Hoc quoque senatoribus detulit, vt quoties de eorum capite esset iudicandum, non pateretur equites Romanos talibus interesse caussis.* Iudicabat tamen de senatoribus præfectus prætorio, qui rarissimè factus ex ordine senatorio: idque ad Alexandrum Seuerum video obtinuisse: qui, vt scribit Lampridius, *idcirco senatores esse voluit præfectos prætorij, ne quis non senator, de Romano senatore iudicaret.* cognouit & præfectus vrbi de senatore: vt ex Dione & libris iuris constat.

26. *Vt ei venienti de cubiculo semper occurrerit.*] Ita moris fuit comioribus principibus, & magis ciuilibus. ideo Flauius Vopiscus in describenda superbia Carini imperatoris. *Præfectus nunquam* COSS. *obuiam processit.* vbi legendum censeo: *Præfectus nunquam aut* COSS. *obu. proc.* Ammianus de Iuliano: *cum die quodam caussa eius spectandi venisse nuntia-*

tus esset ex Asia philosophus Maximus, exiliuit indecorè: & qui esset oblitus, effuso cursu à vestibulo progressus exosculatum susceptumque reuerenter secum induxit.

27. *Nec secum tamen.*] Scias dedisse hoc Hadrianum Seruiani moribus: qui etiam in illa extrema ætatis suæ tegula φρονηματίας τὶς ὢν, regiosque adeo animos gerebat: quo & nomine tandem sibi pernitiem acciuit. Nam quod vel ipse, vel conscius morum eius imperator, parum putauit honorificum: id videas ab aliis expetitum ambitiosissimè: vt collegæ in consulatu essent principis. Quare Traianus tertium consulatum ideo in plures produxit menses, vt duos summos viros pariter consules tertio, collegas sibi alterum post alterum posset facere. auctor Plinius: qui magnitudinem huius honoris elegantissimè describit hisce verbis. *Quanti tunc illi, quantúsque tu? Accidit quidem vt corpora quamlibet ardua & excelsa procerioribus admota decrescant: item vt altißimæ ciuium dignitates collatione fastigij tui, quasi deprimantur: quantóque propius ad magnitudinem tuam ascenderint, tanto etiam à suo descendisse videantur. Illos tamen tu quanquam non potuisti tibi æquare quum velles, adeo in edito collocasti, vt tantum supra cæteros, quantum infra te cernerentur:* Sane tanti honor iste habitus est, vt eum postea principes priuatis inuiderint: sed restituit Iulianus. Ammianus libro XXIII. *Iulianus iam ter consule ascito in collegium trabeæ Sallustio præfecto per Gallias, quater ipse amplißimum inierat magistratum. & videbatur nouum adiunctum esse Augusto priuatum: quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum.*

28. *Ne esset secundæ sententiæ.*] Ipséne an Seruianus? Hadrianum imperatoria maiestas supra collegam efferebat: Seruianum, si antiquis moribus fuisset locus, ætas, & quod vt Spartianus ait, bis ante Hadrianum consul fuisset. Primæ aut secundæ sententiæ esse dicebantur propriè senatores, non autem consules. horum erat relatio: illorum sententiæ dictio. Primi sententias rogabantur COSS. designati: aut si ij nulli essent, princeps senatus. quare *primæ sententiæ senator*, & *princeps senatus* tantundem valent. Trebellius Pollio in Pisone tyranno; *Aurelius Fuscus consularis primæ sententiæ, qui in locum Valeriani successerat.* Valerianum autem Capitolinus in Gordianis vocat *principem senatus*. Trebellius, *clarißimum principem ciuitatis*. Vopiscus in Aureliano, *Tunc surrexit primæ sententiæ Vlpius Syllanus*. Ita sæpe legas *primæ sententiæ senatorem*. etiam in lapide, qui honori Symmachi fuit dicatus. QVI. PRIMVS. IN. SENATV. SENTENTIAM. ROGARI. SOLITVS. Allusit huc Lactantius, libro primo, capite X. *Liberum patrem necesse est in senatu deorum summæ auctoritatis, primæque esse sententiæ.* Consulem verò primæ sententiæ aut secundæ, legere alibi non memini. quanquam & consules sententiam rogabantur: designati quidem semper: qui autem inierant & consulatum agebant, quoties Cæsar referret, vt obseruat Tacitus libro tertio Annalium.

30. *Theatrum quod ille in campo Martio posuerat.*] P. Victor in descriptione Vrbis, *Traiani porticus in campo Martio.* theatri, vt ab Hadriano destructi, mentio nulla.

33. *Mandata sibi vt faceret decreto Traiani.*] Vetus ars principum ad declinādam tristioris facti inuidiam. Sic Antonius & Octauius, omnia ex tabulis Cæsaris fingebant se facere: Tiberius ex Augusti præceptis.

37. *Quorum quidem necem in Tatiani consilia refundebat.*] Regius, *quorum quidam necem in Arciani c. r.* Ἀκυρολογία est, *refundere*, pro transfundere, vel transferre, & vt vertitur in Glossis, μεταβάλλειν. propriè est μετεγχέειν. Iurisconsultis ἀναλύειν τὴν δαπάνην: cum restituitur facta impensa. Apud Pollionem in Claudio, *loricam refundere, cocum refundere*: reddere cum fueris vsus.

Pag. 7. vers. 1. *Cui cum successorem dare non posset.*] *Dare successorem* alicui dicebant, vt verbi inuidiam mollirent, pro summouere, exauctorare, καθαιρεῖν. paullo post, *Septitio Claro & Suetonio Tranquillo successores dedit.* Capitolinus in Pio, *Nulli eorum quos Hadrianus prouexerat successorem dedit.* idem, *Successorem viuenti bono iudici nulli dedit.* Lampridius in Alexandro Seuero, *Si vnquam alicui præsentium successorem dedit, semper illud addit, Gratias tibi agit Resp.* sic *mittere successorem*, & διάδοχον πέμπειν apud Herodianum, pro abrogare alicui imperium.

3. *Etiam Simili alteri præfecto.*] Erant igitur illa tempestate duo præfecti prætorio: quod iam inde ab Augusto interdum accidisse obseruat Dio. postea auxit variè numerus. Similem in præfectura collegam Tatiani tollit in cælum laudibus Dio, & ex eo Zonaras, Cedrenus alij. Vellem tanti viri proprium nomē & prænomen ne nobis inuidissent. Cedrenus nouè Græca facie induit hoc nomen, Σίμηλος efferens: quod doctissimo interpreti imposuit. Dio & Zonaras Σίμιλις· quod miror: nam huius formæ Latina nomina Græci in ιος fingunt: vt, Nobilis, Νωβίλιος: *Illustris*, Ἰλλούστριος; *Perennis*, Περέννιος: *Martialis*, Μαρτιάλιος in Pandectis. In antiquis inscriptionibus male sculptum aut descriptum, P. ΑΛΦΙΗΝΟΣ ΜΑΡΤΙΑΛΙΣ. oportuit Μαρτιάλιος.

4. *Septicium Clarum.*] Reg. *Seccium.* perperam: notissimus vir ex historicis, & Plinij epistolis.

7. *Optimum quemque amicitiis suis iungens.*] Etsi de Campanis hominibus solùm videtur loqui, est tamen verum etiā in aliis. Dio obseruat & Romæ & in prouinciis optimum quemque in contubernio suo habuisse Hadrianum: cum iis cœnitasse: atque adeo sæpe quartum in curru vectum. quod & de Traiano quoque idem, καὶ πολλάκις δὲ τέταρτος ὠχεῖτο.

8. *Prætorum & consulum officia frequentauit.*] Ita imperatorum comissimus quisque. De Augusto & Suetonius & Dio multa: qui etiam de Traiano refert similia. De istis officiis diximus ad Suet. libro secundo, capite LIIII.

ib. Con-

ib. *Conuiuiis amicorum interfuit.*] Dio, τοῖς ἑορτάζουσι φίλοις συνδιῃτᾶτο.

9. *Aegros bis ac ter die.*] qui præſertim grauius ægrotarent. Dio, τοὺς πάνυ νοσοῦντας φίλους ἐπισκέπτετο· poteſt verti, *amicos grauius ægrotantes viſitauit.* vel, *coniunctiores amicos ægrotantes v.* Spartianus infra, *ægros milites in hoſpitiis ſuis viſebat.* Apparet magni Romanos officij genus hoc æſtimaſſe: cuius adeo frequens in vitis imperatorum mentio. Regius, & à Porta, *ter in die.* τρὶς καθ' ἑκάστην ἡμέραν. at *ter die* τρὶς τῆς ἡμέρας. vtrumque in vſu. *ter in anno* apud Plautum, τρὶς τοῦ ἔτους.

12. *Socrui ſuæ honores præcip.*] Marcianæ ſorori Traiani: quam etiam Auguſtæ nomine fuiſſe decoratam, nummi teſtantur & ſaxa. Eadem mortua in deos relata, & DIVA eſt appellata. Ludi gladiatorij ſolennis honos funereus omnium Auguſtorum. iterum Spartianus infra: *Romæ poſt cæteras immenſiſſimas voluptates in honorem ſocrus ſuæ, aromatica populo donauit.*

13. *Cæteriſque officiis.*] Significat etiã ſacerdotes & flaminicas Marcianales illi ab Hadriano inſtitutas. Leges in veteri ſaxo inter cætera, SEVERINÆ. SACERDOTI. DIVÆ. MARCIANÆ.

ib. *Poſt hæc profectus in Gallias.*] *poſt hæc* id eſt, poſteaquam reuerſus è bello Sarmatico, res vrbanas & Italicas ordinaſſet. Hæc ſecunda Hadriani, ex Vrbe profectio extra Italiam.

14. *Omnes cauſariis liberalitatibus ſubleuauit.*] Regius, *caſuariis liberalitatibus ſ.* Robertus Bon. *omnes libertatibus ſubleuauit.* alij, *o. cauſarios l. ſ.* Quarum omnium lectionum nulla eſt quam vulgatæ merito anteponamus. *Cauſſaria liberalitas* ita dicta, vt miſſio cauſſaria. nam vocabulum *cauſſa*, etſi natura ſua μέσον: in deteriorem tamen partem accipiebant: quod & in aliis dictionibus multis accidit, vt τύχη, συμφορὰ, *caſus*, *valetudo*, aliis. inde eſt *cauſſa* pro morbo, apud Marcellum Empiricum, & alios medicos Latinos. *in cauſſa* eſſe pro νοσεῖν eidem, capite ſeptimo, & *locus qui eſt in cauſſa*, ὁ τεπονηθὼς, cap. XV. *oculorum cauſſarius*, capite octauo, ὁ νοσῶν τὼ ὀφθαλμώ. paullo aliter apud Scribonium Largum, *medicamentum cauſſam faciens*, capite XCI. cum vim ſuam incipiens exerere dolorem gignit. *Cauſſaria miſſio*, cui morbus cauſſa fuit, vt loquitur Liuius. ſic *cauſſaria liberalitas*, cui aliquis caſus ac calamitas fuit cauſſa: puta, terræ motus: etſi ea fortuna rarius interuenit Galliarum opidis: interdum tamen: ſicut ante annos octodecim, cum Heluetiæ pars graui motu eſt concuſſa: quem & Allobrogum ditio in qua eramus, & vicina quoque Lugdunenſis ſenſerunt. Sed & alij multi ſunt caſus per quos liberalitas principis poſſet prouocari, vt vel reliqua tributorum remitteret, vel eorum minueret modum. Cauſſaria liberalitas opponitur illi, quæ virtutis ergò aut meritorum impetretur. In membranis queis olim in Italia præſtantiſſimus Puteanus eſt vſus, ſcriptum, *cenſuariis liberalitatibus.* quæ fortaſſe vera lectio. Videtur Hadrianus cum in Galliis eſſet, cenſum egiſſe Galliarum, exemplo Auguſti: de quo Liuij

caussaria missio
caussaria liberalitas

Epitome libro CXXXIIII. *Cum ille conuentum Narbone egit, census à tribus Galliis quas Cæsar pater vicerat actus.* apud Tacitum primo Annali Germanicus per Gallias censum agit & accipit. Egit postea & Claudius Cæsar, vt ex eius oratione constat, quam hodiéque in æs incisam Lugduni videre est, & nos vidimus. Neque dubium lustris singulis mitti solitos qui tabulas censuales reficerent, & denuò rationem cuiusque censuum inirent. ex censu enim tributum pendebant Galliæ: quod etiam census dicitur, & Græcis κῆνσος. In antiquis Inscriptionibus huius rei fit sæpius mentio. Igitur *liberalitates censuariæ* erunt, quas in exigendis professionibus censualibus, aut censibus ipsis, & in priuos Gallos, & in vrbes ipsas Galliæ contulit Hadrianus. Tertullianus De pallio, in Seueri encomio, & describenda seculi felicitate, illud etiam ponit, quod beneficio principis *multorum census transcripti.* quæ verba etsi possunt & aliter accipi, putem tamen ad censuarias ordinationes vel liberalitates esse referenda. Atque hoc tempore, & occasione ista, videntur cusi nummi in Hadriani honorem. RESTITVTORI GALLIÆ. & CONSERVATORI GALLIÆ.

17. *Ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans.*] Scribebam, *v. militarem agitans.* nam τὸ m potuit repeti ex fine dictionis præcedentis. Sic etiam emendabat doctissimus Puteanus, non ex libris, sed ex ingenio. Retineo tamen scripturam librorum, *magistrans* pro agens magistrum vitæ militaris. στρατιώτου βίου ἡγούμενος, vel, οἷς ἐποίει τύπον στρατιωτικοῦ βίου παραδιδούς. Dio de Hadriano, πάντας ἐδίδασκε ἃ χρὴ ποιεῖν. alij Græci, τῷ καθ' ἑαυτὸν ὑποδείγματι πρὸς ὅμοιον ζῆλον ἐκκαλεῖ. Sic apud elegantissimum scriptorem Iohannem Cassianum, discere aliquid *magistrante experientia* duobus locis. verbo *magistrari* vsus Aurelius Victor. Alibi dicitur, *facere aliquid ad exemplũ docẽdi.* Vopiscus in Tacito: *ad exemplũ docendi milites frequẽter equitare.* Treb. Pollio in Macriano, *senex sum, ad exemplum equitare non possum.* mox, *cum in diuersis præliis ad exemplum fortiter faceret.* Spartianus statim, *exemplo virtutis suæ cæteros adhortari.* hinc in antiquis inscriptionibus VIR. ACTIBVS. AD. EXEMPLVM. PRÆCIPVVS. Sed mirum quod ait Spartianus, *inter manipulares*, id est, in peditum contuberniis cum ipsis militibus caligatis sumtum ab Hadriano cibum, non secus atque ab aliquo gregario cõmanipulone.

ib. *Cibis etiam castrensibus.*] facilibus paratu & minimè delicatis: sed vt Tacitus ait de Vespasiano, *cibo fortuito*: vt Ammianus, *breui & vili* σκληρὰν δίαιταν appellat Dio: cuius sunt de Hadriano, σκληρᾷ πανταχοῦ τῇ διαίτῃ ἐχρῆτο. alibi idem, στρατιωτικῶς περὶ τὴν τροφὴν ζῶν. Apud Aristophanem in Equitibus allia & cæpe vocantur ναυτικὰ καὶ στρατιωτικὰ σιτία ab eius scholiasta. apud Synesium De regno, cibi quibus in castris vtitur Carinus imperator sunt, puls è piso, & laridum. τὸ δὲ δεῖπνον ἦν, inquit, πίσινον ἕωλον ἔτνος, καὶ ἐν αὐτῷ τεμμάχια ἅττα, ταρίχη κρεῶν ὑείων, ἀπολελαυκότα τοῦ χρόνου. De militaribus cibis passim in his libris, aliisque auctoribus, & in Codice.

18. *In propatulo.*] non in tabernaculo,aut ſub cryptis vel trichilis: ſed ſub dio omnibus ſpectantibus: ὅπως γε, ait Dio, ὁρῶντες ὠφελοῖντο. vel ſi in tentorio, at aperto illo & vndique patente. Lampridius Alexãdro: *apertis papilionibus prandit atque cænauit.* Mamertinus de Iuliano parabata. *qui ſæpius ſtatarium prandium ad neceßitatem humani corporis capiat, gaudens caſtrenſi cibo,miniſtro obuio,& poculo fortuito.*

19. *Exemplo Scipionis Aemiliani.*] cuius ſeueritatem in exigenda atq; etiam intendenda diſciplina militari,omnes hiſtorici celebrãt,in belli Numantini præſertim hiſtoria. Vide Polyænum libro octauo, & Iulium Frontinum libro quarto,capite primo. idem ſcriptor alibi: *Aemilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane veſci ſolitum.*

ib. *Metelli.*] Q. Cæcilij Metelli Numidici,qui bello Iugurthino in Numidiam profectus malos militis mores, & omnibus partibus corruptam militarem diſciplinam ſingulari diligentia reſtituit, vt refert Salluſtius,& in eo bello alij.

ib. *Et auctoris ſui Traiani.*] Plinius in Panegyrico,de Traiano in militiam proficiſcente, *Nullus in exigendis vehiculis tumultus,nullum circa hoſpitia faſtidium, annona quæ cæteris.* Auctorem Hadriani Traianum vocat,à quo imperium habuerat,& in cuius cõtubernio militarem diſciplinam addidicerat. Marcellinus de Cæſare Gallo *auſurus hoſtilia in auctorẽ ſuæ felicitatis.* apud eundem lib.XXI.cum in curia recitaretur Iuliani in Conſtantiũ inuectiua,exclamat vniuerſus ſenatus, AVCTORI TVO REVERENTIAM ROGAMVS. non intellexit hanc vocem Robertus Bon. qui dixit, *prædeceſſoris ſui.*

22. *Poſt Cæſarem Octauium.*] Reg. *Octauianum.*

23. *Labantem diſciplinam retinuit.*] Ideo percuſſi nummi, non per adulationem,ſed ex rei veritate,ſic inſcripti: HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. & ab altera parte, DISCIPLINA. AVG. S. C. nec Diſciplina retinuit ſolùm in præſens,ſed & promulgatis,multis conſtitutionibus militari Augusti in poſterum ſanciit. Earum meminère multis locis ciuilis prudentiæ conditores,& Vegetius,qui inde multa ſumſit. Dio etiam ſcribit militaria Hadriani inſtituta,ſua adhuc ætate pro legibus fuiſſe obſeruata: quod & Valeriani Imp. epiſtola docet, quam habes apud Vopiſcum in Probo.

24. *Ordinatis officiis.*] Victor alter, ſiue Victorinus, de Hadriano, *Officia ſane publica & palatina, necnon militiæ,in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis perſeuerat.* Quid autem immutatum ſit ab Hadriano,de priore Auguſti ordinatione circa officia,& vniuerſam Remp. non eſt hic locus pluribus explicandi. Et factum iam accuratiſſimè à peritiſſimo hiſtoriæ Romanæ viro Onuphrio Panuinio.

ib. *Nunquam paſſus aliquem à caſtris iniuſtè abeſſe.*] Hoc ait: cauiſſe Hadrianum ſeuerè,ne tribuni gratioſos militibus commeatus,ſub ob-

tentu falſarum cauſſarum,darent. Quorum fuerit hoc ius, largiendi commeatus, diſcas melius ex titulo Codicis De commeatu, quàm ex Vegetio.

25. *Cum tribunos non fauor militum ſed iuſtitia commendaret.*] Duobus modis ad tribunatum militum perueniebatur ſub extrema libertatis tempora: vel populi ſuffragiis in comitio: vel militum commendatione apud imperatorem. Idem ſeruatum & diu poſtea, commutata Reip. forma.

27. *Cum etiam vicena millia pedibus armatus ambularet.*] nimirum Hadrianus ad manipularis militis modum omnia agebat. Vt plurimum itinera militum ita ſe habebant: horas quinque ambulabant quotidie: eo ſpatio conficiebant modò vicena, modò vicena & quaterna paſſuũ millia. Ille militaris gradus,hic plenus dicebatur, vt ſcribit Vegetius libro primo,cap.IX. Exempla cõtentioris itineris qua paſſim in hiſtoriis, nihil ad conſuetam & ordinariam rationem, quæ tangitur hîc à Spartiano. Etiam in iure ciuili ad legitimum diei vnius iter viginti millia paſſuum prẹſcribuntur,non amplius:vt in lege tertia De verborum ſignificatione,& alibi ſæpius.

28. *Triclinia de caſtris dirueret.*] vt vel ſedentes, vel etiam ſtantes cibum ſumerent,lectos tricliniares ſuſtulit,& totum illum apparatum, quo triclinia moris erat inſtrui. Appianus de Scipione Aemiliano, κλίνας τε ἀπεῖπεν ἔχειν καὶ περόνας ἐπὶ σιβάδων ἀνεπαύετο. videtur hic cenſor vtroſque ſummouiſſe lectos,& tricliniares & cubiculares. Faciunt ad lucẽ huius loci & quæ ad Suetonium ſcripſimus libro primo, capite XLVI. & magis quæ in commentario De lectis & ſtragula veterum veſte. Fuit ſanè mos hic militiæ, vt ſtantes ſumerent cibum. Ammianus de Iuliano, *Per varios procinctus ſtans interdum more militiæ cibum breuem vilémque ſumere viſebatur.*

ib. *Porticus & cryptas*] Huiuſmodi loca ſibi comparabant,qui inter ambulandum,exercendum, aut veſcendum, neque æſtatis neque hiemis ferre poterant incommoda. quod tamen non in omnibus fiebat caſtris:ſed iis ſolùm vbi collocati milites præſidiarij & limitanei. nam horum caſtra cum temporaria non eſſent vrbium inſtar habuerunt. Porticus vt & balnea inter delinimenta vitiorum cenſet grauis auctor Tacitus in vita Agricolæ. Earum & figura & vſus multiplex ac varius, auctore Vitruuio: item cryptarum. Sic propriè appellatur locus in ædibus minus expoſitus hominum oculis & latens, aut in quo res lateant reconditæ. Vitruuius iunxit cum horreis & apothecis, libro ſexto. Vlpianus Iuriſconſultus homo Tyrius vocem hanc latinitate conatus donare,*refugia* dixit,ſanè durius,lege XIII. De vſufructu. Hieronymus apud Hieremiam prophetam מְלֹט capiens pro effugij loco, vertit *cryptam*. hîc verò cryptæ ſunt quas Vitruuius alibi hypogæas deambulationes nominat: porticus quædam ſubterraneæ, quæ ideo

etiam

etiam cryptoporticus vocantur Vitruuio, Plinio, & ex hoc, Apollinari Sidonio. Has igitur hypogæas cryptas destruit Hadrianus, vt luxus instrumenta. Ambrosius epistola XII. *Luxuriosorum est hypogaa quarere, captantium frigus æstiuum, eo quod resoluti delitiis æstus aliter ferre ac tolerare nequeant, & ideo quærant vmbrosa penetralia: vel quod desidiosi ignaua sub terris agant otia.* postea, *sciebat desides esse habitantes in hypogæis & voluptatum gurgustiis*. Porrò quæ Spartianus de sublatis tricliniis, porticibus ac cryptis hîc dicit, verbo indicantur in Dionis Epitoma: τὰς οἰκήσεις ἐφορῶν: quæ hinc lucem accipere debent.

ib. *Et topia.*] quid sit *topiarium opus* apud Plinium, vel *herba topiaria*, apud M. Tullium, *topiariam facere*, apud Vitruuium *varietatibus topiorum ornare*, &, *per topium pingere*, ignorat hodie nemo. Funiculis opus totum dirigitur: iisque adeo plurimum artifices topiarij vtuntur. inde nomen arti. nam τοπεῖον Græcis restis aut funis.

29. *Vestem humillimam.*] castrensem videlicet dictam: de qua multa alibi. Tacitus de Vespasiano, *veste habitúque vix à gregario milite discrepans.* Quæcunque autem de Hadriani vestibus hîc dicuntur, ad illud referenda sunt tempus, quo versatus est in castris. Alibi habuisse illum imperatoriæ stationis quam temperabat, rationem, certissimum est. nam & auro clauatis mantilibus eum esse vsum omnium primum, fuere qui scriberent, vt refert in Alexandro Lampridius.

ib. *Sine auro balteum sumeret.*] cum tamen balteos ornatos auro & gemmis constellatos duces Romani haberēt. vide Trebellium Pollionem in Salonino Gallieno. sed is luxus post Hadrianum in mores publicos irrepsit. nam idem Pollio in altero Gallieno vt rarum obseruat, quod *gemmato balteo sit vsus*. & Vopiscus de Carino, *habuit balteum etiam sæpe gemmatum.* Caussam aperit Herodianus de Macrino scribens imperatore: περόναις τε πορπαῖς καὶ ζωστῆρι χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις τιμίοις πεποικιλμένοις κεκοσμημένος. τῆς τοιαύτης πολυτελείας παρὰ τοῖς Ῥωμαίων στρατιώταις οὐκ ἐπαινουμένης, βαρβάρου δὲ μᾶλλον καὶ θηλυπρεποῦς εἶναι δοκούσης. non separat imperatorem à milite: sed tam in illo quàm in isto luxum damnat circa baltea siue aurata siue gemmata. Sane baltea gemmata districtè vetantur lege prima Cod. Nulli licere in frenis, &c.

30. *Sine gemmis fibulas stringeret.*] balteo solent iungi fibulæ: & apud Græcos similiter ζωστῆρος & πορπῶν iunctim sæpe mentio. veteres etiam pallia & saga fibulis annectebant. Liber Puteani, *f. g. fibula stringeret.* non probo: nam *fibulas stringere* siue *astringere* ita dictum, vt mox, *spatham claudere.* Vopiscus obseruat in Aureliano, *vt fibulas aureas gregarij milites haberent, idem primus concessit: cum antea argenteas habuissent.* In Codice etiam præcipitur idem: *Fibulis in chlamydibus his vtantur quæ solo auro & arte pretiosæ sunt.* gemmatæ prohibentur. Fibulas è margaritis commemorat Vlpianus lege XXV. De auro, argento, m.

ib. *Capulo vix eburneo spatham clauderet.*] spatha, σπάθη. notæ voces

& ſignificatus illarum varij. At bonus Egnatius pueriliter hîc errat. nam ſi Græcæ vocis etymum ignorabat, conſuleret ſaltem Vegetium. Atqui σπάθη pro latiore gladio, adeo antiqua vox, contra quàm ille criticus pronuntiat, vt videatur nobis ספסירא vox Chaldaica inde originem habuiſſe. extat in Targumin librorum ſacrorum aliquoties; vt capite XII. Prouerbiorum Salomonis, & in hiſtoria Eſtheræ cap. VIII. non ſemel. cuius libelli paraphraſis Græcis vocibus eximie referta, mixtis etiam quibuſdam Latinis. ספסירא σπασίελιον, leuiter corruptum pro σπαθάλιον. & fortaſſe irrepſerit ס pro ט ob affinitatem figuræ. aliter tamen auctor Aruch. ſed hæc non huius loci. *claudere ſpatham capulo*, venuſtè dictum & Λακωνικῶς, pro enſem geſtare, cuius in extremo ſit capulus eburneus. Amat Tertullianus hæc loquendi genera: vt De Pallio: *Aries trabes machina eſt, quæ muros frangere militat.* id eſt, qua vtuntur militantes in frangendis muris. non enim audiendi qui emendant *minitat*. Enſium capuli tenuioribus è cornu. Apud Euripidem in Phæniſſis μελάνδετον gladium, ſcholiaſtes interpretatur, habentem μέλαιναν λαβὴν κερατίνην. Baſilius in Grammaticis: Κερόκοπον ξίφος, τὸ ἀπὸ κέρατος ἔχον τὴν κώπην, ἤτοι τὴν λαβήν. honeſtioribus ex ebore: quod & appellatione cornu poteſt intelligi, ex Oppiani quidem ſententia. Virgilius, *atque enſem collo ſuſpendit eburnum*. Legas etiam capulos ex auro, argento & gemmis. τὸ *claudere* & *intercludere*, fabrilis artis interdum ſunt verba, & proprie λιθοκολλήταις operibus conueniunt. Gloſſæ Latino-Arabicæ Scaligeri & Raphelengij: *cluſor, qui gemmas auro concludit*. Hieronymus in caput XXIIII. Hieremiæ prophetæ: *Fabros & incluſores vel legis interpretes atque doctores debemus accipere, vel artifices incluſoreſque auri atque gemmarum: quæ ars apud Barbaras nationes pretioſiſſima eſt.* Sic *includere* & *incluſor* ſæpius, apud veterem bibliorum interpretem. Anaſtaſius Bibliothecarius, *Patenam argenteam chriſmalem, auro cluſam.* idem in Sylueſtro, *Fecit ſcyphum ſingularem ex metallo, corallo ornatum vndique de gemmis praſinis, & hyacinthinis, auro intercluſum.* & paſſim in eius libris.

31. *Aegros milites in hoſpitiis ſuis videret.*] Robertus Bon. *infirmos milites in hoſpitiis inuitaret.* ex libris deprauatis. *videret* pro viſeret, vt εἶναι, θεᾶσθαι & *eſſe*, pro venire: niſi tamen ſcripſerat auctor *viſeret*.

32. *Locum caſtris caperet.*] quæ erat metatorum prouincia, eorúmve qui præfecti caſtrorum dicti: aut certè diligentiorum ducum. Tacitus de Veſpaſiano, adhuc duce: *acer militiæ anteire agmen, locum caſtris capere.*

ib. *Nulli vitem niſi robuſto & bonæ famæ daret.*] Regius, *nulli aurum n.* Robertus Bon. *nulli aurum.* quæ ideo afferimus, ne emergant ineptuli tirones, qui hæc vt proba & nobis ignorata tanquam ἕρμαιον aliquod arripiant, & defendere aggrediantur. Quotidie ita deprauantur auctores optimi. De vite centurionum omnia protrita: illud tamen, quod ſciam, explicauit adhuc nemo: cur vt diuerſa ponantur hîc à Spartiano hæc duo: vitem dare, & facere centurionem. Ratio autem eſt: quia da-

tio vitis, quaſi deſignatio fuit ad centurionatum: qui tunc poſtea obibatur, cum erat aliquis vacuefactus locus morte vnius centurionum, aut miſſione, vel regradatione. Cum erant plures vite donati, promouebatur is qui erat gradu propior, aut qui eſſet antiquior eius loci canditatus: niſi qui hũc proximè impellebat, cauſſam diceret, cur ille prior expelleretur. Quod accidit principe Galieno, cum Marinus iam Chriſtianus, & mox beatiſſimus Chriſti martyr, inibi eſſet, vt fieret centurio. Euſebius libro ſeptimo: Τιμή τίς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, οὗ τοὺς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχους τόπου σχολάζοντος. ἐπὶ τοῦτο προκοπῆς τὸν Μαρῖνον ἡ τοῦ βαθμοῦ τάξις ἐκάλει· ἤδη τε μέλλοντα τῆς τιμῆς ἔχεσθαι, παρελθὼν ἄλλος πρὸ τοῦ βήματος κατηγόρει. Inſignis locus, & ex quo omnia quæ diximus colliguntur haud dubiè. Lege modo totum, & cape rectè: nam qui ponunt πλεῖαν στιγμὴν poſt ἑκατοντάρχους, & hoc dicere cenſent Euſebium, omnes vitem adeptos dici centuriones, auctoris mentem non ſunt aſſecuti. Etiam vir ille ampliſſimus & hiſtoriæ eccleſiaſticæ peritiſſimus, qui negat κλῆμα apud Euſebium vitem eſſe, aliud agens magni erroris ſe obligauit.

33. *Nec tribunum niſi plena barba faceret.*] In faciendo tribuno duo præcipuè ſpectabat Hadrianus, ætatis maturitatem, & famæ integritatem. Ad vtrumque poteſt referri quod hîc de plena barba dicitur: nam & impudici adoleſcentes ſtudioſiſſimè cum pſilothris tum volſellis depilabantur. Sed Hadriani lex non ſemper obtinuit: Valerianus Auguſtus in epiſtola ad Muluium Gallicanum P. P. *Miraris fortaßis, quod ego imberbem tribunum fecerim contra conſtitutum diui* Hadriani. Habebat Hadrianus & ſtaturæ rationem, vt narrat Doſitheus.

37. *Suppellectilemque.*] Robertus Bon. *& ſuppellectilia.* Signatè hac vocè vſus eſt: nam inde illius origo, vt etiam Celſus iuriſconſultus obſeruat. Tacitus vocat *vtenſilia.*

ib. *De militum etiam ætatibus.*] Regius, *actibus* non probè.

Pag. 8. verſ. 1. *Minor quam virtus poſceret.*] ante legitimum adeundæ militiæ tempus. *Virtus* hîc eſt corporis robur, & vt interpretatur Iuſtinianus, ἡ ἐν τοῖς ὅπλοις ἰσχύς· Scripta lectio, *minus.* poſſet accipi de miſſione ante exactum legitimorum ſtipendiorum tempus impetrata. ſed refutat ſequens vox *maior.*

2. *Maior quàm pateretur humanitas.*] ne poſt emerita ſtipendia cogerẽtur militare. Vnde illa Pannonicarum legionum ſub Auguſti finem iuſta indignatio, apud Tacitum. Vigeſimus annus ſub imperatoribus finem afferebat militiæ. Sed diuerſa in pedite & equite obſeruata eſſe tempora, & in iis ſæpius variatum non ignorant eruditi. Ita igitur Hadrianus iuniores ſenioreſque militia excludebat: idem Gordianus iunior fecit, ſed alio fine. Iulius Capitolinus: *Nullum ſenem militare paſſus eſt: nullum puerum annonas accipere.*

4. *Et eorum numerus ſciretur.*] in laterculis militaribus deſcripti nominatim manipuli, cohortes, alæ, legiones: & eorum qui ſubinde mo-

rerentur nomina diligenter adnotata. hoc laterculum,& vt Appianus vocat, βιβλίον ἐφήμερον τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ παρόντος, tribuni quotidie Imperatori offerebant, cum ab eo ſignum peterent.

25. *Condita militaria diligenter agnoſceret.*] In Alexandro Lampridius, *Annonam militum diligenter inſpexit.* Capitolinus in Gordiano iuniore. *cuius viri tanta in Rep. diſpoſitio fuit, vt nulla eſſet vnquam ciuitas limitanea potior, quæ non poſſet exercitum Rom. ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido atque hordeo & paleis condita non haberet.* Vides quæ potiſſimum ſpecies intelligantur appellatione conditorum: de quibus & in vtroque Codice titulus extat. Græci etiam vt Latini ἀπόθετα ſimpliciter vocant. Iuſtinianus Nouella CLXIII. *χάριν τῶν ἐν εἴδεσι συντελουμένων, ὑπέρ τε τῶν ἀποθέτων καὶ τῆς στρατιωτικῆς δαπάνης.* Hæ annonariæ ſpecies ſiue horreaticæ, in vrbibus munitiſſimis, quæ fere capita ſuarum prouinciarum erant, aſſeruandæ condebantur: vt loquitur Marcellinus de Palæis Iſauriæ. Procopius Perſicorum libro ſecundo: ἐν Δάρας τε καὶ Νισίβιδι πόλει ἐν δημοσίῳ τὰς ἐπετείους τροφὰς ἀποτίθεσθαι νενομίκασι. Locus quem appellat Procopius δημόσιον, prætorium erat, in iis quidem vrbibus, vbi erant & palatium & prætorium. Nam ita conſtituit Leo Imperator lege vltima Cod. De officio rectoris prouinciæ. ſeruabātur & in caſtris, vbi prætenturæ militum limitaneorum: nam hæc caſtra burgi erant & munitiſſima oppida. Auſonius in Moſella,

Mæniáque antiquis te proſpectantia muris
Addam, præſidiis dubiarum condita rerum,
Sed modò ſecuris non caſtra, ſed horrea Belgis.

Cum autem per prouincias iter faciebat Imperator, totius annonę militaris ratio coram illi exponebatur, atque etiam δείγματα oculis ſubiiciebantur: quæ poſterior ætas appellauit *probam.* Morem aperit Ammianus Marcellinus libro XXI. *Iouiniano vehiculo inſidenti quod portabat reliquias Conſtantij, vt principibus ſolet, annonæ militaris offerebantur indicia, & (vt ipſi nominant) proba, & animalia publica monſtrabantur.*

ib. *Reditus quoque.*] Scripti, *redditus.* quæ ſcriptura in veteribus libris frequens.

7. *Ante omnes tamen enitebatur.*] Scribe, *Ante omnia t.* Robertus Bon. *vltra omnia.* & *nitebatur*, regius, non *enit.*

ib. *Ne quid otioſum emeret.*] vt bonum patremfamilias ſe præſtaret. Cato, *Patremfamilias vendacem non emacem eſſe oportet.*

8. *Vel paſceret.*] *paſcere* proprie de familia ſeruorum: vt apud Catonem *bene veſtire & bene paſcere.* Apuleius in Apologia imitatus, *parcius paſco, leuius veſtio.* Iuuenalis, *quot paſcit ſeruos?*

ib. *Ergo conuerſis regio more militibus.*] Mira locutio, *conuerti regio more* pro, ad mores regis ſiue imperatoris: πρὸς τὰ τοῦ βασιλέως ἤθη. *Mos* Latinis & *mores* non differunt minus quam Græcis ἔθος & ἦθος: quæ neceſſario diſtinguūtur à ſapientibus. ſed mos quod eſt ἔθος, ἀντὶ τοῦ ἤθους hîc

hîc accipitur. Plautus Capteiueis, *Nunc ſeruitus ſi euenit, ei vos morigerari mos bonus eſt.* καλὸν ἐστιν ἦθος. hoc eſt, πρὸς ἀνδρός ἐστιν ἤθη καλὰ ἔχοντος: bene moratos decet. REGIS appellationẽ quam tantopere abominati ſunt veteres Romani, & primi etiã Imperatores, proxima ætas frequẽtauit. Sane etiam apud Tacitum *regnum* appellari Romanum imperium aliquoties adnotauimus in eius Annalibus, *& domus regnatrix* ſtatim initio eorundem. Atqui multum interfuit ætate præſertim illa, inter Romanum imperatorem, qui princeps propriè dictus eſt initio, & regum aliquem. Ideo Suetonius de Caio Caligula, *Nec multum,* inquit *afuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque* PRINCIPATVS *in* REGNI *formam conuerteret.* ſed quod tentauit hic furioſus, perfecit poſtea ſobrius princeps Aurelianus, vt in eius vita Latini Græcique obſeruãt. ſumſit enim diadema primus, & reliqua regum inſignia. Tum primum igitur imperator dici rex potuit, imperium regnum. Sed multo ante Latini ſcriptores ceperunt ita loqui, vt iam diximus. Sic infra Spartiano, *ſerui regis*: alibi in his libris *ſtatio regia, ornamenta regia, ſedile regium,* & *regale imperium* Vopiſco, ἡ αὐτοκρατεία. *regina* Lampridio in Alexandro, pro Auguſta. Græcis iam inde à principio βασιλεὺς & βασιλεία: ſed per κατάχρησιν & adulationem: cum ipſi imperatores, vt ſcribit etiam Appianus, eam appellationem non admitterent: certe nõ vſurparent neque in epiſtolis Latinis, neque in Græcis. Synesius, Περὶ βασιλείας. καὶ τοὔνομα αὐτό σοι δείξω τοῦ βασιλέως ὄψιμον, ἐκλιπὲς Ῥωμαίοις γενόμενον ἀφ᾽ οὗ Ταρκυνίους ὁ δῆμος ἐξήλασεν. ἀπὸ τούτου γὰρ ἡμεῖς μὲν ὑμᾶς ἀξιοῦμεν καὶ καλοῦμεν βασιλέας, καὶ γράφομεν οὕτως· ὑμεῖς δὲ εἴτε εἰδότες εἴτε μὴ, συνηθείᾳ δὲ συγχωροῦντες, τὸν ὄγκον τῆς προσηγορείας ἀναδυομένοις ἐοίκατε· οὔκουν οὔτε πρὸς πόλιν, οὔτε πρὸς ἰδιώτην, οὔτε πρὸς ὕπαρχον γράφοντες, οὔτε πρὸς ἄρχοντα βάρβαρον ἐκαλλωπίσασθέ ποτε τῷ βασιλέως ὀνόματι· ἀλλ᾽ αὐτοκράτορες εἶναι ποιεῖσθε· ὁ δὲ αὐτοκράτωρ ὄνομα στρατηγίας ἐστὶ πάντα ποιεῖν ὑποστάσης. Poſtea verò labefactato Romano imperio, cum à Francis, Gothis & Vandalis, aliiſque Barbaris regna diuerſis locis eſſent cõſtituta, regiſque nomen à nouis dynaſtis vſurpatum, euiluit apud Romanos & regis & regni appellatio. neque hos Græci βασιλέας, ſed ῥῆγας appellant. Procopius Gotthicorum libro primo, de Theoderico qui Romam & totam fere Italiam obtinebat. καὶ βασιλέως μὲν τοῦ Ῥωμαίων οὔτε τοῦ σχήματος, οὔτε τοῦ ὀνόματος ἐπιβατεῦσαι ἠξίωσεν· ἀλλὰ ῥῆξ καλούμενος διεβίω· οὕτω γὰρ σφῶν τοὺς ἡγεμόνας οἱ βάρβαροι νενομίκασιν. quaſi vero aliud ſit rex quam βασιλεύς.

10. *Per octoginta millia paſſuum.*] Membranæ Puteani, *per octo.* perſpicuè falsò.

15. *Vxorem etiam.*] quam tandem occidiſſe dicitur. vide inferius.

17. *Et erat curioſus.*] Tertullianus Apologetico, *Hadrianus curioſitatum omnium explorator.* etſi de alio genere curioſitatis loquitur.

18. *Per frumentarios occulta omnia exploraret:*] Vt Athenis vetita ficuũ exportatione, certi homines iuſſi obſeruare qui legi non obtemperarent, cum per calumniam innocentes multos deferrent, συκοφάνται ap-

pellationem omnibus improbis delatoribus communem reliquerunt: sic in Rom. imperio, milites qui ad perquirenda frumenta, aut eos obseruandos qui contra leges mercem ἀπόῤῥητον exportarent, cum latius euagantes, omnium domuum secreta rimarentur, seruato veteri nomine ministerium mutarunt, facti principum ὠτακουσταὶ: Hi sunt qui spargebantur per domos priuatorum habitu, vt Tacitus scribit, & Arrianus in Dissertationibus Epicteti: vel egentiũ, vt Ammianus lib. xiv. qui in prouincias mittebantur tentandis hominũ animis, nuntiisque deferendis & cædibus etiam patrandis interdum, vt ex multis horum librorum locis constat. Atque hoc genus milites in legionibus boni malique principes habuerunt: sed illis pessimus quisque Imperatorum detulit plurimum. Caracalla quidem tantum, vt ius animaduertendi in frumentarios sibi vni vindicaret. cum quidem in omnes bonos tyrannidem eos exercuisse scribit Dio. Græci scriptores modò Latinam retinent vocem: vt in epistola Dionysij Alexandriæ episcopi apud Eusebium libro sexto, cap. XL. Σαβῖνος αὐτῆς ὥρας φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. modò πυροφόρους nominant, parum laudabili κακοζηλίᾳ: melius Dio τοὺς στρατιώτας τοὺς ὠτακουστοῦντάς τε καὶ διοπτεύοντας. De Alexandro Seuero scribit Lampridius: *De omnibus hominibus per fideles suos semper quæsiuit, & per eos quos nemo nosset hoc agere.* describuntur his verbis frumentarij milites, qui ἐν ἰδιωτικῷ σχήματι & occulto habitu omnia obseruabant: sed videtur bonus princeps, cum rem cogeretur retinere: appellationem frumentariorum, vt inuisi bonis omnibus nominis, vitasse: quod tandem sustulit de Rep. magnus Imper. Diocletianus: de quo Aurelius Victor: *Remotum pestilens frumentariorum genus: (quorum nunc Agentes in rebus simillimi sunt:) qui cum ad explorandum annunciandumque qui forte motus exsisterent, instituti viderentur: compositis nefariè criminationibus, iniecto paßim metu, præcipuè remotißimo cuique, cuncta fœde diripiebant.* Hieronymus in Abdiam capite primo: *LXX. transtulerunt in* πυροφόρον, *quem nos in frumentarium vertimus, iuxta antiqui sermonis eloquium: eos enim quos nunc agentes in rebus, vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant.* appellat antiquum sermonem, vocabulum non multo prius quàm ipse nasceretur desitum & ἀρχαιωθέν. Depingit genus hoc hominum γραφικώτατα Ammianus Marcellinus initio primi libri eorum qui supersunt.

21. *Rem inserere ex quo cons.*] Puteani codex, *reinserere.* putauit librarius non esse orationem Latinam. *quo* enim non *qua* omnes libri. vt supra, *Maurorum gentes quos regebat.* Tertullianus, *Nostra notatio, totum versiforme est.*

23. *Voluptatibus detentus & lauacris.*] nam & lauacra, θερμολουσίαι præsertim, inter voluptates censebantur, quarum abstinentia in laude ponenda. Sic Suetonius in Augusto lauandi raritatem commendat. Macrianus tyrannus cum ad imperium vocaretur, hac quasi legitima excusatione est vsus, *lauandum est mihi frequentius.* Seueriores quoque duces

duces lauacra militibus ademerunt ſæpe, vt de Scipione Aemiliano, Metello Numidico, aliiſque memoriæ proditum eſt. Alexander Seuerus apud Lampridium indignabundus ait, *Milites Romani, veſtri ſocij, mei contubernales, & commilitones, amant, potant, lauant.* De excaldationibus infra ad Caſſij vitam.

27. *Et hoc quidam vitioſiſsimum putant.*] Nihil mutare auſim: melior tamen fuerit ſententia ſi ita ſcribas: *Et hoc quidem vitioſiſsimum putarũt.* non enim quidam, ſed vulgo omnes in Hadriano hoc reprehenderũt. Fortean mutauerunt, quos offendebant τὸ *putauerunt*, ſine caſu: cum ſit vſitatiſſimum. Videtur à Spartiano alluſum ad Dionis ſimillima verba, ᾐτιῶντο μὲν δὴ αὐτοῦ τὸ ἀκριβὲς καὶ τὸ περίεργον.

32. *Qui cum repertus eſſet poſt multos annos.*] neque enim Aegyptij præſentem ſemper hunc ſuum deum coluerunt: ſed per interualla temporum exiſtebat ille nobilis taurus, certis notis inſignitus, quæ illum probarent deum. Herodotus, ἐφόρεον Αἰγύπτιοι ὥς σφι θεὸς παρείη φανεὶς, διὰ χρόνου πολλοῦ εἰωθὼς ἐπιφαίνεσθαι. multa ibidem parens ille hiſtoriæ de exultatione Aegyptiorum Api inuento. Diodorus auctor eſt, Aegyptios mortuo Api, (occidebatur ritu religionis, ſacro fonte immerſus, vt ſcribit Ammianus) in publico luctu tantiſper ſolitos verſari, donec nouus deus eſſet inuentus. Quàm errant illi qui Spartiani verba de ſimulachro dei huius, diu, vt aiũt, amiſſo, poſtea reperto, interpretãtur?

33. *Apud quem deberet locari.*] apud Memphitas fuit moris locari, vt mneuim alterum bouem ſacrum Heliopoli. Statim inuentum taurum Nicopolim deducebant ſacerdotes: vbi per dies quadraginta illum exhibebant etiã mulieribus ſpectandum. poſtea Memphim perductus, in Vulcani templo conſecrabatur, vt loquitur Suetonius. præter Diodorum lege Ammianum Marcellinum libro XXII. quæcunque aliis in vrbibus religionis cauſſa alebantur, ſacra animalia, nõ deos putabant: apim & mneuim verè deos. auctor Strabo libro XVII.

34. *Omnibus ſtudioſè certantibus.*] vocem Græcam voluit exprimere, πάντων φιλονεικούντων. Fuit autem familiare ventoſis illis & ridiculè ſtultis populis, pro conſecratis animalibus tumultuari, & interdum etiam armis decertare. Notæ ſuper hoc ſimiles inuicem hiſtoriæ apud Diodorum Siculum & Iuuenalem: qui bellum illud inter Tentyritas & Ombitas, vel oculis ſuis ſpectauerat, vel ab aliis acceperat qui fuerant αὐτόπται. Adhuc Athanaſij tẽporibus occupabat eos hæc tanta demẽtia: adhuc cõtraria oppidorum ſtudia, & ex eo rixæ ac cædes. Scribit enim in libro contra gentes: περὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ μυσαρῶν, οὐδὲ λέγειν ἔστι, πᾶσιν ἐπ' ὀφθαλμῶν ὄντων· ὅτι ἐναντίας καὶ μαχομένας ἀλλήλαις ἔχουσαι τὰς θρησκείας αἱ πόλεις, καὶ οἱ ἐκ γειτόνων σπουδάζουσιν ἀεὶ κατὰ τῶν πλησίον τὰ ἐναντία σέβειν. & ſtatim, ὅθεν δὴ πόλεμοι καὶ στάσεις, καὶ πᾶσα φθόνων πρόφασις, καὶ πᾶσα τῶν παθῶν ἡδονὴ παρ' αὐτοῖς ἐστί.

35. *Baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extruxit.*] Dio templum nominat: ſi quidem de monumento Nemauſi poſito accipienda eius

verba. Dionem & Spartianum pene verbatim descripsit ille sciolus, qui falsam quæ ad aquas Sextias esse dicitur, inscriptionem concinnauit. Cum autem in antiquissima illa vrbe plurima hodieque à Romanis olim mirabili planè opere extructa monumenta visantur: nullum tamen basilicæ huius vestigium viri docti quibus ille locus caruit nunquam, nunc etiam abundat, satis certò poterant nobis demonstrare, cum ab iis studiosè quæreremus. Sed nō aliena à probabilitate eorum sententia, qui & stupendam illius amphitheatri molem, quod pene omni ex parte integrū durat hodiéque, & trigeminum illum pontem Gardo flumini impositum, non sine magna admiratione & spectatum nobis & conscensum, aliaque talia ædificia magnifica quę etiam hodie quà Nemausum, quà circumiacentem agrū nobilitant, Hadriani fuisse opera coniiciunt, ad memoriam Plotinæ commendandam extructa: aut Pij certè: quem genus Nemauso traxisse Capitolinus affirmat.

36. *Post hæc Hispanias petit.*] Reg. petiit. E Galliis in Hispanias est profectus, vt hinc licet colligere, priusquam Vrbem repeteret. Extat nummus: HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. & in altera facie RESTITVTORI HISPANIÆ. S. C.

37. *Vbi sumtu suo ædem Augusti restituit.*] inter primos qui Augusto templa posuerunt Tarraconenses fuisse notum est: Tacitus Annali primo: *Templum vt in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum: datumque in omnes prouincias exemplum.* de eadem æde in Seueri vita. *Tum ad Hispaniam missus, somniauit sibi dici, vt templum Tarraconense Augusti, quod iam labebatur, restitueret.* Sed & viuo Augusto ara illi posita à Tarraconensibus: quos in eius cultu parum fuisse diligentes, notum est ipsius Augusti ioco apud Quintilianum.

Pag. 9. vers. 1. *Tarraconem in conuentum vocatis.*] Regius semper, *Terraconam.* De Tarraconensi conuentu Plinius, & antiquæ inscriptiones plures.

ib. *Dilectumque ioculariter detrectantibus Italicis.*] Iulius Capitolinus in Marco, *Hispaniis exhaustis, Italica allectione contra Traiani præcepta, verecunde consuluit.* Ex horum locorū comparatione clarè discimus, Hispanias temporibus illis exhaustas fuisse ob frequentes dilectus: cum numeri Hispanico milite vt plurimum explerentur. Itali enim consilio cati principis Augusti otio & pacis artibus dediti, parcius militabant, vt scribit etiam Herodianus libro secundo. Inde est quod Hadriano dilectus in Hispania agente, Italici qui in Hispaniæ coloniis aut municipiis erant eius imperium detrectant. Inde etiam, quod cogitur tandem Marcus, allectione ciuium Italicorum, exhaustas & prope iam solas Hispaniæ vrbes frequentare. *Italici* hoc loco sunt Itali aut Italis orti, qui Hispanica oppida inhabitabant. nam etsi solum mutarant, tamen & primi qui eò venerant, & nati natorum de vetere patria dicebantur Italici. Prorsus non sunt ferendi qui Italicos & Italicenses putant

putant diſcrimine nullo eoſdem fuiſſe nuncupatos. Proferant nobis vel vnicum ex omnibus antiquis monumentis locum, vbi coloni *Italicæ* dicātur Italici. ſed nuſquam inueniēt: nunquam enim factum. nam de illis apud Victorem, *Italicæ originis*, antè dictum.

ib. *Ioculariter detrectantibus.*] qui palàm non audebant rebellare, per iocos ac facetias animum ſuum à militia abhorrentem indicabant. Ita ſperabant eludi poſſe Hadriani iuſſa: cum ſe liberis quærendis operam velle dare, aut neſcio quid eiuſmodi, seriò quidem, ſed quaſi ioco dictitarent. Atque hoc dixit Spartianus *ilocalariter detrectare dilectus*: quæ non eſt tamen ipſius, ſed Marij Maximi locutio, vel fortaſſe Hadriani à quo ſumſit ille. nam ſubiicit Spartianus: *vt verba ipſa ponit Marius Maximus.* Fallitur vir eruditiſſimus, qui *populariter* ſcribi vult hoc loco non *ioculariter*.

3. *Vehementiſſimè conſuluit.*] ἐμβελθέστατα. vt apud Iulianum μετ' ἐμβριθείας κολάζειν. Sed obſeruemus locutionem: *Italicis vehementiſſimè cōſuluit.* pro, ſic conſuluit, vt principem experirentur vehementiſſimum & ſeueriſſimum. Hanc eſſe Spartiani mentem ex iis quæ modò dicebamus liquidò conſtat. Nec mirum principem natura ſua triſtem, & regnandi probe gnarum, iocis Italicorum offenſum, aſperius cum iis egiſſe.

ib. *Cæteris prudenter & cautè.*] *cæteri* iſti ſunt Hiſpani αὐτόχθονες; qui dilectum detrectarant non minus quàm Italici: ſed modeſtè, non vt illi ioculariter.

8. *In nullo omnino commotus.*] Eſt ἀρχαϊσμὸς, *in nullo*, pro nihil.

10. *Non fluminibus ſed limitibus diſtinguntur.*] Quid appellat *limites*? nam & flumina pro limitibus. Romanum imperium alibi limitibus à natura poſitis claudebatur: alibi arte conſtructis. prioris generis ſunt, mare, hoc eſt Oceanus: (nam Mediterraneum paucis exceptis circa Pontum & Mæotin, orbis Romanus capiebat totum) flumina magna, vt Danubius & Euphrates, vel aliquando Rhenus & Tigris. item mōtes, vt in Aſia Taurus quibuſdam locis, alibi alij. addit Herodianus terras deſertas & ſolas, quæ locis aliquot imperium terminarent. Eius verba ſunt libro II. de Auguſto: ποταμῶν τε μεγέθεσι καὶ τάφρων, ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ ἔφραξε τὴν ἀρχήν. Poſterioris generis ſunt foſſæ, caſtra, arces, concædes, ſtipites, muri. Atque iſta χειροποίητα ſunt; quæ ſpecialiter appellat hîc Spartianus *limites*. Foſſarum meminit Herodianus in ſuperioribus verbis: item Arcium, & Caſtrorum paullo prius: φρούρια καὶ στρατόπεδα τῆς ἀρχῆς προὐβάλετο Auguſtus, ἀντὶ τείχους. Tacitus, *& quicquid caſtrorum Armenis prætenditur.* Aurelius Victor de Traiano, *Caſtra ſuſpectioribus & opportunis locis exſtructa.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Valentinianus Rhenum omnem à Rhetiarū exordio aduſq; fretalem Oceanū magnis molibus cōmuniebat, caſtra extollēs altius & caſtella turréſque adſiduas per habiles locos & opportunos, quà Galliarum extenditur longitudo.* Huiuſmodi caſtra inſtar habuerunt vrbium: imo verò vel à principio,

vel temporis tractu vrbes fuerant: neque alia origo tot burgorum per Germaniam, Græciam, aliasque finitimas prouincias. Menander rhetor in methodo laudandarum vrbium: Laudabis, inquit, ἀπὸ τῆς ἀναγκαίας, ὡς κατὰ τὰς πόλεις, τὰς κατὰ τὸν ποταμὸν ὑπὸ Ῥωμαίων κατοικισθείσας, τὰς καλουμένας ΚΑΡΠΙΑΣ, ὡς μὴ διαβαίνοντες οἱ βάρβαροι κακουργῶσιν. Scribendum Κάστρα vel Κάστρια. nam vrbes intelligit de quibus diximus. frequens vox in recentioribus Græcorum scriptis. Aristides πόλεις ἐφορείας, opida pro speculis condita: vel ἐφορίας, limitaneas appellat, panegyrico libro in Romam. ἐνταῦθα τείχη τε περιεβάλεσθε, καὶ πόλεις ἐφορείας (vel ἐφορίας) ἐδείμασθε. Has arces & limitaneas vrbes neglectu priorum principum collapsas, in integrum Diocletianus restituit. Ita molliendum quod Zosimus scribit: Diocletiani prouidentia esse factum, vt omnes vndique Romani imperij ἐσχατιαὶ πόλεσι καὶ φρουρίοις καὶ πύργοις cingerentur: neque enim profectò primus incepti auctor Diocletianus: aut latè errauit Zosimus, si hoc putauit. Concædium mentio apud Tacitum primo Annali. Muris Barbaros summouere, Hadrianus, nisi fallor, primus instituit: nam vocem τείχη in superiore Aristidis loco de castris interpreter, vt sæpissime apud Dionem, non de muris: nisi malumus allusum esse ab Aristide ad hunc ipsum Hadriani murũ Britannicũ, de quo paulo antè Spartianus: Dio nominat in Cõmodo, τὸ τεῖχος τὸ διορίζον τοὺς Βρεττανοὺς καὶ τὰ τῶν Ῥωμαίων στρατόπεδα. De stipitibus subiicit Spartianus: *stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis Barbaros separauit.* hoc munimen non multum ab eo differt quod fit cõcædibus. vide infra ad Seuerum. Cautè accipiendum quod scribit Synesius in oratione ad Arcadium Aug. ἀλλ' ἐκεῖνοί γε, loquitur de veteribus Impp. οὐκ ἀποτειχίζοντες τὴν οἰκείαν εἶργον, οὔτε τοὺς Ἀσιανοὺς, οὔτε τοὺς Εὐρωπαίους βαρβάρους· ἀλλ' οἷς ἐποίουν ἐκείνους ἀνθ' ἑτέρων τὴν σφετέραν ἀποτειχίζειν, ἅμα διαβαίνοντες τὸν Εὐφράτην ἐπὶ τοὺς Παρθυαίους, τὸν δὲ Ἴστρον ἐπὶ τὸν Γέτην τε καὶ Μασσαγέτην. negat imperatores antiquos separauisse Barbaros aut stipitibus aut muris: sed cum limites Romani imperij sæpe transcenderent contra Barbaros cum Asianos tum Europæos, necessariò illos, fines suos aduersus Romanos, his septis muniuisse.

11. *In modum muralis sepis.*] Quid si scribamus, *in modum naturalis sepis?* Inter species varias sepimentorum, quas describunt accuratè rei rusticæ scriptores, vna est quæ vocatur *naturalis sepes.* sed neque editam lectionem damnare ausim: vt sit sepes muralis, quæ facta est, vt præstet vsum muri. Fuit & sepis genus, quod dicebant *sepimentum militare*, de quo Varro. & fortasse Spartianus scripserat *militaris s.*

12. *Funditus iactis atque connexis.*] Regius, *iecit atque connexuit.*

14. *A senatu supplicationes emeruit.*] Glossæ, *Supplicatio* λιτανεία. rem dicunt: sed morem inlustrant historici Græci, qui huiusmodi honorem hac periphrasi exprimunt: ἡ σύγκλητος ἐψηφίσατο θύειν τοῖς θεοῖς, καὶ σχολάζειν ἑορτάζοντας. interdum supplicationem vertunt θυσίαν καὶ ἱερομηνίαν.

ib. Bel-

ib. *Bellum Parthorũ per idem tempus in motu tantum fuit.*] Reg.B.*Parthicũ*. pro *motu* quidã *metu*. perperam. M.Tullius ad Q.fratrẽ, lib.III. *Magna res in motu est: propterea quod aut hominum aut legum interitus ostenditur.*

15. *Idque Hadriani colloquio repressum est.*] vbi autẽ & quicum habito? nam cum Partho non potest: neque hoc scripsit vllus veterum. & aut omnem historiæ seriem mirifice perturbauit Spartianus: aut hæc gesta cum adhuc versaretur Hadrianus in Hispania: aut non multo antè ex ea esset profectus. Sic ad Augustum res Hispaniarum componentem, Indorum legati venerunt.

16. *Post hoc per Asiam & insulas ad Achaiam nauig.*] Videtur Hadrianus ex Hispania in Africam traiecisse: inde Aegyptum petiisse & Syriam, reliquamque Asiam. Suadet itineris ordo, quo venisse dicitur in Achaiam: nam si Romam ex Hispaniis reuersus, inde Græciam adiit, quomodo illud erit verum? *per Asiam & insulas*. contra tamen Dio Cassius: διὰ τῆς Ἰουδαίας μετὰ ταῦτα εἰς Αἴγυπτον παριών. venisse in Aegyptum ex Asia: non vt dicebamus ex Aegypto in Asiam. Adde quod hic illius in Græciam aduentus in quintum sextumve eius imperij annum incidit: cum decimo pòst anno vel etiam vndecimo Aegyptũ adierit, imperij XVI. aut decimoseptimo: vt indicat non obscurè epistola quam de Aegypto & Aegyptiis ad Seruianum COS. paullo mox scripsit.

17. *Et Eleusinia sacra exemplo Herculis Philippique suscepit.*] *Suscipere sacra* vt Græci παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια, pro μυεῖσθαι. Dio sic, ἐπώπτευσε τὰ μυστήρια ab eo quod erat postremum, vniuersum sacrorum illorum apparatum designans. Olim Resp. Atheniensium magni beneficij loco præstantibus viris, aut de se bene meritis ius detulit participandi istis sacris. De Hercule multi hoc narrant. In psephismate quod factum est Athenis de honoribus Hippocratis: δεδόχθαι τῷ δήμῳ μυῆσαι αὐτὸν τὰ μυστήρια τὰ μεγάλα δημοσίᾳ, καθάπερ Ἡρακλέα τὸν Διός· obseruat Soranus secundum ab Hercule Hippocratem eo honore fuisse affectum. Aristides in Panathenaico Herculi adiungit Castoras: quibus dum adhuc terras colunt, πρώτοις ξένων ἡ πόλις δείκνυσι τὰ ἱερά. in Eleusinia idem μυηθῆναι δὲ ξένων πρώτους Ἡρακλέα καὶ Διοσκούρους, ἀγῶνά τε γυμνικὸν θεῖναι πρῶτον Ἐλευσῖνι τῆς Ἀττικῆς. In illa verò πρεσβευτικῇ oratione quæ extat sub nomine Thessali Hippocratis F. ait ille de se & suo patre, Athenienses vtrumque μυῆσαι τὰ Δήμητρος καὶ Κόρης μυστήρια καὶ ὄργια. Postea delatus hîc honos multis ab Atheniensibus: & quidem interdum per turpissimam adulationem, vt narratur ab Athenæo. de Augusto testis Suetonius, de Marco Antonino Capitolinus. de T.Pomponio Attico M. Tullius. mitto cæteros. de Hadriano verò Aurelius Victor scribit, illum Romæ Græcorum more cæremonias curare occœpisse: *adeo quidem, vt initia Cereris Liberæque quæ Eleusina dicitur, Atheniensium modò Roma percoleret.* scribi malim & verius est, *quæ Eleusinia dicuntur.* scio Cererem & Liberam dictas esse Eleusinias deas: sed non ea mens Victoris. Mirum verò quod ait, & non scio

an credendum, Eleuſinia ſacra Romam eſſe tranſlata ab Hadriano. & quis præter Victorem hoc dixit? non certe Dio, quem taciturum fuiſſe rem tãtam vix putem, ac ne vix quidẽ. Fruſtra hoc multo antè Claudius tentauerat: de quo Suetonius: *Sacra Eleuſinia etiam transferre ex Attica Romam conatus eſt.* Si quid huiuſmodi factum eſt, nec penitus fallit nos Victor, imitatus fuerit Romæ Hadrianus ſacra illa, non ex Attica Romam tranſtulerit: quod videtur Claudius cogitaſſe.

18. *Multa in Athenienſes contulit.*] Multa refert Dio, quæ inde fas petere. Pauſanias in deſcriptione Athenarum. Ἐνταῦθα ἔστηκε Ζεὺς ὀνομαζόμενος Ἐλευθέριος, καὶ βασιλεὺς Ἀδριανός, εἰς ἄλλους τε ὧν ἦρχεν εὐεργεσίας, καὶ ἐς τὴν πόλιν μάλιστα ἀποδειξάμενος τὴν Ἀθηναίων. vbi exempla multa commemorantur liberalitatis qua in Athenienſes vſus Hadrianus.

ib. *Et pro agonotheta reſedit.*] Xiphilinus ex Dione: τὰ Διονύσια τὴν μεγίστην παρ' αὐτοῖς ἀρχὴν ἄρξας ἐν τῇ ἐσθῆτι τῇ ἐπιχωρείῳ λαμπρῶς ἐπετέλεσε. Diligentiſſimus ſcriptor Dio tria breuiter nos docet: Hadrianum Athenis Dionyſia celebraſſe: fuiſſe tum archõtem: inque ea ſolennitate nõ pro imperatore ſe egiſſe, verùm pro archonte & ſupremo Athenienſium magiſtratu. Spartianus paullo poſt, *Athenis archon fuit.* Male ceperunt Dionis mentem qui ἀρχὴν ἄρξας interpretati ſunt *functus magiſtratu.* nam Hadrianus quando per Liberalia ludos edidit, archon erat cum maximè. quin videtur ea fine archon fieri voluiſſe, vt pro dignitatis illius iure Liberalibus præſidere poſſet. Eſt igitur ἀρχὴν ἄρξαι, quod aliter Græci παρελθεῖν ἐπὶ τὴν ἀρχήν, *ſuſcepiſſe magiſtratum archontis*: non eo functum eſſe. Ita ſæpe huiuſmodi verba neceſſariò capienda. Herodotus libro primo: καὶ ἐβασίλευσεν οὕτω Γύγης. *ita rex factus eſt*: quod proprie mater illa omnium linguarum המלך: mox, Γύγης ὁ τυραννεύσας, non *functus regno*, ſed *regnum adeptus*. Dio, ὁ Ἀδριανὸς αὐτοκρατορεύσας, pro, *imperium conſecutus*. Ἐσθὴς ἐπιχώριος Dioni, eſt veſtis quam de more geſtare ſoliti archontes cum Dionyſiis præſiderent. Talis illa veſtis quam Suetonius in Domitiano *Græcanicam togam* nominat ἀναλόγως, & eodem planè modo ac Tertullianus togam Romanam vocat *pallium teres*: quia toga Romanis, quod quadratum ἱμάτιον Græcis, ſiue pallium. Suetonij verba ſunt: *Certamini præſedit crepidatus, purpureáque amictus toga Græcanica, capite geſtans coronam auream.* Sed apud Græcos pro genere ludorum, diuerſa veſtis fuit agonothetæ: nam in alia muſicis præſidebant, in alia gymnicis, vt alibi notatum Dioni, & ſcimus ex aliis Græcis ſcriptoribus. *Reſedit* Spartianus poſuit pro præſedit, προυκαθέσθη: vt apud Modeſtinum libro primo Reſponſorum, ἀγωνοθετοῦντος καὶ προκαθεζομένου τοῦ ἀνδρός μου. Non vbique tamen agonothetæ præſidebant: nam in ludis ſacris vniuerſæ Græciæ communibus, Hellanodicis præſidentibus, ad læuam ſedebant athlothetæ. Quare non abſurde dici poteſt, auctorem non ſine cauſſa vſum verbo *reſidere* de Hadriano: qui de maieſtate ſua remiſit multum, cum diſſimulato imperatore archõtis & agonothetæ

Græcanica toga

cloum

locum impleuit similiter tamen eo verbo vsus Capitolinus in Lucio Vero:*medius inter Pium & Marcum resedit, cum quæstor populo munus daret.*

19. *Illud obseruatum ferunt.*] metu videlicet insidiarum, vt ante diximus. Quod autem fuerit moris vt ituri ad rem diuinam faciendam, cultros assumerent, vel prouerbium declarat, ἡ αἶξ τὴν μάχαιραν.

21. *In qua montem.*] Regius, *inque montem.*

22. *Vt solis ortum videret.*] Altitudinem montis Aetnæ & mediocriter docti norunt. Est autem euidentissima ratio cur è cacumine præcelsorum montium, ortus solis & aliorum siderum citius videantur. simile est quod de monte Cassio subiicitur. Apud Procopium legi lib. II. Gotthicorum, Thulæ insulanos conscensis suis montibus solitos prædicere futuram solis κατάλαμψιν post quintum à prædictione diem.

ib. *Arcus specie variam.*] *arcum* intellige cœlestem. Pro qualitate, densitate aut raritate nubium quæ inter spectantis oculum intercedunt, & solem cum iam supra horizontem incipit ascendere, varij parent colores. diuersimodè enim oculis nostris illuditur. Vide in Meteorologicis.

24. *Multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit.*] Testes nummi in eam rem cusi: vt, RESTITVTORI. AFRICÆ. & in alio, ADVENTVI. AVG. MAVRETANIÆ. S. C.

25. *Nec quisquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragrauit.*] Propterea ceu alter Hercules vulgo habitus hic imperator: qui orbem Romanum assiduè peragraret simul, & beneficiis suis adiuuaret. *namque* in eam rem, *ad speciem legionum militarium fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum mœnium, ceu decorandorum, in cohortes centuriauerat*, vt scribit Victor alter, siue Victorinus. Nummum vidimus apud amplissimum Præsidem Thuanum, ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. ΗΡΑΚΛΗϹ ΡΩΜΑΙΟϹ. spectatur ibi in ornamẽtis Herculeis nouus hic HERCVLES ROMANVS. Extant & cum hac inscriptione nummi, ΤΩ. ΗΡΑΚΛΕΙ. ΣΩΤΗΡΙ. ΑΥΓ. hoc est Αὐγούστῳ, non Αὐγούστου. ipse enim Hadrianus Augustus dictus est HERCVLES SERVATOR: siue AVERRVNCVS: quod prouincias circumiens procuratores & præsides, (genus hominum quouis monstro sæpe terrius) pro factis supplicio afficeret quàm seuerissimè. Addit autem Spartianus *fere*, propter Iulium Cæsarem: nam ille vir igneus omnes, opinor, Romani tunc imperij prouincias peragrauit: plerasque etiam illarum victoriis suis illustrauit. Celeritas verò hominis in conficiendis itineribus non nota nemini. Atque hic solus est principum cuius gratiâ τὸ *fere* sit hîc locus. Augustus deinde ad hanc laudem proxime accessit: de quo tamen scribit Suet. cap. XLVII. *Non est, vt opinor, prouincia excepta duntaxat Africa, & Sardinia, quam non adierit.* Reliqui omnes Cæsares, vno excepto Traiano, præ tribus istis, prope casarij iure appellari mereantur. Dio Cassius omnibus sine exceptione

Imperatoribus Hadrianum hac parte anteponit: πόλεις, inquit, συμμαχίδας καὶ ὑπηκόους εἶδεν ὅσας οὐδεὶς ἄλλος αὐτοκράτωρ.

27. *Statim ad Orientem profectus per Athenas iter fecit.*] Huius profectionis Euſebius meminit in Chronico, ſexto Hadriani anno. vt reputanti mihi huius imperatoris itinera, ſtupeat animus ad tantam celeritatem: etſi temporum exactam notitiam non habemus.

29. *Vt Iouis Olympij ædem & aram ſibi.*] Dio, τό τε Ὀλυμπίου τὸ ἐν ταῖς Ἀθήναις ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἵδρυται ἐξεποίησε. de hoc templo adi ad Strabonem & Pauſaniam. ex hoc diſces, totum illud fanum non minus ad Hadriani honorem pertinuiſſe, quàm Iouis. fuit enim ibi exſtructus qui dicebatur σηκὸς Πανελλήνιος, locus ampliſſimus, Hadriano conſecratus: ſtatuis repletus quas illi vrbes Græciæ certatim poſuerant. de Iouis Olympij æde notandum Dionis verbum ἐξεποίησε, *perfecit*, quo ſignificat auctor, non à fundamentis ſtruxiſſe Hadrianum hanc ædem: ſed ab aliis inchoatam conſummaſſe ac dedicaſſe. quod verum eſt. ideo Pauſanias vſus heic verbo ἀνέθηκε, *dedicauit*. Caute igitur lege præcedentia hæc Spartiani: *opera quæ apud Athenienſes cœperat, dedicauit.* nam τὸ *cœperat*, de aliis operibus verum ſit, quorum multa Pauſanias commemorat: de Iouis Olympij æde non eſt verum: ſed dictum eſt συλληπτικῶς, vſitatiſſimo bonis ſcriptoribus ſchemate. minus placet quod viro magno viſum: pro *cœperat*, ſcribendum eſſe *cœperant*: id eſt, cœpta erant.

30. *Templa ſui nominis conſecrauit.*] Hæc Græci Ἀδριάνεια vocabant: vt Epiphanius contra Ebionæos, & alij. nam apud eundem Epiphanium in Ario male Ἀνδριανὸν ſcriptum. Ibi narrat Epiphanius Hadriani templum quod Alexandriæ fuerat eius honori conſecratum, verſum poſtea fuiſſe in gymnaſium, vel prætorium Licinnianum: tandem verò à Conſtantino imperatore ædem ſacram ibi poſitam, & de nomine Gregorij Meletiani appellatam. Ita paullatim à Chriſtianis imperatoribus in pios vſus conuerſa omnia iſtius παρεγγράπτου cœlitis templa. diu tamen eorum memoria durauit & nomen: vt illius Cyziceni cuius meminit Cedrenus: & de aliquot poſt ſeculis cecinit Byzantinus ille poeta, qui œcum palatij Conſtãtinopolitani, Chalcen dictũ, verſibus celebrauit.

Μηδὲ τετραπλεύροισιν ἀγήραα Κυζίκου πύργοις
Ἀδριανοῦ βασιλῆος ἀμεμφέα νηὸν ἀείσῃς.

Mirum eſt quod in Alexandro de his templis narrat Lampridius: ſua ætate, (viuebat ille ſub Diocletiano) in omnibus ciuitatibus Hadriani fuiſſe templa, ſine numine, ſine ſimulacro: quæ ideo vulgus putaret in CHRISTI honorem ab eo principe exſtructa. qua de re plura ibi ſumus dicturi. Apud Ariſtidẽ in prima Sacrarum, Ἀδριάνειον non Hadriani templum, ſed thermas aut balneas de eius nomine ſic dictas ſignificat.

31. *A Cappadocibus ſeruitia caſtris profutura.*] Olim pars magna ſeruorum Cappadoces erant: de quorũ illiberali ingenio multa paſſim Græci. apud Romanos verò Cappadox & mancipium, ſæpe idem. De caſtrenſibus

ſtrenſibus

ſtrenſibus miniſtris Lampridius in Alexandro Seuero.

32. *Toparchas & reges.*] Regius, *Tetrarchas.* non multum intereſt vtro legamus modo. Procopius libro ſecundo Perſicorum, Αὔγαρος ἦν τις ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ἐδέσσης τοπάρχης. οὕτω γὰρ τοὺς κατὰ ἔθνος βασιλέας τηνικαῦτα ἐκάλουν. Tetrarchæ appellatio ex libris ſacris Noui fœderis, & Ioſepho nota.

ib. *Ad amicitiam inuitauit.*] Regius, *ad amicitias.* Scrib. *ad amicitiam ſuam.* nam *amicitias* numero multitudinis hîc quidem duriuſculum: etſi dixit ſupra, *optimum quenque amicitiis ſuis iungens.* & in Caracallo: *non in beneuolentiis ſegnis.* ſed non eſt idem.

33. *Coſdroe rege Parthorum.*] Aurelius Victor in Traiano Perſarum regem hunc appellat: parum accuratè & ad tempora ſua oculos referens, non Traiani. vide in Alexandro Seuero. Fuêre eo nomine plures & Parthorum & mox Perſarum reges. Scribitur autem varie: & cum litera *d*. *Coſdroes*, vt hîc & apud Victorem atque alibi: & *Coſroas* ſine *d*, vt in Martyrologiis aliquoties, & in aliis locis. Corruptè in Appendice Gregorij Turonẽſis, *Coſtrues* & *Conſtrues* ſæpe pro *Coſdroes*. Græci ſimiliter Κοσδρόης interdum: ſæpius ſine δ, & quidem cum X non K Χοσρόης: vt apud Procopium, Agathiam, Georgium Monachum & alios. Eadem varietas apud Hebræorum ſcriptores obſeruata nobis: vetuſtiores enim כוזרי: nuperi magiſtri, קשדרואי. Arabes כשרי: Videntur qui literam *d* inſeruerunt, ad vocem כֹּרֶשׁ reſpexiſſe, quæ Perſis ſolem ſignificat: vnde & nomen Cyrus: vt ille eruditorum omnium coryphæus Ioſephus Scaliger pridem docuit. Similiter variat & Oſroenæ prouinciæ appellatio: nam in multis libris ſcribitur cum *d* Oſdroena. Oſroes autem diuerſum non eſt à Coſroe nomen. Callimorphus medicus haſtatorum legionis ſextæ, qui in expeditione Parthica Traianum eſt comitatus, initio Parthicarum hiſtoriarum ita ſcripſit. Ἔρχομαι ἐρέων περὶ Ῥωμαίων καὶ Περσέων. & paullo poſt, ἔδεε γὰρ Πέρσῃσι γενέσθαι κακῶς. mox, ἦν Ὀσρόης τὸν οἱ Ἕλληνες Ὀξυρόην ὀνομάζουσι. appellat Oſroem quem alij in rebus Traiani Coſroem, Victor Coſdroem, vt modò dicebamus. Quare ſuſpicor ea tempeſtate ſic ſcripſiſſe, aut protuliſſe Orientales hoc nomen, quaſi ſcriberetur per aſpirationem illam aſperam, quæ reſpondet τῷ ח Hebræorum: quam literam Græci, vt alibi obſeruamus, modo vertunt in χ, aut κ. modo aſpernantur penitus. Quod autẽ ait Callimorphus Oſroem Græcis dici Oxyroem: quos Græcos iſte intelligat neſcio: nam mihi in Græcorum libris nondum id nomen occurrit. ſed non dubito quin ſimile hoc ſit aliis multis ληρήμασιν inepti illius ſcriptoris & imperiti, vt recte iudicat Lucianus.

34. *Ac promiſſa ſella quæ itidem capta fuerat.*] Hæc ſella aurea eſt cui inſidebant Parthorum reges, & mox Perſarum, cum ſe præberent ſpectandos hominibus. Sic apud Dionem libro XLIX. Parthorum rex legatis Antonij χρηματίζει ἐπὶ χρυσοῦ δίφρου καθήμενος. multa in hiſtoriis de

hac sella non semel apud Romanos captiua. Hadrianus verò promissi fidem non impleuit: sellam enim hanc non restituit: ne Pius quidem: etsi multum oratus, vt refert Capitolinus.

35. *Ita cum his egit.*] paullo post, *Regibus multis plurimum detulit: à plerisque verò etiam pacem redemit.*

36. *Vt eos pœniteret qui venire noluerunt.*] ibidem, *à nonnullis* regibus *contemtus est.*

ib. *Caussa speciatim Pharasmanis.*] Dio, ἕτερος δὲ πόλεμος ἐξ Ἀλανῶν, εἰσὶ δὲ Μασσαγέται, ἐκινήθη ὑπὸ Φαρασμάνου. an de isto rege Alanorum Spartiani verba hæc capienda? an potius de alio eiusdem nominis Iberorum rege? In Excerptis Legationum è Dione lego, Pharasmanem Iberorum regem Romam cum vxore venisse, & ab Hadriano liberaliter fuisse acceptum. narrat historiam Spartianus quoque in sequentibus: sed parum dilucide. Iam olim Iberiæ reges ita appellatos inuenio. Tacitus Annalium XII. *Hiberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater eius Mithradates obtinebat opibus nostris.* & plura de eodem alibi Tacitus. Arrianus in Euxini Periplo, quem ad Hadrianum misit, Pharasmanem nominat regem Zydritarum, gentis vicinæ Lazis. Ecce reges tres cognomines, eiusdem Hadriani temporibus. Frequens sane in Oriente illud nomen, non solum regum, sed & priuatorum: vt illius Φαρεσμάνης Κολχὸς τὸ γένος, cuius Procopius meminit libro primo Persicorum.

Pag. 10. vers. 2. *Vt accusatores per se crederetur immittere.*] *Per se*, id est, vltro, non cuiusquam rogatu, & vt loquuntur Iurisperiti, ex officio iudicis. Paullo post, *quos ad militiam ipse per se vocabat.* id est, sine vllius suffragatoris commendatione. Propertius,

Litora natiuos per se dent picta lapillos. ita enim emendat rectè Apollo criticorum. Male absunt à regio hæ voculæ.

3. *Antiochenses inter hæc ita odio habuit.*] Quare? Viri docti qui disputant, caussam odij huius fuisse, vehemens studiũ Antiochensium erga religionem Christianam; multis de caussis non persuadent. Putamus verius, Hadrianum tristem seriumque semper, & nimia sæpe notum seueritate principem, offensum ingenio leui, procaci, & petulante populi luxu diffluentis. Accedit eorundem Antiochensium dicacitas: quo vitio sæpe principum odia in se excitarunt. Sunt omnibus nota quæ super hoc Lucianus in libro De saltatione, Herodianus libro II. Iulianus in Misopogone, auctores isti variis locis, & historici alij narrant. Poeta versuum qui Sibyllini dicuntur, de hac Antiochia loquens, cum ait, Εἵνεκεν ἀφροσύνης Ἰταλοῖς ὑπὸ δούρασι πίπτεις, appellat ἀφροσύνην vitiũ hoc mordacis populi: alluditur autem eo versu ad cædem aliquam Antiochiæ factam, aut aliam calamitatem ei vrbi illatam ab iratis Romanis propter iacta in se dicteria. Procopius Persicorum libro primo: πόλιν Ἀντιόχειαν εἶναι φασὶ πλούτῳ τε καὶ μεγέθει καὶ πολυανθρωπίᾳ πόλεων προφέρειν ἁπασῶν τῶν ἐν τοῖς ἑῴοις Ῥωμαίων οὖσαν. ἡ δὴ ἀφύλακτός τε καὶ στρατιωτῶν ἐρήμος ἐστιν· οὐ γὰρ ἄλλῳ οὐδενός.

Antiochensium ardens saepe studium erga religionem Christianam

Antiochensium dicacitas

οὐδενὸς τοῦ ταύτης δήμου ὅτι μὴ πανηγυρεῖν τε καὶ τρυφῆς μέλει, καὶ τῆς ἐν θεάτροις ἀεὶ πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίας. Cum igitur ita leues adeoque φιλοσκώμμονες essent Antiochenses, vt gratiam sui principis semper quàm dictum mallent perdere: censen' Hadrianum qui Antiochiæ erat, quando ille mimus inter ipsum & Plotinã agebatur, faceti illius populi dicteria potuisse effugere? Quod enim patuerit statim tota illa scena, crebriq; tũ per vrbes Asiæ de Plotinæ astu iactati fuerint sermones, certũ est ex Dione.

5. *Mouerunt ea tempestate & Iudæi bellum.*] imò verò motum Traiano imperante bellum à Iudæis,& sub illo,& sub Hadriano variis temporibus ac locis sæpius recruduit: maximè autem XVIII. imperij Hadriani anno, vt ex vetustioribus scriptoribus narrat Eusebius lib. IV. cap. VI.

6. *Quod vetabantur mutilare genitalia.*] Beatus Chrysostomus contra Iudæos scribit, bellum istud ab iis susceptum, quod cuperent, atq; adeo sperarent, restitui se posse ἐπὶ τὴν προτέραν πολιτείαν. Alij caussam assignant, quod templum reædificare conarentur. Etsi autem magnum discrimen est inter περιτέμνειν & ἐκτέμνειν, circumcidere & castrare: videntur tamen legibus Domitiani, Neruæ & Hadriani, quibus vetita ἐκτομὴ, id est marium euiratio, etiam circumcisioni fibula esse imposita. quod cum impatientissime Iudæi ferrent, aut potius cum non ferrent, à Pio tandem auxiliarem legem impetrarunt. Modestinus libro sexto Regularum: *Circumcidere Iudæis filios suos tantum, rescripto Diui Pij permittitur: in non eiusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur.*

7. *In monte Casio.*] Regius & Puteani, *Caspio*. sed ad montem Caspium venisse Hadrianum, eumque ascendisse, nulla historia testis. Casius vel Cassius mons duplex: alter ad Pelusium in ipso Aegypti aditu: quo accessisse Hadrianum, præter Dionem, & refert Spartianus mox, & Appianus Alexandrinus, qui tum viuebat. Alter Casius ad Antiochiam fuit. nam ita multi illum præaltum montem nominant, qui ei vrbi imminet. Dion in Traiano Corasium: ἐπειδὴ καὶ αὐτὸ τὸ Κορασιον, sed legendum ibi, αὐτὸ τὸ ὄρος Κάσιον. vel vnica dictione Ὀροκάσιον. nam in secunda Persicorum Procopij Orocasias nominatur mons quidam ad Antiochiam. sic ille in regio codice: ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ γενόμενος, ἣν δὴ Ὀροκασιάδα καλεῖν οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι νενομίκασιν, ἐπιμαχώτατον κατενόησεν, ὂν τὸ κατ' αὐτὴν τεῖχος. πέτρα γὰρ τυγχάνει τις ἐνταῦθά που οὖσα, εὖρος μὲν ἐπὶ πλεῖστον ἱκανῶς ἔχουσα· ὕψος δὲ ὀλίγῳ τοῦ προσβόλου ἡσσωμένη. de hoc igitur Casio loquitur Spart. non de illo altero.

ib. *Cum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset.*] Plinius, *Casii montis excelsa altitudo, quarta vigilia orientem per tenebras solem aspicit.* Marcellinus libro XXII. de Iuliano apud Antiochiam: *Denique præstituto feriarum die Casium montem ascendit nemorosum & tereti ambitu in sublime porrectum: vnde secundis galliciniis videntur primi solis exortus.*

9. *Sacrificanti afflauit.*] Iouem Casium etiam ibi fuisse cultũ constat.

ib. *Peragrata Arabia Pelusium venit.*] Vult Hadrianum ex Arabia transisse in Aegyptũ. Dio ait rectà è Iudæa. διὰ τῆς Ἰουδαίας μετὰ ταῦτα εἰς Αἴγυπτον

παειών. Aduentus eius in Arabiam testis, vt videtur, hic nummus. ΚΑΙΣΑΡ.ΤΡΑΙΑΝΟΣ.ΑΔΡΙΑΝΟΣ.ΠΕΤΡΑ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ.

10. *Pompeij tumulum magnificentius exstruxit.*] Dio, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ διεφθαρμένον ἀνῳκοδόμησεν. Plura Appianus Ἐμφυλ. libro II. qui de illo versu in Pompeium, τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου! dissentit à Dione.

11. *Antinoum suum dum per Nilum nauigat.*] auctorem sequitur ipsum Hadrianum, qui ita in literas retulerat. Dio, εἴτ' οὖν εἰς τὸν Νεῖλον ἐμπεσὼν ὡς Ἁδριανὸς γράφει.

12. *Alias eum deuotum pro Hadriano asserentibus.*] Non dubitat Dio hoc affirmare, vt verum & certum: εἴτε καὶ ἱερουργηθεὶς, ὡς ἡ ἀλήθεια ἔχει. Obseruabamus ad quartum Suetonij, veterum persuasionem hanc fuisse, posse alicuius produci fata, si eius vicem subiret alter, velut hostia quędam succidanea. Multa huius superstitionis, falsissimæ quidem, sed ex vero manantis, exempla non in Græcorum & Romanorum solùm historiis: sed & multarum aliarum gentium Barbararum: vel vide quæ de insulis Canariarum insularum narrat Aloysius Cadamustus capite octauo. Neque tantum pro capitibus principum huiusmodi permutatio fieri solita: verùm etiam pro quouis aliorum Aristides Hadriani ferme æqualis, in Sacrarum quinta narrat, se cum periculose ægrotaret oraculo monitum, ὅτι ἡ Φιλουμένη ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, καὶ σῶμα ἀντὶ σώματος ἀντιδώκε, τὰ αὐτῆς ἀντὶ τῶν ἐμῶν. moritur ergo Philumene, conualescit Aristides Erat hæc filia Callitychæ nutricis quondam Aristidis, vel collactaneæ: nam editi libri modò τροφὸν nominãt, modò σύντροφον. sed & iam antè Hermeas Philumenæ frater pro eodem Aristide grauissime laborãte, mortem visus obiisse, vt ipse narrat. Oportebat autem, vt qui pro alio moriebatur vltro mortem oppeteret: quod & in victimis aræ admouẽdis scimus seruatum. Aurelius Victor, de Hadriano & Antinoo verba faciens: *Quæ quidem alij pia volunt religiosaque: quippe Hadriano cupiente fatum producere, cum voluntarium ad vicem magi poposcissent, cunctis retractãtibus, Antinoum obiecisse se referunt.* Sacrificium Antinoi homo paganus vocat rem piam & religiosam. fere tamen quicunque ex antiquis scriptoribus Hadriani famæ voluerunt consultum, sacrificium istud humanũ studio dissimularũt. Quare etiam Athenagoras in Apologetico ad Marcum imperatorem, Antinoi consecrationem humanitati Hadriani adscribit, non amori fœdo. Ἀντίνους, inquit, φιλανθρωπίᾳ τῶν ὑμετέρων προγόνων πρὸς τοὺς ὑπηκόους ἔτυχε νομίζεσθαι θεός. Iustinus quoque Martyr in Apologia ad Pium missa, pari prudẽtia honori patris apud filium consuluerat. aliter & Tertullianus & cæteri omnes patres, quibus nulla temperandi necessitas. Arrianus verò in Periplo Euxini quem Hadriano misit, fœdissimè illi adulabatur cum hæc scriberet. Ἀχιλλέα ἐγὼ πείθομαι εἴπερ τινὰ καὶ ἄλλον ἥρωα εἶναι, τῇ τε δὴ εὐγενείᾳ τεκμαιρόμενος, καὶ τῷ ἐρωτικὸν γενέσθαι καὶ φιλέταιρον, ὡς καὶ ἐπαποθανεῖν ἑλέσθαι τοῖς παιδικοῖς. nam sub Achillis persona, Hadrianus hîc laudatur, & eius in Antinoum nefandus amor. Videntur

tur doctores Hebræorum ad hanc historiam respicere, quoties Hadrianum nominant שחיק טמייא vel שחוק עצמות quasi pollutum dicas è contrectatione ossium aut cadaueris. aliam enim e mortuo pollutionem illi exprobrant, ab illa cuius mentio in libris Mosis. allusit & Tertullianus cum Hadrianum appellat *curiositatum omnium exploratorem*: & Ammianus Marcellinus cum *futurorum sciscitationi nimiæ deditum*.

13. *Aliis, quod & forma eius ostentat, & nimia voluptas* Hadriani.] Honestè reticet rem turpem & ne nominandam quidem. ita enim suppleri debet: aliis asserentibus eum fuisse delicias Hadriani, quod & forma eius ostentat, & Hadriani nimia voluptas. hoc est *παιδομανία*. id *voluptas* significat hoc loco, vt mox, *in voluptatibus nimius*. Est autem firmissimũ quo vtitur argumentum, à forma Antinoi: quam didicerat Spartianus ex illius statuis, & veteribus nummis. Pausanias quoq; qui per temporum ratione͂ poterat Antinoum vidisse: scribit tamen in Arcadicis, se cum viuum non vidisset, mortui statuas & tabulas multas esse intuitũ Bacchi vultum referentes. Extat hodieque in nummis expressa illius ephebi imago: quam nemo vetustatis paullo callentior aspiciet, quin vultum habitumque catamiti statim agnoscat. Eiusmodi hic est ex ære antiquissimus & elegantissimus, quem è magni Thuani Præsidis cimeliis depromtum infra subiecimus.



Literæ quæ orbem totum posticæ partis implebant, vetustatæ sunt exesæ, planeque ignorabiles, paucis exceptis: ex quibus tamen liquidò constat legendum, CΜΥΡΝΑΙΟΙC ΓΟΛΕΜΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ. quam inscriptionem viri docti & in aliis nummis inuenerunt.

ib. *Et Græci quidem volente* Hadriano *eum consecrauerunt.*] Respicit ad profusas Græculorum adulationes, qnibns Hadriani luctum minuere conati sunt, cum ille Alexãdriæ Antinoum suum muliebriter defleret. Habes inlustre exemplum in decimoquinto Athenæi, de Pancrate. Ait, *volente* Hadriano, quasi consecrationis huius non fuisset Hadrianus auctor, sed Græci homines: quod & Athenagoras iis verbis quæ modò attulimus, videtur significare. Illi igitur non solum inter heroas & minorum gentium deos Antinoum retulerunt: sed & stationem in

cœlis certam eidem aſſignarunt, nouum ſidus ANTINOVM inter cœleſtes imagines commenti. Eius poſituram in ſiderum ἀστροθεσίαις & deſcriptionibus aſtrologorum inuenies. Quidam in orbe Lunæ cum Endymione collocarunt. Tatianus: Πῶς ὁ τεθνεὼς Ἀντίνοος μειράκιον ἐν τῇ σελήνῃ ὡραῖον καθίδρυται; τίς ὁ ἀναβιβάσας αὐτόν; Eius conſecrationis cum alia extant hodieque monumenta, tum iſtud Romæ egregium.

ΑΝΤΙΝΟΩι
ϹΥΝΘΡΟΝΩι ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩι ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ
ΠΡΟΦΗΤΗϹ.

Qui lapidem hunc honori Antinoi dedicauit, Hadriani libertus fuit, aut alicuius è Traiani cognatis. Erat autem προφήτης, id eſt, ſacerdos Antinoi. ſed quoniam vulgo creditum eſt hoc ſacerdotio præditis vim diuinandi ineſſe: ideo non ἱερέα ſe aut ſacerdotem vel flaminem nominat, verùm Prophetam. Hegeſippus apud Euſebium Hiſtoriæ eccleſ. lib. IV. καὶ γὰρ τὴν πόλιν ἔκτισαν ἐπώνυμον Ἀντινόου, καὶ προφήτας. Ita accipe quod ſubiicit Spartianus, *oracula per eum dari aſſerentes*. Ac fere videas omnes Aegyptiorum deorum ſacerdotes dici à ſcriptoribus prophetas, vt obſeruat Diogenes Laërtius. Aliis in locis ἱερεῖς dicebantur. vt in veteri nummo, ΟϹΤΙΛΙΟϹ ΜΑΡΚΕΛΛΟϹ Ο ΙΕΡΕΥϹ ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. Quod autem hîc nominatur Antinous, σύνθρονος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεῶν, deorum Aegypti conſeſſor & conſors, illud ſignificat: vrbem de huius nomine Antinoum ſiue Antinoopolin in Thebaide iuſſu Hadriani appellatam, non à fundamentis fuiſſe nouam factam: ſed eius gratia inſtauratam, & quaſi denuo conditam: cum eſſet antè is locus alij numini conſecratus. BESAM deum illum, & vrbem quoque priores vocabant: quam appellationem diu etiam poſtea retinuerunt Aegyptij, altera Græcis relicta. Propterea fuêre qui de duobus vnum nomen componerent, & oppidum iſtud BESANTINOVM appellarent. Photius patriarcha, de Helladio ſcriptore Aegyptio: ἔστι δ' ὁ συγγραφεὺς ὁ ταῦτα συνταξάμενος, γένος μὲν Αἰγύπτιος ἦν, πόλεως δὲ τῆς Ἀντινόου, ἢ ὡς αὐτὸς ἐπιγράφει Βησαντινόου. duorum numinũ appellationes in vnã conflatæ, vt in Hermeraclas, Hermathena, Heraclammon, Hermammon. Beſa nomen eſt vnius Dei Aegyptiorũ. Ammianus lib. XIX. *Oppidum eſt Abydum in Thebaidis parte ſitum extrema. Hic BESÆ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Atque vt in aliis deorum nominibus, ſic in iſto accidit, vt viri etiam illud vſurparent Aegyptij. inde erat Beſa ille qui ſub Decio crucis euangelium ſanguine ſuo obſignauit. etiam ille, opinor, qui veteri prouerbio eſt notatus, Βησᾶς ἕστηκεν: homo ob fatuitatem Alexandriæ celebris, vbi Machon fabulas ſuas docuit: à quo videntur veteres critici deſumſiſſe, vt ſcripſimus alibi.

16. *Fuit enim poëmatum & literarum omnium ſtudioſiſſ.*] Planius Dio: ſcripta

ſcripta reliquit, ait, ſoluta quidem oratione nonnulla: verſibus verò quàm plurima omnis generis.

17. *Arithmetica, geometriæ, picturæ per.*] Victor iunior, qui fere Spartianum ſequitur cum alibi, tum etiam hîc, pro *arithmetica* tribuit Hadriano *medendi ſcientiam.* an ille aliter hîc legit?

ib. *Picturæ peritiſsimus.*] Dio addit plaſticæ peritiam. ἔπλασε καὶ ἔγραφε. Victor, *pictor, fictorque ex ære vel marmore proximè Polycletos & Euphranoras.* Hæreo an huc referam ſuauem apud Dionẽ hiſtoriolam. Apollodoro architecto, de ſuis operibus aliquid cum Traiano communicãti, cepit παραλαλεῖν & obſtrepere Hadrianus: cui architectus, *Abi & cucurbitas* γράφε: *nam horum nihil ſcis.* videtur reſpexiſſe ad aliquam Hadriani tabulam vbi cucurbitas feliciter pinxiſſet. Hæreo tamen propter verbum γράφε, quod & *pinge* & *ſcribe* poteſt ſignificare. Fortaſſe Hadrianus Senecam imitatus, qui Ἀποκολοκύνθωσιν ſcripſit, aliquod ſimilis & argumẽti & tituli compoſuerat: quod non abhorret ab illius ingenio. eò alludens Apollodorum dixerit, Ἄπελθε καὶ τὰς κολοκύνθας γράφε. iuuat quod ſubiicit Dio, ἐτύγχανε δ' ἄρα τότε ἐκεῖνος τοιούτῳ τινὶ γράμματι σεμνυνόμενος. non enim dicit γραφῇ. Si de pictura capias, erit ſimile illi veteris comici, ὡς οὐδὲν ἤδη πλὴν χελιδόνας γράφειν.

ib. *Iam pſallendi & cantandi ſcient.*] Suetonius in Tito, *ne muſicæ quidem rudis: vt qui cantaret & pſalleret iucunde ſcienterque.*

19. *Nam & de ſuis dilectis.*] περὶ τῶν ἐρωμένων αὐτοῦ. ſed malim *delicatis* ſcribi, aut *deliciis.*

ib. *Multa verſibus compoſuit.*] Apuleius in Apologetico, *Ipſius etiam Diui Hadriani multa id genus* amatoria *legere me memini.*

20. *Amatoria carmina ſcripſit.*] Retinent antiqui etiam iſta verba. Ego inducenda cenſebam. annon enim ſuperuacuè bis dicitur idem?

21. *Gladiatoria quoque arma tractauit.*] quod in hoc principe notatũ vt curioſitatis argumentum: idem in aliis minus ſeueris durius acceptum. Capitolinus in Marco: *Verus poſteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, armiſque ſe gladiatoriis & venatibus exercuit.*

22. *Idem ſeuerus, lætus: com.*] Omnia hæc vno verbo Dio Caſſius. ᾐτιῶντο αὐτοῦ τὸ πολύτροπον, *quod eſſet in omnibus varius*, vt expreſſit mox Spartianus. *Lætus* hîc & alibi in his libris, opponitur ſeuero aut rigido. Ammianus Marcell. libro XXXVIII. *Lætus aliàs, & ad populi fauorem adipiſcendum aptiſsimus: nonnunquam tamen rigidus.* Græci εὔψυχον dicunt: cui contrarius eſt ὁ δυσαίνιος, Firmico, *dyſphoricus.* paullo aliter, *homo vitæ lætæ*, in Vero, pro ἡδονικὸς, vel ἡδυπαθής. Tacitus de Tito, *lætam voluptatibus adoleſcentiam egit.*

24. *Amicos ditauit, & quidem non petentes.*] Videtur ex Dione, οὐδὲ γὰρ ἀνέμενεν αἰτηθῆναι. & Zonaras indidem, αὐθορμήτως καὶ μηδ' αἰτούμενος.

25. *Cum petentibus nihil non negaret.*] In regio, *c. p. non negaret.* in aliis,

nihil neg. quod fortaſſe verius.

28. *Vt hoſtium loco habuit.*] Scrib. *in hoſt. l.* vel tolle τὸ *vt.*

30. *Prius conſcium imperij.*] hoc eſt, quicum Hadrianus adhuc priuatus, & viam ad imperium affectans, ſolitus omnia conſilia communicare. Vel interpretare ex illis præcedentibus, *in contubernium imperatoriæ maieſtatis adſciuit.* de quibus antè.

32. *Heliodorum.*] paullo poſt inter philoſophos Hadriani familiares Heliodorus quidã nominatur. Dio hunc magis nobis aperit, qui eũ fuiſſe Hadriano à cura epiſtolarum ſcribit. Sophiſtæ cuiuſdam Heliodori vitam varietate caſuum notabilem deſcripſit Philoſtratus: ſcriptor nimis ſæpe ineptus. Nam quare Imperatoris nomen tacuit, cuius in ea vita toties mentio?

33. *Titianum vt conſcium t.*] ille eſt, qui Tatianus antea dictus: de quo iam multa. Quare & hîc ita ſcribendum.

34. *Numilium Quadratum.*] Regius, *Vmidium.* Scribendum *Numidium Q.* ſatis notus iſte ex hiſtoria. Romanam gentem è qua fuerunt Quadrati, Numidiam cum Ioſephi codicibus & Plinij nominamus, non Vmidiam: etſi eo nomine quandam fuiſſe lapides teſtantur.

Pag. 11. verſ. 2. *Verſu promptiſſimus.*] Regius, *verſu potentiſſimus.* altera lectio recta. Suetonius in Tito, *Latinæ Græcæque linguæ promptus ac facilis.* vbi malim, *Latina Græcaque lingua p.* nam ita alij ſcriptores, cũ ſexto caſu. interdum & cum tertio: ſed paullùm diuerſa notione.

3. *Profeſſores omnium artium, vt doctior, riſit, contemſit, obtriuit.*] Hadrianus, ait Dio, cum vellet etiam in minimis primas tenere, τῶν ἔν τινι προεχόντων πολλοὺς μὲν καθεῖλε, πολλοὺς δὲ καὶ ἀπώλεσε. Ammianus libro xxx. in elogio Valentiniani, *oderat eruditos, & opulentos & nobiles: & fortibus detrahebat, vt ſolus videretur bonis artibus eminere. quo vitio exarſiſſe principem legimus Hadrianum.* Sed vt vario fuit Hadrianus ingenio, ita varia de eo à ſcriptoribus ſunt prodita. nam quid poteſt magis contradicere præcedentibus, quã quod ſubiicit poſt pauca Spartianus? *omnes profeſſores & honorauit & diuites fecit.* quod tamen falſò ſcriptũ non eſſe docebimus.

6. *Et Fauorinus quidem.*] Et Dio Caſſius & Philoſtratus contentionem quandam commemorant inter Hadrianum & Fauorinum: ſed quod hîc narratur, alibi nõ legas. nam quod Spartianus ait, ceſſiſſe Fauorinum in hac diſputatione: Philoſtratus contra moderationem imperatoris dilaudat, quòd διεφέρετο ἀπὸ τοῦ ἴσου πρὸς ὃν ἐξῆν ἀποκτεῖναι. Verbum de quo erat controuerſia vtrius linguæ fuerit, non dicit Spartianus. Fauorinus quidem & Latinæ fuit peritus, & Græcæ, vt ſi quis alius ea tempeſtate, peritiſſimus.

11. *Illum doctiorem omnibus credere.*] Non puto ipſa eſſe Fauorini verba. *doctior* pro doctiſſimus, recentioris eſt Latinitatis idiotiſmus. nam parcius veteres.

12. *Qui habet triginta legiones.*] Sic eſt: temporibus illis alebantur ab impe-

imperatore Ro. legiones triginta, aut circiter. Dio proximus illi ſeculo duas & triginta, (nõ vt vir doctus ſcripſit, nouem & viginti) nominat, & cuiuſque illarum ſedes indicat libro LV.

14. *Phlegontis libri Hadriani eſſe dicuntur.*] Phlegon igitur Hadriani libertus, non Auguſti, vt temere quoſdam è veteribus ſenſiſſe indicat Suidas. Error ex eo, quod in libris ſuis ſimpliciter vocat ſe Καίσαρος ἀπελεύθερον. Vide Photij Bibliothecam tmemate XCVII.

15. *Catacrianos libros obſcuriſsimos.*] Regius, *Catacaymos.* An igitur ope huius codicis inuenta eſt tandem vera lectio huius loci? de quo fuerunt hactenus, planè quot capita tot ſententiæ. Quot modis enim illius emendationem viri docti à centum annis tentarunt? Eruditiſſimus Lilius Gyraldus, quatuor emendationes diuerſas quà ſuas, quà aliorum, in medium profert; quarum tamen eiuſmodi nulla eſt, in qua merito iudicia doctorum acquieſcant. An enim quiſquam putet Κατὰ Τραϊανοῦ, aut Κατ' Ἀδριανοῦ ſcribi debere? niſi cui fiat probabile Hadrianũ Traiani F. Traiani famam, aut ſuam ipſius, vt olim Archilochum, libris editis proſcidiſſe. ſed videntur exiſtimaſſe harum lectionũ auctores Κατὰ Τραϊανοῦ idem eſſe ac Τῶν κατὰ Τραϊανόν, *De rebus Traiani*, vel *quæ principe Traiano acciderunt*: quod nullus Helleniſmus vnquam ferat. Acutius & multo probabilius Ianus Parrhaſius, Κατὰ Ἀκκιανοῦ, *Contra Accianum.* ſic enim, vt oſtendimus, quidam libri tutorem Hadriani nominant, non Tatianum. Atque hunc in odium veniſſe tandem Hadriano certum. Sed cum paucis ſolum diebus ante obitum ipſius, eruperit Hadriani in ſuum tutorem odium, vera eſſe emendatio illa non poteſt: vt alia taceam quæ aduerſus eam dici queant. Qui autem *Catachlyanos* quaſi dicas, caligine obtectos, aut *Catacriticos* voluerũt ſcribi, ne verbo quidem refutandi ſunt. Acutiſſimus Scaliger aſpiratione inſerta in vulgatam ſcripturam, quæ nihil ſignificat, CATACHRIANOS putabat dictos libros τῶν κατὰ χρείαν λεγομένων. In rhetorum ſcholis docebantur tirones alia κατὰ χρείαν, alia κατὰ γνώμην dicere. Quid interſit inter χρείαν & γνώμην, non eſt hic dicendi locus. Sic fuêre apud Græcos qui χρείας inſcriberent ſuos libros ad vſum declamantium maxime compoſitos. Hadrianum in illa rhetorum palæſtra ſe exercuiſſe, & Μελέτας ſcripſiſſe antea probauimus è Photij Bibliotheca: quod firmandæ Scaligeri ſententiæ adprime facit. Nam formationem Latinam in voce Græca ſoli mirabuntur harum literarum rudes. Regiæ tamen membranæ, vt iam diximus, *Catacaymos*: quæ pura puta eſt Græca vox, Κατακαυμὸς ſiue Κατακαυσμός. Multifariam exponi poteſt hic titulus. Vel quod orbis terrarum incendium, quod Phaethontis temeritate accidit, eo opere deſcripſiſſet: vel quod Heracliti & quorundam aliorũ philoſophorũ ſententiam de futura conflagratione, qua totum hoc periturum pronuntiabant, iis libris tractaſſet. Vtrumlibet horum duorum argumentum, ſiue incendij poëtici, ſiue Heracliteæ ἐκπυρώσεως, cuius & Marcus

Imp. libro III. meminit, intextis Lycophroneo more fabulis antiquis, obscuritatis quam ait Spartianus, fuit capacissimum. Subscribunt regiæ lectioni Puteani codices, in quibus *Catacaimos*.

ib. *Libros obscurissimos Antimachum imitando.f.*] Veterum criticorum de hoc poëta iudicium legere est apud Dionysium Halicarn. & Quintilianum, Horatium quoque. Non defuere, qui magni facerent: sed neque eruditorum melior pars accedit huic sententiæ: & vulgus hunc poëtam semper neglexit. Quare scribit Dio Hadriani ætate vix nomē huius in vulgus fuisse notū, cum Hadrianus τὸν Ὅμηρον καταλύων Ἀντίμαχον ἀντ' αὐτοῦ εἰσῆγε. Obscuritas cuius hunc poëtam Spartianus obiter insimulat, apparet ex paucissimis quæ supersunt reliquiis. vt cum dixit ἐνδ' ἀδδροισι χέειν δίϊλατον ἄλφι. de eo qui farinam vtri infuderat. ἀδδροις vocat vtres: ἄλφι pro ἄλφιτον. δίϊλατον dixit pro suaui, & grato. Hesychius interpretatur ἡδέα· nam ita scribendum non ἰδία. alibi dixit, ἀπόδηθεν προτιόσσεται, *è longinquo prospicere*. Iouem appellauerat σείελνα, διὰ τὸ ἄστρον aiunt grammatici: pilam, κοίαν. Ephesios εἰσκονιανὺς.

18. *Ambulare per Britannos.*] Scribe, *Amblare*, ob metrum & mox, *Amblare per tabernas*. vt in Alexandro Seuero *lepusclos*. sic *oraclum*, *periclum*, & similia. Verbum *amblare* resedit in Gallica lingua diuersa notione. vt cum de tolutario vel asturcone vsurpamus.

23. *Culices pati rotundos.*] ὑπὸ τῶν κωνώπων ἐνοχλεῖσθαι τοῖς αὐτῶν κέντροις κοπιόμενον. Acerbe Florum suggillat Imper. vitam illius describens in ganeis & popinis. Nam, vt alibi obseruabamus, honesto viro non fuit olim turpius in lupanari conspici quam in caupona, vel vinaria taberna. Culicibus infesta esse œnopolia & omnes similes locos nemo ignorat: qui saltem legerit apud Philosophum nasci eos è vermiculis qui generantur ἐκ τῆς περὶ τὸ ὄξος ἰλύος, & vt Plinius interpretans ait, in acescente natura. Non possum assentiri magno Turnebo qui *culices pati* obscœna notione accipit hoc loco pro φηνίζεσθαι: vt sumitur in veteri prouerbio οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ φηνίζεται. At in regio scriptum *calices* pro *culices*. quam lectionem interpretari possumus ex iis quæ dicebamus ad Athenæum libro primo, cap. XIIII. Enimuero *culices pati* scripsit Hadrianus: quod non aliud est quam id quod initio diximus. *rotundos* autem vocat, vel quia suctu sanguinis impleti, distenta cute rotundantur: vel ad tumusculos respiciens, qui in puncta cute culicis aculeo excitantur, verè semirotundi.

24. *Controuersias declamauit.*] Latinas declamationes puto intelligi: de Græcis eiusdem ante diximus.

25. *Salustio Cælium prætulit.*] Legebatur *Cæcilium*. membranæ *Cælium*. Cæcilius veteris poëtæ nomen: qui tam ineptè Salustio compararetur, quàm conuenienter Crispus & Cælius componuntur. antiquus fuit historiographus, ex quo multa A. Gellius, Priscianus, Sosipater Charisius, alij.

26. Ea-

26. *Eademque iactatione.*] κουφότητα καὶ ἀλαζονεία. nam vtrumque ineſt vitium, leuitas & arrogantia.

ib. *De Homero ac Platone iudicauit.*] Homero prætulit Antimachum, vt ex Dione modo dicebamus. Platoni verò quẽ? nihil enim inuenio.

27. *Vt ſerò Kal. Ianuariis ſcripſerit.*] *ſerò* id eſt, ὀψὲ τῆς ἡμέρας. veſpera diei primi eius anni. Id tempus opportunum prædictionibus aſtrologorum. Regius, *vt ſexo.* fortaſſe, *vt ſexto Kal. I.* At Robertus Bon. legit, *vt ſemel Kal I.* probo: & quod ſequitur, *quid ei toto anno poſſet euenire.* de ipſo Hadriano interpretor: quod & proxima verba ſuadent, & ſimilis huic locus in vita Veri: vbi dicitur *cuncta de ſe ſciſſe* & omnes futuros ſuos actus antè præſcripſiſſe. *ei* igitur pro ſibi, vel ipſi poſitum, quod illi ſeculo familiare.

31. *Omnes profeſſores & honorauit & diuites fecit.*] Propterea ſcribit Philoſtratus ſuperaſſe Hadrianũ omnes ſuperioris memoriæ principes ſtudio virtutes promouendi: hoc eſt, erga viros inſignes virtute aut eruditione munificentiâ. Locus eſt in vita Marci Byzantij ſophiſtæ. τοῦτον, inquit, ἠγάσθη καὶ Ἀδριανὸς ὁ αὐτοκράτωρ πρεσβεύοντα ὑπὲρ Βυζαντίων, ἐπιτηδειότατος τῶν πάλαι βασιλέων γενόμενος ἀρετὰς αὐξῆσαι. Idem ſcriptor aliis locis earum vitarum non paucis, Hadriani beneficia in viros doctos commemorat. Vel lege Dionyſij Mileſij vitam: quem tamen fuiſſe ipſum quoque ab Hadriano male tandem acceptum narrat Dio.

34. *Vt multi ab eo triſtes recederent.*] Alludit ad Titi Auguſti dictum: *Non oportet quenquam à ſermone principis triſtem diſcedere.*

36. *Epictetum.*] Reg. *Epycetum.* illud rectum. à temporibus Neronis vitam produxiſſe ad Marcum traditur ille ſapientiſſimus ſenex.

Pag. 12. verſ. 2. *Eminente Fauorino.*] Reg. *præeminente F.* ſublatis illis, *præ cæteris.*

4. *Quos in priuata vita inimicos habuerat, imperator neglexit.*] Rara & eo principe digniſſima laus, qui in literis tantus eſſet. Celebratur in Annalibus noſtris Ludouici XII. regis ſapiẽtiſſimi, qui de Aurelianenſi Duce ad regium faſtigium peruenerat, vox aurea. Nam cum illum ſui ſtimularent, vt Ludouicum Trimolium, qui ſibi olim multum nocuiſſet, pro meritis acciperet, *Ego verò*, inquit, *non faciam: neque enim Galliarum regem decet offenſas inimicitiáſve Aurelianenſis Ducis meminiſſe aut exequi.* Olim, vt narrat Suetonius, idem Veſpaſianus. Sed omnes omnium ſeculorum principes hac virtute, vt & multis aliis, longe vicit maximus & Chriſtianiſſimus rex noſter HENRICVS IIII. de cuius diuina clementia præſtat nihil quàm parùm dicere.

5. *Ita vt vni quem capitalem habuerat.*] Reg. *tantum neglexit, vt Choni quem c. h.* neque Græcum id nomẽ agnoſco, neque Latinum: niſi *Chioni* ſcribendum: de quo tamen legi nihil.

11. *Cum plurimis ſumẽtibus paſceret.*] Lego, *cum plurimos ſuis ſumtibus p.* adſtipulante regio codice, in quo ſcriptum liquido verbum ſumtibus

postea inuenimus. In eodem pro *iußit apponi*, scribitur, iussit sibi apponi. Quare sine vlla controuersia totus locus ita distinguendus ac scribendus. *Ad deprehendendas obsonatorum fraudes, cum plureis suis sumtibus pasceret, fercula de aliis mensis, etiam vltimis quibusque, iußit sibi apponi.* planissima sententia, cũ ante nemo eam caperet. Illa verba, *cum plureis suis sumtibus pasceret*, propterea ab auctore adiecta, quia non semper plures pauerit Hadrianus: quem paullo ante dicebat cauisse summa diligentia, ne quid otiosum pasceret: interdum tamen, ita rebus ferentibus, aluit sumtu suo vel plurimos: vt multis opus esset mensis. Has igitur mensas Hadriani ἀγορασταὶ & opsonatores, quęstus proprij quàm existimationis sui heri studiosiores, instruebant: sed vt quæque illarum ab Imperatoria mensa plurimum aberat, ita parcissimè & tenuissimè insternebatur. Quam opsonatorum fraudem vt detegeret Hadrianus, quæso, quid poterat ingeniosius comminisci? *Opsonatorem* Græci vocant ἀγοραστὴν, vt alibi dicebamus: posterior ætas *optionem* appellauit: si satis ex fide Procopius libro III. Persicorum. Ἰωάννην παρέδωκεν, ὅς οἱ ἐπεμελεῖτο τῆς περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης. ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι.

13. *Publice frequenter & cum omnibus lauit.*] Scripti omnes, *Publice & fr.* rectè. Duplex ciuilitatis argumẽtum: quod publicè lauaret, & quod frequenter cum vulgo. ita Hadrianus: Pius verò liberalitatis laudem potius quàm ciuilitatis inde retulit, balneum quo vsus fuisset sine mercede populo exhibens. vide Capit.

14. *Et cæteram partem corporis.*] Postulabat Latinitas purior, cæterum corpus. Sed lego cum regiis membr. *dorsum sibi & cæteras partes c. v. atterere.* in regio est *terere.* melius *atterere*, προστρίβειν τῷ τοίχῳ, vt mox dicemus. at *distringere* est, ἀποστλεγγίζεσθαι.

19. *Quod seruum non haberet.*] Hi sunt qui proprie Græcis αὐτολήκυθοι: quibus deerat seruus qui ampullam & strigilem in balneas deferret, quique herum ibi tereret ac defricaret.

21. *Pariter & se attererent.*] Scribendum vt in regio & Puteani, *parieti se attererent.* præcedit enim, *percontans, cur se marmoribus distringendum daret.* Quare etiam illo loco, cæteras partes corporis vidisset atterere, sic accipe τὸ *atterere*, pro ad parietem solij balnearis angulum defricaret.

22. *Fuit & plebis iactantißimus amator.*] Membranæ regiæ, *acuratissimus am.* Robertus Bon. *diligentissimus am.* En hominum imperitorum facinus. non enim alia mutandi caussa illis fuit, præter imperitiam: cum non intelligerent Spartiani verbum: qui Hadrianum ita vocat, quod plebem Ro. non tam ex animo diligeret, quàm vt de suo in illam amore, & plebis in se vicissim, se iactaret.

25. *Vt nunquam caput tegeret.*] Tantum est ἡ ἄσκησις. Nam etiam quæ per naturam fieri non posse videantur, per consuetudinem, quę natura altera est, & facile, & sine noxa fiunt. Quis hodie nudum caput radiis so-

ſolis,aut omnia perurenti frigori auſit exponere? Sed veteres à primis annis capita ad caloris frigoriſque patientiam durabant,crebris frigidæ lotionibus,& aſſidua nuditate domi & per vrbis vicos. Ad iter petaſum,vel galerum,vel cauſiam Macedonicam ſumebant, vel pileum ſiue Theſſalicum,ſiue Arcadicum,ſiue Laconicum. apud Dionem permittit Caligula populo Ro. πίλους σφίσι τὸν Θετταλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ne ſolis æſtu offendantur. narrat Syneſius De regno,veteres Imperatores ἐν πίλοις Λακωνικοῖς fuiſſe ſpectatos. Quidam ita obdurato callo fuerunt,vt etiam itinera nudo capite æſtate pariter atque hieme facerent. notum de Maſaniſſa & Iulio Cæſare. Tacitus idem Annali XIII. de Corbulone. De Hadriano vberius Dio, οὔτε τὴν κεφαλὴν, οὐκ ἐν θάλπει, οὐκ ἐν ῥίγει ἐκαλύφθη· ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς χιόσι ταῖς Κελτικαῖς, καὶ ἐν τοῖς καύμασι τοῖς Αἰγυπτιακοῖς γυμνῇ αὐτῇ περιῄει. ſimilia de Seuero Herodianus libro tertio: de Iuliano Claudius Mamertinus. Scribit tamen infra Spartianus, Hadrianum mortis cauſſam hinc maxime contraxiſſe.

28. *Hiberorum.*] Ille ipſe eſt, qui Pharaſmanes ſtatim nominatur. nam in Legationum excerptis è Dione lego: Φαρασμάνῃ δὲ τῷ Ἴβηρι εἰς τὴν Ῥώμην μετὰ τῆς γυναικὸς ἐλθόντι, τήν τε ἀρχὴν ἐπηύξησε, καὶ θῦσαι ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ἐφῆκε. niſi tamen aliter Spartiano viſum.non enim ſine cauſſa dubitaueris.

29. *Quinquagenariam cohortem.*] Malim *quingenariam*, non obſcura motus ratione:etſi aliter libri.

30. *Ingentia dona accepiſſet.*] Reg. *ingentia munia dona accep.* Scribo, *ingentia munera dono accepiſſet.*

32. *Trecentos noxios c.*] Regius *trecentas.* Videtur vox excidiſſe cuius hæc ſcriptura facit nobis indicium. Quare lego, *atque inter hæc auratas quoque chlamydes trecentas,trecentos noxios c.* vt ſit numerus par exhibitorum noxiorum ab Hadriano,& miſſarum à Pharaſmane chlamydum.

34. *Non amicos aut c. ſolùm, ſed iuriſconſultos.*] quaſi non & iuriſconſulti inter principum amicos:quod falſum eſt; ſed non ita accipiendũ. Amici principis duobus modis dicebantur:interdum illi ſolùm eo nomine comprehenſi,quos in domeſtica & interiore vita haberet priuata amicitia ſibi iunctos. ita Spartianus hîc accipit: ideo addit, velut interpretans,*aut comites.* ſæpius ſic appellantur,quos publice,vt ita dicam,princeps amabat & quorum conſiliis regebatur. Sic accipe apud Suetonium in Tito,capite ſeptimo, *Amicos elegit, quibus etiam poſt eum principes, vt ſibi & Reip. neceſſariis acquieuerunt, præcipueque ſunt vſi.* & Capitolinum in Pio,*neque de vllis actibus quicquam cõſtituit niſi quod prius ad amicos retulit.* In his & ſimilibus locis, *amici imperatoris* ſunt, quos hodie vocamus *conſeilliers d'eſtat.* Inter huius generis amicos vt & nũc, ſic & olim ſemper, apud bonos certè principes,Iuriſconſulti fuerunt. Diui fratres in reſcripto cuius pars habetur lege XVII. De iure patronatus.*Voluſius Mæcianus amicus noſter,& iuris ciuilis,præter veterem & bene fundatam peritiam,anxie diligens.* Mox, *cum & ipſo Mæciano,& aliis amicis*

nostris iurisperitis adhibitis tractaremus. De consiliis Hadriani cum iudicaret, iterum mox Spartianus, *Caussas Romæ atque in prouinciis frequenter audiuit, adhibitis consilio suo consulibus atque prætoribus, & optimis senatoribus.* quod breuissime Dio, ἐδίκαζε μετὰ τῶν πρώτων.

35. *Præcipuè Iulium Celsum.*] Quis iste, aut vbi eius mentio inter illius tempestatis prudentes? Pub. Iuuentium Celsum nouimus nos clarissimum illa ætate iurisconsultum: cuius nomen hîc arbitramur restituendum. Saluius Iulianus & Neratius Priscus satis per se noti, nostra indicatione nihil egent.

37. *Vt in nulla ciuitate transferendæ ad aliam vrb.*] colligebam ex istis verbis, promulgatam ab Hadriano fuisse de non diruendis ædificiis aliquam constitutionem: cuius tamen cum hodie in libris iuris ciuilis Romanorum mentio extet nusquam, sequor nõ inuitus iudicium viri eruditissimi καὶ κριτικωτάτου Iosiæ Merceri, magni illius Iohannis F. tali parente dignissimi: qui ad illud Senatusconsultum Spartiani verba refert, quod Hadriano imperante quinto eius anno, COSS. Auiola & Pansa factum est. Cauêre patres eo decreto, ne ea quæ ædibus iuncta sunt, tollere, negotiationis & promercij caussa, vendere, emere, legare liceret: item ne cui domum suam, quî demoliretur, vendere liceret aut legare. auctores sunt, Paulus lege LII. De contrahenda emtione: Vlpianus lege XLI. De legatis primo, item alij multi: nam huius S.C. frequẽs mentio in Digestis. sed & multo ante Vespasiani lege idem fuerat cautum, vt testatur Alexander Seuerus lege secunda Codicis De ædificiis priuatis. Non est nouum, vt ab imperatore dicatur ius constitutũ, quod eo imperãte ordo amplissimus decreuerit. Quare nullum dubium est, quin ad dictum S.C. respiciat Spartianus: etsi verba eius mentem S.C. parum plene exprimunt: quod passim in his libris obseruabimus. Ergo hoc ait Spartianus, constituisse Hadrianum, ne transferẽdæ vllius materiæ caussa ad aliam vrbem, in vlla ciuitate domum aliquam diruere fas esset. Ait, *vt in nulla ciuitate,* hoc est, non Romæ solum, sed ne in aliis quidem ciuitatibus. Vlpianus §. sexto, dictæ legis; *Hoc senatusconsultum non tantum ad vrbem, sed & ad alias ciuitates pertinet.* Ibidem Vlpianus docet, appellationem domus laxè hîc accipiendam. Materiæ in aliam vrbem solita transferri sunt vt tigna, marmora, typi, & quod mireris iure mecum, parietes aut parietum partes. Plinius libro XXXV. cap. XIV. *Lacedæmone excisum lateritiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ ligneis formis inclusum, Romam deportauere, in ædilitate ad comitium exornandum Murena & Varro. Quod opus cum per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur.*

Pag. 13. vers. 2. *Liberis proscriptorum duodecimas bonorum concessit.*] Veteris legis Corneliæ de proscriptione duo capita fuêre: altero proscriptorum liberis aditus ad honores obstruebantur: altero bona patris proscripti publicabantur. Prius caput antiquauit Iulius Cæsar, & post illum

illum principes alij, vt notamus ad Suet. libro primo, cap. XLI. posterius lege hac tollit Hadrianus: sed ex parte solùm, eaque ad modum exigua. Liberalius ille rebus non nomine philosophus Marcus: de quo Capitolinus: *Filij Caßij & amplius media parte acceperunt paterni patrimonij, & auro atque argento adiuti.*

3. *Maiestatis crimina non admisit.*] Iudicia maiestatis prout erat principis ingenium, vel exercebantur vel silebant. Tiberium à Prætore consultum, iussisse reddi narrant Tacitus & Suetonius: fuitque id sub eo principe omnium accusationum complementum. Sic tristissimus quisque principum: eximiè autem Nero. Alij vel moderati sunt, vel penitus sustulerũt. vt Claudius, de quo Dio Cassius: τὸ ἔγκλημα τῆς ἀσεβείας, hoc est, maiestatis, οὐκ ἐν τοῖς γράμμασι μόνοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς πράξεσιν ἔπαυσε. & Traianus, de quo Plinius: *Locupletabant & fiscum & ærarium non tam Voconiæ & Iuliæ leges, quàm Maiestatis singulare & vnicum crimen eorum qui crimine vacarent: huius tu metum penitus sustulisti, contentus magnitudine qua nulli magis caruerunt, quàm qui sibi maiestatem vindicabant.* Accedit istis nunc Hadrianus. Eiusmodi crimina qualia fuerint discent tirones ex vitis Tiberij & Caij, & illorum temporum historiis. Nihil enim simile prioribus legibus de maiestatis criminibus: vt accurate explicat Tacitus primo Annali.

ib. *Ignotorum hereditates repudiauit.*] Et hoc exemplo Augusti. Suetonius libro II. cap. LXVI. Tacitus de Tiberio, *Neque hereditatem cuiusquam adiit, nisi cum amicitia meruisset. Ignotos & aliis infensos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat.* Plinius de Traiano, *Scriberis ab amicis, ab ignotis prætereris.*

4. *Si filios haberent.*] Regius, *sed si f. h.* Tacitus in vita Agricolæ: *à bono patre non scribitur heres nisi malus princeps.*

5. *De thesauris ita cauit.*] Adi ad Iustinianum Institutionum libro secundo, titulo primo. nam ista melius inde petas.

7. *Seruos à dominis occidi vetuit.*] Videtur contrarium suadere §. Iuxta hoc tamen, legis primæ Dig. De senatusconsulto Silaniano, &c. sed lege titulum De iure & sæuitia dominorum in elegantissimo libello Licinij Rufini, qui collationem Mosaici iuris & ciuilis Romanorum continet. Non desiderabis alium huic loco interpretem.

8. *Eosque iußit damnari per iudices.*] Caius Institutionum titulo III. *Si seruus dignum morte crimen admiserit, iis iudicibus, quibus publici officij potestas commissa est, tradendus est, vt pro suo crimine puniatur.* Vopiscus de Aureliano, *Multos seruos è familia propria qui peccauerant, legibus audiendos iudiciis publicis dedit.*

9. *Vendi vetuit caussa non præstita.*] id est, sine iudice & arbitrio domini, vt in simillima re loquitur Modestinus lege XI. Dig. Ad legem Corneliam de sicar.

10. *Decoctores bonorum suorum, si s.*] Iam olim lege fuerat cautum

ne liceret decoctoribus ſedere in ſpectaculis inter ſui ordinis homines. Hæc eſt pœna theatralis, vel vt emendabamus olim, pœna legis theatralis eorū qui decoxiſſent,aut patrimonium imminuiſſent,apud Tranquillum in Auguſto,cap.XL. Omitto nexorum vincula, & illam veterem ſectionem.

11. *Si ſuæ auctoritatis eſſent.*] hoc eſt, qui vitio ſuo decoxiſſent: nam iis qui ſine culpa ſua rem fregiſſent, ceſſionis beneficium competiit, de quo eſt apud I.Ctos. Pupilli, minores & fœminæ ſuæ auctoritatis non erant.

ib. *Catamidiari in amphitheatro.*] Notiſſimus mos veterum,ſontes & pœnis addictos ad exemplum traducendi per amphitheatrum. Exempla paſſim obuia. Pro *catamidiari* regiæ membranæ præferunt *cathomidiari*:quod detracta aſpiratione,videri poſſit non temere ſpernendum, pro catomis cædi, vt in vita S.Viti, *hoc audiens pater eius iußit infantem catomis cædi*: & ita ſæpe in Martyrologiis & apud Victorem De perſecutione Vandal. pro κατ᾽ ὤμων τύπτεσθαι, vt ad Manilium ſuum Ioſephus Scaliger eſt interpretatus. *Catomidiari* ergo,ſiue *catomadiari* fuerit κατωμαδὸν τύπτεσθαι. Sed placet magis vulgata lectio, quæ & ſine dubio vera eſt. Græcum eſt,καταμειδιᾶσθαι. Noxij per fora,theatra & amphitheatra inter magna rerū verborumque ludibria traducebantur. Quare etiam quo maior eſſet omnium cachinnatio,vel aſino imponebantur, vt infra notamus, vel iocularitér ornati producebantur. Græcam vocem minus hîc mirabitur, qui tractum à Græcis rei exemplum meminerit. Nam in quibuſdam Græciæ vrbibus mos fuit,decoctores in forum inducere,& ſedere iuſſis cophinū càpiti imponere ludibrij cauſſa: idque vocabant κοφινοῦν. Nicolaus Damaſcenus de ritibus gentium: Βοιωτῶν ἔνιοι τοὺς χρέος οὐκ ἀποδιδόντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες καθίσαι κελεύουσιν· εἶτα κόφινον ἐπιβάλλουσιν αὐτῷ· ὃς δ᾽ ἂν κοφινωθῇ, ἄτιμος γίνεται. *Catamidiare* vox Græca, formatio Romana,vt *chryſographare* in epiſtola Valeriani apud Vopiſcum. *aporiari* apud veterem interpretem. & hoc genus ſexcenta. Vim verbi pluribus expreſsit Iuſtinianus Nouella CXXXI. τῷ τῆς ἀσχημοσύνης πιέζεσθαι ὀνειδισμῷ.

12. *Ergaſtula ſeruorum & libertorum tulit.*] Libertos intellige eos,qui vt ingrati in ſeruitutem retracti:nam inter iura patronatus & iſtud,de quo lege Aelia Sentia cautum. Eſt verò inſignis hic locus:nam aliunde hoc non diſcas. Sed an credemus conſtitutione iſta Hadriani omnia penitus ergaſtula fuiſſe ſublata? hæreo. nam publica ſaltem ergaſtula etiam poſt illa tempora,inter coërcitionum ſpecies video nominari. Conſtantini lege,relata in Codicem ſuū à Theodoſio,titulo de pœnis, damnati ex leuioribus cauſſis,ergaſtulis vel piſtrinis dedendi tranſmittuntur ad Præfectum annonæ. De eo genere ergaſtulorum multa Socrates lib.V. cap.XVIII. *Ferre* pro auferre familiare his ſcriptoribus. in Marco, *quibus conuentus publicos tulerat.* & alibi ſæpe. Virgilius. *Omnia fert*

fert ætas,animum quoque. Mirum quàm amarint hoc dicendi genus mediæ Latinitatis ſcriptores. Zeno Veronenſis, patrum Latinorum,meo iudicio,elegantiſſimus, *Auaritia plerumque plus tulit auaro quàm præſtat.* Lucifer epiſcopus Calaritanus, (vel potius *Caralitanus* : Sozomeno ὁ Καράλων ἐπίσκοπος.) Spartiani ferme æqualis, ſcriptor ingenio iuxta & ſtilo durus. *quam dignitatem ei ſe tuliſſe tuus arbitratus fuerat pater.* alibi, *cum ſeruis ipſius patrimonia tuleris* : Sic *vertere à Deo*, idem, pro auertere. *funus ferre* pro eferre,& *radere nomen*,pro eradere Aurelius Victor:*pilare* pro expilare,bis apud Ammianum Marcel.

ib. *Lauacra pro ſexibus ſeparauit.*] Olim viri feminæque mixtim lauabant,nullo pudore nuditatis:quem turpiſſimum morem Græcos accepiſſe à Romanis in M. Catone queritur Plutarchus. Dio lib. XLIX. de Agrippa, qui primus Romæ balnea publice exhibuit. τὰ βαλανεῖα προῖκα δι' ἔτους καὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λοῦσθαι παρέσχε. Videtur tum primum hæc defœda conſuetudo cepiſſe: quam tollere conatus Hadrianus: de quo Dio, λοῦσθαι χωρὶς ἀλλήλων αὐτοῖς viris & mulieribus, προσέταξε. Sed non obtinuit,aut non diu lex Hadriani: nam alioquin opus noua lege non fuiſſet,cuius auctor Marcus: qui auctore Capitolino,*lauacra mixta ſuſtulit*. Seruata lex Marci ad Heliogabalum vſque.iſte eam tulit: relatam mox ab Alexandro Seuero, quod in eius vita narrat Lampridius.Spreta deinde & lex Alexandri,aut certè parum diligenter obſeruata. adeo quidem vt & Chriſtiani veteres eundem morem vſurparẽt: licet in Διαταγαῖς quæ Clementi tribuuntur,caueatur diſertè,vt viri balneis virilibus,mulieribus mulieres vtantur, libro primo,cap. VI. & IX. Sed vicit morbus publicus omnem medicinam. Serò tandem ſynodalibus decretis mos tam obſcœnus de vita eſt ſublatus.decretis inquam, non decreto: nam & ſanctiſſimorum patrum auctoritas diu neglecta. Laodiceni concilij canone XXX. vetantur συλλούεσθαι γυναιξὶν ἄνδρες. Quid profuit? adeo enim mos ille per hunc canonem extinctus non eſt, vt etiam è clero & monachorum ordine multi,poſt concilium illud,promiſcuè cum feminis lauarẽt. Lege ſynodi πενθέκτης, ſiue in Trullo canonem LXXVII. quo loco Balſamon, ὡς ἔοικεν, inquit, πρὸ τῆς συνόδου ταύτης ἱερωμένοι τινὲς καὶ μοναχοί, καὶ λαϊκοὶ μετὰ γυναικῶν ἐλούοντο. In Iuſtiniani CXVII. Nou. inter legitimas diuortij cauſſas & iſta recenſetur: ſi mulier non impetrata à marito venia cum viris lauiſſet.

13. *Si dominus in domo interemtus eſſet.*] Moderatur ſenatuſconſulto Silaniano: cuius prouidentia crudelis ex Tacito & libris Iuriſprudentum nota. Hadrianeæ verò huius cõſtitutionis in ſuperſtitibus veteris doctrinæ ciuilis reliquiis,nulla,niſi fallor,extat hodie mentio. Meminit quidem Vlpianus lege prima eius tituli reſcripti cuiuſdam eiuſdem principis,quod ſpectat eodem:ſed non eſt tamen idem.

15. *In Hetruria præturam imperator egit.*] Accipiebam *in Hetruria*, pro in aliquo,aut ſi forte,in quibuſdam Hetruriæ oppidis. Certũ eſt fuiſſe

vrbes in Italia nonnullas, quæ ſuos magiſtratus prætores vocarent: idque ex Cicerone & aliis docti pridem obſeruarunt. Sed aliò ducit nos vetus inſcriptio, in qua leguntur hæc inter cætera: PRÆT. ETRVR. XV. POPVLORVM.

16. *Per Latina oppida dictator.*] nam & Dictatores vocarunt ſuos magiſtratus quædam Latinæ vrbes: vt de Lanuuio conſtat ex ea pro Milone.

ib. *Et ædilis & duumuir fuit.*] Vtrumque nomen in municipiis & coloniis frequens fuiſſe, notum omnibus. Vetus lapis à Ioſepho Scaligero publicatus, olim patrono coloniæ cuiuſdam poſitus, EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS. IMP. HADRIANVS. ETIAM. DVVMVIRATVS. HONOREM. SVSCEPIT. ſed nomen coloniæ ignarum eſt.

17. *Apud Neapolin demarchus.*] Neapoleos ordinarius magiſtratus ita vocabatur ab antiquo. Strabo libro quinto, poſtquam dixiſſet Neapolin vrbem eſſe Græcam, ſed aſcitos poſtea fuiſſe Campanos μέμικται δὲ τὰ τῶν Δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δ' ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ τὰ Καμπανικά.

ib. *In patria ſua quinquennalis.*] Iam diximus Italicam in Bœtica intelligi. In pleriſque coloniis & municipiis fuiſſe Quinquennales, nemo iam ignorat. Abſens autem geſſit hunc magiſtratum Hadrianus, ſi vere obſeruatum Dioni, nunquam illum poſt ſuſceptum imperium, patriam ſuā adiiſſe: etſi de illa meritum quàm optimè. Sed & reliquos qui nominantur hîc municipales honores nomine tenus ab imperatore putem ſuſceptos. Quidni? cum & conſulatum abſentes ſuſciperent, etiam illi interdum, qui Curiam viderant nunquam: vt de Pertinace Capitolinus narrat.

18. *Et item Adriæ quinqu.*] Reg. *& iterum* Ad. q. Ex initio huius libri clarum cum hæc vrbs Hadriani alia patria dicatur.

19. *Athenis archon fuit.*] Expoſuimus antea ex Dione. Lege Trebellium Pollionem in Gallienis.

ib. *In omnibus pene vrbibus ædificauit.*] De Græcia certè locuples teſtis Pauſanias: cuius Περιήγησις Hadriani referta eſt ædificiis.

23. *Aromatica populo donauit.*] Parentaliorum die fiebat in plebem diuiſio ſpecierum variarū, vt vini, olei, aut pecuniæ. cuius moris teſtes extant infinitæ inſcriptiones. Sed aromatica donare, meritò notatum in Hadriano vt rarum, & antè fortaſſe inauditum. Quod ſequitur de balſamis & croco per gradus theatri in honorem Traiani fuſis, ad morem pertinet theatricarum ſparſionum: quem ſummi viri pridem illuſtrarunt. Balſama & crocum Spartianus Ἑλληνιστὶ appellat, aquam balſamo & croco φαρμακευθεῖσαν. Fiebant hæ ſparſiones vt plurimum è croco tantum. quam ob cauſſam ſcribit auctor Gloſſarum, *Sparſio*, κρόκου ῥάνσις. Hadrianus etiam balſama indidit: ideo relatum in Acta, & inde

in

in historias,ceu non prius factum,aut rarò.

24. *In honorem Traiani.*] id est,ludis quos in honorem Traiani magnificentissimos edidit. multos autem edidit honorandæ Traiani memoriæ: natalitios,parentalicios, siue consecrationis, & Parthicos. sic appellati,qui in honoré victoriarũ Traiani agebantur:de quibus Dio.

25. *Fabulas omnis generis.*] Suetonius in Octauio,cap.XLIII. *Fecit ludos nonnunquam & vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum histriones.* eadem fere verba in Iulio. Sed Spartianus ad fabularum diuersas species videtur aspicere,quas philosophus explicat in libello De poëtica, & post illum grammatici Græci Latinique. Ait *more antiquo,*respiciens edictum Domitiani quo histrionibus scenam interdixerat.

26. *Histriones aulicos publicauit.*] Vt ludum peculiarem habuit princeps,& proprios gladiatores qui & fiscales dicti, & postulaticij, quod eorũ editionem populus à principe solitus postulare: sic etiam histriones,quos Spartianus aulicos appellat. Est verò sententia ambigua. Potest intelligi,aulicos artifices voluptatum, peritia artis suæ nobiles, in theatrum fuisse productos: quod in gladiatoribus principis solitum fieri testantur tot loci Senecæ,Plinij, Suetonij, & Martialis. vel, Hadrianum cum illis in Palatio operam daret admisisse & plebem. Simili popularitate Titus,*nonnunquam in thermis suis admissa plebe lauit.*

27. *Et sæpe centum leones interfecit.*] Regius,*& sæpe cunctos leones.* Fuerit hoc singulare,& venationũ Hadriani proprium,vt solos aliquando leones exhiberet: qui longe vrsis,tauris, & aliis multis feris præstant, quæ in circo aut amphitheatro per venationes solitæ confici. Dio non leones solùm centum, sed & leænas totidem semel exhibitas scribit ab Hadriano.

28. *Militares pyrrichas populo freq. exhib.*] Etiam pyrrichæ inter populi voluptates,vt notũ ex Suetonio. addit *militares,*sine caussa: estque non διακριτικὸν, sed perpetuum epithetum: omnis enim pyrriche militaris. Lege Athenæum. Ammianus verum vsum & modum paucis declarat libro XVI. de Iuliano loquens,prælúdia disciplinæ castrensis discente: *artem modulatius incedendi,per pyrricham cõcinentibus didicit fistulis.*

31. *Romæ instaurauit Pantheon,Septa,basil.N.*]Tito imperante cum Roma continuos tres dies totidemque noctes flagrauit,arserant & istæ,& quæ subiuguntur,forum Augusti,ac lauacrum Agrippæ:quod in regio codice dicitur Agrippiense.Dio inter alia quę tum incensa,hæc nominat,τὰ Σέπτα,τὸ Ποσειδώνιον,τὸ βαλανεῖον τὸ τοῦ Ἀγρίππου, καὶ τὸ Πάνθειον. Forum Augusti ille non nominat,sed τὰ Ὀκταβία οἰκήματα μετὰ τῶν βιβλίων. bibliothecam & porticum intelligens, quæ ab Augusto addita templo Apollinis. Horum autem omnium Traianus instaurationem inchoauit,non perfecit:aut si quid ab eo pristinæ formę fuerat redditum,alio casu aliquo fuerat labefactatum. Exemplo sit Pantheum, de quo Eusebius in anno Traiani XIII. *Pantheum Romæ fulmine concrematum.* Georgius Mo-

nachus, τὸ Πάνθειον ὑπὸ κεραυνοῦ διεφθάρη. Erant & alibi quam Romæ Panthea: vt Athenis, quod Pauſanias vocat τὸ τῶν θεῶν κοινὸν ἱερόν. & in vico Gazenſium, Bethelia, Sozomeni natali ſolo.

34. *Fecit & ſui nominis pontem.*] Aelium pontem nominat Dio.

35. *Et ſepulcrum iuxta Tiberim.*] Procopius, qui ſolus ex antiquis deſcribit accuratè, modò ſepulcrum Hadriani nominat, modò Hadriani turrim, vel arcem. cauſſam duplicis appellationis ex ipſo diſcas licet. Sic ille libro quinto, ſiue Gothicorum primo: Ἐν τούτῳ δὲ Γότθων προσβολὴ ἑτέρα ἐς πύλην Αὐρηλιανὴν ἐγίνετο τρόπῳ τοιῷδε. Ἀδριανοῦ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος τάφος ἔξω πύλης Αὐρηλίας ἐστίν. ἀπέχων τοῦ περιβόλου ὅσον λίθου βολήν. θέαμα λόγου πολλοῦ ἄξιον. πεποίηται γὰρ ἐκ λίθου Παρίου· καὶ οἱ λίθοι ἐς ἀλλήλους μεμύκασιν, οὐδὲν ἄλλο ἐντὸς ἔχοντες. πλευραί τε αὐτοῦ τέσσαρές εἰσιν, ἴσαι ἀλλήλαις. εὖρος μὲν σχεδόν τι ἐς λίθου βολὴν ἑκάστη ἔχουσα. μῆκος δὲ ὑπὲρ τὸ τῆς πόλεως τεῖχος· ἀγάλματά τε ἄνω ἐκ λίθου εἰσὶ τοῦ αὐτοῦ ἀνδρῶν τε καὶ ἵππων θαυμάσια οἷα. τοῦτον δὴ τὸν τάφον οἱ παλαιοὶ ἄνθρωποι (ἐδόκει γὰρ τῇ πόλει ἐπιτειχίσμασι δύο ἐς αὐτὴν ἐπὶ τοῦ περιβόλου διήκουσι·) μέρος εἶναι τοῦ τείχους πεποίηνται· ἔοικε γοῦν πύργῳ ὑψηλῷ πύλης τῆς ἐκείνας προβεβλημένῳ. Videtur autem opus imperfectum ab Hadriano relictum: nam inter ea quæ Romæ Pius fecit, recenſet Capitolinus & ſepulcrum Hadriani.

ib. *Et ædem Bonæ deæ tranſtulit.*] impropriè loquitur, & eget interpretamenti: etſi recepta etiam in vulgus locutio. Nam qui putauerint ipſum Bonæ deæ templum aliò machinis fuiſſe tranſlatum, non dubito erraturos toto cœlo: etſi ſcimus induſtriam mechanicorum iam olim ſtupenda quædam in hoc genere auſam: vt de pariete Romam Lacedæmone tranſlato antea oſtendimus. Hîc verò per ædis tranſlationem intelligimus, antiqui Bonæ deæ ſimulacri in alium locum tranſlationem & dedicationem, cum ædis nouæ extructione.

26. *Coloſſum ſtantem.*] Hic eſt coloſſus Neronis de quo Plinius, & Suetonius, & in Commodo etiam Lampridius. huius coloſſi tranſlatio non adeo mira eſt, atque illud, quod ſtans & ſuſpenſus fuerit trãſlatus.

ib. *Per Detrianum architectum.*] Nec Græcum, nec plane Romanum nomen hîc agnoſco: in ſcriptura regia minus, *Decrinium.* An rectum eſt, *Dextrianum*? Erat ea tempeſtate Caſſius Dexter quidam: cuius hic libertus fortaſſe. an eſt verius, *Demetrianum?*

27. *De eo loco in quo nunc templum Vrbis eſt.*] Veſpaſianus ex Aurea domo Neronis in Sacram viam tranſtulerat, vt narrat Dio. Et Sacra autem via, & Vrbis templum in quarta regione collocantur à Victore.

Pag. 14. verſ. 1. *Vt operi ei elephantes xxiiij. exhiberet.*] Malim *adhiberet.* nam *operi exhibere*, duriuſculum. Elephantos autem operi adhibet Hadrianus ad rei ſpeciem & pompam: non quod ita eſſet neceſſe. nam Dominicus Fontanus, qui ante XVII. annos, auſpiciis maximi principis Sixti V. molimine non minus memorabili, obeliſcum Romæ trãſtulit, elephantos quidem operi nullos adhibuit; ſed homines nongentos & ſeptem, equos ſeptuagintaquinque.

2. Poſt

2. *Post Neronis vultum cui antea dicatum fuerat Soli consecrasset.*] Fallitur Spartianus. Verum quidem est hoc simulacrum post Neronis vultum Soli fuisse consecratum: sed eius consecrationis Vespasianus auctor, non Hadrianus, quod vult Spartianus. similis Lampridij error in Commodo.

3. *Soli consecrasset.*] Reg. *sibi consecr.* sed refutat historia, & quod sequitur de Luna. nam ita amant Sol & Luna coniungi & simul dedicari, simul coli. vt in veteri lapide, SOLI. ET. LVNÆ. DONVM. POSVERVNT.

ib. *Apollodoro architecto.*] is est de quo multa Dio in Hadriano.

5. *Detestans eos qui sibi hanc vol.*] Possis referre ad adulatores, qui maiestatem imperatoriam exaggerantes negarent comitatem & ciuilitatem regias esse virtutes. Sic Alexandro Seuero nimiam ciuilitatem amici obiiciebant: quasi molliorem sibi & contemtibiliorem potestatem imperij faceret, vt refertur à Lampridio. Potius tamen eos intelligam, qui ex immodica reuerentia principis, cum metu sua desideria Hadriano exponerent: qualis ille ioco Augusti correptus, *quod sic ipsi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.*

7. *Apud Alexandriam in Musio m.*]de hoc ad Tranquilli Claudium satis olim. Locus siue regio vrbis in qua Museum fuit Bruchium vocabant: quin pro Musio ipso Ammianus accipit libro XXII. vbi ait fuisse *diuturnum præstantium hominum domicilium*: ex quo multi magnæ doctrinæ viri prodierint. Βρουχίου meminit etiam Epiphanius, in commentariolo De ponderibus & mensuris: vnde constat, satis remotam à reliqua vrbe regionem Bruchij; quam regionē (κλίμα τῆς πόλεως vocat Epiphanius,) sua ætate fuisse desertam scribit. Quamobrem sunt auctores qui non in vrbe Alexandria, sed prope Alexandriam Bruchium collocent. Martyrologium Græcum in Hilarione, εἴς τι χωρίον πλησίον Ἀλεξανδρείας μεταφοιτᾷ. Βρούχιον ὄνομα αὐτῷ. Erat hoc Alexandrinorum prytaneum quoddam, hoc est, πυροῦ ταμιεῖον. Literæ β, π, φ facile inuicem permutantur. Βρύχειον corruptè, pro Πυρουχεῖον: quam vocem seruat integram Eusebius Historiarum libro VII. cap. XXXII.

10. *Multa piè fecisse.*] Reg. vocem *piè* non agnoscit.

12. *Multas ciuitates Hadrianopolis appellauit.*] Sanè multas: nam præter illas quarum intercidit memoria, sex septem vrbes nomine eodem diligentissimus & veteris geographiæ peritissimus Abrahamus Ortelius adnotauit. Occurrunt etiam inter legendum veteres, aliquot ciuitates nominatæ Ἀδριαναὶ, vel Ἀδριανοὶ: quarum nonnullæ caussam appellationis aliam habent: quædam sine dubio Hadriani vel Hadrianæ quasi Hadrianopoles dictæ: nam ita erat moris huiusmodi nomina dimidiata efferre. Sic *Antinous* pro Antinoopolis: vt apud Chrysostomū in secundam ad Corinthios, καὶ ἡ πόλις Ἀντίνοος λέγεται. eadem Ἀντινῷ postea dici cepit. nam in veteri ecclesiarum Orientis laterculo, quod vnà cum

aliis aliquot, plura enim habemus, Deo propitio aliquando publicabimus, in Thebaide priore, Ἀντινοῶ μητρόπολις primum locum obtinet. Sed & Aelias nominauit non paucas, ſiue *Aelias Hadrianas*: quarum & ſcriptis veterum, & in ſaxis durat adhuc memoria. Iam verò præter eas vrbes quas ipſe Hadrianus iuſſit de ſuo nomine appellari, non dubito fuiſſe & alias, quæ per ambitioſam leuitatem *Hadrianopoles* aut *Aelias* ſeſe vltro indigetarent. Erat illis temporibus vſitatiſſimum hoc adulationis genus: quo nouorum ſemper Auguſtorum gratiam captabant ciuitates. Obſeruat Dio carpitque, notans, in poteſtate ſenatus hoc fuiſſe anteà: non in arbitrio ciuitatium: quas iam videas, inquit, nominibus quæ ſibi ipſæ pro ſua libidine imponunt, catalogos nominum ſuorum contexere. Locus eſt libro LIV.

13. *Vt ipſam Carthaginem.*] at non obtinuit hæc noua appellatio, ne eo quidem viuente. Extant multi ſcriptores, alij æquales Hadriano, alij non multo iuniores: qui in antiqua appellatione conſentiunt omnes. quãdo igitur ſic appellata? in ſcriptis quidem, vt arbitror, nũquam.

ib. *Et Athenarum partem.*] Pauſanias tamẽ, & Dio qui Hadriani munificentiam erga Athenienſes prædicant, eiuſque aliquot opera commemorant, quibus Athenas decorauit: nihil quod huc faciat, memoriæ prodiderunt. Sed videtur Hadrianus iacentem aliquam mœnium vrbis partem inſtauraſſe, ad vſum & neceſſitatẽ magis, quam ad vrbis decus & ornatum. Quare meritò Pauſanias, qui non tam vrbes, quam vrbium ornamenta, deſcribit, huius operis mentionem fecit nullam. Dio quid ſcripſerit aut nõ ſcripſerit, neſcimus: nam breuiatorem ſæpe τὰ καταγελώτατα omiſiſſe, hoc verò ſcimus. Coniecturam noſtram firmat vetus lapis, qui eruditiſſimo & acutiſſimo Scaligero perſuaſit, hanc vrbem ab Hadriano fuiſſe dictam nouas Athenas. eum lege, in quinto De emendatione temporum. ſed & ad Manilium profert idem ſenariolos duos, in arce olim Athenarũ inciſos, qui huc omnino pertinent. ſunt autem hi,

Αἵδ' εἰσ' Ἀθῆναι Θησέως πρῶτον πόλις
Ἥδ' Ἀδριανοῦ, κ' οὐδὲ Θησέως πόλις.

vbi vides duas poni vrbes: alteram veterem, cuius conditor Theſeus: alteram nouam, cuius auctor Hadrianus: quod clariſſimam facem Spartiani verbis allucet. nam alioquin fuerat dicendum Νεῶ δ' Ἀδριανοῦ.

14. *Fiſci aduocatum primus inſtituit.*] ante Hadrianum iura fiſci curabant Cæſarum procuratores.

15. *Facultatis immẽſæ.*] exponebam: qui multa ſimul poſſet facere: ſed tum diceretur idem hac periodo, ac ſequenti illa: *vno tempore ſcripſit, dictauit*, &c. quare ita potius cape: magni & excellentis ingenij, quod par eſſet tot priuatis publiciſque curis. tacite anteponit Hadrianum aliis principibus, qui prę ignauia, vt de Traiano ſcribit Iulianus, alieno vterentur ingenio in dictandis orationibus, & formandis epiſtolis aut reſcriptis.

30. Iam

30. *Iam hoc patri tuo negaui.*] Argutè ſed ſalis huius Υκκαεικὸν illud αὐδράποδον Laïs, auctor, Hadrianus imitator. Auſonius,

Canus rogabat Laïdis noctem Myron:
Tulit repulſam protinus.
Cauſſamque ſenſit: & caput fuligine
Fucauit atra candidum.
Idemque, vultu non idem, Myron
Orabat oratam prius.
Sed illa formam cum capillo comparans,
Similemque non ipſum rata:
Fortaſſe & ipſum, ſed volens ludo frui
Sic eſt adorta callidum:
Inepte quid me quod recuſaui rogas?
Patri negaui iam tuo.

ib. *Nomina plurimis ſine nomenclatore reddidit.*] cum ad ſalutationem certis diebus etiam plebem admitteret. In reg. *ſine nominis latore.* ſimile mendum in eadem voce apud Theophilum ſcriptorem Christianum, & eruditiſſimum. nam ita editum libro tertio: εἴ τις βούλεται μαθεῖν, nomina conſulum, ἐκ τῶν ἀναγραφῶν εὑρήσει ὧν ἀνέγραφε χρύσερος, ὃν ὁ μὲν κράτωρ ἀπελεύθερος γενόμενος Μαυρηλίου Οὐήρου. ſcribe, ὧν ἀνέγραφε χρύσερος (vel χρύσερμος) ὁ νομενκλάτωρ ἀπελεύθερος γενόμενος Μ. Αὐρηλίου Οὐήρου.

31. *Quæ ſemel & congeſta ſimul audiuerat.*] Philoſtratus de Hippia ſophiſta Eleo: τὸ μνημονικὸν οὕτω τι καὶ γηράσκων ἔρρωτο, ὡς καὶ πεντήκοντα ὀνομάτων ἀκούσας ἅπαξ, ἀπομνημονεύειν αὐτὰ καθ' ἣν ἤκουσε τάξιν. Sed hoc leue præ vt de ſe narrat Seneca pater. Et nos quoque vidimus prodigioſæ memoriæ aliquot ſimilia exempla. Omnia tamen quæ legimus aut vidimus, ſuperat quod de Proclo, nobiliſſimo illo Platonis interprete, narratur. Is cum eſſet Olympiodori auditor, (hominis facundi, & cuius dicentis oratio non fluebat, ſed torrentis inſtar ferebatur, vt pauci dicta eius aſſequerentur,) ſolitus à recitatione omnia quæ dixiſſet Olympiodorus totidem atque iiſdem verbis reddere. Marinus in Procli vita: Ὀλυμπιοδώρου δὲ ἀκροώμενος, ἀνδρὸς δυνατοῦ λέγειν, καὶ διὰ τὴν περὶ τοῦτο εὐκολίαν καὶ ἀμβέχειαν ὀλίγοις τῶν ἀκουόντων ὄντος ἐφικτοῦ ἐξιὼν αὐτὸς μετὰ τὴν ξυνουσίαν ἅπαντα πρὸς τοὺς ἑταίρους τὰ τῶν πράξεων ἀπεμνημόνευσεν ἐπ' αὐτῶν λέξεων, πλεῖστα ὄντα, ὥς μοί τις εἶπε τῶν συμφοιτητῶν Οὐλπιανὸς ὁ Γαζαῖος.

23. *Libros ſtatim lectos & ignotos quidem plurimis memoriter reddidit.*] Ferri poteſt, *plurimis*: ego tamen *plurimos*, vel *plurimùm* ſcribi malim. *ſtatim lectos* eſt quod Marinus dixit, πρὸς ψιλὴν ἀνάγνωσιν, de eodem Proclo ſcribēs: καὶ αὐτὰ δὲ τὰ Ἀριστοτέλους συγγράμματα ῥᾷστα ἐξεμάνθανεν, (καίτοι χαλεπὰ ὄντα τοῖς ἐντυγχάνουσι,) καὶ πρὸς μόνον ψιλὴν ἀνάγνωσιν.

24. *Vno tempore ſcripſit, dictauit, audiuit, & cum amicis fabul.e.*] Reg. *confabulatus eſt.* Subiecerat hiſce aliquis, *ſi poteſt credi*: quæ verba cum in omnibus haberentur editionibus, ex ora libri in textum temere ad-

missa, auctore libro regio facessere iussimus, atq; abire hinc dierecta. nam cur Spartiani fidem hîc in dubium vocemus, qui maiora etiam de Iulio Cæsare sciamus memoriæ prodita? nota sunt Plinij, Suetonij & Plutarchi testimonia.

25. *Omnes publicas rationes ita complexus est, vt domum priu.*] Mira res: sed minus mirabitur qui eorum meminerit quę de Rationario imperij ab Augusto instituto, & tabulario Cæsaris, ac Beneficiorum libro Suetonius, Hygenus, aliique scriptores nos docent. Omnino quod diligẽti patrifamilias priuatarum rationum libri fuerunt, id sobriis & frugi Cæsaribus, quales imprimis Octauius, Vespasianus, & Hadrianus, superius dicti commentarij. aliis verbis Capitolinus de Pio, & Lampridius de Alexandro Seuero idem dicunt.

28. *Equos & canes sic amauit, vt eis sepulchra constitueret.*] Mos olim multorum, cuius sunt exempla apud Plinium, Plutarchum, Aelianum, Martialem, aliosque, omnibus obuia. Hadrianus verò & sepulcra equis canibusque quos amauerat, constituere: & eorum memoriam carmine epitaphio solitus prosequi. præcipue autem in Borysthene equo hæc officia vsurpauit, cum illo ad venandum diu multumq; esset vsus. Dio, τῆς δὲ περὶ τὰς θήρας σπουδῆς αὐτοῦ, καὶ ὁ Βορυσθένης ὁ ἵππος, ᾧ μάλιστα θηρῶν ἠρέσκετο, σημεῖόν ἐστιν· ἀποθανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τάφον κατεσκεύασε, καὶ στήλην ἔστησε, καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψεν. E pluribus illis Hadriani in Borysthenẽ epigrammatis, quorum Dio meminit, vnùm erat istud, quod vel propterea hîc subiiciam, vt cum Dionis verbis id comparent studiosi.

Boristhenes Alanus
Cæsareus veredus,
Per æquor & paludes
Volare qui solebat:
Pannonios nec vllus
** apros insequentem*
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere:
Vel extima saliua
Sparsit ab ore caudam,
Vt solet euenire:
Sed integer iuuenta
Inuiolatus artus,
Die sua peremtus,
Hoc situs est in agro.

29. *Oppidum Hadrianotheras in quodam loco constituit.*] constituit in Mysia. Dio, πόλιν ἐν τῇ Μυσίᾳ οἰκίσας Ἀδριανοῦ θήρας αὐτὴν ὠνόμασε. At Cedrenus sic, ἐν Μυσίᾳ θηρεύσας, ᾠκοδόμησε πόλιν, καὶ μετωνόμασεν αὐτὴν Ἀδριανοῦ θήρας ἐν μετώποις. vnde cognoscimus castra exercitus Hadriani in vrbis nouæ sedem fuisse conuersa, vt sæpe factum legimus. ita accipi debet quod

ait. ἐν μιτάτοις. Metata quid ſint vel ex titulo Cod. ſic inſcripto notum. Græci μίτατα ſemper non μέτατα: vt contra Καπετώλιον plurimi, non Καπιτώλιον. Viri docti mentem Cedreni aſſecuti non ſunt. Porrò hanc vrbem Græci non Hadrianotheras, ſed breuius Ἀδριανοῦ, & corruptè Ἀδριανοὺς dixerunt, iam inde ab initio cum eſt conſtructa. Philoſtratus in Ariſtide, Ἀριστείδην Ἀδριανοὶ ἤνεγκαν. οἱ δὲ Ἀδριανοὶ πόλις οὐ μεγάλη ἐν Μυσοῖς. non puto aliam ab Hadrianotheris vrbem intelligi.

31. *De iudicibus omnibus ſemper cuncta ſcrutat.*] an potius *de indicibus?* Duobus potiſſimum temporibus diligenti hac inquiſitione opus imperatori: cum aut defertur aliquis puniendus: aut commendatur promouendus. de priore videtur locutus Spart. nam *index* eſt delator: de poſteriore Capitolinus cum de Marco ſcribit ſimillimè: *Suffragatoribus non citò credidit, ſed ſemper diu quæſiuit quod erat verum.* Si retinemus *iudicibus*, referemus ad cognitiones principum: vbi de cauſſis fere agi ſolitum apud iudices ordinarios prius ventilatis: à quibus ad imperatorem eſſet appellatum. Sapientiſſimus Marcus libro primo vitæ ſuæ, Παρὰ τοῦ πατρὸς τὸ ζητητικὸν ἀκριβῶς ἐν τοῖς συμβουλίοις, καὶ ἐπίμονον, ἀλλ' οὐ τὸ, Προαπέστη τῆς ἐρεύνης ἀρκεσθεὶς ταῖς προχείροις φαντασίαις. Virtutem hanc defuiſſe impuro Vitellio, obſeruat Tacitus. *Breui auditu quamuis magna tranſigebat.*

33. *Nec aliquid apud ſe poſſe.*] *nec* pro nedũ. Voluit libertos ſuos publicè ignorari: nedum vt olim Claudius, Galba, Vitellius, pateretur credi ab omnibus, multum apud ſe libertos ſuos poſſe. Erit planior ſententia, ſi ſcribas, *Libertos ſuos neſciri voluit in publico aliquid apud ſe poſſe.* At Rob. Bon. vel imperitiâ, vel nactus aliam lectionem, ſic expreſſit, *Hadrianus noluit libertos ſuos ſcire ſua ſecreta aut conſilia.*

34. *Dicto ſuo.*] Retrahe literam fugitiuam à fine ſuperioris dictionis. nam *e* vnum pro duobus poſitum, vt in Pandectis Piſanis. ſcribe, *edicto ſuo.* De huius generis edictis notauimus ad Suetonium: & multa Dio Caſſius commemorat.

35. *Quicunque ſe de eo iactauerant.*] Hoc & Dio tetigit. quid ſit *iactare ſe de principe,* declarant vnice verba Lampridij in Alexandro: *nec dedit alicui facultatem vel fumorum vendendorum de ſe, vel ſibi de aliis male loquendi: maxime occiſo Thurino, qui illum quaſi fatuum & væcordem ſæpe vendiderat.*

Pag. 15. verſ. 1. *Seruum ſuum inter duos ſenatores.*] Medius locus honeſtiſſimus, ſiue deambularent ſiue ſederent. Inde Hadriani indignatio.

ib. *E conſpectu a. vidiſſet.*] *Conſpectus* hîc eſt περιωπὴ, vel σκοπιὰ, locus elatior vnde ſpectantur inferiora. Poſſumus accipere de genere quodam feneſtrarum aut ſpecularibus.

3. *Vnicè amabat tetrapharmacum.*] alluſum ad tetrapharmacum quod celebrant medici. Sequitur autem hîc Marium Maximum, vt apparet è Lampridio in Alexandro: nam ex aliis auctoribus in Aelio Vero *pentapharmacum* dicitur, & quinque ſpecies nominantur. Sic apud Auſo-

nium *dodra* vel *dodralis potio*, nouem ſpecies gerens, vt ipſe ait.

5. *Perna & cruſtulo.*] In Vero non vt diuerſa hæc ponuntur, ſed vt conflata in vnam è duabus ſpeciem, quam vocat *pernam cruſtulatam.*

ib. *Fuerunt eius temporibus fames p.*] Suetonium imitatur, qui etiam fortuita & triſtia adnotat, quæ ſub principibus euenerant: vt in Tito capite VIII. Sic Capitolinus in Pio, *Aduerſa eius temporibus hæc prouenerant.* & ita alibi.

6. *Quæ omnia q.p. procurauit.*] Græci τὰ δεινὰ θεραπεύειν. ſed illi à re medica verbum mutuantur: *procurare* ſacrorum eſt verbum.

8. *Latium multis ciuitatibus dedit.*] Nondum enim ius ciuitatis promiſcuum fuit & commune. Atqui non deſunt, qui Hadriano tribuant illam legem, per quam ciuitas omnibus data: quos & locus hic refellit, & Iuriſconſulti, qui Marcum Antoninum faciunt auctorem, ſuffragante Aurelio Victore. Chryſoſtomus in Acta, ἀπὸ Ἀδριανοῦ φασὶ πάντας εἶναι Ῥωμαίους. τὸ δὲ παλαιὸν οὐχ οὕτως ἦν.

9. *Tributa multis remiſit.*] Euſebius in Chronico, *plurimos etiam ipſis tributis liberos præſtitit.*

ib. *Expeditiones ſub eo graues nullæ fuerunt.*] Eſſet verum ſi bellum ſaltem Iudaicum excepiſſet. Annon enim inter grauia illud bellum, quo ſexcenta prope millia hoſtium ceciderunt? Iam Romani exercitus clades tanta, vt obſeruet Dio, Hadrianum cum ad ſenatum ſcriberet, ſolenni illa formula abſtinuiſſe. SI VOS LIBERIQ. VESTRI VALETIS: BENE EST: EGO EXERCITVSQ. VALEMVS. Melius Pauſanias in Hadriani elogio, καὶ ἐς μὲν πόλεμον οὐδένα ἑκούσιος κατέστη, Ἑβραίους δὲ τοὺς ὑπὲρ Σύρων ἐχειρώσατο ἀποστάντας.

15. *A Meſopotamiis non exegit trib.*] quare exigeret? iam enim dictum omnia fuiſſe relicta trans Euphratem & Tigrim.

16. *Albanos & Hiberos a.*] Supra mentio facta eſt Alanorum, & eorum regis: ſed non ideo hîc quicquam mutandum. Albani populi ſupra Hiberes ſiti, iam inde à bellis Mithridaticis rebus Romanis interueniunt. Alani quoque: ſed ſerius noti: & vix, vt puto, ante Flauios principes.

20. *Tutores ſæpiſſimè dedit.*] Vide ad Marcum.

ib. *Diſciplinam ciuilem n.*] Curam morum publicorum, quæ cenſorum olim erat prouincia. Sic apud conſultos iuris antiquos, *diſciplina publica*, & *diſciplina communis*. Poteramus hîc multi eſſe: & de diſciplina ciuili monere tirones non pœnitenda. Sed Notas ſcribimus non Commentarios.

21. *Senatores & equites Ro. ſemper in publico togatos eſſe i.*] Reuocata Auguſti lege, de qua Suetonius capite XL. ſed Auguſti lex etiam plebem complexa: quæ per Hadrianũ libera à neceſſitate huius habitus. poſtea etiã equites idem ſibi licere voluerũt: ipſique adeo ſenatores ſæpe, iam Hadriani temporibus, pænulati aut lacernati in publicum prodibant,

vt

vt ex A.Gellio conſtat. Marcus vero, vt ſcribit Capitolinus, eum honorem togæ habuit, vt & ipſe in Italia ſemper togam ſumeret, & milites togatos eſſe iuberet. Commodus quoque diſciplinæ ciuilis hac parte adeo diligens exactor, vt quoſdam extingueret, quia barbarico habitu ſibi occurrerant.

22. *Niſi ſi à cœna reuerterentur.*]Fuit enim moris, vt cœnatoria geſtarent cum à cœna domum redirent. Dio Caſſius: Κορνήλιος Φρόντων ἀπὸ δείπνου οἴκαδε ἐπανιὼν ἐν στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ὥσπερ εἶχεν, εἰς τὸ δικαστήριον εἰσῆλθε. Sic è balneis & thermis in balneari veſte reuertebantur: vt de Alexandro ſcribit Lampridius. Fere autē qui a conuiuio redibant, comiſſantium licentiam atque petulantiam imitabantur. vide Capitolinum in Vero. Gallienus etiam ad organum ſe recipere ſolitus, vt narrat Trebellius Pollio.

23. *Ipſe cum in Italia eſſet ſemper togatus proceſſit.*]Capitolinus de Marco, *Per Brunduſium veniens in Italiam togam ſumpſit.* Lampridius de Alexādro, *In vrbe ſemper togatus fuit, & in Italiæ vrbibus.* Extra Italiam raro togam aut imperatoriū cultum aſſumebant. Dio de Hadriano, Vrbes, inquit, circumibat, αὐτὸ τῆς βασιλικῆς παρασκευῆς· οὐδὲ γὰρ ἔξω τῆς Ῥώμης ἐχρήσατό ποτε αὐτῇ.

24. *Semperque aut pallio tectus diſcubuit, aut toga ſubmiſſa.*] Ea tempeſtate nemo fuit lautiorum in Vrbe, quin impenſi pretij cœnatoria haberet: nam in vtroque lectorum genere paruit vel maxime Romanorum luxus, vt alibi docemus. ideo notat Spartianus, Hadrianum exemplo ſuo aliorum ἁβρότητα caſtigaſſe. *Toga ſubmiſſa* dicitur, quæ nullos facit ſinus.

25. *Iudicum ſumtus conſtituit.*] Malim *iudiciorum:* vt referamus ad iudicum ſportulas, & præmia aduocatorum: de quibus tamen nihil ab Hadriano cautum reperio. Si retineas *iudicum*, ſenſus erit, imminutas impēſas à magiſtratibus fieri ſolitas, tam in Vrbe, quàm in prouinciis. nam ita laxè iudicum appellationem acceperunt recentiores. Errant qui ſcribunt, *indices ſumtus*, & de reuocatis legibus ſumtuariis interpretantur.

26. *Vehicula cum ingentibus ſarcinis Vrbem ingredi prohibuit.*] Vtilis & Romæ neceſſaria lex. Iuuenalis

— modò longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt: nutant altè populóque minantur.
Nam ſi procubuit qui ſaxa Liguſtica portat,
Axis, & euerſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus?

27. *Sederi equos in ciuitatibus non ſinit.*] *ſederi*, pro inſideri. Capitolinus in Marco. *Sederi in ciuitatibus vetuit in equis.* Sic alibi, *ſederi equos*, & *ſederi in equis*, aut vehiculis, pro vehi, ὀχεῖσθαι. in Alexandro, *quem poſt*

quinque millia cunctantem, equo sedere iussit. & in Seuero, *vt in vehiculo etiã legati sederent, qui ante pedibus ambulabant.* Porrò lex hæc postea mutata est alia molliore, per quam equo vehi licuit in ciuitatibus, vehiculo non licuit. Vopiscus de Aureliano, Antiochiam in vehiculo ingrediente: *quia inuidiosum tunc erat vehiculis in ciuitate vti, equus est ei imperatoris applicitus.*

28. *Ante octauam horam in publico neminem n.æ. lauari passus est.*] Accommodatè ad mores publicos. lauabant enim sub horam cœnæ: ea erat nona: Martialis, *Imperat extructas frangere nona toros.* Monachi quoque apud Palladium in Lausiaca, hora nona sumunt cibum. Lauabant ergo hora octaua. Ideo apud Tranquillum prohibentur feminæ ante octauam adire balneas. Tristiores vtrumque paullo serius. de Marco. Antonino scribit Galenus, semper illum hora nona lauisse. Aristeas quoque vetustissimus scriptor, de LXX. Bibliorum interpretibus; καὶ μέχρι μὲν ὥρας ἐννάτης τὰ τῆς συνεδρίας ἐγίνετο. μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν τοῦ σώματος θεραπείαν ἀπελύοντο γίνεσθαι. Lege Plinij epistolam primam, libro tertio.

30. *Eos quos pauperes & inn.*] In regio periodus hæc integra reiicitur post istam, quæ sequitur statim: *Pontificis maximi officium peregit.* Eiusmodi transpositiones multæ in eo codice occurrebant: de quibus lectorem admonere, vbi nullum esset pretium operæ, superuacuum duximus.

33. *Pontificis maximi officium peregit.*] cum priores titulo contenti, vt amat fieri, rem negligerét. omnes enim imperatores ab Augusto pontifices maximi: cuius rei caussam ad Suetonium exponebamus lib. II. c. XXXI. interdum, vt vides, etiam officio P. M. imperatores fungebantur. vt Domitianus; de quo Plin. ep. XI. lib. IV. Lãprid. de Alexandro, *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco pontificis maximi, non imperatoris.*

36. *Fucinum lacum emisit.*] purgato & effosso altius emissario Claudij imperatoris: de quo Suetonius, & Tacitus libro XII.

37. *Quatuor consulares per omnem Italiam iudices constituit.*] Tangit mutationem ab Hadriano factam in administratione Italiæ & prouinciarum. Sed Spartiani negligentiam hîc non excusauerim. cur enim rem scitu dignissimam, scriptione parum dignam putauit? Nam certum est adeo multa Hadrianũ in imperij administratione immutasse, vt prioris formæ, cuius auctor Augustus, non multa post illum fuerint vestigia. De quatuor istis Italiæ consularibus, Capitolinus in Pio: *Hic ab Hadriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad partem Italiæ regendam.* Marcus consularibus ab Hadriano per Italiam institutis substituit iuridicos, vt in eius vita legimus. fuitque Italia à iuridicis administrata vsque ad Macrini imperiũ: sub quo eos desiisse è Dionis fragmentis cognoscimus. In antiquis inscriptionibus & *Consularium Campaniæ* fit mentio, & aliorum: itemque *iuridicorum per Picenum & Apuleiam.* Sed consularium postea nomen varie frequentatum sub insecutis imperatoribus.

Pag.16. verf.1. *Ad aduentum eius post quinquennium pluit.*] Mutandum nihil: neque obſcura ſententia. Ait pluiſſe in Africa ſub Hadriani aduentum: cum ſuperioris quinquennij ſiccitate Afrorũ agri ſqualleręt.

4. *In morbum incidit letalem.*] Ianus Parrhaſius vir, vt eo ſeculo, admodum eruditus, olim legit hîc, *lectualem.* quod ille interpretebatur de grauiore morbo, qui lecto adfigit. ſed mirum vnde ille eam ſcripturam hauſerit: refellunt enim omnes quos vidimus codices & editi & manuexarati. ἐς κόρακας igitur tam inficeta lectio. Periiſſe Hadrianum aquæ intercutis morbo, ſcribunt plerique: Dio & αἱμοῤῥαγίᾳ laboraſſe, & φθόῃ. profluuij ſanguinis & Spartianus mox meminit.

7. *Fuſcum q.*] Huic pater Claudius Fuſcus Salinator, de quo in epiſtolis Plinij & Traiani, & in Faſtis: fuit enim collega Hadriani III consulis: mater, filia Iulij Seruiani: nam Dio ſemper illum Σερβιανοῦ ἔγγονον appellat. Perierunt vnà, & crimine eodem, vt quidem auctor eſt Spartianus. nam Dio Fuſcum ſcribit occiſum, quod cædem Seruiani tuliſſet iniquius. Erat tum annos natus XVIII.

ib. *Quod imperium ſperaret.*] Reg. *parauerat.* Fortaſſe, *ſperauerat.* aut *pararet.* infra, *qui ſibi præparabat imperium.*

8. *Pletorium Nepotē, qu.*] Manifeſto deeſt aliquid: nã vt hæc ſe habēt, non dicit Spartianus, quid Nepote & Gētiano, qui ſtatim nominatur, fecerit Hadrianus. Satis hoc ſit arguēdo vitio quo laborat hic locus. Accedit quod verba præcedentia, *in ſumma deteſtatione habuit*, Fuſco nõ conueniunt: quem non ſolum deteſtatus eſt Hadrianus, ſed & occidit. Quare totum locum ita concipimus: *quem poſtea, vt diximus, mori coëgit: Fuſcum quoque, quod imperium præſagiis, & oſtentis agitatus, ſperaret. In ſumma deteſtatione habuit Pletorium Nepotem, quem tantopere d.* Oſcitans librarius cum τὸ *quoque* ante *quod* omiſiſſet, inſuper diſtinctione praua locum deformauerat.

9. *Quem tantopere antè dilexit.*] hoc eſt, dilexerat: vt ex iis quæ mox dicturi ſumus conſtabit.

10. *Impune non admitteretur, ſ.*] Regius, *non impune admitt.* vitiato ſenſu, qui hic eſt: Aegrotabat Pletorius Nepos: inuiſit illum Hadrianus, ſuo illo more, de quo dictũ ſupra: cum ad fores Nepotis veniſſet, repulſam tulit à ianitoribus, aut admiſſionalibus. videbatur imminuta imperatoris maieſtas: Hadrianus tamen amori Nepotis iniuriam ab ipſius ſeruis acceptam condonauit. Similis imperatoris Seueri indulgentia erga Plautianum. narrat enim Dio factum aliquando, vt ad Plautianũ Tyanis ægrotantem Seuerus veniret: qui admiſſus quidem eſt, ſed ſolus: ægroti ſeruis aut libertis ingredi prohibentibus milites qui imperatorem ſequebantur. vide locum: eſt enim huic Spartiani ſimillimus. neque enim in aliam ſententiam hæc verba debent accipi. Scimus tamē præſtantiſſimum virum ſanandi huius loci aliam iniiſſe viam. Placet illi delendam eſſe vocem *Hadrianus* de hac periodo; ita

fore cætera plana ex obſcurciſſimis. Vult enim, inquit, Hadrianum ſuſpitione quadam affectati imperij Pletorium perſtrinxiſſe: ideoque ad ſe ægrũ venire interdixiſſe. Eadem locutio: *Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt*, & *ad eum* pro ad ſe. Hæc præſtantiſſimi viri ſententia. quam, etſi videtur aliter nobis, noluimus prætermiſſam.

11. *Terentium Gentianum.*] Membranæ, *Terecẽtium* G. fortaſſe aliquid latet.

16. *Ad exitum venit.*] Regius, *exitium*.

17. *Quod ſeruis regis cœnam miſiſſet.*] his artibus Galbam Othoni deiectum meminerat Hadrianus. Pro *cœnam*, eſt in antiquis editionibus *ſcenam*. Lego igitur admonitus à Scaligero, *q. ſ. regiis ſtrenam miſ.* profectò enim cœnam mitti, moris non erat: ſed de cœna partes & *μερίδας*.

18. *In ſedili regio iuxta lectum poſito.*] Circum lectos erant ſedilia & & cathedræ, vt multis docemus in commentario De lectis & veſte ſtragula. In ſella autem regia ſedere priuato nefas. cuius rei exemplum etiam alterum in his libris extat. Sic equo imperatoris inſidere fas priuato non erat, vt habes apud Vopiſcum in Aureliano.

19. *Quod erectus ad ſtationes militum ſenex nonag. proceſſ.*] Non eſt otioſum verbum *erectus*. nam ex eo præcipua calumniandi occaſio obtrectatoribus: quaſi habilem ſe regno militibus probare Seruianus voluerit.

21. *Sabina vxor, non ſine fabula veneni dati.*] Victor, ſiue Victorinus, *Huius vxor Sabina, dum prope ſeruilibus iniuriis afficitur, ad mortem voluntariam compulſa eſt. Quæ palam iactabat quàm immane ingenium pertuliſſet: & elaboraſſe, nè ex eo ad humani generis pernitiem grauidaretur.*

23. *Quondam ſibi forma commendatum, adop.*] Diſtinguit legitque regius, *Nigrius generum, inſidiatoris quondam ſui, forma commendatum.* nec diſplicet.

24. *Forma commendatum.*] Ariſtotelis dicto fidem facit, *τὸ κάλλος παντὸς ἐπιστολῆς συστατικώτερον.*

ib. *Adoptauit ergo Ceionium Commodum Verum.*] Obiter indicat fuiſſe hunc etiam ante adoptionem *πολυώνυμον*. Dictus eſt enim L. Ceionius Commodus Verus. poſt adoptionem verò, L. Aelius Verus Cæſar.

27. *Donatiuum populo ac militibus expendit.*] alius verborum diligentior dixiſſet, donatiuum militibus, congiarium populo. Sic ſemper Tacitus, Suetonius, & vetuſtior omnis ætas. Lampridius quoque in Alexandro Seuero. *congiarium populo ter dedit: donatiuum militibus ter.* Alij promiſcuè vſurparunt vtrumuis horum pro vtroque. Capitolinus in Pio. *congiarium militibus ac populo de proprio dedit.*

31. *In caducum parietem nos inclinauimus.*] Alludit ad prouerbium Græcorum, *πρὸς τὸν εὖ πεσόντα τοῖχον ῥέπειν.* in Vero paullo aliis verbis.

ib. *Et perdidimus quater millies HS.*] congiarij nomine erogatum populo

populo millies HS. donatum, militibus ter millies. ita capimus quod ſcriptum eſt in Vero,& hunc locum ex illo illuſtramus.

35. *Accepto largius antidoto.*] Antidotum pro acriore cathartico:non ſemper enim locum in venenis habet. in vita Aelij ſimpliciter,*accepta potione qua ſe exiſtimaret iuuari.*

36. *Per ſomnum periit.*] dormienti ſanguis omnis eſt effuſus. ex Spartiani & Dionis iunctis verbis cognoſcimus: nam hic ait,συνέβη τὸν Λύκιον τὸν Κόμμοδον ἐξαίφνης ἐγκαταλειφθῆναι ὑπὸ τοῦ αἵματος πολλοῦ τε καὶ ἀθρόου ἐκπεσόντος.

37. *Votorum cauſſa lugeri eſt vetitus.*] ne auſpicatiſſimi diei religio vitiaretur. nihil enim religionum ceremoniis magis credebatur aduerſari, quam luctus. Propterea multi apud veteres rei diuinæ operati mortuos ſuos agnoſcere noluerunt. Lege Valerium Maximum,lib.v. cap.x. hæc ratio cur votorum die interueniente non lugeatur Verus. Sic Marcus, cum ei filius eſſet mortuus, *quia ludi Iouis* OPT. MAX. *erant,interpellari eos publico luctu noluit.* Multa alibi in hanc rem afferimus explicantes vetus prouerbium, Οὐδεὶς ὀδύρεται μυούμενος. *Vota & Votorum dies* Latinis appellari qui annum inchoant, ob ſolennem pro ſalute principis votorum nuncupationem, ambigit nemo. Et quidem κυρίως tertius poſt Kal. Ianu. dies appellatione Votorum intelligitur, vt eſt in lege CCXXXIII. De verborum ſignificatione, & apud Dionem libro LVIII. licet ipſis etiam Kalendis ſuſcepta pro principe vota, vt illo ipſo loco ſcripſit Dio. Retinuere Chriſtiani principes Votorum & morem & appellationem,vt apparet ex titulo Codicis de oblatione votorum: & ex canone LXII. concilij in Trullo:vbi Græcus interpres Balſamo,homo alioquin valde doctus,de vocis Βοτὰ origine ſane quàm ſuauiter philoſophatur.vindicat ille id verbum Græcis ſuis:vultq; eſſe illud feſto ei nomen inditũ,ἀπὸ τῶν βοτῶν ſiue προβάτων,quod in honorem Panis paſtorum dei ſit inſtitutũ.En linguarũ ignorantia qualium monſtrorum ſit mater:nam multa ibidem talia peccat Balſamo: quem ſecuti poſtea omnes quos vidimus Græcorum canonum interpretes.

Pag.17. verſ.1. *Et mortuo* AE.] Melius in regio,*Sed mortuo Ael.*

2. *Adoptauit Arrium Antoninum.*] Regius,*Annium Antoninum,* nec rarò factum, vt duarum vocum iſtarum altera alterius loco ſcriberetur. eſt verò Antoninus cognomen Arriorum,non Anniorum:qui cognomine dicti ſunt Veri.

3. *Sed ea demum lege.*] Sic loquitur quaſi parum ex voluntate Pij hæ adoptiones ab eo factæ.& itaſæpius infra. Suetonius in ſimili re vſus verbo *cogendi*, in Tiberio,cap.xv. *adoptatur ab Auguſto, coactus prius ipſe Germanicum fratris ſui filium adoptare.*

5. *Duo pariter Auguſti primi Remp.g.*] Regius, *primitus.* ἀπ' ἀρχῆς:quod alienum ab hoc loco:niſi interpreteris πρῶτον.

7. *Socerum feſſum ætate manu ſubleuarit.*] *Feſſus ætate*,vt apud Tacitum ſæpius, *feſſa ætas* eſt ſenectus.ſic in vita Aelij Cæſaris, & in veteri in-

ſcriptione Neapolitana:vbi inter cætera leguntur hæc verba:*prærepſitque ſenij baculum, cui iam defeſſa ætas adnitens, perbreues annos alleuabat.*

9.*Hadriano iam ſæuienti eripuiſſet.*]Puteani cod. *abripuiſſet*: regius, *ſurripuiſſet* melius pro ὑπεξαιρεῖν,furtim eripere.vt apud Euripidem, ὑπεκπέμπειν,quod dixit Virgilius, *furtim mandare*. De his autem infra in Pio.

13. *Succeſſore accepto, dignitate priuatus eſt.*] poſtrema verba non neceſſario ab auctore adiecta: nam vt *dare ſucceſſorem* pro dignitate priuare dicebant: ſic *accipere ſucceſſorem* pro dignitate priuari. Plinius libro nono Epiſtolarum,*collega Certi cõſulatum,ſucceſſorem Certus accepit.*

15. *Gladio ſe transfigi à ſeruo iußit.*] ſeruus ille eſt Maſtor Iazyx, de quo multa Dio.

19.*Auctorem proditionis.*]graue verbũ:ſed ſine re,nam quod notandũ duximus,proditio hîc eſt μήνυσις,occulti conſilij reuelatio,non προδοσία.

21. *Dicente Antonino, parricidam ſe fut.*] Non cohærent iſta cum ſuperioribus,ſed non dubitabit attentus lector,duarum periodorum ordinem inuerſum eſſe. Quare ita integrum locum reſtituemus. *auctorem proditionis iußit occidi: qui tamen ab Antonino ſeruatus eſt: dicente Antonino, parricidam ſe futurum, ſi Hadrianum adoptatus ipſe pateretur occidi. Statimque t.* Ita legit olim Robertus Bononienſis.

24. *Sæuior factus eſt.*] Reg.*ſeuerior.* atqui non ſolum ſæuus, ſed & furioſus factus eſt Hadrianus,vt narrat Lampridius in Heliogabalo.

30.*Receptura viſũ,ſi id feciſſet.*]Rectè *receptura*,cum editis ſcripti.referendum ad vocem *oſcularetur.* ſine cauſſa docti mutãt in *recepturam.* ſic paullo ante *diceret* ſcribunt editiones:mẽbranæ *dicere.* vtrumq; rectum.

ib. *Quod cum inſomnium impleſſet.*] Regius,*Q. cum ex ſomnio impleſſet.*

25. *Hæc per ſimulationem facta commemoret.*] Ita vocauit Marius incantationes & alia remedia magica, quibus leuari morbus Hadriani aliquandiu eſt viſus. Dio, Ἀδριανὸς δὲ μαγγανείαις μέν ποτε καὶ γοητείαις ἐκενοῦτο τοῦ ὑγροῦ, πάλιν δ' αὐτοῦ διὰ ταχέος ἐπίμπλατο.

Pag.18. verſ.1. *Accerſito Antonino,in conſpectu eius p.*] non omnes idem tradiderunt: nam alij auctores prius periiſſe Hadrianum, quàm Baias adueniſſet Antoninus,memoriæ prodiderunt. vide ad Marcum.

3. *Sepultus eſt in villa Ciceroniana Puteolis.*] Imperatoribus & cæteris quos conſecratio manebat,ſi alibi quàm Romæ diem obiiſſent,funus duplex fiebat:prius enim more communi corpus eorum cremabatur: deinde ablatæ Romam reliquiæ Mauſoleo inferebantur, & conſecrationis ritus peragebantur. Ita factum in Traiano, Hadriano, & aliis principibus qui longius Roma eſſent mortui. Quorundam, vt Auguſti,corpora in vrbem illata,vt ibi non conſecrarentur ſolùm,ſed & ſepelirentur. Videtur ſane Antoninus, ideo Puteolis Hadrianum ſepeliſſe, quod deſperaret tam citò ſe poſſe eius conſecrationem à Romano ſenatu obtinere. declarat hoc Spartianus extremo libro: etiam

hic

hic si attendimus: ait enim, *inuisusque omnibus sepultus est in v.* Locum villæ Ciceronianæ hodiéque monstrant Puteolani, nõ procul ab vrbe sua, quà itur Neapolin.

9. *Animula vagula, blandula.*] Mirum quare Spartiano hi versiculi parum videantur elegantes: nam ita mox iudicat. Videbimus alibi quantum isti scriptores poëtica facultate valuerint: multa enim de Græcis à se versa his libris inseruerunt: præ quorum venustate scilicet sordere Hadrianea debuerint. Nobis vero hi dimetri mollissimi & melioris seculi elegantia dignissimi cum viderentur: etiam Græce idem fecimus Hadrianum dicere, nisi hoc potius balbutire est.

> Ἐράσμιον ψυχάριον,
> Ξένη, χ' ἑταῖρε σώματος,
> Ποῖ νῦν, τάλαιν', ἐλεύσεαι,
> Ἀμαυρὴς, γυμνά τε, καὶ σκιὰ,
> Οὐδ' οἷα πάρος τρυφήσεαι;

Primũ potes ad verbũ, ῥόμβον, χαίρειν, ψυχάριον. *anima vaga*, ῥόμβος ψυχὴ, apud Marcum imperatorẽ libro secundo: Athanasio alibi, περὶ πλαρεμβομένη.

14. *Nec multo meliores fecit & Græcos.*] Extant nonnulli adhuc, non quales hic criticus iudicat: sed qui merito suo cæterorũ quos amisimus ingens desiderium in nobis excitent. Quare etiam non defuêre qui argutias illius imitarentur. Eiusmodi est quod apud Theophylactum Simocatum scriptorem eximium inter Græcos recentiores, obseruabamus epistola illa quæ incipit, ὁ φυσικός σοι κόσμος παρῴχηκε. clauditur autem sic, καὶ γῆρας γὰρ ἀδικεῖς καὶ νεότητα· τὴν μὲν γὰρ ἐπαγγελλομένην διέψευσαι· τὸ δὲ κεκλημένην ἐνόθευσας. Hadrianum sine dubio imitatur, qui ægro & mendico homini, à quo fuerat his versibus compellatus,

> Ἥμισύ μου τέθνηκε, τὸ δ' ἥμισυ λιμὸς ἐλέγχει·
> Σῶσόν μου βασιλεῦ μουσικὸν ἡμίτομον.

respondit hoc argutissimo disticho:

> Ἀμφοτέρους ἀδικεῖς τὸν Πλούτεα καὶ Φαέθοντα,
> Τὸν μὲν ἔτ' εἰσορόων, τὸν δ' ἀπολειπόμενος.

ib. *Vixit annos* LXXII.] & editi & manu exarati omnes hîc consentiunt. Robertus quoque Bononiensis ex hac lectione scribit, vixisse Hadrianum annos septuaginta duos. cum tamen & res ipsa, & Victoris siue Victorini testimonium falsi arguat hanc scripturam, vt totis decem annis maiorem vero: Scribe igitur LXII.

15. *Diebus* XVII.] Regius, XII. sed vulgatus numerus quadrat exactè. Dio tamen ait, XIX. nisi aliter scripserat.

ib. *Imperauit annis* XXI. *mensibus* XI.] Et hîc constans error est: nam XX. non XXI. scribi debuit. repugnat enim rationi temporum numerus editus: repugnat & Dioni, qui ponit ἔτη εἴκοσι, καὶ μῆνας ἕνδεκα. Mira tamen erroris aut mendæ vetustas: nam scribit Aurelius Victor Spartiani propemodum æqualis, *anno imperij, absque mense, vicesimo secundo.*

Scriptorum an librariorum hæc ſint παροράματα,mitto quærere.

16.*Flexo ad pectinem capillo.*]ἐκτενισμένος,καὶ πλοκὴν κόμης ἀσκῶν.comtiorũ hoc erat,& quibus cura formæ: Martialis.*Tu flexa nitidus coma vagaris.*

17. *Promiſſa barba.*] primus Romanorum,dato aliis exemplo. Dio: Ἀδριανὸς πρῶτος γένειαν καθεῖκε. teſtes ſunt nummi. ſed cauſſam cognoſcimus ex ſequentibus Spartiani verbis: *vt vulnera quæ in facie naturalia erant,tegeret.* hem! *vulnera naturalia.*illa igitur ſapiens,illa iuſta omnium parens Natura,vt in ſua opera etiam ad vulnera vſque ſæuiat? ridiculum:ſed appellat auctor *vulnera naturalia* maculas genitiuas & συμφύτους, quæ ſic faciem dehoneſtarent,vt cicatrices.

19. *Armiſque & pilo ſe ſemper exercuit.*] eſt ἓν διὰ δυοῖν figura. *armis & pilo*,vt,*patera & auro.* vel ita cape, cum cæteris armorum generibus, tum etiam pilo. Separat pilum ab armis,quod in illis tamen vel præcipuum,& omnium grauiſſimum: ideo nominatim indicandum. ſic,ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,apud comicum.paullo aliter Seneca,haſtilia ſeparat ab armis, in epiſtola LXXXVIII. *Maiores noſtri rectam iuuentutem exercuerunt haſtilia iacere,ſudem torquere,equum agitare,arma tractare.* Ita autem libri omnes, non *pila*, nec *palo.* Vopiſcus in Aureliano, *nullum vnquam diem prætermiſit,quamuis feſtum,quamuis vacantem,quo non ſe pilo & ſagittis, cæteriſque armorum exerceret officiis.*

20. *Venatu freq.*] Membranæ,*venatus*,θηρεύσας. melius *venatu*,ἐν θήρᾳ.

ib. *Leonem manu ſua occidit.*] vt illum qui tot annos Africæ tractũ Alexandriæ vicinum vaſtauerat. Athenæus libro XV. de corona Antinoea loquens hiſtoriam narrat.occidit & aprum in venatu maximum, & quidem μιᾷ πληγῇ, inquit Dio.

21. *Venando autem iugulum & coſtam fregit.*] Robertus Bon. pro *iugulum* ſcribit *gulam.* Sed *iugulum* eſt κλεῖς, vt apud Celſum libro VIII. capite,de iuguli fracti curatione. Dio de Hadriano,τὴν κλεῖν ἐν θήραις κατέαξε. Regius verò,pro *coſtam* ſcribit *coxam* rectè. nam ita & Dio, καὶ τὸ σκέλος μικροῦ ἐπηρώθη.

22. *In conuiuio tragœdias com.*] Hoc quoque ſpecimẽ morum habet: vide Suetonium in Auguſto,capite LXXIV. Pro *Attellanas,ſambucas*, eſt in aliis *Attellanaſambucas.* illuſtriſſimo Scaligero placebat, *Attellanas Ambubaias.*

24. *Tiburtinam villam mire exædificauit.*] apparet è ruderibus; quæ miri operis hodieque teſtes eſſe, docti viri ſcribunt in Italiæ ſuæ deſcriptione.

28. *Etiam inferos finxit.*] Νεκυίαν, vt puto, Homericam vel penicillo pingendam curauit, vel aliter exprimendam. In prætoriis ſuburbanis procerum Pariſienſium vidimus theatrum,Circum,&totum ludorum veterum omnis generis,paratum,Romanam item aciem,& alia quam plurima ex antiqua hiſtoria, aut fabulis poëticis mira induſtria ab artifice topiario,acantho,buxo,humilibuſque & retonſis manu arbuſ-

culis effigiata.

29. *Prætexta ſponte delapſa caput ei operuit.*] Ridicula ſcriptura: quam tamen omnes libri retinent. Delabi dicuntur quæ ex ſuperiore loco in inferiorem cadunt. vbi igitur prætexta hæc fuit cum in Hadriani caput delabens, illud operiret? nam in ſimili hiſtoria apud Vopiſcum, nihil mirum eſt pallium purpureum in Aurelianum decidere, vt humeros eius tegeret: erat enim ſuſpenſum, &, vt ait auctor, *in honorem eius expanſum.* Hic verò nulla eſt ratio. ſed ſcripſerat Spartianus, *aperuit.* quod, vt poſtea obſeruauimus, etiam eruditiſſimus Lipſius ante nos vidit. Die natali vota faciebāt pro ſua & ſuorum ſalute, eumque diem cognati & propinqui communi religione concelebrabant. Extat Hadriani ſchedium, die eius natali ad matrem miſſum: quo ipſam & ſorores ſuas inuitat ad cœnam: vt communibus votis pro mutua ſalute deos orent. Sed ipſa Hadriani verba ſubiiciam: ſunt enim venuſta. *Χαῖρε μῆτερ καλλίστη καὶ τιμιωτάτη. ὅσα γάρ σὺ θεοῖς εὐχῇ ὑπὲρ ἐμοῦ, κἀγὼ τὰ αὐτὰ ὑπὲρ σοῦ εὔχομαι. ἡ γάρ σὴ εὐσέβεια καὶ σεμνότης πάντα ποιεῖ . . . . . . χαίρω δὲ νὴ τὸν Ηρακλέα, ὅτι τὰ ὑπό μου γινόμενα, πάντα σοι ἀρεστά εἰσι, καὶ ἐπαινετά. Οἶδας οὖν μῆτερ τὴν σήμερον ἡμέραν γενέθλιόν μου εἶναι, καὶ ὀφείλομεν κοινῇ δειπνῆσαι· ἐὰν θέλῃς οὖν ἐνωρότερον μετὰ τῶν ἀδελφῶν μου λελουμένη ἔρχου. Σαβίνη γὰρ εἰς ἀγρὸν ὥρμησε· ἀλλὰ συνείδα αὐτὴ ἔπεμψεν. βλέπε οὖν ἵνα τάχιον ἔλθῃς ἵνα δυνησόμεθα τὴν εὐχαίαν εἰς ἓν θρησκῆσαι.* Appoſuimus defecti codicis notam poſt *ποιεῖ*: nam ſcribendum, *πάντα ποιεῖ καλῶς*, aut tale quid. pro *αὐτὴ ἔπεμψε*, malebam, *αὐτῇ πέμψομεν*: nam ad abſentes ſuos & neceſſarios amicos mittebant è conuiuio *μερίδας* inſportula. ſed altera lectio fortaſſe melior: quæ ad morem pertinet veterum, mittendi munuſcula amicis, cum natalem ſuum celebrarent. Ex his intelligimus, quod ait Spartianus, *Natali ſuo vltimo cum Antoninum commendaret.* id eſt, rem diuinam faciens vota pro Antonino, recens in filium adoptato, nuncuparet. *diis commendare*, vel *ἁπλῶς commendare*, eſt *εὔχεσθαι ὑπὲρ τινός*· vnde eſt, *natalem alicuius commēdare.* Spartianus in Geta: *cum infantis Getæ natalem Seuerus commendare vellet.* Lampridius in Alexandro, *cum eius natalem aruſpices commendarent.* ibidem, *cum natalem diem commendaret hoſtia effugit.* Solitos Romanos cum ſacra facerent lacinia togæ ſiue prætextæ caput velare, ne tirunculi quidem neſciunt. Alibi dicebamus caducum auſpicium appellaſſe veteres, & peſſimi ſemper ominis loco habuiſſe, ſi quid inter ſacrificandum cecidiſſet: ſicut hîc prætexta de capite delabitur, & de digito annulus. nam hæc duo omina ſimul videntur fuiſſe oblata.

Pag. 19. verſ. 1. *Nec appellatus eſſet diuus, niſi Antoninus rogaſſet.*] hic quoque ægre impetrauit. vide Aureliū Victorem. Diuus eſt *ἀποθεωθείς*: ſed Græci *θεὸς* ſæpe vertunt: alij *θεῖος* aut *θειότατος*. Iuſtinianus aliter expreſſit: *Αδριανὸς ὁ τῆς εὐσεβοῦς λήξεως.*

3. *Templum denique ei pro ſepulcro apud Puteolos conſtituit.*] Etiam Romæ poſtea templum illi conſtitutum. Capitolinus in Vero, *Antoni-*

nus Pius ea occasione quia patris templum dedicabat, populo liberalis fuit.

4. *Et quinquennale certamen.*] Pialia intelligit, siue Εὐσέβεια, ab Antonino Pio in patris honorem Puteolis, vt ait Spartianus, instituta. Artemidorus libro primo, capite XXVIII. οἶδα τινα σταδιέα, ὃς μέλλων ἀγωνίζεσθαι Εὐσέβεια τὰ ἐν Ἰταλίᾳ ἀχθέντα ὑπὸ βασιλέως Ἀντωνίνου ἐπὶ τῷ πατρὶ Ἀδριανῷ, ἔδοξε τυφλὸς γεγονέναι. Mentio huius agonis in vetere inscriptione Græca: vbi nobilis agonista & palmarum quam plurimarum, ludos vnde præmia reportarat enumerans, vicisse ait ΕΥΣΕΒΕΙΑ. ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ. ΔΙΣ. Idem agon in saxo Melphæ eruto, & *sacrum certamen* nominatur & *iselasticum.* etsi vitiose sculptum *selasticum.* εἰσελαύνειν proprium est hieronicarum verbum, vt dicebamus ad Athenæum lib.XV. cap.XVII. ita accipiendum id verbum, (dicam hoc obiter,) apud Iustinum Martyrem in epistola ad Zenam & Serenum: vbi loquens de strenuis ignauisque in pietatis studio athletis, οἱ μὲν, inquit, εἰσελάσαντες εἰς τὴν ἠγαπημένην πόλιν τοῦ πατρὸς γέρας ἀΐδιον μεταλήψονται. τοῖς δὲ ἀποβᾶσι διὰ τῆς ἐνταῦθα τρυφῆς (male vulgo τροφῆς) τῆς κατ' ἀλήθειαν ἀπολαύσεως μὴ μεταλαμβάνειν. apud Chrysostomum homilia X. in posteriorem ad Corinthios, εἰσελαύνειν dicitur Rex, qui in aliquam vrbem magna pompa, & specie inuehitur: quod sermo Gallicus dicit, *faire son entrée.* Est ergo certamen *iselasticum* siue *selasticum*, cuius victores eos honores consequebantur, qui Hieronicis exhibebatur. Inscriptio saxi Melphensis est hæc:

IMP. CAESARI.
DIVI. HADRIANI. FIL.
DIVI. TRAIANI
PARTHICI. NEPOTI
DIVI. NERVAE. PRONEP.
T. AELIO HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO
PONTIF. MAX. TRIB. POT. V.
IMP. II. COS. III. P. P.
CONSTITVTORI. SACRI
CERTAMINIS. SELASTICI
SOCII. LICTORES. POPVLARES
DENVNCIATORES. PVTEOLANI.

ib. *Et flamines & sodales.*] In antiquis inscriptionibus sæpius leges, *flamen Hadrianalis*: inuenies etiam, *sodalis Hadrianalis.*

5. *Quæ ad honorem quasi numinis pertinerent.*] In regio non habetur τὸ *quasi*, & videtur vox adiecta à pio aliquo, qui ridiculam impietatem deos facientium de mortuis hominibus impatienter ferret. nam veteres quos semel consecrauerant, non quasi deos, sed verè deos haberi postularunt, & coli. Sequens quoque periodus è regio est integrata.

ISAACI CASAVBONI
IN ÆLII SPARTIANI
ÆLIVM VERVM,
EMENDATIONES
ET
NOTÆ.

AELIVS *Spartianus ſuus ſ.*] ὁ αὐτοῦ ἴδιος, vt iam expoſuimus. Sic Eutropius in epiſtola ad Valentem, ſed aliter: non enim epiſtolæ nomen ſuum præſcripſit, ſed in ima cera, more, qui hodie obtinet, ſubſcripſit hoc modo, *Eutropius* V.C. *peculiariter ſuus*. id eſt veſtræ clementiæ peculiaris ſeruus, aut domeſticus. hoc enim eſt τὸ *ſuus*: vt rectè obſeruat magnus Cuiacius.

19. *In animo mihi eſt Diocletiane Aug.*] Aliis verbis idem plane Vulcatius Gallicanus. *Propoſui Diocletiane Auguſte omnes qui imperatorum nomen ſiue iuſtè, ſiue iniuſte habuerunt, in litteras mittere.*

20. *Tot principum maxime.*] abeſt vocula *tot* à regio: in qua tamen præcipua vis eſt huius adulationis. in Nigro, *Diocletiane maxime Auguſtorũ.*

21. *Qui principum locum.*] Scribo, *principem l.*

ib. *In hac ſtatione quam temperas.*] id eſt, imperatoria. in Commodo, *in his artifex quæ ſtationis imperatoriæ non erant.* alibi vocatur, *ſtatio regia.* alia eſt *ſtatio Cæſarum*, apud Capitolinum in huius Veri filio.

22. *Retentarunt.*] Seuerus in epiſtola ad Albinum, *Tu velim exercitus Reip. ac nobis retentes.* Aurelius Victor, *liberis Cæſarum nomina diuerſa retentantibus.* idem, *Cætera Valerius retentauit.* ſic apud eundem, *afflictare.* & *reductare.*

23. *Vt vſque ad diuum Hadrianum feci.*] ab ipſo Iulio Cæſare: nam inde erat orſus Spartianus, vt in fine huius ſcribit.

ib. *Cognitioni numinis tui ſternere.*] Edidimus quod in regiis membranis inuenimus. Alij libri, *cognitionem numinis tui ſternere.* neutrum ſalua Latinitate ferri poteſt, ſeruata in ſuperioribus edita lectione. Sed ibi legendum ex codice regio, ſic, *non ſolum eos qui*, &c. *ſed illos etiam qui* &c. *cognitioni numinis tui ſternere*, atque ita voluimus editum: ſed

aliud agentes nos fugit hic locus. Ferri & vulgata poteſt, ſi ſcribas, *cognitionem numini tuo ſternere.* eâdem ſententiâ. *Sternere* pro referre in literas, & hiſtoriæ inſerere: vt apud Græcos καταστρωννύειν, apud vetuſtiores καταχωρίζειν.

28. *Qui primus tantum.*] Regius, *qui primus Cæſaris tantum n. a.* Mox, *tantum Cæſar eſt app.*

29. *Familiæ principum adſcriptus.*] Reg. *adſcitus.* nihil mutandum, mox dixit pro eodem *tranſcriptus.*

30. *Pauca dicenda ſunt.*] Reg. *pauca ad hoc dic.* Scribe, *pauca de hoc d.*

31. *Prologus enormior e. quàm fabula.*] Regius & Puteani, *moroſior.* quaſi moroſus, prima correpta, etiam à mora diceretur, vt à moribus. Ego rectum eſſe non ambigo, quod eſt editum. Propriè *enorme*, quod non exactum eſt ad amuſſim, nec bene quadrat, τὸ μὴ πρὸς στάθμην ἰθυντόν. dicitur *enorme* & quod eſt ἀσύμμετρον: etſi autem breuitate non minus quàm prolixitate aut longitudine corrumpitur ἡ συμμετρία & comměſus exactio: vſu tamen Latine loquentium, *enorme* id dicimus, quod longius eſt quàm par ſit.

35. *Niſi quod tantùm Cæſar eſt appell.*] Regius, *niſi quod primo tantum C.* ſcribe *primus*. Duo obſeruāda notat in Vero: quod Cæſar tātum fuerit: cum ante imperatoribus hoc nomen eſſet proprium. Tunc primum enim nouū genus honoris in Remp. inductum, vt eſſent CÆSARES, vel ut candidati quidam imperii, & deſignati eius heredes. Eadem olim Auguſti mens, cum Caium & Lucium ſuos, PRINCIPES IVVENTVTIS voluit appellari. ſed Auguſtus more ſuo in re noua vſitatum etiam libera Rep. titulum vſurpauit: pari ciuilitatis ſtudio, atque titulum PRINCIPIS SENATVS ipſe ſibi vindicauit. Sane M. Tullius in ea in Vatinium C. Curionem principem iuuentutis nominat: & ſimiliter Brutum in epiſtola ad Appium Pulchrum. Alterum hîc notandum monitu Spartiani, ex lectione regia, quod primo Vero hic titulus & honos eſt delatus: nam Aurelius Victor, qui Hadrianum primum Cæſarem fuiſſe dictum à Traiano ſcribit, palam errat. Porro huic Vero ſimul cum appellatione Cæſaris tributa eſt facultas vtendi coccinei pallij præſente Hadriano: & purpura etiam, ſed ſine auro. cuius antiquitatis auctor nobis Commodus imperator in epiſtola ad Albinum.

Pag. 20. verſ. 2. *Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt.*] Fuerat à Diocletiano aſcitus ante iſtos Maximianus Herculius, ſed in imperatorem: iſti in Cæſares. ille collega & ex æquo particeps imperii: hi in ſpem futuræ ſucceſſionis. quare de his Aurelius Victor, *creatos Cæſares, in affinitatem vocant:* de illo, *Maximianum imperatorem iubet.* eleganter. ſic alibi duobus locis *Cæſarem iubet*, pro creat.

6. *Qui lingua Maurorum cæſa dicitur.*] Scribe *cæſar*, ex regio: item ex Seruio cuius verba, *Cæſar vel quod cæſo matris ventre natus eſt: vel quod auus eius*

eius in Africa manu propria occidit elephantem : qui cæſar dicitur Pœnorum lingua. Ego Spartiano potius quàm Seruio aſſentior, & Mauris non autem Pœnis *cæſar* dici elephãtum exiſtimo: nam Punicam linguam traducem fuiſſe ac propaginem Hebraicæ certiſſimum eſt. Hebræis autem elephas dicitur פִּיל non *cæſar.* etſi non extat in ſacris libris ea vox: ſed nec de elephantis vlla ſatis expreſſa in illis mentio: niſi quod ſemel occurrit vox שֶׁנְהַבִּים pro elephantis dente, ſiue ebore, quod alibi שֵׁן voce ſimplici ſæpe dicitur. Omnes ſanè qui vel Hebraicè locuti ſunt, vel quauis alia vicinarum linguarum, quæ ex illa principe fluxerunt, פִּיל elephantum nominant. Arabes quoque פִּיל. Græcorum etiam appellatio & Latinorum inde eſt : nam ἐλέφας literis tranſpoſitis dixerunt pro ἐφέλας vel ἀφέλας, הפיל

7. *Eum qui primus ſic appellatus eſt.*] non igitur Iulius Cæſar : neque enim primus ille id cognomen apud Rom. aut in gente Iulia tulit. in quo tamẽ multi fœde ſunt hallucinati, Latini primum ſcriptores, deinde & Græci.

9. *Quia mortua matre ventre cæſo ſit natus.*] Multorum hæc ſententia. omitto Latinos & Græcos. legi apud antiquiſſimum & primæ notæ ſcriptorem Iudæum de Iulio Cæſare, על שם שהיתה האמה קצוצה קראוהו קיסר Cæſarem ideo dixerunt quia fuit eius mater *Ketſutſa* cæſa.

10. *Magnis crinibus.*] magna cæſarie. Hanc vocem enim ſpectabant auctores huius ſententiæ.

ib. Oculis cæſiis.] Viderimus de primo Cæſare : Dictator verò, *oculis fuit nigris vegetiſque.*

11. *Et vltra humanum morem viguerit.*] Reg. *his & vl.* pro *& his vltra h. m v.* probat Cæſarem à colore oculorum ſic dictum, quaſi γλαυκοπτόν : quia præſtantiſſima fuerit oculorum acie. excellunt nempe oculi cæſij : ideo Mineruam quæ γλαυκῶπις poëtæ dicta, Ἀθήνην, quaſi Ἀθρήνην παρὰ τὸ ἀθρεῖν volunt dictam. Ex quinto de generatione animalium diſces τὸ γλαυκὸν & in mari & in oculis ſignũ eſſe τοῦ εὐδιόπτου καὶ ὀπτικοῦ.

12. *Felix neceßitas fuit.*] id eſt, cauſſa. Sed neceſſitas fere in deteriorem partem capitur.

27. *Et Pannoniis dux ac rector impoſitus.*] Nummus. L. ÆLIVS. CÆSAR. PANNONIA. S. C.

28. *Et quia erat deputatus imperio iterum conſul deſignatus eſt.*] vt imperium ſuſcipiens conſulatum ſimul iniret : nam ita fuit moris.

30. *Collatumque militibus* H S. *termillies.*] *Militibus*, inquit. de militum ergo donatiuo ſolùm loquitur. Quare igitur emendemus ? cum maior ſumma, quæ alibi expreſſa, etiam populo datum congiarium comprehendat.

31. *Circenſes editi.*] Regius, *additi.* Quaſi fuerint Circenſes qui ex alia cauſſa celebrabãtur, puta ob natalem principis, aut ludos, ampliati numero vel dierum vel miſſuũ. Legas alibi in his libris, *Addidit Circenſes.*

N

37. *Medij tamen obtinuit ducis famam,*] *Medius* pro mediocris: & *medietas* pro mediocritas etiam apud optimos ſcriptores.

Pag. 21. 2. *Potueritque eum amouere.*] Regius, *petieritque.* Magni Turnebi, *voluerit.*

7. *Vt ſuæ ſatisfaceret voluptati.*] Hoc voluit in Hadriani vita tectis illis verbis, *forma commendatum.* Sed vide aliquanto poſt.

9. *Fuiſſe enim Hadri.*] Reg. *etenim fuiſſe H.* at quoties iſtud Spartiano dictum? Pro *præſcripſerit*, regius *præſcripſit.* non improbem *perſcripſerit*: hoc eſt accuratè & dietim ſcripſerit.

13. *Eum de Vero ſæpe dixiſſe, Oſtendent t.*] idem Gordianus de filio, vt ſcribit Capitolinus: vide & in Claudio.

17. *In hortulo ſpacians.*] Regius *in circo.* Sic & Angeli Politiani codices: quod docuit me vir doctiſſimus & meliorum litterarum cognitione inſtructiſſimus, Richardus Thomſon, vetus amicus meus.

18. *Speciosa ſocietate q.*] Simile illi in vita Had. *plebis iactantiſſimus amator.* Vtrobique idem vitium notatur: quod fuerit τῷ δοκεῖν magis quàm τῷ εἶναι ſtudioſus.

21. *Hos verſus vita non capit Veri.*] Capitolinus in Vero huius F. *Nota eſt fabula quam Marci non capit vita.* hoc eſt non patitur credi, vt locutus eſt Vopiſcus in Caro. Iuuenalis: *Non capit has nugas humilis domus.*

31. *Quem credimus eſſe victurum.*] imò verò, *non victurum.* Id enim eſt quod Hadriano dolet. Clariſſimus verò ſenator & eruditiſſimus Paulus Petauius, mutata diſtinctione ſic ſcribebat. *Quid ſi non rectè conſtellatio eius collecta? Eſt quem credimus eſſe victurum.* duo affert minuendo luctui Hadriani: quorum poſterius in vulgata lectione diſſimulatur. conuenientiſſima ſanè conſolanti & meliora ſperare iubenti oratio. At regij mira lectio, quam & Politianus adnotauerat: *credimus eſſe vicarium.* ſed librarij, puto, erratum eſt, aliud nihil.

32. *Tu qui patrimonij tui non Reip. quæris heredem.*] Eſt enim longe aliud ſeruulis ſuis dominum, & Reip. principem quærere. Plura in hanc ſententiam Plinius in Panegyrico, & apud Vopiſcum in Taciro Metius Falconius ſenator conſularis, vir ſapientiſſimus.

35. *Sed haud eius conſilia iuuit euentus.*] Mendoſa lectio: nam ſententia tam falſa eſt, quam quod falſiſſimũ. Hadrianus cum diffideret ingenio Veri aut valetudini, cogitabat alium diligere cum moreretur: quod tamen inuitus, & magnis rationibus, atque adeo, vt videri voluit, amore Reip. coactus, erat facturus. interea moritur Verus: Hadrianus, vitata illa moleſtia quam diximus, fit voti compos. an non igitur eius voto deus affuit, & conſilia iuuit euentus? Paret legendum, *ſed hæc eius c. i. e.*

37. *Per ſcriniorum aut dicendi magiſtros.*] Quis primùm magiſtros ſcriniorum inſtituerit, nuſquam inuenio apud veteres. Hic antiquiſſima eſt, eius dignitatis mentio: nam in priorum temporum hiſtoria mentio horum nulla: in poſteriorum frequentiſſima. Vide in Alexandro

Seuero,& apud auctores iuris.

Pag. 22. 8. *Pulchritudinis regiæ.*] in Pertinace, *ſtatura imperatoria.* Cornelius Nepos in Iphicrate, *Imperatoria forma.* Trebellius de Celſo, *ea corporis magnitudine, vt dignus viderteur imperio.* & ſimilia multa apud varios auctores.

9. *Eloquentiæ celſioris.*] Regius, & Politiani *eloquentiæ ſonoræ*: quod ad commendationem actionis valeat non eloquentiæ.

11. *Equidem non infames, ſed aliquatenus diffluentes.*] En voluptatum patronum. quas hic vocat infames voluptates, eæ ſunt quas mox, *non ad perniciem publicam promtas.* Capitolinus in Gordiano: *laſciuia iuuenis, non tamen luxurioſa, neque infamis, prædicata eſt.*

12. *Seu potius pentaph.*] Regius & Politiani, *ſ. p. vt alij ferunt, p.*

15. *Pernam cruſtulatam.*] Iidem codd. *pernam, cruſtula, & aprugnam.* Sed fuerint per hanc ſcripturam ſpecies ſex: quod pentapharmaci non capit appellatio.

ib. *De quo genere cibi.*] Tota hæc periodus vſque ad vocem *Fertur* ab ijſdem libris abeſt: vbi eorum loco ſunt iſta ſolùm: *prout alibi in vita Hadriani deſcripſimus.* Sed eo loco nihil Spartianus de pentapharmaco. Apparet criticos ſuperiorum ſeculorum multum ſibi licere voluiſſe in deſcribendis hiſce libris. Quod ex vita Marci potiſſimũ cognoſcemus.

19. *Nam lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat.*) Lectorum quatuor ſunt ἐνήλατα: ad caput vnum, alterum ad pèdes: ad ſpondas interiorem & exteriorem duo. illud cui iucumbit caput Græci ἀνακλιντήριον, vel ἀνάκλιντρον nominant: Romani fulcrum vel interdum pluteum. LXX. Geneſeos interpretes, κεφαλὴν κλίνης. Erat apud veteres lectorũ genus qui duo anacliteria habebant: quos ipſi ἀμφικεφάλους, quaſi vtrinque capitatos dixerunt. Auctor Etymologici, Ἀμφικέφαλος, κλίνης εἶδος, παρὰ τὸ ἑκατέρωθεν ἀνάκλισιν ἔχειν καὶ προσκεφάλαιον. Appellat ἀνάκλισιν quod alij Græci & Spartianus *anaclinterium*, vel *anacliterium.* in capite III. Cantici canticorum, ἀνάκλιτον vertitur *reclinatorium*: Ambroſius libro tertio de virginibus, *adclinatorium.* Heſychius, Ἀμφικέφαλος κλίνη, ἑκατέρωθεν ἔχουσα ἀνακλιντήριον. male in eius codicibus ἀμφίκελος. Plura nos de his lectis alibi. At eum Veri lectum de quo hîc Spartianus, enormis fuiſſe magnitudinis neceſſum eſt. Nam in amphicephalis longitudo ſolùm deſiderabatur vltra communem morem: in iſto, & latitudo par neceſſaria: in quo quidem aduerſis veſtigiis iacerent qui omni ex parte inuicem oppoſiti cubabant. *Reticulum minutum* quo Spartianus ait fuiſſe vndique incluſum hunc lectum, conopeum eſt, reticulato opere confectum: nam eiuſmodi erãt conopea etiam apud Aegyptios: vnde in alias gentes illorum vſus manauit. ideo Herodotus ἀμφίβληστρα vocat. Quod addit eum lectum foliis roſæ fuiſſe repletum, nouum non eſt Veri inuentum: ſed peruetus laſciuientium τρυφητῶν luxus. Amabant enim delicatiores cubare in floribus: puta, roſa, lilio, croco,

violis,hyacinthis &narcissis. Lampridius in Alagabalo. *Strauit & triclinia de rosa, & lectos.* Trebellius in Gallieno, *veris tempore cubicula de rosis fecit.* Claudianus de lecto geniali, *roseisque cubilia surgunt Floribus.* Plura alibi de his. Tales sunt quæ Νυμφῶν εὐναὶ dicebantur.

21. *Quibus demtum esset album.*] Nam ea pars rosæ minus tenera & delicata. Sic mox accubationes & mensæ fiunt de rosis & liliis sed prius purgatis.

24. *Accubationes ac mens.*] Scripta lection, *accubitationes.* Fortasse, *accubita sibi ac m.* de ea voce ad Heliogabalum.

25. *Ouidij libros Amorum in lecto semper habuisse.*] Antiqui cum in lectis plurimum studerent, vt docuimus ad Tranquilli secundum librum, puluino soliti subiicere auctores quibus maxime delectarentur: quod Platonem fecisse in Sophrone mimographo, scribunt veteres. Ptolemæus Hephæstionis filius: Τελευτήσαντος Δημητρίου τοῦ Σκηψίου, τὸ βιβλίον Τέλμιδος πρὸς τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ εὑρέθη. habes ibidem plura similiũ exemplorũ. Porrò hic locus, si quis alius in his libris, mẽdosissimus est, & verbis quoq. plusculis mutilatus: spurcissime denique in membranis etiam regiis acceptus, ibi enim periodus integra sic concipitur. *Atque ad verbum memor iterasse fertur idem croballius relatum. Idem Apitij vidi libros Amorum in lecto s. h.* Eandem lectionem Politianus quoque & Puteanus ex suis codicibus adnotauerant. Princeps editio sic exhibet: *Atque idem Ouidij ab aliis relata, idem Apitij libros Am.* Mera monstra, vt vides. at Hercules vbi? O exorere Scytalosagittipelliger aliquis. Tentemus interea si quid hîc possumus. In arduis & voluntas laudi tribuitur. Putamus isti loco accidisse quod passim aliis: vt ei corrumpendo fuerit initium idem duarum periodorum: quarum alteram cum iam olim librarius omisisset, fuere postea qui eandem reponerent: sed non suo loco. Inde totius loci perturbatio & integra pernities: error enim postea errore cumulatus est. nam pro illis, *memor iterasse,* quin sit legendum *memoria tenuisse,* vel *memoriter,* ne dubitandum quidem censemus. Illud quoque non dubitamus, periodorum hîc cõfusarum vtramque cepisse ab eadem voce *atque.* Ita ergo disiuncta membra colligimus, & in vnum veluti corpus concinnamus. *Atque idem Apitium, & Ouidij libros Amorum in lecto semper habuisse, atque ad verbum memoria* (vel *memoriter*) *tenuisse fertur, idem M.* Aliter constituere scripturam conclamatam non possumus. Apitij nomen etiam Augustanus codex retinet, & quantum est mss. Sunt autem omnia in hac lectione planissima. Verùm age, exerceat se hoc loco acutiorum industria.

28. *Cursoribus suis exemplo Cupidinum alas fr. apposuit.*] Non legimus ante Verũ apposuisse quenquam aut suis aut publicis cursoribus alas: erat tamen militum πτεροφόρων, id est pinnigerorum, siue pinnirapororum ordo, quibus imperatores & præsides prouinciarum pro tabellariis cursoribúsque vtebantur. Vide quæ de illis scripsimus ad secun-

dum Tranquilli. allusit eleganter magnus rhetor Aristides panegyrico in Romam: vbi postquam dixit, Romanum imperatorem vniuersum orbem literis suis regere sedentem, addit, αἱ δὲ ἐπιστολαὶ μικρὸν φθάνουσι γραφεῖσαι, καὶ πάρεισιν ὥσπερ ὑπὸ πτηνῶν φερόμεναι. Cursores verò imperatorum peculiari habitu fuêre. Vopiscus in Aureliano, *Cursores eo habitu quo ipse habebat, senatoribus concessit.* Et erant isti imperatorum cursores, non serui sed ingenuj: quod tamen mutasse Alexandrum narrat Lampridius: quo notabilior Veri inclementia, qui cursores suos homines ingenuos, *indefessè atque inhumaniter faciebat cursitare.*

35. *Vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.*] Tria sunt coniunctionis huius nomina apud iuris auctores & alios: vxor, pellex, amica. horum vnicum est nomen dignitatis, vxor. αὕτη ἡ ἀμίαντος κοίτη. Reliqua sunt nomina voluptatis: sed cum aliquo tamen discrimine: nam honestior est pellex, vt quæ accedat propius ad vxoris naturam. est enim παλλακὴ פלגש Hebræorum, quasi legitimæ coniugis dimidium, & vt dicunt ipsi, פלג אשא Balsamon Conciliorum interpres, παλλακὴ δέ ἐστιν ἡ νομίμως τινὶ συζῶσα χωρὶς γάμου· ἡ δὲ ἧττον τιμιωτέρα φίλη λέγεται. Voces *concubina* & παλλακίδες modò pro amica modo pro pellice vsurpari, obseruamus apud auctores iuris tam ciuilis quam canonici.

ib. *Eius filius est Antoninus Verus qui adoptatus est à Marco. Verus certè cum Marco æq. gess. imp.*] Multa in his verbis imperitorum hominum flagitia. *Antoninus* primum perperam scriptum pro *Annius*. Nam ante adoptionem, dici hic Antoninus non potuit. Vitiosissimè in regio & Politiani, *Ennius Antoninus V.* sed hoc vitium veram lectionem prodit, quam diximus: cætera etiam grauius affecta: nam iidem codd. & Puteani quoque sic habent: *qui adoptatus est à Marco, vel certè cum Marco: & cum eodem æquale gessit imperium.* Sic & prima editio: nisi quod pro *vel* editum est *Verus*. Est autem planè insignis restitutio, & necessaria. discimus hinc variè traditam esse à veteribus, adoptionem Veri qui postea imperauit: quosdam vna cum Marco a Pio adoptatum scripsisse: vt facti inter se fratres, ambo Pij essent filij, Hadriani nepotes. atque hoc multis locis scriptum ita à Spartiano. Dio etiam disertè: Commodi Veri filium, ait, Pius εἰσεποίησεν αὐτῷ καὶ ἔτι πρὸς τούτῳ Μάρκον Ἀντωνῖνον. Sæpe etiam isti scriptores Verum Marci fratrem, Hadriani nepotem nominant. Non defuêre tamen, vt hîc Spartianus obseruat, qui Verum non cum Marco, sed à Marco dicerent adoptatum: Capitolinus in Marco, *amitæ Marci virum Antoninum Pium, Hadrianus ea lege in adoptionem legit, vt sibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen vt & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret.* Fuerit ergo Verus istorum sententiâ Marci non frater, sed filius, Pij nepos, Hadriani pronepos.

Pag. 23. 4. *Vt fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum.*] Hoc vult: fuisse qui in digerendis consularibus fastis, basim supputationis suæ ponerent consulatum Marci & Lucij Veri, duorum

Auguſtorum ab eo capite annos poſteriores numerabant: vt dicerent, hoc illudue accidiſſe anno poſt conſulatum duorum Auguſtorum tali. Similiter priorum quoque temporum res ad hanc nobiliſſimam epocham referebant. Exempli cauſſa: Traianum obiiſſe anno ante duos Auguſtos tertio & quadrageſimo. Offendes in Codice Theodoſiano & antiquis inſcriptionibus, tempus interdum deſignari non appellationibus COSS. anni currentis: ſed hoc modo, *poſt conſulatum Honorij* VIII. *&* *Theod.* V. AA. Verum hoc aliud eſt.

5. *Infinitam pecuniam populo & mil.*] Quatuor millies HS. Quoties iam dictum?

8. *Vt ſcutum ſolidius iactare non poßet.*] *Solidius*, pro grauius nam quæ ſunt ναστὰ nec ὑπόκενα, eadem grauioria ſunt. Olim etiam principes, ſcutum quatientes variis motibus exercebantur in campo, vt de Iuliano ait Marcellinus, libro XXI. *ſcutum iactare*, vt *clypeum vibrare*, apud eundem Marcell. libro XXIV.

9 *Ter millies perdidimus q.*] Scribe, *quater millies*, vt in Hadriani vita, nam ſequitur, *quod exercitui populóque dependimus*. At paullò antè, *collatumque militibus* HS. *ter millies*. rectè: nam ibi de impenſa in ſolos milites facta loquitur.

10. *Et qui non ipſam Remp.*] Scribe vt in regio: *& qui non Remp. ſed nos ipſos ſuſtentare vix poßit.* *non*, pro nedum.

12. *Cum præfecto ſuo locutus eſt.*] Quiſnam iſte eſt Hadriani præfectus? multi enim erant præfecti: vt prætorij duo, Vrbis vnus, ærarij duo, caſtrorum item vnus, alij. Fortaſſe ſcribendum *cum præfecto Seuero locutus eſt.* Vt intelligatur hîc Catilius Seuerus præfectus Vrbi, cui Hadrianus paullo ante obitum ſuum ſucceſſorem dedit, ſicut dictum eſt in eius vita. Quanquam ibi Spartianus cauſſam cur Seuerus dignitate fuerit priuatus, non penitus eandem affert. Verùm ita ſæpe hi ſcriptores ſolent res eaſdem locis diuerſis diuerſe narrare: non ſemper enim eoſdem ſequebantur auctores: ſed modò Marium Maximum: modò cum libitum eſſet, alium.

14. *Sollicitudine vt pote deſperati hominis aggrauaretur.*] Fortaſſe, *deſperati honoris*: nam hoc ait: eo magis Veri ſollicitudinem auxiſſe, quo magis ſpes minuebat obtinendi honoris, cuius ſpem certam antè habuerat. Si cui placet nihil mutare, erit *ſollicitudo deſperati hominis* pro qualis ſolet eſſe ſollicitudo hominum, quos omnis vndique ſpes deſtituit. vel erit abſolutè dictum, *vt pote deſperati hominis*, pro ἅτε ἄπελπις ὢν ἄνθρωπος.

20. *Niſi mortem.*] Planius dixiſſet, *niſi in morte*. Nam durum eſt quod *mortem* dixit, cum funus imperatorium intelligeret. Sane in prima editione ſcriptum eſt *in morte*: etſi male ibi habet hæc periodus. Scripta lectio, *nec q. de regia, niſi mortis habuit dignitatem*. οὐδὲν ἀπήλαυσε τῆς αὐλῆς εἰ μὴ τὰς περὶ τὸν θάνατον τιμάς.

ib. *Doluit ergo illius mortem.*] vel *morte*. ita ſcribe.

21. *Vt bonus pater.*] hoc eſt, vehementer: quod eo maxime probatur, quia imperatorio extulit funere.

ib. *Non vt bonus princeps.*] Cum bonus princeps optare non debuerit, eum habere ſucceſſorẽ in imperio, qui futurus eſſet Reip. inutilis.

23. *Etiam viuente adhuc Vero decreueram.*] Nempe adoptare alium: nam quem adoptaret nondum decreuerat. Falſum alioqui foret quod ſtatim ſubiicit, *Poſt hunc Hadrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptauit.*

27. *Vt ipſe ſibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret.*] Reg. & alij, *Marcum & Verum Annium Antoninos ad.* poteſt etiam ſcribi *Antoninus*: hoc eſt Marcus, ex iis quæ ante diximus. ſed nolim quicquam mutare.

28. *Filiamque ſuam Vero non Marco daret.*] Nam Marco affinitas Commodi deſtinata eſt, vt ſcribitur alibi. Cæterùm hæc conditio impleta non eſt: nam Fauſtina Pij Marco nupſit. Vide in Marco & Vero.

30. *Sanum principem mori debere non debilem.*] Æmulatur Hadrianus Veſpaſiani notum dictum: *Imperatorem ſtantem mori debere.*

31. *Statuas ſane Ælio vero per totum orbem coloſſeas poni iuſſit.*] id eo factum, vt omnibus perſuaderetur, Hadrianum pro herede & imperij ſucceſſore Aelium Verum habuiſſe. Statuæ coloſſeæ deorum aut imperatorum erant. Lampridius in Alexandro. *Statuas coloſſeas vel pedeſtres nudas, vel equeſtres diuis imperatoribus in foro diui Neruæ locauit.* Quæ aliis ponebantur, quamlibet magnis & honoratis viris, erant cuiuſque ſtaturæ pares. Græci ἰσομετρήτους vocant: apud quos multa harum mentio.

34. *In familia ipſius Hadriani remanſerat.*] Eadem verba leges apud Capitolinum: vt videantur ambo ex eodem aliquo auctore tranſcripſiſſe.

36. *Habeat Reſp. quodcunque de Vero.*] Contrarium eſt apud Victorem alterum: cum enim Maximinus iunior occideretur, non ſuo ſed patris nomine ac merito, conclamarunt cuncti militari ioco, *Ex peßimo genere nec catulum habendum.*

Pag. 24. verſ. 2. *Nihil dignum præter clementiam.*] Non video quid hîc faciat vox *dignum*: nam ea ſublata nihil ſententiæ deceſſerit: lux quinimo acceſſerit. Legi poteſt, *nihil admodum.*

5. *De quo idcirco non tacui. q.*] Perpetuum ſcriptorum horumce vitium, vt idem repetant ſæpius: nam hoc argumentum eſt ſuperioris ad Diocletianum epiſtolæ.

10. *Etiamſi multis nulla ſit neceßitas talia requirendi.*] Ain' tu *multis*? ergo quibuſdam. quare iſtis potius quam aliis? Dele vocẽ *multis*, auctoribus membranis. *Perquirendi* in eiſdem pro *requirendi.*

ISAACI CASAVBONI
IN IVLII CAPITOLINI ANTONINVM PIVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

IVLII CAPITOLINI.] De ætate qua vixit hic ſcriptor, ſatis initio dictum eſt. cætera de illo nobis hodie incognita: vt & de Cornelio Capitolino, quem in Odenato tyranno laudat Trebellius Pollio. Quid fuerit cauſſæ cur corporis huius compoſitores in Hadriano & Vero Cæſare Spartianum, in Pio Capitolinum, in aliis alium ſeligerent, & cæteris anteponerent, neque ego capio, neque puto vllam eius conſilij probabilem, nedum neceſſariam, cauſſam poſſe afferri.

TITO AVRELIO FVLVIO BOIONIO A.] Regius, *Fuluo, Ionio*, quorum prius rectum eſt: raro enim Romanorum cognomina in *ius* terminabantur: hoc autem cognomen tulit Pius ab auo & patre: quorum vterque mox in vulgatis libris *Aurelius Fuluius* nominatur: in Regio ſemper *Fuluus*. quod firmant conſulares faſtus. at *Ionio* perperam pro *Boionio*, Vnde habuerit Pius hoc nomen non explicant veteres. habuit autem, niſi fallimur, ab auia materna Bouinia Procella, cum heres ab illa fuiſſet ſcriptus. *Boionius* idem ac Bouinius, niſi quod nomen ἐξελληνισθὲν vtcumque apud Latinos originem à bobus diſſimulat. Alij non hunc, ſed Marcum vocant Boionium: vt Victor, Eutropius, & Pæanius Βοϊώνιον. Boionij Olympi cuiuſdam in veteribus inſcriptionibus mentio: qui fortaſſe huius libertus fuit.

23. *Ad ſecundum conſulatum.*] bis conſul fuit principe Domitiano: in priore conſulatu collegam habuit Domitianum vndecies: poſteriorem geſſit quadriennio poſt collega Atratino.

25. *Qui & ipſe fuit conſul.*] ſuffectus, vt opinor, non ordinarius. nam in Faſtis tacetur eius nomen.

26. *Homo triſtis & æger.*] Scripta lectio, *homo caſtus & integer.*

27. *Arrius Antoninus bis conſul.*] Hic eſt quem inter ſuffectos conſules nominat

nominat Caſſiodorus in vltimo Domitiani anno. bis fuiſſe conſulem, & Plinius teſtatur in epiſtola tertia libri quarti. nam qui eam epiſtolam ad Pium ſcriptam putant, inſigniter falluntur, vt mox oſtẽdemus.

28. *Qui Neruam miſeratus eſſet, quod imperare cepiſſet.*] Victor alter. *Nerua cum in curiam à ſenatu gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus Arrius Antoninus vir acer eique amiciſsimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari ſe ait ſenatui & populo, prouinciiſque: ipſi autem nequaquam: cui ſatius fuerat malos principes eludere, quàm tanti oneris vim ſuſtinentem, non moleſtiis modò & periculis ſubiici: ſed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui cum ſe mereri omnia præſumunt, ſi quicquam non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus.* Hæc in illa Epitoma: quæ non dubito eſſe deſcripta ex amiſſis vitis vnius horum ſcriptorum. quò libentius hîc illa adſcripſimus.

30. *Vxor Annia Fauſtina.*] quæ & Galeria Fauſtina dicitur initio vitæ Marci.

34. *Sub Domitiano duodecimo & Dolabella Coſs.*] Factum aliquid ſub illo aut illo principe latinè dici ſcio: ſub conſulibus illis, an Latinum ſit viderimus: certè non eſt vſitatum. Quare legebam hîc, *ſub Domitiano, ipſo duodec. & D. C.* ſed aliter ſcripti medentur. Nam in libro Puteani, pro *ſub*, exaratum *Fl.* quare ſcribe, *Flauio Domitiano.* vox *duodecimo* abeſt à Regio, & aliis nonnullis. In faſtis Siculis comparantur Δομετιανὸς ιϛ, καὶ Σατουρνῖνος. neutrum recte. Cenſorinus De die natali, *Agonum* Capitolinorum *primus à Domitiano inſtitutus fuit, duodecimo eius, & Ser. Cornelij Dolabellæ conſulatu.*

35. *In villa Lanuuina.*] Scripti, *Lauinia.* nihil intereſſe inter Lauiniũ & Lanuuium, multis diſputat illuſtriſſimus Scaliger. Lauinium autem dictum fuiſſe & Laurolauinium, & Laurum Lauinium, non vno loco Seruius docet. Videntur Pij maiores qui in Italiam primi è Gallia noſtra migrarunt, apud Lanuuinum municipium conſediſſe. ideo ſcribit de Pio Aurelius Victor, *vir veterrimæ familiæ è Lanuuino municipio.* at Romæ ſerius innotuit hæc familia: vt & Spartianus indicat, & Eutropius: *genere*, inquit, *claro, ſed non admodum vetere.* Villæ huius Lanuuinæ & Lampridius meminit initio vitæ Commodi. Marci verba de hac interpretor, ſcribentis libro primo: placere ſibi veſtem non exoticam, ſed τὴν ἀπὸ χωρίου, & quidem ἀπὸ τῆς ἐπαύλεως, καὶ τῶν ἐν Λανουβίῳ τὰ πολλά. hoc eſt qualis vulgo fiat, è villa propria, & fere de redditibus Lanuuinis. Capitolinus de Marco ex Aſia & Syria reuerſo, *exinde Lauinium profectus eſt.* non dubito hunc eundem locum ibi intelligendum.

ib. *Educatus Lauri in Aurelia.*] hâc petebantur Etruſci. in ea via ad XII. ab vrbe lapidem fuit villa Pij, vbi & educatus eſt, & mortuus. *Lorium* & *Laurium* ea villa nominatur, infra, & Eutropio, Euſebio, aliis. Græcè Λωριόν. Laurentum, ſiue Laurens προάστειον, quò propter peſtem ſeceſſit Commodus, Herodiano deſcriptum libro primo, non auſim

dicere eundem locum eſſe cum iſto. Addit autem Spartianus de via Aurelia, vt Lauriū vel Lorium, prædium ſiue prætorium ſeparet à villa Lanuuina, quæ erat in Appia: nam ibi Lauinium ſiue Lanuuium.

Pag.25.verſ.1. *Atque adeo.*] aut ſi vis, *ideo*: etſi nihil neceſſe.

3. *Ingenio clarus, moribus clemens.*] Regius omiſſa voce *ingenio*, quæ in vulgata ſcriptura bis ponitur, totum locum ita concipit: *clarus moribus clementia nobilis, vultu placidus, ingenio ſingularis, eloquentiæ nitidæ, literatura præcipuus, ſobrius, diligens, agri cultor, mitis, abſtinens alieni, largus, & omn.*

6. *Largus, alieni abſtinens.*] Scribe, *largus ſui, alieni abſt.* ex Roberto Bonon. Plinius iunior, *homo eſt alieni abſtinentißimus, ſui diligens.*

ib. *Et omnia hæc cum menſura.*] Imitatur illud Terentianum: *& tamen omnia hæc mediocriter.*

7. *Et qui merito Numæ Pompilio comparatur.*] Eutropius ex hoc loco, *& qui merito Numæ Pompilio conferatur.* Sanè merito: nam quem potius cum Numa, qui ſacra & ceremonias Romæ conſtituit, cōponas, quàm eum cui ſua pietas cognomen peperit Pij? vide in extremo libro.

9. *Socerum feſſa iam ætate.*] Malim *feſſum*. vt in vita Hadriani. etſi diximus vtrumque.

11. *Non ſatis magnæ pietatis argumentum eſt:*] Scribe, *non ſatis magnum.*

14. *Vel quod Hadriano contra omnium ſtudia p.*] Ex omnibus quæ adferuntur hîc, iſtam potiſſimum rationem probo. magnis enim laboribus Pio conſtitit, vt hæc poſtrema pietatis officia parenti ſuo præſtaret, cuius memoriam ſenatus cupiit damnare. cum igitur ſtudio huic ſuo pietatis nomen neceſſariò prætenderet: puto inde illi partum Pij cognomen. Hęc quoque, niſi fallor, cauſſa eſt, cur ludos Puteolis in honorem Hadriani à ſe inſtitutos, Pialia ſiue Εὐσέβεια Pius idem nuncupauit. Pauſanias PIVM à pietate in deum ſcribit eſſe nuncupatum.

18. *Vel quod verè natura clementißimus.*] Huic ſententiæ accedit Marcus in epiſtola ad Fauſtinam. *clementia patrem tuum imprimis Pij nomine ornauit.* Romani quem laudatum volebant à clementia, *pium* vocabant. Vulcatius Gallicanus in Auidio Caſſio, *Hanc Marci clementiam ſenatus his acclamationibus proſecutus eſt: Antonine pie dij te ſeruent: Antonine clemens dij te ſeruent.* vice verſa Hebræi pietatem vocant חֶסֶד ἔλεος? & pios חֲסִידִים ἐλεήμονας.

19. *Fœnus trientarium, hoc eſt minimis vſuris exercuit.*] Sapiunt gloſſema hæc, *hoc eſt minimis vſuris.* fortaſſe inducenda: quæ tamen libri omnes retinent. Trientarium fœnus, ſiue, vſuræ trientes ſunt, cum centeſima redigitur ad trientem, & pro centum, non duodena annua, ſed quaterna tantum penduntur. Pij exemplum retulit optimus Alexander: qui *fœnus publicum trientarium, exercuit, ita vt pauperibus pleriſque ſine vſuris pecunias dederit.*

21. *Conſul cum Catilio Seuero.*] quarto Hadriani anno.

24. *Inter quatuor conſulares.*] de his in vita Hadriani.

29. *Proconſulatum Aſiæ ſic egit, vt ſolus auum vinceret.*] Auus hic quem intelligit, eſt Pij auus maternus Arrius Antoninus. Ambo proconſules Aſiæ fuerunt, & Pius, & auus. de Pij proconſulatu loquitur Marcianus libro ſecundo, De iudiciis publicis: *Caput mandatorum exſtat, quo Diuus Pius cum prouinciæ Aſiæ præerat, ſub edicto propoſuit, vt irenarchæ cum apprehenderint latrones, interrogent eos de ſociis.* De auo illius Proconſule Aſiæ, & immortali laude quam inde reportauit, Plinius in epiſtola ad ipſum Arrium Antoninum. *Quod ſemel atque iterum conſul fuiſti ſimilis antiquis, quod proconſul Aſiæ qualis ante te, qualis poſt te vix vnus aut alter, (non ſinit enim me verecundia tua dicere, qualis nemo) quod ſanctitate, quod auctoritate, ætate quoque princeps ciuitatis, eſt quidem venerabile ac pulchrum: ego tamen te vel magis in remiſſionibus miror.* Ingentem vt vides, integritatis & prudentiæ famam ex ea prouincia reportauerat Arrius: vt non dubitet Plinius omnibus illum anteponere, qui ante ipſum aut poſt ipſum Aſiam rexerant. Hinc cognoſcimus cur dicatur Pius à Capitolino, *ſolus in ſuo proconſulatu auum viciſſe.* ſimilis apud Claudianum Probi liberorum laudatio, quod ſoli patrem viciſſent. *Sed nati vicère patrem, ſolique merentur Victores audire Probi.* Inuenio & tertium Arrium Antoninum, Aſiæ itidem proconſulem, virum longè clariſſimum: qui principe Commodo occiſus ſcelere Cleandri, tantam imperatori inuidiam apud vulgus & omnes bonos concitauit, vt eam ferre Commodus cum non poſſet, Cleandrum plebi ad pœnam donauerit. Hiſtoriam habes apud Lampridium. Hic videtur eſſe de quo Tertulianus ad Scapulam: *Arrius Antoninus in Aſia cum perſequeretur inſtãter, omnes illius ciuitatis Chriſtiani ante tribunalia eius ſe manu facta obtulerunt: cum ille paucis duci iuſſis, reliquis ait,* Ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Omnino aut ad illum de quo Lampridius, aut illum de quo Plinius locum Tertuliani debes referre. nam vir ille præcelſæ dignitatis qui in Annalibus eccleſiaſticis ad Pij proconſulatum hæc refert, ſine dubio ſententiam mutabit, cum animum aduerterit. quare enim veteri eum & obſoleto nomine Arrium Antoninum potius quàm Pium dixiſſet Tertullianus? ita moris eſt, etiam cum de rebus ante ſuſceptum imperium geſtis ſcriptores loquuntur: & ita Marcianus I.C tus. cuius verba modò recitauimus. Iam quod Plinij epiſtolas ad Arrium Antoninum ſcriptas idem vir illuſtriſſimus Pio miſſas putat: id verò temporum ratio manifeſtiſſimè reuincit. Nam Arrius ille cui Plinius ſcribebat, ſenex tum capularis erat, duobus conſulatibus, & proconſulatu illo Aſiæ multos ante annos functus, otio pridem redditus. ſcriptæ autem ſunt epiſtolæ illæ à Plinio, ſub primos Traiani annos: qua tempeſtate conſtat Pium, vix ex ephebis egreſſum, primos adoleſcentiæ annos attigiſſe.

31. *Sacerdos femina Trallis.*] Scribe, *Trallibus.* aut certè *Tralli.* Τράλλις enim aut Τράλλεις ſemper hæc vrbs dicitur. ſed melius eſt, *Trallibus.*

33. *Aue imperator.*] eadem ſalutatio à populo Ro. facta, etſi aliud co-

gitante, omen Traiano fuit imperij: vt in Panegyrico narrat Plinius.

35. *Cornibus ramis arboris accrescentibus, appensus est.*] cùm esset in viridario taurus marmoreus positus, arbor proxima teneros ramos primum submisit tauri cornibus: deinde cum paulatim crescerent, & cornua & ipsum tandem taurum sustulerunt: vt videretur sic appẽsus cornibus, tanquam aliquod donarium studio & industria dedicantium ibi positum. digna plane res admiratione, & quæ merito sit habita prodigij loco. Sequax enim crescentium surculorum natura, rebus obstantibus cedere solet, non reluctari: vt in operibus topiariis, trichilisque & vlmeis pergulis licet videre. Hic verò insueta & extraordinaria naturæ molitione opus.

36. *Et fulgur cælo sereno sine noxa in eius domum venit.*] Fulgur etiam pro fulmine posuerunt, vt docebamus ad Suetoniũ libro secundo. nam illam è nubibus subitæ lucis eruptionem nihil nocuisse, nihil mirum.

37. *Dolia quæ defossa fuerant.*] in horreis dolia defodere moris erat: quod è scriptoribus rei rusticæ, poetis & iurisconsultis notissimum.

Pag. 26. vers. 1. *Eius statuas in omni Hetruria examen apum repleuit.*] examen apum συμβολικῶς populorum multitudinem denotabat. quare hoc portentum futiles augures sic interpretati sunt, quasi omnes gentes in fidem Arrij Antonini, qui postea Pius, se deditura esset. Eâdem ratione scribit Artemidorus de iisdem apibus: ἐπικαθεζόμεναι δὲ τῇ κεφαλῇ τοῦ ἰδόντος, στρατηγεῖν καὶ δημιουργεῖν ἐπιχειροῦσι ἀγαθαί.

2. *Se penitus eius Hadriani simulacrum inserere.*] Corruptissima lectio, etiam in veteribus. legendum censeo, *Et somnio sæpe monitus est, penatibus suis Hadr. sim. ins.* non longè discedimus à lectione edita. sententia verò optima, & vt arbitror certissima. Filij apud Romanos patres mortuos loco numinum colebant: vt ad Suet. obseruamus. Quare Pius cum iuberetur Hadrianum inter penates suos referre, in spem inducebatur & adoptionis & imperij. Hæc certissima sunt.

8. *Sententiam s. ostendens.*] Græcum est, γνώμην ἀποφαίνων.

11. *Eò Arrius Antoninus, soceri vestigia leuans, venit.*] Alij genitorem aiunt fuisse, non socerum. *vestigia leuare*, venustè, pro ingredientem subleuare manu, & ὑποβαστάζειν. Aurelius Victor à doctissimo viro Andrea Schotto editus, seruauit idem verbum. *Hadrianus*, inquit, *Aelio Cæsare mortuo, cum ipse animo parum valeret, idcircóque despectui haberetur, ad creandum Cæsarem patres conuocat: quibus propere accurrentibus, forte Antoninum conspexit, senis soceri aut genitoris anxios gressus leuantem manu. Quo mire oblectatus, adoptatum legibus Cæsarem iubet.*

24. *Factusque est patri & in imperio proconsulari, & in tribunitia potestate collega.*] Inter principatus titulos & proconsulatus fuit, & tribunitia potestas. Exemplum iam inde ab Augusto: estque apud Dionem vtriusque dignitatis origo diligenter exposita. Græci proconsulare imperium modò τὴν ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον nominant, modò τὴν τῶν ὑπάτων

ἐξου-

ἐξουσίαν. Cedrenus, τὴν ἀνθυπάτων ἀξίαν. Sæpe autem mirari ſubiit, quod cum vterque titulus, & tribunitiæ poteſtatis, & proconſularis imperij omnibus æquè imperatoribus competierit: non omnes tamen æque vſurparint. nam tribunitiæ poteſtatis titulum imperatorum nemo poſt Auguſtum prætermiſit: quare tam in hiſtoriis quàm in nummis & veteribus ſaxis frequentiſſimã eius dignitatis haberi mentionem omnes ſciunt. proconſularis verò imperij, & hiſtorici in rebus geſtis multorum imperatorum, qui Auguſtum ſunt ſecuti, non meminerunt, aut rariſſimè: & alia eorundem principum monumenta penitus eum titulum ſilent. In veteribus quidem inſcriptionibus ſex tantum, niſi fallor, inuenias, qui proconſules nominentur: Seuerum, filium eius Caracallam, Macrinum, Antoninum Heliogabalum, Alexandrum Mammææ, & Aurelianum. Hi paſſim in veteribus ſaxis PROCONSVLES, vel ITERVM PROCONSVLES vocantur: cæteri, quod meminerim nuſquam. fuiſſe tamen & aliis omnibus non minus quàm iſtis, proconſulatus honorem delatum, certiſſimũ eſt. Atq; hoc in ſingulorũ ferme principum vitis diligentius ab iſtis ſcriptoribus videas adnotatum, quam ab aliis hiſtoriæ Auguſtæ conditoribus fuerit factum. Quid igitur fuerit, cur alij imperatores dici proconſules præclarum duxerint, alij eum titulum inſuperhabuerint quaſi faſtidientes, vt maieſtate ſua minorem, velim eius rei cauſſam inquirant ſtudioſi rerum antiquarum, & nos doceant.

25. *Quaſi parum neſcio quid ſuis largiens.*] Suetonius de Tiberio ab Auguſto adoptato: *nec quiſquam poſtea pro patre familias egit: aut ius quod adoptione amiſerat, ex vlla parte retinuit: nam neque donauit, neque manumiſit.* aliis verbis de Marco idem Capitolinus: *Erat haud ſecus rei ſuæ quam in priuata domo parcus ac diligẽs, pro inſtituto patris volens agere, dicere, cogitare.*

28. *Congiarium militibus ac pop.*] Sequitur non longè, *Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit*, ſiue eadem eſt liberalitas, ſiue alia, mirum eſt cur maluerit hanc hiſtoriam ſeparatis locis ponere, quàm vnà & ſemel.

32. *Medium prouincialibus reddidit.*] Nouè, *medium*, pro alicuius rei dimidio. neque enim quicquam mutandum. Sic *media pars* in Marco, pro dimidia parte: & ſæpius in iſtis auctoribus.

34. *Reliquias eius Romam peruexit ſanctè & reuerenter.*] exemplo Tiberij & Caligulæ: de quibus Suetonius libro II. capite C. & IIII. cap. XIII.

35. *Atque in hortis Domitiæ collocauit.*] Hortorum Domitiæ meminit Victor in regione vrbis XIV. & Vopiſcus in Aureliano. *Collocare* hîc caue accipias pro condere aut ſepelire: id enim ſignificat quod Græcis προθεῖναι de mortuis: cum eos lugendos laudandoſque in veſtibulo domus exponebant. Nam ſimiliter Hadriani reliquiæ n his hortis ſunt expoſitæ, vt illas pop. Ro. inſpiceret ac veneraretur, priuſquàm in ſe-

pulcrum siue Hadriani molem inferrentur.

36. *Vxorem Faustinam Augustam appellari à senatu permisit.*] Numisma antiquum, FAVSTINA AVGVSTA. LAETITIA S. C. & in alio, FAVSTINA AVG. ANTONINI AVG. PII. P. P. CONCORDIA.

Pag. 27. vers. 3. *Aliis honoribus refutatis.*] *Refutare* etiam apud Ciceronem sæpe pro ἀποτρέπεσθαι & ἐκβάλλειν, vt vertit rectè auctor Glossarum. & ita apud Vopiscum in Probo. hîc mollius, pro non admittere, παραιτεῖσθαι.

ib. *Clypeum Hadriano magnific.*] Genus honoris frequens & notum. vide Pollionem in Claudio.

6. *Fuitque ea constantia, vt sept.*] appellat constantiam τὴν εὐθυμίαν Pij, & animum bonæ spei plenum: qui illud non metueret, ne præsides prouinciarũ capti imperãdi consuetudine longi adeo temporis, res nouas molirentur. difficillimum est enim, vt æquo animo sub legibus viuant, assueti diuturnis imperiis. lege Suetonium libro primo, capite xxx. & quæ ibi olim notauimus. neque enim hunc locum ceperunt, qui aliter legerunt. vt Robertus Bonon. qui scribit, *fuitque ea custodia.*

7. *Per legatos suos plurima bella gessit.*] Pausanias in Arcadicis: Antoninus prior, inquit, vltro quidem bellum nemini vnquam intulit: lacessitus verò hostes valide repulit, & res magnas gessit. deinde subiicit eruditus ille scriptor præcipua rerum huius Pij. Aurelius Victor qui contraria his videtur scribere, cautè accipiendus, & ex Capitolino & Pausania exponendus: nam Dioneæ historiæ pars hæc ante annos fere octingentos periit.

8. *Nam & Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit.*] Eumenius rhetor panegyrico, quem Constantio Cæsari dixit: *Fronto Romanæ eloquentiæ non secundum sed alterum decus. cum belli in Britannia confecti laudem Antonino principi daret, quamuis ille in ipso vrbis palatio residens gerendi eius mandasset auspicium: veluti longæ nauis gubernaculis præsidentem, totius velificationis & cursus gloriam meruisse testatus est.* Brigantas populum Britanniæ magnis cladibus à Pio fuisse affectum testis Pausanias. in nummis tamen non Briganticus, sed BRITANNICVS appellatur.

9. *Alio muro cespititio submotis barbaris ducto.*] Falsus est Iohannes Liuineius qui pro *alio*, correxit *alto*. nam ita Capitolinus loquitur respiciens priorem illum murum, qui ab Hadriano fuerat exstructus.

10. *Et Mauros ad pacem postulandam coegit.*] Pausanias, qui fere solus belli huius memoriam nobis conseruauit, de pace nihil: sed hoc solum, fugatos Mauros, & in vltimum Africæ angulum, vbi mons Atlas, fuisse compulsos. belli difficultatem ex eius verbis cognoscimus: πολέμου ἄρξαντας Μαύρους Λιβύων τῶν αὐτονόμων τὴν μεγίστην μοῖραν, νομάδας τε ὄντας, καὶ τοσῷδε ἔτι δυσμαχωτέρους τοῦ Σκυθικοῦ γένους ὅσῳ μὴ ἐπὶ ἁμαξῶν, ἐπὶ ἵππων δὲ αὐτοί τε καὶ αἱ γυναῖκες ἠλῶντο· τούτους ἐξ ἁπάσης ἐλαύνων τῆς χώρας ἐς τὰ ἔσχατα ἠνάγκασεν ἀναφυγεῖν

Λι-

Λιβύης, ἐπὶ τὸ Ἄτλαντα τὸ ὄρος, ἢ ἐς τοὺς πρὸς τῷ Ἄτλαντι ἀνθρώπους.

13. *Rebelliones repreßit.* τοὺς ἀποστατοῦντας. accipio enim vt in epiſtola Fauſtinæ ad Marcum, *hortor, vt ſi amas liberos tuos iſtos rebelliones acerrimè proſequaris.* Vopiſcus in Probo, *Carthaginem à rebellionibus vindicauit.* ſimili forma, *literio* apud Marcellinum, & *tocullio* apud Marcum Tullium.

17. *Contra procuratores ſuos conquerentes.*] *contra*, non eſt ἐκ τοῦ ἐναντίου, vt ſæpe ſumitur, pro è contrario. ſed *conqueri contra aliquem* dixit, pro de aliquo.

19. *Dicens etiam ipſum Hadrianum hoc fuiſſe facturum.*] ſi conualuiſſet, & à furore fuiſſet liberatus. Refero enim ad narrationem memorabilem quæ Lampridio narratur in Alagabalo: *ex eo emollitam Hadriani inſaniam ferunt, per quam multos ſenatores occidi iuſſerat: quibus ſeruatis Antoninus Pij nomen meruit, quod eos pòſt ad Senatum adduxit, quos omnes iuſſu principis interfectos credebant.* refertur & ab Aurelio Victore in extremo Hadriano. Iſtis igitur δευτεροπότμοις ſenatoribus à ſe in ſenatum adductis, petiit Pius indulgentias: vt conceſſo poſtliminij iure in ſuas quiſque domos & priſtinas dignitates reſtituerentur: nam qui ſententiam capitis paſſi ſemel fuiſſent, & pro mortuis habiti, his παλιγγενεσίας δίκαια erant neceſſaria.

21. *Vnde plus creuit, recuſantibus aulicis min.*] mala diſtinctio optimam ſententiam corrumpit. Nam ſcribendum, *Imperatorium faſtigium ad ſummam ciuilitatem deduxit, vnde plus creuit: recuſantibus aulicis miniſtris, qui* &c. quo ciuiliorem ſe, inquit, exhibebat Pius, eò plus illi reuerentiæ præſtabatur. *aulici miniſtri* ſunt fumorum venditores, de quibus poſtea. *recuſare* καινοπρεπέστερον pro indignari. & ferre aliquid impatienter.

24. *Quantum quum priuatus eſſet deferri ſibi ab alio principe optauit.* Metius Falconius Nicomachus in ea oratione quã habuit in ſenatu poſtquam Tacitus factus eſſet imperator: *Omnia ſeria, cuncta grauia, & quaſi ipſa reſpublica iubeat, auguranda ſunt: ſcit enim qualem ſibi principem ſemper optauerit: nec poteſt aliud nobis exhibere, quàm quod ipſe deſiderauit & voluit.*

28. *Quæ à ſenatu conſecrata eſt.*] Multi nummi teſtantur: vt hic, DIVA. FAVSTINA. PIA. SIDERIBVS. RECEPTA. S. C.

29. *Et flaminicis.*] Extat vetus inſcriptio hæc.

SAENIAE. CN. FIL.
BALBILLAE
SACERDOTI DIVAE
FAVSTINAE DECVRI
ONES. AERE. COLLA
TO. OB. MERITA. EIVS.

31. *Vt imago eius cunctis Circenſibus poneretur.*] Notum honoris genus ex Suetonio, & iis quæ ad illum obſeruamus libro primo, cap. LXXVI.

35. *Neque de prouinciis, neque de vllis actibus.*] Regius hoc tantum, *Neque de vllis actibus.*

36. *Atque ex eorum sententia formas composuit.*] Principum constitutiones, formas vocarunt. Vlpianus libro quarto ad Edictum: *Et repeto ante formam à Diuo Marco datam, Diuum Pium rescripsisse.* & passim in Pãdectis ac Codice.

37. *Visus est sane ab amicis & cum priuatis vestibus.*] Poterat intelligi de toga communi, quæ nihil differret à toga senatoria, aut cuiuscumque etiam è ciuibus Romanis. Verum quia sequitur, *& domestica quædam gerens*, sic accipiendum, vt Pius ne togatus quidem domi ab amicis fuerit visus: sed solum tunicatus, aut, si forte, propter frigus pænulatus. priuatæ vestes igitur sunt, qualibus domi homines priuati vtebantur: qui profectò indumenta forensia domi sumebant nunquam. Alij principes non videbantur saltem Romæ, nisi togati: vt in Hadriano dictũ est. Pij tamen exemplum secutus filius Marcus: quem sæpe miratus sum, cur hanc consuetudinem à Rustico potius, quàm à patre Pio se scribat accepisse. nam ait libro primo, παρὰ Ῥουστίκου τὸ μὴ ἐν στολῇ κατ' οἶκον περιπατεῖν, μηδὲ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν.

Pag. 28. vers. 2. *Vt omnia & omnes, quasi sua essent, curaret.*] Scribe cum Roberto Bonon. *vt omnes & omnia.* Illud *quasi sua essent:* videtur ei contrarium, quod de Hadriano alibi scriptum, sæpe illum in senatu dixisse, *Ita se Remp. gesturum, vt sciret populi rem esse non propriam.* non est tamen: quin potius ita hæc duo inuicem iuncta sibi cohærent: vt alterum sine altero alicui principi inesse non queat: ambo verò si reperiantur in aliquo, perfectam boni principis ideam mortalium oculis sint exhibitura.

3 *Prouinciæ sub eo cunctæ floruerunt.*] Aurelius Victor prudenter & vere de hoc Pio, *plane docuit*, ait, *eo demum fortunatas vrbes fore, si regna sapientiæ*: alludens dictum Platonis.

5. *Ita vt vnus tantum proscriberetur,*] atqui plures fuerunt sub Pio affectatæ tyrannidis rei: in his ille Celsus, de quo Faustina in epistola ad Marcum.

6. *Hoc est Attilius Tatianus, s.*] Alij libri, *Titianus.* regius, *hoc est Tatianus.* periit pridem hæc omnis historia apud Dionem: neque est vnde iacturam sarcias. ea est bonorum librorum penuria. Priscianum quoque, qui statim nominatur, inuenio nusquam: nisi est Cornelius Priscianus, cuius meminit Marcellus lege III. De his quæ in test. delentur.

13. *Balneum quo vsus fuisset sine mercede populo exhibuit.*] Reg. *Balneum, quo vsus esset, mercedem populo exhibuit.* erit eadem sententia, si legas, *Balnei*, pro *Balneum.* probo tamen quod est editum. hoc vult: Pium lauisse publicè, siue in publicis balneis, vt de Hadriano dictum: sed ad balineas suo sumtu paratas & calefactas, postquam ipse exiisset, populum gratis admisisse.

14. Nec

14. *Nec omnino quicquam de vitæ priuatæ qualitate mutauit.*] in Hadriano, *omnia denique ad priuati hominis modum fecit.*

16. *Nihil esse sordidius imo crudelius.*] Quæri poteſt, quàm bene vox *ſordidius* hîc conueniat: eſt enim magnificentiæ propius quàm ſordibus, multos paſcere: quod ante omnia cauiſſe Hadrianum ſuperiore libro dictum. Alexandri verò Seueri, aurea vox eſt: *malum pupillum eſſe imperatorem, qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios, nec reip. vtiles paſceret.* illud verò eiuſdem principis plane diuinum dictum: *Nefas eſt, vt diſpenſator publicus in delectationes ſuas & ſuorum conuertat id quod prouinciales dederint.*

17. *Ii arroderent.*] Regius, *is arroderet*, &, *conferret.*

18. *Vnde etiam Meſomedi lyrico ſalarium imminuit.*] Lyricus poeta fuit, natione Cretenſis, magnæ temporibus illis famæ. Euſebius in Chronico, Μεσομήδης ὁ Κρὴς κιθαρῳδικῶν νόμων μουσικὸς ποιητὴς γνωρίζεται. Salarium, quod illi Pius imminuit, Hadrianus inſtituerat: cuius delitias Antinoum Meſomedes celebrauerat. plura de hoc Suidas.

19. *Rationes omnium prouincialium apprimè ſciuit, & vectigalium.*] Reg. vocem *omnium* non agnoſcit: quam non male Petrus Faber vir & probitate & eruditione ſummus, mutandã cenſebat in *onerum.* Prima editio, *Rationes prouinciarum.* rectè. ſed poſſumus & vulgatã ferre. *omnium prouincialium* dixerit, pro omnium redituum & commodorum quæ ex prouinciis ad Remp. peruenire ſolent. referendum autem hoc ad imperij rationarium, de quo ſupra ad Hadrianum.

20. *Patrimonum priuatum in filiam contulit*] Non dicit vtrum donatione inter viuos, an mortis causâ facta. infra de Pio ſuprema ordinante ſcribit: *Priuatum patrimonium filiæ reliquit.* Sed videtur etiam antè priuata ſua bona filiæ Fauſtinæ vtenda fruenda conceſſiſſe. vnde eſt, quod in villa Lanuuina & Commodus & Geta illi naſcuntur, vt ante diximus.

21. *Sed fructus reip. donauit.*] Videbatur magis rationi conſentaneum, vt contrarium fieret: fructus, inquam, filiæ donaret: proprietatem verò Reipublicæ. Sic Ambroſius cum ordinatus eſt, prædia quæ habebat, reſeruato vſufructu germanæ ſuæ, donauit eccleſiæ, vt ſcribit Paulinus. Fauſtina ſanè quid ex iis prædiis, quorum vſusfructus ad Remp. pertineret, commodi potuerit percipere, præter aliquam fortaſſe oblectationem, non video.

ib. *Species imperatorias ſuperfluas & p.*] Vide ad Marcum.

22. *Vixit variè ac pro temporibus.*] an tẽpora Reip. dicit? an tẽpora anni? nam pro tempore anni, aliter atq; aliter diem diſponebant, & totam vitæ rationem mutabant. Lege Plinij epiſtolas xxxvj. & xl. libri noni.

23. *Nec vllas expeditiones obiit, niſi quod ad agros profectus eſt ad Camp.*] Profectiones principis ab Vrbe, appellat Capitolinus *expeditiones,* hoc militia palatina eſt στρατείας: reſpiciens ad eam quæ dicebatur militia Palatina. Tertullia-

P

nus De corona militis vocat militiam regiarum familiarum: & docet idem coronas quæ Cæſarianis dari ſolitæ, fuiſſe *caſtrenſes* appellatas: quia videlicet imperatoris comitatum & aulam vocabant *caſtra* & στρατόπεδον. Syneſius epiſtola LXXVI. de eo qui Conſtantinopolim ad imperatorem venerat: κατ' δέ τινα χρείαν ἐπὶ στρατοπέδου γενόμενος. ſic accipe τὸ θεῖον στρατόπεδον epiſtola cx. ſed de his alibi.

26. *Propterea ſederet.*] Reg.*reſideret.*

ib. *Vt vndique nuntios medius, vt pote citius, poſſet accipere.*] Ampliſſimus vir, Petrus Faber, immortale illud Toloſatum, imo Galliæ totius ornamentum, locum hunc, demtis aliquot vocibus, ita cenſebat ſcribendum, *vt vndique nuntios, melius poſſet accipere.* cui optimo & doctiſſimo viro libenter aſſentiremur, niſi repugnaret quantum eſt librorum. Seruata igitur edita lectione, mutata ſolùm diſtinctione, ita ſcribimus. *Vt vndique nuntios, (medius vt pote) citius poſſet accipere.* appellat medium, qui in medio imperio ſedeat: regia videlicet vrbe, & capite imperij, Roma: quam vndique longè latéque diffuſæ prouinciæ in orbem cingebant. Similis ſententia apud Ariſtidem in Romæ panegyrico. Pro *accipere*, regius & Politiani præferunt *anticipare.* fortaſſe pro *acceptare.*

30. *Opera eius extant Romæ.*] Diſtingue, *Opera eius hæc extant. Romæ, &c.*

31. *Græcoſtadium.*] Græcoſtaſis dicitur aliis.

34. *Phari reſtitutio, Caietæ portus.*] Malim vno ſpiritu hæc legere, *Phari reſtitutio Cai. p.* vt non diuerſa opera duo denotentur, ſed vnicum. Phari tempore Plinij duo tantum videtur fuiſſe in Italia, Puteolis & Rauennæ. poſtea plures ſunt factæ. vulgatam ſcripturam quæ diuerſa facit hæc opera, accipiebamus de pharo quæ in Oſtienſi portu. Forma erat pharorum, qualis ſpectatur in antiquis nummis pyrarum figura, quæ ad conſecrationem imperatorum exſtrui in campo Martio ſolitæ. auctor Herodianus in quarta hiſtoria.

ib. *Tarracinenſis portus reſtitutio.*] Caietano & Tarracinenſi poterat adiicere Puteolanum, ſiue coloniæ Flauiæ. quem à Pio fuiſſe ornatum nouis munitionibus pilarum vice, teſtatur hodieq; veteris inſcriptionis fragmentum.

35. *Lauacrum Oſtienſe.*] Reg.*lauatorium Oſt.* vox ſequioris ſeculi lecta nobis & alibi.

36. *Templa Lanuuiana.*] Regius, *Lauiniana*: ita paſſim vbique Lauinium & Lanuuium inuicem permutantur. in eo codice locus ita concipitur: *templa Lauiniana multa. Sed &c.*

Pag. 29. verſ.3. *Primus conſtituit ne pœnæ cauſſa legatum relictum maneret.*] Qui pro *maneret* corrigunt *valeret*, errant, nec locutionibus iuriſconſultorum aures habent ſatis tritas. Pœnæ nomine inutiliter legari diſcimus ex legibus multis quà Digeſtorum, quà Codicis: ſed quod hîc obſeruat Capitolinus, primum fuiſſe Pium, qui hoc ius ſanciret, neque in Digeſtis, opinor, neque in Codice, neque alibi vſquam legas. In regio

gio codice ita offendimus ſcriptum hunc locum: *Primus conſtituit vt opera vel noua facerent, vel vetera reſtaurarent: nec pœn.* temerè, vt arbitror, repetitis aliquot verbis è præcedenti paullo ante periodo. alioquin ita ſcribendum cenſerem, *vt prætores opera v.* Solebant prætores maximis ſumtibus ludos edere, vt ſe populo commendarent: horum ſumtuum pars ad Vrbis ornatum fuerit hac ſanctione tranſlata. Simile eſt, quod de Auguſto narrat Suetonius capite xxxix.

4. *Niſi Orphito præfecto vrbi.*] Videtur eſſe L. Cornelius Scipio Orphitus, qui ſub Pio conſul fuit. eiuſdem gentis alter fuit Orphitus, Marco principe conſul cum Rufo, qui Orphitiano S. Cto. nomen dedit.

5. *Gauius Maximus.*] Vetus lapis, C. GAVIVS. C. F. STRABO. MAXIMVS. COS.

9. *Famoſa voce percuſſus eſt.*] Non probo Regiam & Politiani lectionem, *famoſe percuſſus eſt.* Sic apud M. Tullium *percutere cogitatione.* Lucifer Caralitanus, *ne nos percuteret ſententia Iſaiæ.* idem, *ne nos percuteret domini increpatio.*

14. *Per ærarij ſui damna.*] κυελολογία. nam *damnum* eſt δαπάνη. at *ærarium* pro fiſco principis, ἀκύρως.

16. *Terræ motus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt.*] Regius, *Corinthiorum.* Dio ſuadeat *Cyzicenorum.* ſed pars maxima librorum ſtat ab edita lectione. Robertus Bon. vt in regio.

22. *Et vno partu mulieris quinque pueri editi ſunt.*] Ego ſuſpicor hîc commiſſum eſſe anachroniſmum, & lapſum memoria Capitolinum. nam videtur Sarapias intelligi, quæ vno fœtu quinque enixa liberos, miſſa eſt Alexandria ad Hadrianum, non autem ad Pium. Hiſtoriam referunt nobiles iuriſperiti tres, Paulus, Gaius & Iulianus. Magis in hoc genere mirandum eſt, quod apud Euſtathium memini legere. narrat ille paullo ante memoriam ſuam factum, vt illuſtris cuiuſdam viri vxor vno partu pueros nouem ederet: quorum ſeptem cum mater ſubmergendos miſiſſet, eos pater, caſu interueniens, ſeruauit iam pene fluitantes. Gephyros inde eſſe appellatos, à loco vbi fuerant, niſi adfuiſſet θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, perituri. extabat & temporibus Euſtathij familia Gephyrorum: qui etiam ſcribit ætate ſua πεντιδύμους fuiſſe natos. quod cum ſæpiſſimè factum ſit olim, & nunc quoque fiat interdum, res adeo mira videri non debet.

27. *Pharaſmanes rex.*] Hiberorum. vide ad Hadrianum.

28. *Pacorum regem Ladis dedit.*] Scribe, *Lazis.* huius populi nomen, variè corruptum in Latinis codicibus, ex Græcis ſcriptoribus vbique ſic reſtituendum. Nuperæ Ptolemæi tabulæ *Zalas* perperam nominant: in Græco exemplari rectè Λάζαι: quanquam alij Λάζους potius dicunt. gens Scythica, quæ Colchorum ditionem inſedit: quare Λαζικὴν & Κολχικὴν de eadem regione leges apud recentiores Græcorum ſcriptores:

eſt tamen diſcrimen magnum, vt docebimus alibi, faciente Chriſto, accuratè. etiam hodie inter populos Mengreliæ, quæ eſt veterum Colchis, aut vicinos, Lazos legimus. Non primus autem Romanorum imperatorum Pius Regem Lazis dedit: nam & Hadrianus Malaſſam regem illis impoſuerat, vt auctor eſt Arrianus in epiſtola geographica ad Hadrianum.

30. *Abgarum regem ex orientis partibus ſola authoritate deduxit.*] Familiare nomen regulis Orientis Abgarus, vel vt plures Græcorum ſcribunt Αὔγαρος. minus rectè alij libri *Abagarus.* Quis autem iſte fuerit de quo loquitur Capitolinus, amiſſa hiſtoria quam tangit cum cæteris Pij rebus, ignotum eſt. Fere qui leguntur Abgari, Edeſſæ toparchæ fuerunt: quorum multa in eccleſiaſtica præſertim hiſtoria, habetur mentio, & apud Epiphanium alioſque patres. Sed & Perſidis rex quidam Abgarus Spartiano nuncupatur in Seuero.

ib. *Sola authoritate.*] Hinc illa ſunt Victoris iunioris: *orbem terræ nullo bello per annos viginti tres auctoritate ſola rexit.*

31. *Cauſſas regales terminauit,*] Victor idem, *adeo trementibus eum atque amantibus cunctis regibus, nationibuſque & populis, vt parentem ſeu patronum magis quam dominum imperatorémve reputarent: omneſque vno ore in cœleſtium morem propitium optantes, de controuerſiis inter ſe iudicem poſcerent.* Quod ambitioſè ait Victor de cunctis regibus: verius interpreteris tu de regulis aliquot Orientis populorum: qui ſuos illa tempeſtate reges habuerunt: ſed fere ex imperatoris Ro. ordinatione: vt Albani, Hiberi, Zydritæ, Lazi, Apſilæ, Abaſgi, Sanigæ, alij.

32. *Sellā regiam Parthorum.*] promiſſam ab Hadriano, vt ſcribit Spart.

33. *Rimethalcen in regnum Boſporanum.*] Varie deprauatum hoc nomen in regio & aliis. etiam Græci reges illorum tractuum plures appellant Ῥυμιτάλκας, ſiue Ῥοιμητάλκας: nam vtroque modo ſcriptum aut ſculptum offendimus. vtrumque ex veteri conſuetudine: ſic Rœcus Heſychio, Rycus Suidæ ille rex dicitur, qui dedit prouerbio originem. Ῥοίκου κριθοπομπία, vel Ῥύκου.

34. *Audito inter ipſum & curatorē negotio.*] Reg. *& . . . . . negotio.* Scrib. *& procuratorem.* nam videntur capite ſuo truncaſſe hanc vocem, qui ſcripturam ἐξίτηλον non aſſequebantur. Scio tamen & curatores Cæſaris Calliſtrato iuriſconſulto dictos eius procuratores.

35. *Olbiopolitis contra Tauroſcythas in Pontum auxilia miſit.*] Olbiopolitæ Græci erant aut certè Græcis mixti: Tauroſcythæ barbari, vel Scythæ, vel Gotthi, ſiue Getæ: à quibus etiam Boryſthenem ciuitatem fuiſſe habitatam auctor eſt Dio Chryſoſtomus, qui omnia illa loca luſtrauerat. Ptolemæo Olbia & Boryſthenes ſiue Βορυσθενὶς duo ſunt vnius oppidi nomina: aliter quàm tradit Plinius. Lege Dionis ſermonem τὸν Βορυσθενιτικόν.

Pag. 30. verſ. 2. *Malle ſe vnum ciuem ſeruare.*] hinc ille tantus honos ciui-

ciuicæ præ ceteris coronis.

4. *Antonianum.*] Scrib. *Antoninianum.*

9. *Apollonium quem Chalcide acciuerat.*] Scripti, *à Chalcide*, vt paullo poſt. in antiquis editionibus & regio, hæc vrbs ſemper *Calchis* dicitur, non *Chalcis*: quem Ioniſmum cauſſæ nihil eſt cur hîc probemus. Plures fuerunt eadem tempeſtate Apollonij. hic Syrus fuit è Chalcide vrbe, cuius præter geographos ſæpe Ioſephus meminit: profeſſione Stoicus, vt in Marco ſcribitur, & in Euſebij Chronico: vbi rectè *Chalcidicus* nuncupatur: perperam in Marci vita, *Chalcedonius*. olim in Euſebianos codices idem error irrepſerat: quod non ſolum è Mariano Scoto, ſed etiam è Georgio Monacho cognoſcimus, qui illius verba ſic refert: Μάξιμος Τύριος, Ἀπολλώνιος στωϊκὸς χαλκηδόνιος, Βασιλείδης Σκυθοπολίτης, οὗτοι διδάσκαλοι Οὐηρισσίμου. ſic habet vetuſtiſſimus regiæ bibliothecæ liber: ſed ſcribendum illi fuerat χαλκιδηνός: ita enim Chalcidis Syriacæ τὸ ἐθνικὸν formarunt, vt obſeruant veteres magiſtri. Quare ita vbique reſcribe, etiam apud Eutropium, & Græcum eius interpretem. Dio Caſſius inter philoſophos quibus operã Marcus nauauit, recẽſet Ἀπολλώνιον τὸν Νικομηδέα. qui nó eſt alius ab iſto: ſed errat optimus ille ſcriptor, vel eius breuiator, in aſſignanda eius patria, vt ex iis quæ dicta ſunt paret: niſi tamen ſcripſerat Dio καὶ Νικομήδη. nã in Marci educatoribus fuit & Nicomedes quidam, cuius meminit Capitolinus. verum aliud Νικομήδης eſt, aliud Νικομηδεύς. Sit ne hic ille quem Epiphanius in diatriba de Bardeſianiſtis appellat Ἀντωνίνου ἑταῖρον, aut ille cuius meminit Hieronymus inter ſcriptores Eccleſiæ, nolim affirmare: qui ſciam eodem fere tempore ſex, aut eo plures, vixiſſe Apollonios, eruditionis laude claros: quorum mentio habetur apud Philoſtratum, Lucianum, Dionem, Spartianum, Capitolinum, & alios. Ego ſane falli puto eos qui Apollonium illum de cuius martyrio Euſebius & Hieronymus loquuntur, hunc ſtoicum Chalcidenum fuiſſe arbitrantur.

ib. *Ad Tiberianam domum.*] in Vero Antonino, *educatus eſt in domo Tiberiana*. alibi dicitur Tiberiana ἁπλῶς. meminit Victor in regione Vrbis nona, & in Vitellio Suetonius.

12. *Riſit eum.*] ſed & morem geſſit inſipienti ſapientiæ magiſtro: ad quem itaſſe Marcum iuuenem cur dubitemus, cum etiam *aſcitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij diſcendi cauſſa veniret?* auctor Capitolinus.

14. *Cuius auaritiam etiam mercedibus notauit.*] Scripti codices, *in mercedibus*. diuerſa nonnihil ſententia: quam & vulgata non incommodam continet. Propter hæc verba dubito ſintne de hoc Apollonio accipienda, quæ ſcribit Marcus imperator libri primi initio. quid enim illis tantis virtutibus magis contrarium quàm hæc μικρολογία, & ſordeis?

16. *Vocareturque ab aulicis min.*] Regius, *& vetaretur*, ſed non admittunt ſequentia. Scribe cum Ioſepho Scaligero, *reuocareturque*: nam

principium dictionis periit ob verbi præcedentis finem. Nos ſcribebamus, *iocareturq.* παθητικῶς vt alibi. Vopiſcus in Floriano. *in quos multa epigrammata ſcripta, queis iocati ſunt aruſpices imperium pollicentes*, δι' ὧν ἐσκώφθησαν.

19. *Præfectos ſuos & l. & ornamentis conſularibus donauit.*] Non ſolos prætorij præfectos intelligit: ſed & alios, qui à Pio vel prouinciis imponebãtur vel in aliis publicæ rei ſtationibus collocabãtur. Hos à benigniſſimo principe cõſularibus ornamẽtis fuiſſe ornatos, non eſt mirum: cum etiam procuratoribus ſuis ducenariis eadem Claudius ſæpe conceſſerit.

23. *Ad indulgentias proniſsimus fuit.*] Politiani codex, *indulgentiam.* potes referre ſiue ad reliquorum indulgentias, ſiue ad condemnationum. etſi non defuerunt magni principes, qui ab vtroque hoc genere indulgentiarum cenſerent ſibi abſtinendum. Lampridius de Alexandro, *Condemnationes & raras eſſe iuſsit: & quæ factæ fuerant non indulſit.* Marcellinus de Iuliano, libro XVI. *id eum aduſque imperij finem & vitæ ſcimus vtiliter obſeruaſſe, ne per indulgentias quas appellant, tributariæ rei concederet reliqua.* & cauſſam adiicit ſanè grauem.

24. *Et crocutas & ſtrepſicerotas, & crocodilos.*] Minimum hîc adiuuimus ſcriptam lectionem regiarum & Italicarum membranarum: quæ vulgatam ſcripturam, *& crocotas, & tigrides, & rhinocerotas & crocod.* conſentientibus ſuffragiis refutant. ſcriptum in illis, *crocotaras terbicerontes, crocod.* ſcribendum, *corocotas, ſtrepſicerotas, croc.* de vtroq; genere horum animalium conſule Plinium: qui inter Aſiaticorum ſtrepſicerotas & Afrorum addaces diſcrimen ſtatuit nullum. nos in alio opere multa de his notamus. Corocotas ante Seuerum Romæ viſas negat Dio: ſed ita, vt pudori ſuo conſulat: addit enim, ὅσα καὶ ἐγὼ ἐπίσταμαι. Vulgata lectio quæ tigridum nomen bis inculcat, ſatis ſe reuincit ipſa per ſe.

25. *Ex toto orbe t.*] Scripti, *ex omni or. t.*

28. *Non aliter vſus eſt quàm priuatus.*] καινοπρεπής, pro, quàm vt priuatus.

29. *Quia & ipſi.*] Non diſpliceat, *qui & ipſi.* ſed & *quia* probamus. Eſt vero καινοπρεπὴς oratio, *& ipſi nunquam cum libertis ſuis*: pro, neque ipſi neque liberti ſui. Sic in eadem ſententia iunguntur Dioni imperatoris amici & Cæſariani liberti. Locus eſt in Hadr. vita: οὐ μέντοι οὔτε ἐξύβρισέ τις τῶν φίλων οὔτε ἀπέδοτό τι, οὐδ' ὧν ἔλεγεν, οὐδ' ὧν ἔπραττεν. οἷα οἵ τε Καισάρειοι καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ τοὺς αὐτοκράτορας ἔχοντες ποιεῖν εἰώθασι. planiſſime ex his Dionis verbis intelligimus, quid ſit *per fumum aliquid vendere*, vt hîc loquitur Capitolinus. ſed χαριεστάτην hominis fumos vendentis deſcriptionem petas licet è Lampridij Alexandro. alibi dicuntur iſti in his libris, *dicta factáque principis fumis vendere*: vel *fumum de principe vendere.* Attici ſcurræ genus iſtud hominum non καπνοπώλας aut καπνολόγους, ſed καπνοὺς appellarunt, vt ad ſextum

tum

indulgentias pronissimus

fumos vendere

tum Athenæi dicebamus.

32. *Vindemias priuati modo cum amicis agebat.*] Feſtum οἰνωμάτων ſoliti etiam Imperatores cum amicis rure agitare. plura de hoc Lampridius in Heliogabalo. conſtat vel ex epiſtolis Plinij & B. Cypriani, necnon ex Ambroſij ſermonibus, etiam viros graues tempore vindemiarum in agros ſecedere ſolitos, &cum amicis ſuauiſſimè iocundari.

33. *Rhetoribus & philoſophis per omnes prouincias & honores & ſalaria detulit.*] Extat veſtigium conſtitutionis huius in libris iuris hodieque, tam in lege ſexta Digeſtorum, De excuſationibus tutorum: quam in lege quarta Cod. De profeſſoribus & med.

34. *Orationes plerique alienas eſſe dixerunt quæ ſub eius nomine feruntur.*] Ferebantur olim multorum principum orationes, quas vel ipſi in ſenatu recitauerant, vel ad ſenatum miſerant, quoties ius aliquod nouum introducere, aut vetus inſtaurare vellent. Hæ ſunt orationes quarum toties in Pandectis & Codice vtroque fit mentio. Tales erant iſtæ diui Pij: quas ait Capitolinus putaſſe quoſdam eſſe alienas: hoc eſt, ingenio magiſtri epiſtolarum vel ſcriniorum formatas. Impp. Dioclet. & Maximianus A A. & C C. *Oratione diui Pij liberalium ſtudiorum profeſſores, non etiam calculatores continentur.*

Pag.31. verſ.1. *Quum ſibi & filiis honores peteret.*] Filiis quidem diuerſos honores petiit: ſibi quem peteret, vnus fuit conſulatus. petiit autem hunc geſſitque ter, ex quo factus eſt imperator: cum antè ſemel fuiſſet Cos.

2. *Omnia quaſi priuatus fecit.*] Lege Plinij panegyricum, vbi de Traiano idem.

5. *Domum Omuli viſens.*] in ſaxorum inſcriptionibus ſemper eſt *Omollus*. in Plinij epiſtolis ſæpe nominatur Titius Homulus orator inter primos ſui temporis. at hic eſt C. Valerius Omollus Verianus, homo conſularis & prudens: vt colligas ex hoc dicto, & item alio quod refert Lampridius in Seuero: an ſatis probus & ſimplex, iure dubites ex Marci vita.

7. *Cum in domum alienam veneris, & mutus & ſurdus eſto.*] Vetus dictum eſt Græci ſapientis, Μηδὲν διαφέρῃ ἢ τοὺς πόδας ἢ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν εἰσιέναι.

9. *Vinidio Vero.*] is eſt quem libro quarto & quinto Digeſtorum, Vlpianus Vindium nominat: Voluſius quoque Mæcianus libro xxxv. titulo ſecundo.

10. *Saluio Valente.*] Vlpianus libro VII. De officio proconſulis: *Hiſdem criminibus quibus quis liberatus eſt, non debet præſes pati eundem accuſari; & ita Diuus Pius Saluio Valenti reſcripſit.* refertur in titulo De accuſat. alibi niſi fallor, nulla in toto iure iſtius mentio. Voluſius Metianus, vel, vt alij ſcribunt, Mæcianus, (Græci quoque Μαικιανὸς) itemque Vlpius Marcellus, & Iauolenus, ex fragmentis ſcriptorum ſuorum, no-

tiſſimi ſunt.

12. *Intra vrbes ſepeliri mortuos vetuit.*] Mortuos intra vrbem neque Romani ſepeliebant, neque Athenienſes, neque alij populi quam plurimi: quare illorum cauſſa nihil opus hac Pij lege. Sed erant quibus in ciuitate ſepelire iura municipalia permitterent, vt ſignificat Vlpianus: & de Lacedæmoniis ſcimus ex Plutarcho. Præterea videntur multi gliſcente iam Chriſtianiſmo, veterem ſuperſtitionem quæ intra vrbes mortuos vetabat recipere, paulatim exuiſſe & contemſiſſe. Ad hæc igitur duo genera hominum lege hac opus fuit: quam tamen ante Pium Hadrianus quoque tulerat. Lege titulum De ſepulcro violato.

13. *Sumtum muneribus gladiatoribus inſtituit.*] Malim *ſtatuit*, vel *conſtituit*: nam hoc vult: impoſitum eſſe modum ſumtibus numerum gladiatoriorum: quod apparet ex ſimili in vita Marci loco: *Gladiatoria ſpectacula* omnifariam temperauit. & mox, *Gladiatorij muneris ſumtus modum fecit.*

ib. *Vehicularium curſum.*] expoſuimus ad Hadrianum.

15. *Et per edicta rationem reddidit.*] ſimilium edictorum exemplum apud Suetonium in Auguſto, cap. XXVIII. & Claudio cap. XVI.

16. *Periit anno ſeptuageſimo.*] Falſiſſimum: nec difficile eſt rationem inire. cum de natali Pij ex ipſo Capitolino conſtet. Nam ſi à duodecimo Domitiani conſulatu ad annum deſcendas quo exceſſit Pius, & Marcus imperium ſuſcepit, quatuor & ſeptuaginta annos inuenies. Eutropius tres & LXX. numerat: licet aliter legerit Pæanius. Aurelius verò Victor ab eruditiſſimo Schotto editus, mortuum ſcribit poſt annum vitæ quintum & ſeptuageſimum. Menſem ac diem veſtigat accuratiſſimus Onuphrius: quem tu Lector vide. Faciunt enim rem incertam pugnantes veterum ſententiæ. Theophilus imperaſſe ſcribit annos XXII. menſes ſeptem, dies ſex. Victor alter annos XXIII. vixiſſe autem, LXXII. Euſebius in membranis regnaſſe annis XXII. menſibus tribus. omitto alios.

17. *Cum Alpinum caſeum.*] Caſeus Alpinus, quem Alpes mittunt: Plinius libro XI. cap. XLII. *Duobus Alpeis generibus caſeorum pabula ſua approbant: Dalmaticæ Docleatem mittunt: Centronicæ Vatuſicum.* Sed ſcribunt heic membranæ, *Tranſalpinum:* Plinius ibidem: *Laus caſeo Romæ, è prouinciis Nemauſienſi præcipua.*

18. *Atque alia die.*] τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ. *alia* pro altera, vt ſæpe Plautus.

21. *Fortunamque auream quæ in cubiculo principum poni ſ.*] eadem in Marco. hoc ſimulacrum velut pignus imperatoriæ maieſtatis fuit: ideo Fortuna regia nominatur in Seuero. De imaginibus cubicularibus non inutilia monebamus ad Suetonij Auguſtum, cap. VII.

22. *Signũ tribuno Aequanimitatis dedit.*] Erit mens auctoris magis perſpicua, ſi ſcribas & hic & in vita Marci, AEQVANIMITAS. Pro teſſera modò plura, modò pauciora verba dabant: ſæpe vnicam vocem. omnium

omnium exempla apud Suetonium, quæ nota ſtudioſis, vel noſcenda. Hic vero datur à Pio ſignum verbo, AEQVANIMITAS: vt ab impuro Caio, qui tribuno ſignum petenti ſolitus PRIAPVM, aut VENEREM dare. ita accipiendus hic & ſimilis in Marco alius locus. Nam vir magnus qui aliter interpretatur, more humano labitur. Soliti autem imperatores etiam cum ægroti iacerent, atque adeo morti etiam proximi, ſignum dare. Dio de Marco animã prope iam agente, τῷ χιλιάρχῳ τὸ σύνθημα αἰτοῦντι ἔφη, Ἄπελθε πρὸς τὸν ἀνατέλλοντα· ἐγὼ γὰρ ἤδη δύομαι.

23. *Spiritum reddidit apud Lorium.*] Reſtituimus diſtinctionem rectam, quæ erat in omnibus libris corrupta. de Lorio ſiue Laurio villa iam dictum. Quod ait Capitolinus, Pium conuerſum quaſi dormiret, ſpiritum reddidiſſe, idem ex Quadrato Dio, τὴν τελευτὴν ἡδίστην αὐτῷ καὶ ἴσου ὕπνῳ τῷ μαλακωτάτῳ γενέσθαι.

29. *Tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciabatur.*] Petitum ab arte medicinæ exemplum: nam in medicorum libris tabularum huiuſmodi multiplex docetur vſus. Parens artis Hippocrates vocare ſolet νάρθηκας, παρβμάσματα & ὑποστηρείγματα. vtebantur & feminæ ad cœlanda corporis vitia. meminit vetus comicus Alexis, & κοντοὺς appellat comicè. Vulgo hodie feminæ ſurrigendo corpori non tiliaceas tabellas, ſed ferulas è balenæ coſta, aut ebeno, aut alia materia non prædura neque rigida pectori apponunt.

30. *Senex etiam antequam ſalutatores venirent, panem ſ.*] Etſi non damno vulgatam lectionẽ huius loci: præfero tamen quam olim in ſuis exemplaribus Victor inuenit: quæ caput huius periodi facit caudam præcedentis. Quare ſcribe *vt rectus incederet etiam ſenex. Antequam ſalut.* &c. Verba poſterioris Victoris, qui vt ſæpe diximus, pleraque ex iſtis auctoribus πρὸς ἔπος deſcripſit, ſunt hæc. *Priuſquam ſalutandus prodiret, deguſtans panis aliquantulum, ne frigeſcente circum præcordia per ieiunia ſanguine, viribus exeſis, interciperetur, eóque actuum publicorum laboribus minimè ſufficeret.* idem, vt vides, cum Capitolino dicit Victor: ſed fecisse hoc Pium ſenem, hoc verò non dicit Victor. obſeruat & Dio Marci ſimilem conſuetudinem: ſed in ætate adhuc conſtante, aut non adeo certe ſenis. De patre Pio ſcribit Marcus libro ſexto, tanta victus tenuitate illum vſum, vt à mane ad veſperam loco eodem poſſet durare, ſine vlla aluum leuandi aut veſicam, niſi ſtatis horis, neceſſitate. καὶ οἷος, inquit, μένειν ἐν τῷ αὐτῷ μέχρι ἑσπέρας, διὰ τὴν λιτὴν δίαιταν, μηδὲ τοῦ ἀποκρίνειν τὰ περιττώματα παρὰ τὴν συνήθη ὥραν χρῄζων. ſic legi debet ille locus, atque exponi.

31. *Fuit voce rauca & ſo.*] Regius, *Fuit vocis raucæ & ſonoræ cum iucunditate.*

33. *Cum omnes eius pietatem, clementiam, ingenium, ſanctimoniam laudarent.*] Et harum & cæterarum virtutum teſtimonium Pio exhibent, velut vna voce, omnes antiqui ſcriptores: vt videatur non temere pronuntiaſſe Victor alter, *haud dubie ſine exemplo illum vixiſſe.* multa de

eius laudibus magna quidem,ſed quæ non dubito eſſe vera, Marcus filius patris ſimillimus, in ſexto commentariorum quos de ſe ipſo fecit. Scribit Pauſanias,propter ſummã pietatem & reuerentiam erga numẽ Pij nomen eum inueniſſe : poſſe verò eundem & COMMVNEM PARENTEM ob beneficia omnibus populis præſtita,iure nuncupari, vt olim Cyrum priorẽ. τοῦτον Εὐσεβῆ τὸν βασιλέα ἐκάλεσαν οἱ Ῥωμαῖοι, διότι ἐς τὸ θεῖον τιμῇ μάλιστα ἐφαίνετο χρώμενος. δόξῃ δὲ ἐμῇ καὶ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ Κύρου φέροιτο ἂν τοῦ πρεσβυτέρου, ΠΑΤΗΡ ΑΝΘΡΩΠΩΝ καλούμενος. Videtur Pauſanias ignoraſſe Pium decreto ſenatus PATREM PATRIÆ fuiſſe appellatũ.ita certè loquitur quaſi neſciret pridem fuiſſe à ſenatu decretum, quod ipſe decernendum inſinuat. quî tamen potuerit illi eſſe incognita res adeo publica,non intelligo.

24. *Decreti etiam ſunt.*] Regius, *Additi etiam ſunt.*

37. *Soluſque omnium prope principum p.*] Eximia, ſed heu! rara etiam bonorum principum laus : fuiſſe eorum imperium ἀναίμακτον: qua de re vide ad Alexandrum Seuerum.

Pag.32. verſ.1. *Quantum ad ſeipſum pertinet.*] Vel *ſe*, vel *ipſum* puto παρέλκειν, ex gloſſa natum.

ISAACI CASAVBONI
IN IVLII CAPITOLINI MARCVM ANTONINVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.] Omnes libri veteres hanc ἐπιγραφὴν agnoſcunt: cui ſimilis illa in Dionis & Zonaræ codicibus, ΜΑΡΚΟΣ ἈΝΤΩΝΙΝΟΣ Ο ΦΙΛΟΣΟΦΟΣ. Nos tamen non dubitamus, recentiorum criticorum inuentum eſſe, vt inter imperatoris huius titulos PHILOSOPHI appellatio locum habeat. Omnes antiquæ hiſtoriæ hoc cognomen ignorant: omnes ſaxorum inſcriptiones: omnes nummi, qui extant etiam hodie quam plurimi. & meritò: cur enim eo nomine optimum & minime ambitioſum principem afficerent, quod neque ille viuus, quæ fuit ipſius moderatio, agnouiſſet: neque illi vnquam, vel viuo vel mortuo, neque à Senatu, neque à populo fuit delatum? Non negamus ſapientiſſimum principem iam inde à puero per omnem vitam philoſophantem, à multis antiquis ſcriptoribus philoſophum legi appellatum: ſed ἐπιθέτως, non ἐπωνύμως, & ſic plane, vt Iulium Cæſarem virum fortem, Auguſtum felicem, Caligulam inſanum ſæpe dicimus: cognomen verò PHILOSOPHI ſic Marco fuiſſe vnquam datum, vt Traiano OPTIMI, Tito Aurelio PII, id nos eſſe verum negamus & pernegamus. Quare enim verum cenſeam, quod Dio, Capitolinus, Victores ambo, Euſebius, Hieronymus, & ne ſingulos nominem, omnes hiſtorici veteres dum ſilent falſum eſſe clamant? Neſciuerunt homines imperiti diſcrimen facere inter cognomina principum & epitheta, quæ honoris aut probri cauſſa, illis tribuuntur. Legas apud Iuſtinum in Nouella CVIII. ὁ φιλόσοφος ἐν βασιλεῦσι Μάρκος. videtur Marco cognomen dare Philoſophi: minimè verò: ſed ita philoſophum appellat, vt cum de eodem ſcribit in Nouella XXII. ὁ φιλοσοφώτατος ἡμῖν ἐκεῖνος Μάρκος. hoc eſt, *philoſophiæ pleniſſimus*, vt in Latina quadam conſtitutione legimus. Ita accipe apud Iuſtinum Martyrem, in ipſa Apologiæ fronte, quam ad Pium miſit,

vbi ſunt hæc verba: καὶ Οὐηελοσίμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ φιλοσόφῳ. Si quis probare hinc aggrediatur inter Marci cognomina hoc quoq; fuiſſe: reſpódebimus, tam verum hoc in Marco, quam in eius fratre Lucio. nam & hunc Iuſtinus pariter vocat philoſophum. Idem dicemus de Athenagora, cuius grauiſſima ad ipſum Marcum pro Chriſtianis Legatio ſic inſcribitur: Αὐτοκράτορσιν Μάρκῳ Αὐρηλίῳ, ἢ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ, Ἀρμενιακοῖς, Σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον φιλοσόφοις. ambos nominat philoſophos Marcum & Commodum: non ſanè quomodo Armeniacos aut Sarmaticos: quæ cognomina ſenatus detulerat ambobus: ſed ad maiorem honorificentiam, ex proprio affectu, & Marci ſapientiæ admiratione. non aliter debent accipi verba Philoſtrati in Philiſco ſophiſta, Ἀντωνῖνος δὲ ἦν αὐτοκράτωρ, ὁ τοῦ φιλοσόφου παῖς. Quare ferenda non eſt imperitorum hominum temeritas, qui populi Ro. imperatorem nouo & olim inaudito cognomine donarunt. Neque adeo multi videntur eſſe anni cum inualuit hic error: nam ex tot Chronicis quæ vigente priorum ſeculorum barbarie, hominibus illiteratiſſimis amor rerum veterum expreſſit, pauca melioris notæ inuenias, quæ in vita Marci titulum hunc agnoſcant: ne Robertus quidem à Porta aliter quam Marcum Antonium, (voluit dicere Antoninum: ſed hic barbari ſeculi alter eſt error, multis communis:) hunc nominat. Videtur aliquis ſciolus ante hos ducentos circiter annos cum Xiphilini Epitomam deſcriberet, in titulo vitæ Marci de ſuo vocem illam adiecisse: quam vocem omnes poſtea Græci Latinique librarij temere, vt homines imperiti, & omnis eruditionis expertes, retinuerunt. Sic etiam librorum Marci ἐπιγραφὴν eruditiſſimus interpres cenſuit corrigendam: & tamen vir optimus vltro etiam παραδιόρθωσιν hanc ſuam lectoribus non dubitat imputare. Simillimum eſt & quod apud Georgium Monachum obſeruabamus: nam cum ille Philoſophi cognomen non magis Marco tribuat, quam Euſebius: in ora tamen eius libri hæc verba inuenimus adnotata: Μάρκος Αὐρήλιος ὁ φιλόσοφος: ſed manu ita recente, vt vix annorum quinquaginta vetuſtatem ſcriptura præferat: cum exemplar regium ante annos minimum quingentos ſit deſcriptum.

12. MARCO ANTONINO, *in omni vita philoſophanti viro.*] Pene ad verbum neſcio quis ſcriptor apud Suidam, Μάρκος ὁ καὶ Ἀντωνῖνος βασιλεὺς Ῥωμαίων, ὁ ἐπαινετὸς κατὰ πάντα φιλόσοφος.

14. *Pater Annius Verus, qui in prætura deceſſit.*] Propterea pius in fratrem filius, cum omnes eos recenſens à quibus virtutem didicerat, patrem in eo albo ponere non poſſet, ita ſcripſit ſtatim initio: παρὰ τῆς δόξης καὶ μνήμης τῆς περὶ τοῦ γεννήσαντος, τὸ αἰδῆμον καὶ ἀρρενικόν: vbi ſine dubio Annium Verum patrem ſuum intelligit: paullo poſt verò illa commemorans, quæ à patre ſuo fuerat doctus, de Pio loquitur, non de patre Vero.

16. *Auus Annius Verus, iterum conſul, & præfectus Vrbi.*] Dioni non ite-

iterum,sed terfuit consul τρὶς non δὶς: & tribunum militum,non Vrbi præfectum:nisi apud Xiphilinum πολιαρχήσαντος scribendum, pro χιλιαρχήσαντος.

20 *Mater Domitia Caluilla.*] quæ & Lucilla etiam dicta. paullo post: *cum Lucillam matrem Marci vidisset.* Spartianus in Iuliano, *Educatus est apud Domitiam Lucillam matrem Marci imperatoris.*

21. *Proauus pater.*] *Paternus.*

ib. *Ex Succubitano municipio ex Hispania.*] Scrib. *municipio Hispaniæ.* *nam* παρέλκει τὸ *ex*, neque est in Regio.

24. *Rupilij Boni consularis f.*] obscurus homo & nomine & cognomine. videtur fuisse consul suffectus: aut fortasse ne id quidem, sed ornamentis consularibus ornatus.

26. *Auo suo iterum & Augure Coss.*] Hadriani anno IV. Coss. fuerunt Annius Verus II. & Augur.

ib. *Cuius familia in originem recurrens, à Numa P.*] Breuius, sed clarius Eutropius: *cum eius origo paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege penderet.*

28. *A rege Salentino.*] qui Salentinorum siue Iapygiæ rex erat.

ib. *Malennio Dasummi filio.*] à quo manauit Dasumiorum appellatio inter Romanas gentes: quos alioquin obscurissimos nobilitat senatusconsultum Dasumianum: cuius fit aliquoties mentio in titulo Pandectarum De fideicommissariis libertatibus. Extat & lapis Romæ, Q. DASVMIO IANVARIO positus. in alio nominatur DASVMIA THAIS ancilla: quæ in alter veteri inscriptione BASVMIA corrupta voce dicitur.

29. *Qui Lupias condidit.*] Reg. *Lopias.* Straboni libro VI. in περιηγήσει Salentinorum, Λουπίαι.

ib. *In eo loco in quo natus est, & in domo aui f.*] Regius de duobus locis vnum facit: *in quo natus, in domo a. f.* Omnia hæc in regione Vrbis secunda, siue Cœlimontio.

33. *Principio aui sui nomen habuit, & Catilij S.*] Dio in Hadriano, οὗτος ὁ Ἀντωνῖνος Μάρκος, ὁ Κατίλιος πρότερον ὀνομαζόμενος. Cautè accipe vocem *principio.* nam principio quidem, hoc est, lustrico die, appellatus est M. Annius Verus: postea verò adoptatus à proauo materno, L. Catilio Seuero, dici cepit L. Catilius L. F. Annius Seuerus. *principio* igitur interpretare, quando primum in Aureliam gentem venit. Auus & proauus materni quorum hîc meminit, nomen & cognomẽ idem ambo habuerũt.

34. *Ab Hadriano Annius Verißimus vocatus est.*] Antè dicebatur *Annius Verus.* Hadrianus iussit dici *Annium Verißimum.* quare? πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ῥήματος ἔννοιαν, inquit Dio. hoc est, quod esset veritatis amantissimus, tenacissimus. Magnum rectæ indolis argumentum, & animi vere generosi, amor veritatis, odium falsi. Nullum vitium æque ac mendacium seruilis ingenij est indicium. Quare Hebræi non temere, sed ex

ipſa rerum natura ſumſerunt, vt dicerent *mentiri alicui* pro adulari & κολακικῶς ſe ſubmittere. Marcum iuuenem nominant Veriſſimum Iuſtinus, Euſebius, Georgius Monachus, & Lampridius quoque: vt mirer valde eruditiſſimum Vrſinum hunc locum ſuis emendationibus iuiſſe corruptum.

35. *Poſt virilem autem togam Annius Verus.*] Rediit igitur ad illud nomen quod principio habuerat, ſicuti modò diximus. Sed in regio exẽplari & Politiani, verba illa ſunt omiſſa, *Annius Verus.* ſententiâ diuerſâ: quam tamen non putamus veram.

Pag. 33. verſ. 4. *Muſico Androne.*] Marcus imperator initio operis ſui nominans eos qui primi ipſum ſtudiis philoſophiæ imbuerant, Tandaſidem quendam nominat: quod nomen cum videatur nobis mendam continere, videndum an non is ipſe ſit, qui Andron heic appellatur. Sic ille, καὶ τὸ ἀκοῦσαι πρῶτον μὲν Βακχίου, εἶτα Ταυδάσιδος, καὶ Μαρκιανοῦ. certa me iudice deprauatio: emendatio verò non item.

6. *Vſus præterea grammaticis, Græco Alexandro.*] Marcus, Παρὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ γραμματικοῦ τὸ ἀνεπίπληκτον.

7. *Troſio Apro.*] Prima editio diſtinguit inter has voces, quaſi eſſent duorum nomina: quod non puto. Membranæ, *Croſio Apro.*

ib *Et Eutychio Proculo Siccenſi.*] Regius & Polit. corruptiſſimè. *Cutitilio Protheo: Succeßiuè orat.* probo editam lectionem. Sicca vrbs Africæ notiſſima: vbi poſtea fuiſſe inſtitutum epiſcopatum, ſcimus ex hiſtoria eccleſiaſtica. Videtur hic Proculus ille eſſe, qui *ſui temporis doctißimus grammaticus* Pollioni dicitur in Aemiliano tyranno. In vita Commodi legimus Iulium Proculum ab illa peſte occiſum: quod an debeamus de hoc capere, neſcio: nam qui affirmare non verentur audaculi ſunt, qui omnia ſciunt, etiam quæ ſciri non poſſunt. Illum quoque Proculum Chriſtianum, cuius meminit Tertulianus libro aduerſus Scapulã, perperam cum hoc confundi cenſeo: item illum ad quem reſcripſiſſe Marcum & Verum ex Pandectis cognoſcimus.

8. *Annio Marco.*] Fuit temporibns Hadriani Marcus quidam orator & ſophiſta vehemens, ipſi Hadriano admodum probatus, vti narrat Philoſtratus. ſed de illo agi hîc non puto: & omnino alius hic eſt ab illo de quo ille βιογράφος. Prima editio, *Aninio Macro*: ſcripti quidam, *Annio Macro.* Ipſe quidem inter diſciplinarum auctores à quibus fuerat iuuenis informatus, Marcianum quendam nominat, Marcum aut Macrum nullum.

9. *Caninio Celere.*] hic & inter Lucij præceptores infra nominatur.

ib. *Et Herode Attico.*] Recte ita emendarunt viri docti monſtra primæ editionis, & membranarum. in vita Veri, ſic iungitur cum Caninio Celere vt hoc loco. Dio nominat Claudium Herodem. in veteri lapide, TI. CLAVDIVS ATTICVS HERODES. & hic & Cornelius Fronto ex illa quamviui obtinuerunt nominis celebritate, etiam tironibus

nibus hodieq; noti ſunt. ſed in Græcis codicibus φόρτων pro φρόντων conſtanti errore ſæpe offendent tirones.

10. *Sed multum ex his Frontoni detulit.*] quem quidem etiam conſulem fecit: ſed ordinario ſuffectum in duos menſes, vt ſcribit Auſonius in Gratiarum actione. Fronto ipſe in epiſtola ad Marcum: *Mihi ſatis abundéque honorum eſt, quos mihi cotidianò tribuis.* extant apud Soſipatrum Chariſium.

12. *Honoribus in ſe receptis.*] Hæc ſcriptura omnium: quam euertit palam quod ſequitur, *& quidem adhuc puer.* Scribe igitur ſine dubitatione vlla cum ſummo viro Hadriano Turnebo, ſic, *Proculum verò vſque ad proconſulatum* (vel potius *conſulatum*) *prouexit, oneribus in ſe receptis. Phil.* mos principum fuit tenuiorum inopiam ſubleuare, cum illis magiſtratus mandarent, vt ad vitam Hadriani dicebamus. ad verbum hoc ita Dio, de Alexandro loquens qui ſecundum ipſi conſulatum detulerat. τὸ, τι ἀνάλωμα τὸ τῆς ἀρχῆς αὐτὸς ἀναλώσειν ὑπεδέξατο. Etiam alio loco paullo poſt, *honoribus*, pro *oneribus* ſuppoſuerunt.

14. *Habitum philoſophi aſſumſit.*] pallium nempe Græcanicum, ſine tunica, cum totius corporis illuuie. Lege Dionis Chryſoſtomi orationem περὶ τοῦ σχήματος, & Tertullianum De pallio. Hic communis habitus omnium philoſophantium, quo ſeparabãtur à cæteris. Fuere & propriæ ſingularum ſectarum notæ, propria geſtamina. Induebantur more philoſophico & principum liberi, dum in eo ſtudio verſarentur: vt hic Marcus & de Iuliano notat Marcellinus.

15. *Et humi cubaret.*] χαμευνία ſiue humicubatio olim conſueta omnibus qui vitam delicatiorem aſpernarentur. vel enim ſuper duro ſilice, aut nudo ſolo dormiebant: vel ſtoream aut pſiathum, aut pelliculas ſubſternebant. Ab iſtis cum accepiſſent Chriſtiani aſcetæ morem & æmulationem τοῦ σκληροκοιτεῖν, mirificis poſtea inuentiunculis ipſi aſperitatem huius σκληραγωγίας intenderunt. De quibus omnibus fusè egimus in noſtro De veterum lectis & ſtragula veſte commentario.

16. *Vix autem matre agente.*] Scribebam, *vrgente.* ſed nihil muto. nam & agere poſuerunt pro impellere, auctor eſſe, vel iubere. Alij *ſatis agere* eodem ſenſu. Lucifer pro Athanaſio libro ſecundo: *ſi te hæretico ſatis agente damnarem innocentem, tecum eſſem futurus in gehennam.* Fauſtina autem filio Marco, non luxuriæ magiſtra, ſed vitæ tenuiter ac ſobriè inſtituendæ. Nam ait filius doctum ſe à matre τὸ λιτὸν κατὰ τὴν δίαιταν, καὶ πόῤῥω τῆς πλουσιακῆς ἀγωγῆς. Propterea vir ille diuinus, neque ſatis vnquam vel cognitus vel laudatus, alio loco diis gratias agit, quod cum lege fatorum matri ipſius cita mors immineret, poſtremos ſaltem annos vnâ cum ipſa egerit, vel potius illa ſecum: ſic enim ait. παρὰ τῶν θεῶν τὸ μέλλουσαν νέαν τελευτᾶν τὴν τεκοῦσαν, ὅμως οἰκῆσαι μετ᾽ ἐμοῦ τὰ τελευταῖα ἔτη.

ib. *Inſtrato pellibus lectulo accubaret.*] Marcus de ſe libro primo, παρὰ Διογνήτου, τὸ σκίμποδος καὶ δορᾶς ἐπιθυμῆσαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐχόμενα.

cubare proprie de cubilaribus lectis: *accubare* de tricliniaribus, quæ & & accurbita dicuntur, & accubationes. dicitur & de lucubratoriis lectulis, de quibus multa notamus ad Suetonium: neque dubium, de iis hîc esse accipiendum.

17. *Vsus est etiam Commodo magistro c.*] Esset obscurum de quo sentiat: nisi sequeretur, *cuius affinitas ei fuerat destinata.* quæ ostendunt Lucium Ceionium Commodum Cæsarem intelligi, qui fuerat ab Hadriano adoptatus. huius affinitatem fuisse Marco destinatam, non semel dicit Capitolinus.

18. *Apollonio Chalcedonio.*] Membranæ, *Calcedonico.* Scribendum verò, *Chalcideno*, vt ad Pium probauimus.

20. *Ad domum Apollonij discendi caussa veniret.*] Etiam ad Sexti domum discendi caussa ventitasse iam imperatorem Marcum, Dio narrat, & Philostratus in Herode. inde enim petita historia, quam Suidæ ferunt acceptam etiam docti viri.

21. *Audiuit & Sextum Chæronensem.*] Marcus Sextum nominat tantum: Philostratus Σέξτον τὸν ἐκ Βοιωτίας φιλόσοφον: Suidas etiam Plutarchi nepotem, cum Capitolino. Putauimus aliquando hunc esse philosophum illum Pyrrhonium, cuius extant hodieque aduersus dogmaticos acutissima scripta. sed qui nullum satis firmum argumentum huius sententiæ adhuc inuenerimus, sententiam mutare proni sumus. Sane in Græco qui penes nos est, codice, nusquam aliter quàm Σέξτος ὁ ἐμπειρικὸς, auctor ille nominatur. Adde quod ille empiricus, nullius dogmatis approbator, nedum auctor, omnium fuit euersor. Sextus hic Marci præceptor, non ea solùm quæ priores sciuerant sapientes, nota habuit exactè: sed ipse etiam nonnullorum scitorum fuit auctor, & primus inuentor. Nam de eo scribit Marcus, doctum se ab illo, τὸ καταληπτικῶς καὶ ὁδῷ ἐξευρετικόν τε καὶ τακτικὸν τῶν εἰς βίον ἀναγκαίων δογμάτων. non est igitur hic ille δογματομάχος. & falluntur qui confundunt.

22. *Iunium Rusticum.*] non prætermittit Marcus libro primo. Idem Marcus cum fratre in quodam rescripto, cuius extat fragmentum lege prima De appellationibus: *cum ad Iunium Rusticum amicum nostrum præfectum Vrbi prouocares.* Miratus sum, quod legi in primo aureolorum Marci librorum: nam ille gratias superis agit, quod cum sæpe Rustico succensuisset, nunquam tamen illum, aut facto aut verbo læsisset, cuius postea se pœniteret.

23. *Claudium Maximum, & Cinnam Catullum.*] Et istorum meminit Marcus: sed solis cognominibus, παρὰ Κατούλου, & παρὰ Μαξίμου.

ib. *Peripateticæ verò studiosos.*] Membranæ, *studiosus.* ἐραστὴς ὤν. & ita scribendum necessario: nam peripateticum vnum nominat, Claudium Seuerum: in quo desinit enumeratio præceptorum Marci. posteà verò tanquam ἀπ᾽ ἄλλης ἀρχῆς de Iunio Rustico quædam adiicit. Quare post *Seuerum* maior distinctio ponenda.

28. Cui

28. *Cui etiam ante præfectos prætorio semper osculum dedit.*] Et quod osculo conuenientem excipit, magnum: & quod ante præfectos prætorij, maximum. ideo laudata Similis modestia, qui simile honoris genus ab Hadriano sibi delatum, sapienter non admisit, vt narrat Xiphilinus.

29. *Cui post obitum a senatu statuas postulauit.*] pro magno hoc tum censebatur. sic notat Dio Traianum Licinio Suræ mortuo, statuam posuisse.

32. *Sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus, semper honoraret.*] Regis & aliæ membranæ, *additis hostiis*. sensu non incommodo. Alij solebant defunctorum amicorũ sepulcra visere, & floribus ornare: Marcus etiam hostias adiiciebat. Sed vocem *aditu*, possumus tueri, loco Plinij non dissimilis sententiæ epistola septima libri tertij, vbi idem fere verbum. Ait enim de Silio Italico, *Vergilij natalem religiosius quam suum celebrabat. Neapoli maximè, vbi monimentum eius adire, vt templum solebat.* Pro *aditu*, legas vocabulum *accessu*, in Hispanica inscriptione; de cuius tamen fide dubitant viri eruditi; SI. MANES. POST. FATA. ALIQVID. SENTIVNT. DEMETVR. DOLOR. FREQVENTI. FILII. MEI. ACCESSV. AD. ME.

33. *Studuit & iuri.*] Aristides in Marci encomio: οὐκ εἰς ἑτέρους ὁρῶν ἑρμηνέας, οὕτω λαμβάνει τὸ δίκαιον. ἀλλ' αὐτὸς ἔχων ἐκ παιδείας τῶν ὡς ἀληθῶς καλῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ἐπιστήμην, τὴν ἀπὸ τῶν νόμων ἐμπειρίαν προσειληφώς.

ib. *Audiens L. Volusium Metianum.*] vel *Mæcianum*, vt ante monuimus. De hoc Marcus & Verus, in lege XVII. De iure patronatus: *Volusius Mæcianus amicus noster, & iuris ciuilus prater veterem & bene fundatam peritiam anxiè diligens.*

34. *Vt corpus afficeret.*] Explicat Dio, ἐκ τῆς πολλῆς ἀσχολίας τε καὶ ἀσκήσεως ἀσθενέστατον τὸ σῶμα ἔσχε.

37. *Amauitque ex condiscipulis præcipuos.*] Regius, *amauitque condiscipulos, præcipuè senatorij ord.*

ib. *Seium Fuscianum.*] Quæsiui hunc, neq; reperi vsquam. Seiũ Oceanum legere memini apud Iauolenum, cui auunculus Mallius Seneca. sed quid ad hunc locum? In vita Commodi Fuscianus quidam Lampridio nominatur secundum Cos: qui etiam Vrbi fuit præfectus, vt narratur in Pertinace qui illi successit. Fuerit hic fortasse Marci condiscipulus: nisi tamen ætas impediat. sed non vrget hoc incommodum.

Pag. 34. vers. I. *Et Aufidium Victorinum.*] Fuit hic bis consul & præfectus vrbi: is est ad quem Marci extant rescripta nonnulla. Membranæ, *Laufidium*. Scribo, *L. Aufidium*, etsi non nescio alios huic Marci non Lucij prænomen tribuere.

ib. *Bebium Longum.*] Scrib. *Bæbium*. vt semper apud auctores alios.

2. *Et Calenum.*] Regius; *Galienum*.

3. *Locupletatos teneret.*] in contubernio videlicet suo, aut aliâs in vsu vitæ priuatæ. Claudius imperator in oratione Lugduni habita: *ex qua*

colonia inter paucos, equestris ordinis ornamentum, L. *Vestinum familiarissime diligo, & hodieque in rebus meis detineo.* Plinius in epistolis, *illum ciuilibus officiis principis amicitia exemit.*

5. *Et qui ei honorem etiam publicè sexenni detulit.*] Membranæ hîc & veteres editiones insigniter corruptæ. præferunt enim, *& qui ei honorẽ & qui publicis exenniio tulit.* Viri docti variè emendarũt. Nobis quod editũ est, id placet: nam & vestigiis corruptæ lectionis insistit hæc correctio: & videtur is qui sic primus emendauit, suorum librorum fidem secutus. Quare ita scribamus, *qui ei honorem, & quidem sexenni detulit.* bona prorsus & conuenientissima sententia. De honoribus enim Marci dicturus auctor, iure ab illo orditur, qui sexenni est habitus ab Hadriano, & quidem publicè. Non dicit Capitolinus, quale id fuerit honoris genus: sed non est difficile aliquid diuinare, quod à vero non abhorreat. Nam videtur Hadrianus cum ludos spectaret, in suggestu suo aut cubiculo puerum Marcum collocasse: aut aliquem in orchestra honore insignem locum illi attribuisse: vel cum iter faceret in suo vehiculo eum aliquando habuisse: aliquid denique eorum illi tribuisse, quę solita in principibus iuuentutis, aut imperatorum liberis vsurpari. Firmat valide hanc emendationem, quod subiicitur de habito octenni Marco honore. ordine enim progreditur, hîc quidem. vtinam verò & in omni vita.

6. *Octauo ætatis anno in Saliorum collegium retulit.*] Soliti enim in hoc Martis sacerdotum collegium patricij iuuenes cooptari patrimi & matrimi. Fere autem nobilis iuuentus ad honores per sacerdotia adibat. Claudius in oratione Lugdunensi: *Vestini liberi fruantur, quæso, primo sacerdotiorum gradu: post modo cum annis promoturi dignitatis suæ incrementa.*

8. *Coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus.*] Salij die festo ancilia per vrbem gestabant apicati, & caput coronati: eam coronam mox conditis ancilibus, in puluinar coniiciebant, vbi Martis simulacrum. ita enim soliti iactu floris modò serti, modò soluti, suos deos honorare. Dionysius Halicarnasseus, qui libro secundo, habitum Saliorum accuratè describit, coronæ non meminit: vt pote solennis gestaminis, in sacris ferme omnibus & Græcorum & Romanorum.

10. *Fuit in eo sacerdotio & præsul & vates & magister.*] in voce *præsul* quæ sæpe Latinis generaliter omnem προεστῶτα notat, heic κυριολογία est: nam propriè *præsul* siue *præsultor* princeps saliorũ dicitur, ὁ ἐξάρχων τοῦ ὀρχεῖσθαι. *Vates* is erat in Saliorum collegio, ad quẽ pertinuit cura carminũ saliarium & axamentorum. *Magister*, commune nomen omnium προκρίτων cuiuscunque collegij sacerdotalis. nam quos Græci ἀρχιερέας, ἀρχιβάκχους, ἀρχιγάλλους aut similibus vocibus designant, Latini magistros sui ordinis nuncupant: & ἀρχιερωσύνην, *magisterium sacerdotij.* Suetonius in Caligula. & *magisterio fungi in collegio sacerdotum Mineruæ* apud eundem in Domitiano ἀρχιερατεύεσθαι ἐν τοῖς ἱερεῦσι τῆς Ἀθηνᾶς. Corrige Plutarchi codi-

Vates saliorum

codices in hac voce,& ſcribe in commentario De Iſide & Oſiride, τίνα μᾶλλον ἢ σὲ γιγνώσκειν ὦ Κλέα δὴ προσῆκόν ἐστιν, ἀρχέρειαν μὲν οὖσαν ἐν Δελφοῖς τῶν Θυάδων, τοῖς δὲ Ὀσιριακοῖς καθωσιωμένην ἱεροῖς ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρός. magiſtram Baccharum vocat Θυάδων ἀρχέρειαν.

12. *Quod ipſe carmina cuncta didiciſſet.*] Membranæ, *quo tempore carmina cunct.* quod facile ſit concinnare, niſi placeret vulgata.

16. *Et in conuiuiis.*] Regius, *in conuiuio.*

20. *Ne inferior eſſet ſoror marito.*] Numidio Quadrato. Natus ex hoc matrimonio Numidius Quadratus: de quo paullo poſt Capitolinus: *bonorum maternorum partem Numidio Quadrato ſororis filio, quia illa iam mortua erat, tradidit.*

21. *Fuit autem ea vitæ indulgentia, vt cogeretur nonnunquam vel in venationes pergere.*] Scio virum eruditione clariſſimum cenſuiſſe hæc verba eſſe corrupta: à cuius iudicio, etſi ægre, diſcedo tamen hoc loco. *Indulgentia vitæ* Capitolino dicitur, quæ Platoni εὐαρμοστία τῶν τρόπων, facilitas morum, per quam alienæ voluntati nos accommodamus, ſæpius quàm noſtræ. vitia huic virtuti contraria ſunt αὐθάδεια & ἰσχυρογνωμοσύνη, ſiue pertinacia: cum aliquis quod vult, vehementer vult, & ſic, vt dimoueri nõ poſſit. Rara laus in ea præſertim fortuna & ætate, qua fuit tum Marcus: potuiſſe illum ſuorum omnium voluntatibus ſe συσχηματίζειν, quaſi careret propria. Similis eſt in Græcorum martyrologiis laudatio Nicolai Cretenſis, adoleſcentis probiſſimi, qui in virũ mox euaſit maximũ. dicitur hic Theodoro monacho ita ſe ſubmiſiſſe, eiuſq; voluntati adeo per omnia obtẽperaſſe, καθάπερ ἄλλος ἀθέλητος ἄνθρωπος ὤν, τόγε εἰς αὐτὸν ἧκον, πόρρω καὶ μακρὰν τῶν οἰκείων θελημάτων γινόμενος· ἀλλὰ καὶ πρὸς τοὺς ἐφεξῆς μικρούς τε καὶ μεγάλους τὴν αὐτὴν εὐπείθειαν καὶ ὑπακοὴν πράως μετὰ τῆς τοῦ φρονήματος συστολῆς ἐπεδείκνυεν, οἷον τις ἄψυχος ἀνδριὰς ἐστηλωμένος τῷ θείῳ φόβῳ πρὸς ἅπαντας. quam vocat Capitolinus vitæ indulgentiam, Græcus ſcriptor, εὐπείθειαν καὶ ὑπακοήν. Pro illis, *in venationes pergere*, regius præfert, *venationem ſpatiari*. credo, pro *ſpectare*. malo quod editum: & refero ad veram venationem, non amphitheatralem, propter ſequentia: ne bis idem dicat.

23. *Operam præterea pingendo ſub Diogneto magiſtro dedit.*] Ego non dubito Diognetum hunc eſſe, à quo didiciſſe ait Marcus τὸ ἀκενόσπουδον, ne vana pro ſeriis amplecteretur, falſa pro veris: qui error omnibus ſeculis maximam humani generis partẽ occupauit: & ne facile iis crederet, quæ de diis homines γόητες & περιπνούμενοι fingere ſoliti. Nemini potius quã pictori huius πλάνης agnitio conueniebat. norat enim pleraque eorum quæ de diis vulgo crederentur, ad libidinem pictorum inuenta primo: ridicule poſtea fidem inueniſſe apud homines quà ſuperſtitioſos, quà veritatis incurioſos. Verè Ioſephus altero contra Appionem libro, de gentium πολυθεΐᾳ loquens. πολλὴς δέ, inquit, καὶ ζωγράφοι καὶ πλάσται, τῆς εἰς τοῦτο παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἀπήλαυσαν ἐξουσίας, αὐτὸς ἕκαστος τινὰ μορφὴν ἐπινοῶν, ὁ μὲν ἐκ πηλοῦ πλάττων, ὁ δὲ γράφων.

24. *Amauit pugilatum, luctamina, & cursum.*] An vt spectaculo pugilum luctatorum & cursorum se oblectaret? an potius vt iste illa omnia faceret, exercendi corporis? hoc verius. in Vero ait Capitolinus: *amauit venatus palæstras, & omnia exercitia iuuentutis.* Et auctor est Galenus Ὑγιεινῶν libro sexto, Antoninum curandi corporis fuisse admodum studiosum: certamque vitæ rationem constantissime tenuisse: cum eadem semper hora ad palæstram accederet, distringeretque se. ὁ γοῦν, ait, ὧν ἴσμεν αὐτοκρατόρων ἐντιμότατα πρὸς τὴν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν ἀφικόμενος Ἀντωνῖνος, ἐν ταῖς μακραῖς ἡμέραις ἡλίου δύοντος εἰς τὴν παλαίστραν παρεγίνετο κατὰ τὴν ε' ἢ τὰς μεγίστας, ἄρα, θ' ἢ τὸ πλεῖστον ι'. Hinc intelligimus illa verba Marci è lib. primo doctis obscura: οὐκ ἐν ἀωρεὶ λούσης. nam id significat quod ait Galenus: lauisse semper hora balneari, & sibi commoda, & iis qui circa ipsum: quod etiam Galenus ibidem scribit. De toto hoc studio suo curandi corporis hæc ibidem sapientissimus imperator: περὶ τοῦ ἰδίου πατρὸς τὸ τοῦ ἰδίου σώματος ἐπιμελητικὸν ἐμμέτρως· οὔτε ὡς ἂν φιλόζωος, οὔτε πρὸς καλλωπισμὸν, οὔτε μὴν ὀλιγώρως· ἀλλ' ὥστε τὴν ἰδίαν διὰ τὴν προσοχὴν εἰς ὀλίγιστα ἰατρικῶν χρήζειν ἢ φαρμάκων, ἢ καὶ ἐπιθημάτων ἐκτός.

25. *Sed ab omnibus his intentionibus.*] studiis & occupationibus. familiare verbum Plinio in epistolis.

29. *Suis mox amicis.*] An igitur tunc amici illius non erant? imo erant: sed *mox amicos* appellat eos qui Marci imperantis dicti postea sunt amici, quod cum illis consilia sua participaret, vt ad Hadrianum diximus. Si cum verbo iūgas, duriusculum erit, *mox exhibebat.*

35. *Ita tamen vt & Marcus.*] vide quæ notauimus ad Verum Cæsarem.

37. *Sane ea die qua adoptatus est.*] Dio sic: καὶ πρὸ τοῦ Καῖσαρ ἀποδειχθῆναι, ὄναρ ἔδοξεν ὤμους τε καὶ χεῖρας ἐλεφαντίνους ἔχειν, καὶ αὐταῖς ὅσα τοῖς ἀνθρώποις χρῆσθαι. Scribe, ὅσα τοῖς ἀνθρώποις. vel ὅσα ταῖς ἀνθρωπίναις.

Pag. 35. vers. 1. *Sciscitatusque.*] Nouè pro expertus πειρητίσας, vel πεῖραν λαβεῖν θελήσας: neque enim heic est idem ac πυνθάνεσθαι.

4. *In Hadriani priuatam domum.*] in qua priuatus habitauerat.

10. *In secundo consulatu Antonini iam patris sui.*] Contendenti mihi vulgatas horum librorum editiones cum antiquis membranis, mirari sæpe subiit, vnde illa tanta sit profecta diuersitas, quam locis non paucis deprehendebamus. nam vt nihil dicam de scripturæ diuersitate, quæ sine caussa passim variat, sententiâ interdum nihil mutatâ, interdum plane corruptâ: in ipso rerum ordine & sententiarum incredibilem locis plurimis varietatem offendimus: maxime autem in hac vita. nam quæ deinceps sequuntur ab hoc loco ad finem libri, sic diuersa leguntur in regio codice, vt tota rerum hîc narratarum series, atque adeo singularum fere periodorum, aliter se in eo libro habeat quàm in editis: vt difficile sit in iis omnibus quæ deinceps habentur, aliquot periodos inuenire vtrobiq; eodem modo dispositas. Putabam sciolum aliquem, & fortasse illum ipsum qui hoc historiæ Augustæ corpus concinnauit, offensum Capitolini negligentia, (quæ & cuiuis

etiam

etiam æquo lectori ſtomachum eſt vbi moueat,) quæ ab auctore negligentius fuerant congeſta, tentaſſe digerere, & velut nouam hiſtoriam ipſis tamen Capitolini verbis, iuiſſe compoſitum. Atqui video pleraque omnia in deterius eſſe mutata: non quia ſic diſponi melius ſit, ſed temere, nulla certa ratione: imo contra certiſſimam vt plurimum rationem: ſicut iſto loco: nam ita habent regiæ membranæ: *in ſecundo conſulatu Antonini. Iam qui dicebant Marcum velle finiti belli gloriam ſibi vendicare*, &c. tranſlatis in alium locum, quæcunque in vulgatis habentur poſt illa *in ſecundo conſulatu Antonini*, vſque ad verſum octauum paginæ triceſimæ octauæ: quæ nemo eſt tam ſtultus qui putet cum iſtis poſſe continuari. Quo igitur caſu factum dicemus vt illa ordine tam peruerſo deſcriberentur? quid ille marrucinus cogitabat, qui hæc iſta diſpoſuit? Adnotauerat Angelus Politianus in ora ſui codicis ad extremam hanc vitam, hæc verba: *Vita hæc vt ex aliis exemplaribus colligo, tota pene in hoc codice tranſpoſita eſt, & permutata: ita tamen vt deſit nihil.* Alia illa exemplaria quæ eruditiſſimus vir laudat, vel è regio videntur fuiſſe deſcripta: vel ab eodem fonte & hoc & illa manaſſe. quanquam & regium potuit vidiſſe Politianus: nam Franciſcus Magnus, princeps immortalitate digniſſimus, capta Mediolano, non hoc ſolum exemplar, verùm quicquid ibi fuit antiquorum librorum, ceu pulcherrima & regi Muſagetæ conuenientiſſima ſpolia, in hanc regiam tranſportauit. Sed quod putauit Politianus commiſſas eſſe tranſpoſitiones in editionibus, quæ è ſcripta lectione ſint emendandæ, apparet virum naris emunctiſſimæ in collatione horum codicum parum attentè verſatum: nam in membranis omnia, vt diximus, ita φύρδην ſunt interpollata, vt videri poſſint de induſtria ſic corrupta. Sunt ſane in editis libris multa, in hac præſertim vita, alieno loco poſita: ſiue ea culpa eſt auctoris: ſiue hoc fraude accidit librariorum: quorum ſimilia flagitia etiam apud alios ſcriptores & nobis & aliis pridem obſeruata. Nos igitur cum vitam principis tam boni, tam male fuiſſe acceptam doleremus: non temperauimus, quin & memoriæ Marci & honori Capitolini, pro virili conſuleremus: totumq; hunc librum verbis quidē Capitolini, ſed iudicio noſtro retexeremus, & hoc mangonio ſcriptum antiquum faceremus nouum. Eam lucubratiunculam in ſtudioſorum gratiam ſeparatim, cum bono Deo, ſumus edituri.

11. *Hadriano ferente gratia ætatis facta.*] *Ferre* pro referre ad ſenatum & patres. Nam gratiam annariæ legis petitu Hadriani ſenatus fecit. ſic Commodus fit conſul venia huius legis impetrata, inquit Lampridius: hoc eſt, Marco ferente, ſenatu decernente. Cæterum eo tempore dicis tantum cauſſa venia ætatis petebatur: nam diſciplina vetus adeo hac parte conciderat, vt ſæpe etiam minoribus viginti annis conſulatus deferrentur, vt ſignificat Vlpianus libro ſecundo De officio conſulis.

12. *Omnibus parentibus ſuis tantam reuer.*] Hem! *omnibus*? tam multos

igitur habuit Marcus parentes? Atqui patre qui genuerat pridem extincto, duos ſolos habuit parentis reuerentia colendos, patrem Pium, & Hadrianum auum. mater, & aui paternus ac maternus fato iam concesserant. Quinam igitur iſti tot parentes? Si γονέας quæris præter quos diximus, nulli erant: ſed nego vocem *parentis* ex vſu veterum Romanorum debere heic accipi: verum plane quomodo in idiotiſmo Gallico, Hiſpanico etiam & Italico, pro quibuſcunque ſanguine vel affinitate iunctis vſurpatur. ſic & alibi horum librorum ſæpe capitur. idem auctor in Maximino iuniore: *quum grammatico daretur, quædam parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis literis ſcriptos.* Lampridius in Alexandro Seuero: *amicos & parentes Alexander ſi malos reperit aut puniuit: aut ſi vetus vel amicitia vel neceßitudo non ſiuit puniri, dimiſit à ſe.* Ambroſius de obitu fratris, loquens de illius virginali verecundia, *ſi forte,* ait, *aliquam ſubito veniens offendiſſet parentem, velut depreſſus, rarus attollere os.* Sic accipiendum apud Vopiſcum in Aureliano & Probo: apud Gregorium vero Turonenſem & inferioris æui ſcriptores, locis innumeris. Videor & apud Zenonem Veronenſem Latinorum patrum elegantiſſimum, qui circa Deciorum tempora ſcribebat, hanc vocem iſta notione obſeruaſſe: nam in ſermone de Lazaro ſuſcitato ita ſcribit: *poſt quatriduũ Lazari lingua mouetur, manus officio præparantur, oculi ſuis in orbibus currunt, veſtigia greßibus explicantur, auribus renouatur auditus: acies dirigitur in parentes: cognatio rediuiuis obtutibus muneratur.* niſi diſcedit Zeno à narratione euangeliſtæ Iohannis, *parentes* Lazari appellauit Mariam & Martham eius ſorores.

14. *Parcus ac diligens.*] Dio de Marco, οἰκονομικώτατος ὡς ἀληθῶς ἦν.

16. *Cum Pius ad vehendas eius reliquias eſſet profectus.*] Hadrianus cum poſtremum Roma proficiſcens Baias peteret, Pium ad imperandum reliquit in Vrbe. ſed cum remediis nihil proficeret, finem adeſſe ſibi intelligens, Antoninum accerſiit, vt in eius conſpectu moreretur: quod & factum eſſe ſcribit Spartianus: Capitolinus alios heic auctores ſequitur.

17. *Relictus Romæ auo iuſta impleuit.*] Si de Hadriano intelligit, cui per adoptionem nepos Marcus, mirum eſt, cur dicatur Marcus iuſta illi impleuiſſe, quaſi priuatus quæſtor. Deinde conſtat mortuo Hadriano funus factum eſſe primum Puteolis; deinde autem Romæ poſtquam eò aduectæ ipſius reliquiæ. An igitur auum hîc accipere debemus Annium Verum paternum Hadriani auum, cui paullo ante mortuo, iuſta nondum impleuiſſet?

20. *Et quum diſſolutis ſponſalibus, quæ cum Lucij Ceionij filia deſponderi voluerat.*] Iam antè diximus librariorum improbitatem eximie graſſatã eſſe in hoc libro: cuius rei inſigne argumentum locus hic præbet, corruptus inſigniter. quò enim referemus verbum *voluerat*? lege totam periodum: inuenies nullam vocem cui innitatur hoc verbum. ſed age vitium

tium codicis etiam Capitolino teste probemus. Integram sententiam editiones omnes, quibus non meliores sunt membranæ, ita concipiunt: *& quum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucij Ceionij Commodi filia desponderi voluerat impar adhuc ætati esset, habita deliberatione cogitare se velle dixit.* quæro quis ille sit de quo hæc verba, *impar adhuc ætati,* (vel potius *ætate*: nam ita scribendum.) *esset,* dicantur? omnino, vt hæc scriptura est, vel de Marco illa accipienda, vel de filia Lucij. atqui falsum vtrumque: de neutro enim illorum sentiebat Capitolinus cum ea poneret: sed de Vero qui cum Marco imperauit. Audiamus ipsius testimonium: scribit enim in illius vita: *Ab Hadriano Aurelio datus est adoptandus ea lege, vt filiam Pij Verus acciperet, quæ data est Marco idcirco, quia hic ad hoc impar videbatur ætate, vt in Marci vita exposuimus.* Vides non laudari solùm istum locum: sed iisdem etiam verbis repetitis, eius sententiam indicari. Cum igitur in hodiernis codicibus nulla hoc loco mentio facta Veri inueniatur: constat liquido vulnus illis esse impositum, & voces aliquot ademtas? Deesse verò vnum aut alterum vocabulum, acutus lector facile concedet nobis, si obseruauerit, quod res arguit manifestissime: binorum sponsaliorum heic fuisse factam mentionem: Marci cum Lucij filia: & Veri cum Pij filia Faustina. vtraque Hadrianus fieri voluerat iusseratque: & tamen vtraque post eius obitum dissoluta voluntate Pij: qui ne temerè patris voluntatem videretur irritam fecisse, hanc caussam facto prætexuit, quod Verus filiæ suæ nuptiis impar adhuc ætate esset. His positis nemo cui rite cor saliat negauerit, mutilum locum & conclamatum in pristinam sententiam his aut similibus verbis esse restituendum. *& quum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucij Ceionij Commodi filia [contrahere illum Hadrianus voluerat, Faustina illi offerretur, quòd Verus, cui eam Hadrianus] desponderi voluerat, impar adhuc ætate esset, de eo habita deliberatione cogitare velle se dixit.* Audebo dicere, dextro Apolline manus interfecto loco à nobis admotas. nam membranæ nihil aliud nisi mendæ vetustatē arguunt. erat in iis & veteribus editis, *de habita delib.* scripsimus, *de eo habita del.* En igitur Lector eius deprauationis illustre exemplum, quam in antiquis scriptoribus tot locis deprehendimus: cum duarum periodorum similis sententiæ, & similium verborum, aut eorundem, altera ab oscitante librario prætermissa est. nec minus illustre exemplum est, quod superiori subiiciemus, quia eodem fere tempore vtrumque nobis obseruatum: neque vllum est ad bene merendum de literis, aut tempus alienum, aut locus. Extat Leonidæ optimi poetæ inter Græcos epigrammatarios, venustum epigramma Ανθολογίας libro primo, titulo εἰς θεού: quo Mercurius inducitur de leonina societate conquerens, quæ sibi cum Hercule intercedebat. ambos rusticus aliquis σωνάως fecerat, vt in eadem ædicula simul ambos coleret: vel fortasse etiam in simulacro eodem: qualia fuisse scimus Hermeraclarum. queritur igitur Mercurius de hac societate: cum semper

omnia quæ ambobus ponerentur, ſolus ille ἀδδηφάγος Hercules voraret. Ait inter cætera,

Ἄμφω μὲν θνατοῖς εὐάκοοι· ἀλλὰ ποτ' αὐτούς,
Αὐτῷ μοι προθεὶς ἀχράδας ἐγκέκαφεν.

hæc nullo modo cohærent. neque fuerit vnquam aliquis adeo ſubtilis, qui hos duos verſus rectè continuari mihi probet. Scimus quid Brodæus, Auratus, aliique eruditiſſimi viri tentarint: quorum emendationes diſſimulando potius morbo faciant, quam ſanando. quanquam nihil video proferri, in quo iure aliquis acquieſcat. Nos autem non dubitamus, idem genus mendæ hîc commiſſum, atque in ſuperiore Capitolini loco. duos nempe verſus impurus librarius, propter aliquam vocum ſimilitudinem, prætermiſit. Sententiam poetæ, ſi minus ipſa verba, hoc modo reſtituimus.

Ἄμφω μὲν θνατοῖς εὐάκοοι· ἀλλὰ ποτ' αὐτούς
Ἄντιοι, ἁρπαλέης οὕνεκα τοῦδε βίης.
Ὅσσας γὰρ κοινῇ τις παρθεῖτο τοῖς δυοῖν, ἐσθος
Αὐτῷ οἱ προθεὶς ἀχράδας ἐγκέκαφεν.

aliud agens librarius à voce αὐτούς ad vocem ἐσθος ſimilibus locis poſitas tranſiliit, & integros duos verſus præteruolauit. Sententia non minus aperta, quam apta. ad ferendam opem mortalibus, ait Mercurius, conuenit facile noſtra amborum voluntas: cæterum nobis inter nos parum conuenit, propter rapinas huius & violentiam: nam quicquid in commune ambobus aliquis appoſuerit, id omne ille ſibi apponit ac vorat. αὐτῷ οἱ, aut ſi vis αὐτῷ ἑοῖ, poeticum pro ἑαυτῷ. Homerus ſæpe, οἷ αὐτῷ. profectò aut hæc ipſa, aut non multum ab his diuerſa ſcripſerat poeta.

23. *Adhuc quæſtorem.*] hoc notat, quia contra veterem diſciplinam: cum neque magiſtratus continuare fas eſſet: neque à quæſtura ad conſulatum aſcenderetur, ſed ad præturam.

ib. *Conſulem ſecum Pius Marcum deſignauit.*] cum quidem Pius tertium, Marcus primum conſulatum vnà egerunt.

24. *Et ſeuirum turmis equitum Ro.*] Inſcriptio vetus, VI. VIRO. EQVIT. ROMAN. TVRM. & cum adſcripto turmæ numero. Lapis alius. VI. VIR. EQVIT. ROM. TVRMAE. PRIMAE. erant ſeuiri diſtincti in ſeniores & iuniores: quod ex aliis lapidibus cognoſcimus.

30. *Quum tantis honoribus occuparetur.*] Malim ſcribi, *oneribus*: vt iam ante indicauimus.

35. *Addito iure quintæ relationis.*] De hoc iure diximus ad Suetonium libro primo, cap. XX.

37. *Erat autem in ſummis obſequiis patris Marcus.*] Loquendi genus inſolens, *eſſe in obſequiis ſummis alicuius*: cui nonnihil affine, quod apud Luciferum obſeruabamus, *repræſentare ſe alicui in obſequiis*: in libro, De non par-

parcendo in Deum delinquentibus: *Nam quia dicis debere nos tibi obsequia, scito quia non tibi soli, sed & omnibus nos in sublimitate degentibus in obsequiis repræsentandi iis esse nouimus debitores.* sic scribo, non *repræsentantibus*: quod exponi non videtur posse. ita dictum, vt *esse in amore alicui*, &, *imperare in amore omnium*, quomodo loquitur alibi Capitolinus.

Pag. 36. vers. 2. *Valerius Omulus.*] vel *Omollus*. vide ad Pium.

4. *Illa nunc rogat, vt diem tuum claudas.*] Apud tyrannos & vota crimina sunt. Oenanthe Agathoclis apud Polybium plena irarum exclamat libro xv. καλῶς ὑμᾶς γινώσκω, διότι καὶ φρονεῖτε ἡμῖν ἐναντία, καὶ ταῖς θεαῖς εὔχεσθε τὰ δυσχερέστερα καθ' ἡμῶν. & Caligula *opinans sibi exules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui vniuersos contrucidarent*, ait Suetonius.

6. *Tanta in imperatorio principatu modestia.*] Atqui nondum imperator erat Marcus, sed solùm Cæsar. verùm ita locutus, quod iam tum futuri imperij certam in spem venerat. Sed alij libri pro *principatu* scribunt *participatu*: quæ vox & alibi in his libris extat.

7. *Aestimationis autem.*] Melius libri *Existimationis*.

8. *Vt & procuratores suos semper moneret.*] Traiectio est in verbis commissa: nam ita accipiendum: *vt & puer procuratores s.*

12. *Nec præter duas noctes ab eo mansit.*] Scribe *emansit*. translatum à militari disciplina. Notum qui dicantur emansores in iure. idem est *decubare* apud A. Gellium libro x. cap. xv.

19. *Mummio Quadrato.*] Scripti, *Muninio*. scribendum *Numidio*, aut *Numio*.

25. *Duos Augustos habuere cœpit ..... lictum cum alio participasset.*] Desunt paucula verba. Sententiam expleueris, si scribas, *cum id nemo ante istum cum alio participasset.*

26. *Antonini mox ipse nomen recepit.*] Antoninus cognomen fuit Arriæ gentis. Pius Augustorum primus id gessit: initio quidem vt cognomen: cum adoptatus fuisset à T. Arrio Antonino auo materno. sed quod prius illi cognomen erat, accedẽte Pij cognomine factum est nomen. dictus est enim T. ANTONINVS PIVS. Sic accipiendum quod ait in Diadumeno Lampridius: *Pius verum nomẽ Antonini habuit, cognomen Pij.* nam hoc nisi dextrè interpreteris, falsissimum est. A Pio transiit eadem appellatio ad Marcum: qui non quasi cognomine, sed vt vero nomine dictus est MARCVS ANTONINVS. Quare scribit Lampridius: *Marcus verum nomen Verißimi habuit: sed hoc sublato atque abolito, non prænomen Antonini, sed nomen accepit.* in Marco cepit hæc appellatio velut symbolum esse imperij: quod imperium cum ipse communicasset Vero, etiam hoc nomen illi detulit, vt subiicit statim Capitolinus. & Lampridius quoque non prænomen, sed nomen Antonini ab illo acceptum admonet. Posteriores verò imperatores ad Maximinum vsque, prænomine hoc vsi tanquam omnibus Augustis debito: qua de re præclare disserit apud populũ Ro. Alexander Seue-

rus,referente Lampridio.Ita vides appellationem eandem pro cognomine,nomine,& prænomine diuersis temporibus habitam. Quod semel dictum voluimus:quia multa sparsim hi scriptores super ea re,parum perspicuè, & indigestè.

27. *Et Verum eum appellauit.*] Dele τὸ *&*. Ait Marcum simul cum communicato imperio Veri nomen fratri Lucio communicasse. Nos scimus etiam ante adoptionē,nedum ante imperij participatum,hunc Veri nomen habuisse: quo & pater eius adhuc priuatus fuit nominatus.Scribit tamen idem auctor in eius vita, *ex Antonini coniunctione Verus & Antoninus appellatus est.* & iterum ibidem, *Verum vocari præcepit, suum in illum transferens nomen.* Video nec video quî recte ista capiam.

28. *Pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni ascribi iußit.*] Minus rectè in membranis *præceptioni*.rectè *perceptioni*.familiare verbum iuris auctoribus, & Symmacho, aliisque. Secuti in hac re sunt Diui fratres exempla Traiani, Hadriani, & Pij: qui beneficium frumentationis nouis constitutionibus ampliarunt. Sed qui sunt isti *noui homines*, quorum pueri tunc primum perceptioni frumentariæ ascripti?Nam viro eruditissimo qui de Christianis palam ad frumentationem ab Antonino vocatis,vult accipi,vetant multa ne assentiamur: cum præsertīm neque veterum hoc quisquam dixerit:neque probabile sit Tertulianum, vt de aliis taceamus, hoc fuisse prætermissurum: qui diuersis suorum scriptorum locis laborat manifestò,vt probet optimum quenque priorum principum cum Christianis mitius egisse. Quis credat si tale quid à Marco fuisset aliquando præstitum, tam nobile exemplum suis principibus virum acerrimum non fuisse propositurum?Sed ne illa quidem Abercij Acta quæ proferuntur,quicquam video continere,vnde huic tanto paradoxo fides possit adstrui. Atqui constat infelicem hoc vno Marcum non solum fuisse alienum ab iis qui Christo dixissent sacramento: sed & exquisitissimis sæpe suppliciis in eos sæuisse,vt narrat Eusebius. Mitto quod *nouos homines* appellari nouæ religionis homines,insolens Latinis auribus. Quare eos potius interpretemur, qui recens ex lege Pij ciuitatem nacti, ciues quidem erant,sed cōditionis deterioris quàm alij ab antiquo ciues Ro. Sic alibi inuenias duo ciuium genera, veterum & nouorum. neque est quisquam rerum Ro.peritus quin sciat, nouorum quam veterum ciuium cōditionem fuisse in multis duriorem:quod vel hic vnicus Plinij locus arguit è libro Panegyrico: vbi de tributo vigesimæ verba faciens, ita scribit.*Hæc mansuetudo legis veteribus ciuibus seruabatur:noui seu per Latium in ciuitatem, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis iura impetrassent,alienißimi habebantur,quibus coniunctißimi fuerant.* Si in exigendis vectigalibus discreta fuerunt nouorum & veterum ciuium iura:dubitabimus & in perceptione frumentaria veteribus potius quàm nouitiis & ascriptitiis ciuibus fuisse consultum? Vera igitur caussa huius libera-

liberalitatis ea fuit, quam notat Capitolinus: ob coniunctionem Lucillæ Marci filiæ, & Veri Antonini. qua occasione solitam prouocari liberalitatem principum nemo ignorat. *Noui* verò *homines*, appellantur ea pars vrbanorum ciuium quam diximus: non autem Christiani Hierapolitani Abercij ciues, quibus si quæ fuerunt à Marco attributa alimenta, vt etiam in Græcorum martyrologiis legimus: non vt in Christianos ea liberalitas fuit collata: sed quomodo soliti sæpe boni principes coloniarum, municipiorum, & aliarum vrbium pauperibus alimenta instituere: cuius liberalitatis testes extant hodieque multi lapides. Nec soli principes, sed & priuati interdum genus hoc liberalitatis vsurparunt: vt testatur de se Plinius epistola octaua libri primi, & XVIII. libri VII.

33. *Et cæteris pro rata.*] Vicena millia quasi legitimus fuit modus donatiui cuique militum, prætorianorum præsertim, dari soliti post susceptum imperium. at centurionibus duplum dabant: tribunis verò & præfectis alarum adhuc alterum tantum, vt ad Suetonium obseruabamus libro primo capite XXXVIII. Hoc vocat Capitolinus *pro rata*.

37. *Sodales ex amicißimis Aurelianos creauere.*] Seruat memoriam vetus lapis. SODALI. MARCIANO. AVRELIANO.

Pag. 37. vers. 3. *Marcellus sui temporis mimographus.*] pro, illius temporis. vt in libro de Maximo & Balbino. *epistolam subdidi quæ scripta est à Cos. sui temporis de Pupieno & Balbino.* sic & alibi.

4. *Funebre munus patri dederunt.*] ludos gladiatorios: quod genus spectaculi proprie *munus* dixerunt. sed & *funebre munus*, propriè. erat enim ἀγὼν ἐπιτάφιος: vnde & origo eius θέας.

ib. *Dabat se Marcus totum & philosophiæ.*] Sæpius iam dictum: cur repetit? & erit fortasse qui aliena huic loco ista censeat. Ego non puto. Repetit enim vt hoc doceat nos: Marcum etiam postquam imperium esset adeptus, totum fuisse in philosophiæ studiis: saltem per initia & dum licuit: mox enim negotiorum procellis iactatum, aliis curis coactum vacare.

10. *Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarunt.*] Princeps editio, *temperauit*. de quo cogitemus. nam fortasse aliquid subest. *præsentia* hic, est fauor, auxilium: βοήθεια propriè Græcis: cum ad vocem laborantis accurrimus, & præsentes illi nos sistimus, atque opem ferimus: sic *præsentia numina* apud poetam, id est, propitia: & *præsentes diui*: quorum præsentia fauor est, ait Seruius.

11. *Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum.*] sub initia diuorum fratrum. Eusebius coniicit in annum secundum & tertium. vide infra.

ib. *Quod Vologesus patratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit.*] Σφάλμα est temere in hanc editionem ex alia propagatum: nam *paratum*, erat scribendum. Vologesus hic filius est illius Vologesi, de quo Tacitus in Annalibus. quidam è Græcis scribunt Ουολόγαισος, vt Dio: alij Bo-

ἀλόγιστος,vt Aristides.

13. *Fugato Atidio Corneliano.*] Malim *Atilio*. nam in antiqua inscriptione nominatur *Atilius Cornelianus*,huius,nisi fallor,filius.

14. *Et Catti in Germaniam ac Rhetiam irruperant.*] Germaniam accipe quà fuit Romanorum prouincia, Rheno propior. nam & Catti, siue Chatti populus Germaniæ.

16. *Aduersus Britannos Calphurnius Agricola missus est.*] Firmat hanc historiam vnicum, quod sciam veteris apud Britannos aræ testimonium,cuius inscriptio seruat hodieque nomen *Calphurnij Agricolæ legati Augusti*. sic enim exoletam eius lapidis scripturam rectè legit eruditissimus Camdenus:cui & hanc & omnes alias Britannicas inscriptiones debemus.

18. *Verus frater eius missus est.*] Sic loquitur tanquam de proconsule: non vt de eo qui pari potestate cum Marco imperaret. inde etiam verbum *ornauit*: quo mox vtitur. Notum est quid sit apud Ciceronem & & Suetonium, *ornare prouinciam*.

Ornare prouinciam

21. *Amicis comitantibus è senatu ornauit.*] *comitantibus*, id est, qui Marcum Capuam vsque erant prosecuti, & comitati.vel, pro comitaturis: id est,qui Vero in prouincia futuri erant comites & consiliorum participes.In aliis libris hic locus aliter distinguitur: quod minus probo.

ib. *Additis officiorum omnium principibus.*] *Principes officiorum*, siue *principales*, itemque *magistros officiorum* dixerunt, qui inter sui ordinis homines principem locum tenent: posterior ætas primicerios quasi προεγγεγραμμένους τῶν ἄλλων.Lampridius in Alagabalo, & Alexandro Seuero,Symmachus,alij.

principes vel magistri officiorum

27. *In delitiis apud Antiochiam & Daphnen vixit.*] Verum dum fuit in Syria resedisse apud Daphnen, testatur & sanctissimi Abercij historia.Quod autem in Italia Baiæ,ad Alexandriam Canopus,id erat in Syria suburbium Antiochiæ Daphne : locus ita infamis voluptatibus,vt modestioribus ac frugi prope inaccessum scribat Chrysostomus, sermone in Babylam martyrem.εἶδεν,inquit,τὸ χωρίον ὑπὸ τῆς τῶν νέων ἀσελγείας τυραννούμενον,καὶ κινδυνεῦον ἄβατον εἶναι τοῖς σεμνοτέροις καὶ ἐπιεικῶς βουλομένοις βιοῦν:quem locum imitans Sozomenus,τῷ προαστείῳ τῇ Δάφνῃ,ait,ἐπιβαίνειν τοῖς ἐπιεικέσιν αἰσχρὸν ἐνομίζετο. Natum ex eo prouerbium, *Daphnicis moribus agere*: quod de luxuria diffluentibus vsurpabant: vt Marcus Antoninus in epistola quam rescripsit Vulcatius:qui etiam narrat,edictum aliquando à Cassio,*vt si quis cinctus apud Daphnen inueniretur, discinctus rediret*.Erant sane omnia ibi ad amœnitatem comparata: cœli aërisque temperamentum maximum:solum & natura & arte delitiis hominum τρυφητῶν accommodum. Sed duo fuere imprimis, quæ in admirationem & amorem Daphnes cunctos raperent: arborum vmbriferarum, & optimarum aquarum copia. Procopius Persicorum libro secundo: Τότε μὲν οὖν ἐς Δάφνην ἀνέβη τὸ Ἀντιοχείας προάστειον. ἔνθα δὴ τό,τε ἄλσος ἐν θαύματι μεγάλῳ ἐποιήσατο,

Daphnicis moribus agere

σαῦ, καὶ τὰς τῶν ὑδάτων πηγάς. ἄμφω γὰρ ἀξιοθέατα ἐπιεικῶς ἐστι. Præcipue arborum lauri & cupressi erant: quas multis constitutionibus cædere imperatores vetuerunt, vt ex historia & Codicis titulo scimus. Erant & arbores aliæ multæ, quæ totum locum instar pergularum tegerent, quas moris est in hortis & pomariis è vitis arbore aliisque conficere. accedebat gratia florum, quos sub illis arboribus terra edebat, & aspectu & odoratu suauissimos pro anni tempore alios atque alios, & vt loquitur Sozomenus, ἀμοιβαδὸν τῶν ὡρῶν: nam ita apud illum scribendum. Sextus Rufus auctor est, Daphnensem lucum à Pompeio fuisse consecratum, addito nemore: idem narrat & Hieronymus libro XIV. in Ezechielem: quod tamen an verum sit, non sine caussa addubites ex Strabone: qui & Daphnæ appellationem, & religionem eius luci, non vt institutam sua memoria: sed vt antiquam commemorat, & tota Syria celebrem. Quod autem Græci fabulam de transformatione Daphnæ in laurum illi luco accommodarunt, vt refert Sozomenus: id verò commentum Ouidij ætate recentius est, priscis Græcis incognitum. Erat & Daphnis fons ibidem: quem postea multi Castalium appellarunt. Sed horum errorem acriter reprehendit Vuilielmus Tyrius: cum ille Musis sacer poetis decantatissimus fons Castalius, non in Syria ad fluuium Orontem: sed in Phocide Græciæ regione fuerit ad montem Parnassum. Recte quidem Vuilielmus Tyrius: obtinuit tamen non solum apud vulgus, sed etiam apud eruditos, vt & montem Antiochiæ imminentem Parnassum vocarent: & fontem qui è radicibus eius montis manat, Castalium: vt ex Sozomeno & Marcellino dicebamus ad Hadrianum. Agathias epigrammatum poeta:

Μηδὲν ἀπαγγείλειας ἐς Ἀντιόχειαν ὁδῖτα,
Μὴ πάλιν οἰμώξῃ χεύματα Κασταλίης.

Syri tandem & Greci recentiores abolita appellatione Daphnes, eum locum dixerunt NERO: propter aquarum scaturigines: נר enim Syris & Arabibus idem ac Hebræis נהר fluuius: vnde νερὸ hodie Græcis est aqua. Atque hoc nomen antiquissimæ eius loci appellationi consentit planè: nam in XXXIV. Numerorũ, qui locus dicitur cum à Mose, tũ ab eius paraphraste Onkelo עין *Fons*, aliis interpretibus Hebræorum est דפני, *Daphne*: in Hierosolymitano Targhum דפני *Dophne*: aliter scriptum offendimus in eorũ historiis, דופנה שלאנטוכיא & in Aruch, דפני של אנטיוכיא ibi fuit illa nobilis Iudæorum synagoga, quæ dicebatur Spelunca Matronæ, τὸ τῆς ματρώνης σπήλαιον: cuius toties meminit Iohannes Chrysostomus in orationibus quas Antiochiæ contra Iudæos & *ἰουδαΐζοντας* Christianos habuit, & homilia tertia in epistolam ad Titum. Non est Hebraica vox Matrona, sed Latina: quam notione prope eadem extare in Targhumin & Rabbinorum libris obseruat Leuita Elias.

28. *Armisque se gladiatoriis exercuit*] Lampridius de Pertinace: *Obiectum est Iuliano quod armis gladiatoriis exercitatus esset.* at sine probro de

Hadriano Spartianus, *gladiatoria quoque arma tractauit.*

31. *Patienterque delicias fratris & prope inuitus ac nolens ferret.*] Codex Augustanus, *ac volens.* sane vulgata scriptura est ridicula. Lege, *& prope non inuitus ac volens.* sic ferebat fratris delicias patienter, vt videretur non inuitus conniuere, & reip. actibus solus, suam & Veri vicem, incubare. Magnum hoc αὐξησικακίας & æquanimitatis argumentum. Paullo post, *Tantæ autem sanctitatis fuit Marcus, vt Veri vitia & celauerit, & defenderit, cum ei vehementissimè displiceret.* in vita Veri, *Sed Marcus, hæc omnia quasi nesciens, dissimulabat rem, pudore illo, ne reprehenderet fratrem.* ex quibus verbis possis etiam legere hoc loco, & *prope inuisas ac nesciens.* sed malo illud prius.

34. *Per Statium Priscum Artaxatis captis*] Armeniæ vrbs siue φρύριον, captum à Romanis bello Mithridatico: deinde amissum ab iisdem & receptum sæpius. Statius Priscus consul fuit primo & vicesimo Pij anno. De cognominibus Marco delatis, quorum hîc mentio, adeantur veteres inscriptiones & nummi.

Pag. 38. vers. 4. *Et Ciuicam patruum Veri.*] Videtur is esse, qui sub Hadriano consulatum gessit cum L. Ceionio Commodo Vero, qui postea dictus est Cæsar. Nominatur in antiquo lapide, SEX. VETVLENVS. CIVICA. POMPEIANVS.

ib. *Filiam suam nupturam.*] Lucillam Vero desponsatam, antequam ad bellum Parthicum proficisceretur.

5. *Commissam sororis suæ curæ.*] Puteani & Augustanus, *commissam sorori suæ.* nihil mutandum.

ib. *Eandem locupletatam.*] Minus probo vt de Marci filia verba hæc accipiantur: est enim, nisi fallor, frigidiusculum. Legendum censeo, *eademque locupletata.* nempe sorore sua Annia Cornificia. Nam cum eius fidei crederet charissimum filiæ pignus: videtur bonus pater, de eius salute sollicitus, sororem locupletasse, vt & iter adeo longum ne grauaretur suscipere, & eo diligentius illam curaret.

9. *Atque idcirco in Syriam proficisci.*] Decreuerat enim initio Marcus in Asiam proficisci, & filiam suam ad Verum ipse deducere: quod Acta etiam Abercij confirmant: *Inter eos conuenerat, vt stato die Lucius quidem ab Oriente, Antoninus autem Roma venirent Ephesum: & in templo quod ibi erat Dianæ, Antoninus, dea teste, traderet puellam, Lucius verò acciperet.*

ib. *Ad proconsulem scripsit.*] Puteani, *proconsules.* magnâ sententiæ differentiâ: nam ex illa voce *proconsulem*, colligebamus, Marci filiam Brudusij nauem conscendisse, non vt in Epirum traiiceret, & inde per prouincias Macedoniæ, Achaiæ, & Asiæ, in Syriam tenderet: sed vt rectà in Syriam vel Asiam nauigaret.

10. *Inter hæc liberales caussas ita muniuit.*] Iuris verbum est *munire*, frequens apud antiquos prudentes. Etsi autem late patet, vt mox dicesit

mus,inſtituti de quo hic agit vtilitas: ſic tamen loquitur, vel propter liberalium cauſſarum prærogatiuam:cum libertate potius aut charius ſit nihil:vel quod legi huic ferendæ liberale aliquod iudicium occaſionem dediſſet: ſicut accidit Iuſtiniano cùm Nouellam condidit de tabellionibus, vt eius initio teſtatum ipſe reliquit. Erat ſane Marcus libertatem conſeruandarum ſtudioſiſſimus:cuius rei gratia multa ab eo noua iura fuiſſe introducta,vel XL. Digeſtorum liber palam fecerit.

11. *Vt primus iuberet.*] Falſum hoc, niſi commoda interpretatione mollias. Marcus ſane non primus huius inſtituti eſt auctor: ſed vetus inuentum in melius reformauit.

ib. *Apud præfectos ærarij Saturni.*] Vbi acta publica ſeruabantur: de quibus accuratiſſimè viri docti:vt non ſit opus verbis. Idem auctor in Gordianis: *filium Gordianum nomine Antonini illuſtrauit,cum apud præfectum ærarij more Rom.profeſſus filium, publicis Actis eius nomen inſereret.*

13. *Intra triceſimum diem nomine impoſito.*] Diſtingui malim, *natos liberos profiterētur intra triceſimum diem, nomine impoſito.* nam ante profeſſionem nomina imponebant die luſtrico. Nominalia autem Græci ſeptima vel octaua die à natiuitate celebrabant: vt ex Ariſtotele, Ariſtophane,&Polluce cuius notum eſt:nec multo aliter,opinor, Latini.

ib. *Per prouincias tabulariorum publicorum vſum inſtituit.*] Serui erant publici, qui in prouinciarum ciuitatibus publica Acta curabant: ideo in lege tertia Cod. De ſeruis publicis manumittendis,quidam quod tabulariam adminiſtraſſet,ſtatus controuerſiam patitur. Sed hoc poſtea mutatum eſt,conſtitutione Arcadij & Honorij:qui tabularios non niſi liberos iuſſerunt ordinari. Diuerſi ab iſtis duo illi tabularij per ſingulas prouincias conſtituti,de quibus in Codice Theodoſiano, libri primi titulo octauo.

14. *Apud quos idem de originibus fieret.*] Huiuſmodi tabulas Græci Παιδογραφίας dixerunt. Modeſtinus libro primo Excuſationum: Ἡ δὲ ἡλικία δείκνυται ἢ ἐκ παιδογραφιῶν, ἢ ἐξ ἑτέρων ἀποδείξεων νομίμων. vbi vides alteram vtilitatem; quæ ex iſto Marci inſtituto capitur, præter illam quæ ad liberales cauſſas pertinebat. Nam quoties erat de alicuius ætate quæſtio,ad tabularios adibatur. Quàm multi autem iuris articuli in quibus de ætate mouetur controuerſia?

17. *De aſſertionibus.*] id eſt, liberalibus cauſſis. *Aſſertio* vel *vindiciæ* Græcis καρπιστία, vel καρπισμοῦ δίκη.

18. *Aliaſque de menſariis & actionibus tulit.*] Reg. *de maſſaritiis & actionibus.* an lateat hîc aliquid viderint acutiores. ego non dubito rectam eſſe vulgatam: quæ menſarios cum auctionibus rectè iungit: cum celebrarentur vt plurimum auctiones ad menſam alicuius trapezitæ: nam ibi nomina facere,inde expungere moris erat. Cura menſariorum ad præfectum Vrbi pertinebat. Vlpianus libro ſingulari De præfecto Vrbi: *Præterea curare debebit præfectus Vrbi, vt nummularij pro-*

be se agant circa omne negotium suum, & temperent his quæ sunt prohibita.

20. *De statu etiam defunctorum intra quinquennium quæri iußit.*] Et hoc ad liberales caussas pertinet, de quibus antè dictum. Sed parum plenè Marci beneficium exprimit Capitolinus. Cape tu melius ex lege prima Digestis, Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.

23. *Prætoriis & consularibus decidenda negotia delegauit.*] Refero huc verba Vlpiani libro primo De appellationibus, *Interdum Imperator ita solet iudicem dare, ne liceat ab eo prouocare: vt scio sæpißime à Diuo Marco iudices datos.*

26. *Multis senatoribus vel pauperibus sine crimine.*] Tolle τὸ *vel*, quod optimam sententiam corrumpit: neque est in Puteani codice: sed male ab alio eiusdem absunt ista, *sine crimine*. Senatores pauperes sine crimine, ij sunt de quibus Spartianus in Hadriano. *Senatoribus qui non vitio suo decoxerant, &c.*

28. *Nec quenquam in ordinem legit.*] Reg. *in eum ordinem legit.* planius: sed *ordo* per se, ordinem senatorium designat, aut etiam decurionum: vt sæpe obseruabis in antiquis inscriptionibus.

30. *Secretò pertractaret.*] Regius, *secreto opere pertactaret.* fortasse pro *secreta opera t.*

ib. *Atque ita in publicum prodiret.*] in Senatum videlicet, tractaturus de eodem negotio cum patribus: vel in forum vt in tribunali consulis, aut prætoris cum ipsis de re cognosceret. Ita aliquando soliti principes: vt de Augusto, Tiberio, Hadriano narratur. Placebat scribi, *proderet*: sed non necesse.

35. *Comitiis præterea etiam vsque ad noctem frequenter interfuit.*] Xiphilinus, καὶ ἕνδεκα πολλάκις καὶ δώδεκα ἡμέρας τὴν αὐτὴν δίκην, καί περ νυκτὸς ἔστιν ὅτε δικάζων ἔκρινεν. *Comitia* igitur appellat Capitolinus, iudicia quæ in foro aut comitio celebrarentur. nam vt ad ἀρχαιρεσίας & creationes magistratuum hoc referamus, nulla ratio est. Quod aiunt Dio & Capitolinus interfuisse comitiis Marcum vsque ad noctem, idem Suetonius de Augusto: *Ipse ius dixit aßiduè, & in noctem nonnunquam.* vbi olim aliquid notauimus. Veterem duodecim tabularum obseruationem post Augustum non fuisse seruatam certum est. Plinius in epistola ad Vrsum de Iulio Basso qui repetundarum postulatus fuerat in senatu: *Dixit Theophanes in noctem, atque etiam nocte illatis lucernis.*

36. *Nihil vos moramur patres conscripti.*] Hæc formula dimittendi senatus: at concionem verbo, DISCEDITE: quod apud M. Tullium extat, & T. Liuium.

37. *Senatum appellationibus à consule factis iudicem dedit.*] Restituimus è libro Puteani, cum ante legeretur *sin autem*, pessimè.

Pag. 39. vers. 2. *Fastus dies iudiciarios addidit.*] Etiam in hoc maximi principum, dico Augustum, imitatur exemplum. Vide Suetonium capite XXXII. vbi hunc locum attigimus.

4. Præ-

4. *Prætorem tutelarem primus fecit.*] Meminêre multis locis iuris ciuilis auctores.

5. *Cum antè tutores à Coss. poscerentur.*] Tranquillus in Claudio, capite XXIII. *Sanxit vt pupillis extra ordinem tutores à Coss. darentur.* Dabantur & à principe. Spartianus de Hadriano: *Tutores sæpißime dedit.*

7. *Lege Lectoria.*] Ita membranæ, non *Lætoria*, vt alibi lex hæc vocatur.

9. *Cauit & sumtibus publicis.*] Hoc sæpe legimus factum ab Imperatoribus. Suetonius de Nerone, *Multa sub eo & animaduersa seuere, & coercita, nec minus instituta: adhibitus sumtibus modus, publicæ cœnæ ad sportulas redactæ.* Spartianus de Hadriano: *Iudicum sumtus constituit, & ad antiquum modum redegit.* refero enim ad publicos sumtus, vt ibi exposuimus. hoc vnum genus imminutionis sumtuum publicorum: alterum tangit Xiphilinus in Nerua: quem ait ea fine & sacrificia & ludos multos tulisse. πολλὰς μὲν θυσίας, πολλὰς δὲ καὶ ἱπποδρομίας, ἄλλας τέ τινας θέας κατέλυσε, συστέλλων ὡς οἷόν τε τὰ δαπανήματα. Non prætermittendus locus Plinij ex epistola prima libri secundi: vnde discas & principe Traiano senatum eam curam non insuperhabuisse: *veritus ne forte inter quinquennios crearetur, qui minuendis publicis sumtibus iudicio senatus constituebantur: cum illi tot amici senes consularésque superessent, me huius ætatis per quem excusaretur elegit.*

10. *Apposita falsis delatoribus nota.*] Videtur Marcus pœnam legis Rhemniæ intendisse: aut illam ipsam veterem legem, seuerè & acriter exercuisse, non vt mali principes: qui aut spernebant palàm, aut exercebant dicis caussa. Plinius in Panegyrico: *neque vt antea exsanguem illam & ferream frontem nequidquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant.*

12. *De alimentis publicis multa prudenter inuenit.*] Ad hoc caput referri potest quod antea dictum de nouorum hominum pueris puellisque ad frumentationem vocatis lege Marci: itemque sequentia hæc verba: *Rei frumentariæ grauiter prouidit.* illud pertinet ad alimenta eorum qui pane gradili alebantur: hoc ad vniuersi populi Ro. commoda: cui soliti imperatores summa cura procurare ex Aegypto, Africa, Sicilia frumenti atque aliarum specierum vilitatem. Sed prouidit Marcus & priuatorum alimentis: extant enim lege octaua Digestis De transactionibus, excerpta ex oratione Marci quibus multa explicantur, quæ sunt ab illo instituta circa alimenta testamēto relicta, aut non mortis caussa donata. Quare cogitemus an non sit heic legendum, *De alimentis publicis priuatisque.*

ib. *Curatores multis ciuitatibus è senatu dedit.*] Sic *Aquini curator* nominatur in Pescenio Nigro. Erant & regionum curatores, ac viarum, quorum mox fit mentio, & passim in saxorum inscriptionibus: atque alij multi sub titulis diuersis curatores leguntur. Fuerunt etiam corre-

ctores liberarum ciuitatium, quos Arrianus in Diſſertationibus διορθωτὰς τῶν ἐλευθέρων πόλεων nominat: quorum & in antiquis inſcriptionibus frequens mentio.

14. *Frumentum ex vrbe donauit.*] Regius, *frumenta.* ſic ſcribendum.

15. *Gladiatoria ſpectacula omnifariam temperauit.*] Tria præcipua Marci inuenta fuerunt temperandis hiſce crudeliſſimis ſpectaculis. Primum illud, quod ſumtus minuit: quò pertinent ſequentia hæc verba. *Gladiatorij muneris ſumtus modum fecit.* Alterum quod munera iuſſit edi incruenta, (certe quoties ipſe intereſſet) retunſis aut præpilatis gladiis, & more athletarum ſine cæde. Dio Caſſius: Μάρκός γε μὴν οὕτω τι φόνοις οὐκ ἔχαιρεν, ὥστε καὶ τοὺς μονομάχους ἐν τῇ Ῥώμῃ ὥσπερ ἀθλητὰς ἀκινδύνως ἑώρα μαχομένους. σιδήρειον γὰρ οὐδέποτε οὐδενὶ αὐτῶν ὀξὺ ἔδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἀμβλέσιν, ὥσπερ ἐσφαιρωμένοις πάντες ἐμάχοντο. videtur huc reſpexiſſe Capitolinus iſto loco: nam ita malo interpretari, ne bis idem dicat. Tertium illud fuit, quod gladiatores ad bellorum vſum traduxit, contra veterem obſeruationem militare iuſſos. Auctor infra, *Armauit etiam gladiatores, quos Obſequentes appellauit.* & poſtea. *Fuit populo ſermo, cum ſuſtuliſſet ad bellum gladiatores, &c.*

16. *Temperauit etiam ſcenicas donationes.*] An de corollariis ſolum hiſtrionicis intelligit, quorum meminere Cicero, Plinius, Suetonius, alij? an in vniuerſum de omnibus quæ accipere ſoliti hiſtriones. Sæpe enim ſobrij principes horum mercedem aut temperarunt, aut reſciderunt, vt Tiberius. Sic Pius Meſomedi lyrio ſtipendia imminuit. vide & Lampridium in Alexandro Seuero.

7. *Iubens vt quinos aureos ſcenici acciperent.*] Iuuenalis, *Accipe victori populus quod poſtulat aurum.* Vetus interpres, *In theatro ſolent petere quinque aureos: nam non licebat amplius dare.*

ib. *Rei frumentariæ grauiter prouidit.*] Dictum modò, *omnique frumẽtariæ rei conſuluit.* quorſum igitur hæc nunc repetuntur? Melius erat, diceret quo inuento rem frumentariam iuuerit, neque id nos hodie ſineret ignorare.

ib. *Datis iuridicis Italiæ conſ.*] Vide ad Hadrianum.

21. *Ad id exemplum.*] Regius, *addidit ad id exemplum.* videntur temere geminaſſe voculas *ad id.* inde vox illa ficta. puto hoc verius, quàm quod aliquando exiſtimaui: quia præcedat vox *conſuluit*, omiſſam eſſe dictionem *conſulares*: vt ita ſcribatur totus locus. *Datis iuridicis Italiæ conſuluit: conſulares etiam addidit, ad id exemplum, quo Hadrianus conſulares viros reddere iura præceperat.*

22. *Hiſpaniis exhauſtis.*] frequentibus dilectibus. Expoſuimus ad Hadriani vitam.

ib. *Italica allectione contra Traiani præcepta.*] Italiam bellis ciuilibus exhauſtam coloniis frequentauerat Auguſtus: ſimul exemplum futuris principibus dederat, vt milite Italico parcius numeros explerent.

rent. quod adeo ſeruatum eſt, vt ſcribat Herodianus libro ſecundo, Italos traductis pridem animis ab arte militari ad pacis artes, vni agricolationi operam dare. Cum igitur milite prouinciali legiones ſubinde ſupplerentur, maxime autem Hiſpanico: ſoliti principes exhauſta per prouincias oppida Italicis colonis frequentare: quod poſtea Traiani lege vetitum fuiſſe ex hoc vnico loco diſcimus.

23. *Verecunde conſuluit.*] cum multa & accurata excuſatione, qua publicè eſt vſus: vt appareret ipſum, ſalua in Traianum reuerentia, legem Traiani migrare.

24. *De vicesima hereditatum.*] Adi ad iuris auctores, & Plinium in Panegyrico.

ib. *De tutelis libertorum.*] Ita membranæ. Legitimæ tutelæ ſpecies quædam eſt libertorum aut libertarum tutela: de qua traduntur multa à iuris ciuilis Romanorum auctoribus: quod tamen huc faciat, opinor, extat nihil. Alij libri ſcribunt, *liberorum*. hoc eſt, de iis quos patres liberis ſuis poſſent tutores dare aut non poſſent. ita exponimus, quia non dicit ſimpliciter, *de tutelis*: aut, *de tutelis pupillorum*. Multa autem de tutelis ſancita eſſe à Marco ignorat nemo, qui leuiter ſaltem in Pandectarum lectione ſit verſatus.

25. *De bonis maternis.*] Recte: nam ius nouum introduxit Marcus, vt matribus liberi ab inteſtato ſuccedant: atq; hoc eſt quod modo orationem D. Marci nominant: modo Senatuſconſultum Orphitianum: quia Orphito & Ruffo Coſſ. fuit factum. fuſe de his apud Iuriſconſultos.

26. *Vtque ſenatores peregrini quartam partem in Italia poßiderent.*] Non eſt nouum ius: ſed veteris reformatio quædam. Plinius libro ſexto, epiſtola XIX. *Candidatos patrimonij tertiam partem conferre iußit princeps in ea quæ ſolo continerentur: deforme arbitratus, vt erat, honorem petituros, Vrbem Italiamque non pro patria, ſed pro hoſpitio aut ſtabulo quaſi peregrinantes habere.* Qui è prouinciis fiebant ſenatores, non ideo cogebantur prius domicilium deſerere: vt etiam habetur diſertè in titulo De ſenatoribus. propterea huiuſmodi opus fuit legibus.

29. *Eos qui vltra vectigalia quicquam ab aliquo exegiſſent.*] Lege titulum Pandectarum, De publicanis & vectigalibus. At liber regius, *vltra vehicula*: vt referatur ad eos qui curſum publicum vſurpabant: de quibus multa ſcimus à variis principibus conſtituta.

30. *Quorum & auctoritate & periculo iura dictauit.*] Scrib. *quorum ex auct.* non ſolum vſus eſt conſilio iuriſconſultorum: ſed & formulam ſecutus ab illis ſibi præſcriptam. Sic in Codice *ſententias ex periculo recitare*. primus Iacobus Cuiacius in his & ſimilibus locis quid ſignificaret vox *periculum*, docuit, certiſq; teſtimoniis, acerrimi iudicij vir, conprobauit. docuit idem nuper teſtimoniis etiam aliis Iohannes Sauaro vir eruditiſſimus, & in omnibus recentioris Latinitatis ſcriptoribus exercitatiſſimus.

Pag.40.verſ.2. *Cum quendam Vetraſinum.*] Ridicula lectio. Sed non aſſentior Petro Fabro, qui cenſebat ſcribendum *q. harenarium.* Quis putet vllum principe Marco harenariis ad honores fuiſſe aditum? erant enim definitionibus legum infames, & inteſtabiles. Quod autem ex huius impuri verbis auctor ſubiicit, de ſuis & aliorum qui poſtea prætores facti pugnis: obtrectandi ſtudio & licentia ab illo dictum, potius quàm quod ita res eſſet. Adde quod non omnes qui in harenam deſcendunt, ſunt harenarij. Poteſt ſcribi *Vitraſium.* fuit Romæ ea tempeſtate nota gens Vitraſia: vnde & Vitraſiano ſenatuſconſulto nomen. poteſt etiam, *Veretraſinum,* vt accedamus propius ad veſtigia editæ lectionis. eam vocem ad Lampridij Commodum explicamus. At regius codex, *Nam cum quendam iuuenem.*

3. *Vt ſe ab opinionibus populi vindicaret.*] hoc eſt, ſermonibus & rumoribus, qui de eo ſiniſtri iactabantur, id enim eſt *opinio* & *opinari*, vt ad Suetonium obſeruabamus. B. Ambroſius ad virginem lapſam: *Cum ante triennium rumor quidam & ſuſurratio de te fuiſſet, quos æſtus ego ſuſtinui? quos pater tuus pro tua ſuſtinuit opinione labores? requirentes ſingulos, ſingulos aſtringentes, vt ad auctorem infamiæ veniremus.*

6. *Prætorem quoque dum peßimè egerat*] Reg. *pr. quique dum p. e.* Lege, *prætorem qui quiddam p.e.* vel *quædam.*

8. *Fiſco in caußis compendij iudicans nunquam fauit.*] Fiſci mala cauſſa nunquam niſi ſub bono principe: ait Plinius in Paneg.

9. *Sane quamuis eſſet conſtans, erat etiam verecundus.*] Non eſt hîc *verecundus* αἰσχυντηλός: ſed αἰδήμων, & is qui rogatus negare non ſuſtineret. Sic Græci αἰδεῖσθαι pro, cedere precibus. vnde apud poetam αἰδεῖσθαι ἱρῆα. & paſſim αἰδεῖσθαι τὸν ἱκέτην. poeta Latinus, —— *ſed iura fidemque, Supplicis erubuit.* —— verecundiæ illi quam Capitolinus hîc intelligit, affinis eſt quæ proprie Græcis cum nimia eſt, δυσωπία dicitur. ſed à nimietate huius affectus Marcum defendit auctor his verbis, *erat verecundus ſine ignauia*: quæ initio huius vitæ poſita, neceſſario cum iſtis coniungenda. Ammianus libro XXI. *Marci illius dißimilis, principis verecundi.*

12. *Corona præterea ciuica.*] propter ſummam huius coronæ nobilitatem, eius honos iam inde ab Auguſto ad imperatores eſt tranſlatus.

16. *Tanta fuit moderatione.*] Reg. *tantæ fuit moderationis.*

17. *Tamen poſt mortem Lucium.*] Aperte mendoſam ſcripturam ſic emendabam: *tamen poſt mortuum Lucium, cum tantum Parthicum, Germanicum ſe vocaret.* ſed aliter ſtatuendum auctoribus membranis: in quibus *Lucij* ſcriptum eſt, voce *Parthicum* prætermiſſa. Scribe igitur, *poſt mortem Lucij tantum Germ. ſ. v.*

20. *Ita tamen vt & puellas virgines veheret.*] Erat moris iam olim, vt cum patre triumphante veherentur in curru, non pueri ſolùm, ſed & puellæ. Appianus in accurata triumphi deſcriptione, libro de bellis Puni-

Punicis: ἐπιβαίνουσι δ᾽ αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ἅρμα παῖδές τε καὶ παρθένοι, καὶ ἐπὶ τῶν παρηόρων ἑκατέρωθεν ἵπποι συγγενεῖς. τὸ *tamen* hîc non eſt particula aduerſatiua: ſed παρέλκει, vt aliquoties in his libris.

ib. *Ludos ob triumphum decretos.*] qui etiam ludi victoriæ aut victoriales dicuntur.

22. *Inter cætera pietatis eius quoque moderatio prædicanda eſt.*] in Pio, *Inter argumenta pietatis eius & hoc habetur.*

23. *Cunabilis poſt puerorum lapſum culcitras ſubiici iußit.*] Regius *Funabilis*: ſine dubio pro *funambulis*. Scribimus igitur, *Funambulis poſt puerorum lapſum*. Et notum eſt quanto cum ſui capitis periculo artem quam profitentur funambuli exerceant. Quare non raro videmus accidere, vt vel peritiſſimi, vſuque maximo præditi ſchœnobatę de ſublimi fune lapſi funus inueniant: quod Simoni mago euenisse multi tradunt. & ſunt ad manum de periculo & caſibus funambulorum loci multi veterum ſcriptorum, quos alibi afferimus. Neque poteſt obſcurum eſſe quo pertineat ingenioſum iſtud principis humaniſſimi de culcitis ſubiiciendis inuentum. Etiam hodie ſolet culcita excipi funambulus, cum pectori incumbens, per extentum funem, volanti ſimilis deorſum fertur. Sed hæc culcita hodiernis funambulis hoc ſolum præſtat, ne deſcenſuri de catadromo caput ſolido illidant: quod ſine certa pernitie non facerēt. in ipſo quidem agone dum rapidiſſimo feruntur impetu, ſi ceciderint, nihil eos culcita extremo tantum catadromo ſubiecta iuuerit. quo periculo vt eos liberaret Marcus, per totū ſpatium quà funis tenditur, culcitas iuſſit ſubiici. Ait autem *poſt puerorum lapſum*, occaſionem indicans quæ Marcum impulit, vt hoc excogitaret. non enim aſſentiri debemus optimo & eruditiſſimo viro, Octauio Pantagatho, qui vt accepimus à præſtantiſſimo Puteano, legendum cenſuit. *Funambulis poſt eorum lapſum*, damnata voce *puerorum*. cum tamen magiſtra experientia conſtet, & pueros & puellas ſchœnobaticam exercere. Spectauimus nos aliquando Francofurdi ad Mœnum duas puellas Pariſienſeis, quæ vſu & peritia huius artis magiſtris ſuis, quamuis exercitatiſſimis, vix cederent. Ita igitur hunc locum interpretabimur, ſi regium codicem ſecuti, ſcribamus *funambulis*. Sed ſequentia quomodo interpretabimur? *Vnde hodieque rete prætenditur*. aut quis veterum huius moris fecit mentionem? cum tamen funambulorum tot ſcriptores Græci Latiniq; meminerint. Ex illis cognoſcimus, nihilo poſt Marcum fuiſſe minora iſtorum pericula, quàm priùs. Quamobrem vulgatam lectionem *cunabulis*, quam & ſcripti plerique retinent, damnare non poſſumus. Sententiam quæ optima ſimul & planiſſima eſt, fuſe explicamus in Commentario De lectis & ſtragula veterum veſte, capite de cunis infantium. Ita legit & Robertus Bononienſis. ſic enim refert: *Inter cætera argumenta pietatis Antonij* (ſic ſemper Marcum nominat:) *hoc notabile fuit: quod mandauit vt culcitræ ponerentur ſub cunis puero-*

rum, ne cum caderent offenderentur. Omittit Robertus quod ſequitur de reti: ſine dubio, quod illud quo pertineret, non aſſequeretur. Appellat verò Capitolinus rete, vela reticulata cunis prætendi ſolita, inſtar conopei, quo lecti muniuntur. *reticulum* vocat Spartianus in Vero, vt ibi expoſuimus. Paulus Silentiarius epigrammate in conopeum: Κἀγὼ γάμοις λέκτροις περικίδναμαι· εἰμὶ δὲ κεδνῆς Δίκτυον οὐ Φοίβης ἀλλ' ἁπαλῆς Παφίης. *culcitras* ſcribit regius, cum vulgatis: rectius *culcitas* cum Pandectis Piſanis & libris melioribus.

26. *Eorum qui aderant arte.*] ducum Romanorum ſolertiâ, qui vicinum in Pannonia limitem tuebantur.

28. *Fratre poſt quinquennium reuerſo.*] Conſtat ratio: nam in Vero dicitur hoc bellum per quadriennium eſſe actum, non tam à Vero, quàm à legatis Veri. in itu & reditu aut belli apparatu, vel ordinatione prouinciæ bello confecto, annus inſumtus. cum igitur anno ſecundo imperij ſui & Marci profectus eſſet Verus, vt non obſcurè ſignificat Euſebius, incidat eius in vrbem reditus in annum ſextum imperij vtriuſque. Quare minus recte in eodem Euſebij chronico verba iſta, *Lucius Cæſar de Parthis cum fratre triumphauit*, è regione anni quinti ſunt adſcripta.

30. *Et vndique ſacerdotes acciuerit.*] Puto tunc accidiſſe propter ingentem numerum victimarum quæ mactabantur, & in futurum mactandæ vouebantur, vt iocis vrbanorum hominum perſtringeretur hic imperator: cum dicerent, boues, ſi victor rediret Marcus, defuturos: quod teſtatur illud apud Ammianum Marcellinum, & in Anthologia, diſtichum.

Οἱ βόες οἱ λευκοὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν·
Ἢν δὲ σὺ νικήσῃς ἄμμες ἀπωλόμεθα.

idem poſtea iactatum de Iuliano Parthicam expeditionem parante.

31. *Romam omni genere luſtrauerit.*] Vſitatum luſtrationis genus fuit, vt vel aſpergine circumlatæ aquæ vrbes expiarent. Tertullianus libro De baptiſmo: *villas, domos, templa, totaſque vrbes, aſpergine circumlatæ aquæ expiant paßim*: vel ipſas victimas cum pomeria aut muros vrbis ducerent. Polybius in quarta hiſtoria: Μαντινεῖς καὶ καθαρμὸν ἐποιήσαντο, καὶ σφάγια περιήνεγκαν τῆς τε πόλεως κύκλῳ καὶ τῆς χώρας. *lustrare vrbem aspergine aquae*

24. *Tanta autem peſtilentia fuit.*] Scribe cum Regio, *Tanta autem tunc peſ.* vel vt nobis placebat, *Tanta ea tempeſtate peſtil. f.*

25. *Vt vehiculis cadauera ſint exportata ſarracisque.*] cum de more honeſtiores in lectis efferrentur: vel pauperes, populari ſaltem ſandapila, non vehiculis, vt tunc: & quidem ad ſordidos vſus comparatis. tale enim ſarracum fuit: ideo recte Quintiliano poſitum inter ſordida vocabula, libro octauo, capite tertio. *sarracum*

26. *Tunc autem Antonini leges ſepeliendi ſepulcrorumque aſperrimas ſanxerunt.*] Quia graſſante peſtilentia violari ſepulcrorum iura ſolebant,

aliâs

aliâs sanctissima: ideo nouis legibus hisce fuit tum opus: & eo quidem asperioribus, quo vehementior erat vis morbi. Declarant hunc locum Thucydidis verba è descriptione illa accurata pestilentiæ Atheniensium. ὑπερβιαζομένου, ait, τοῦ κακοῦ, οἱ ἄνθρωποι οὐκ ἔχοντες ὅ, τι γένωνται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων ὁμοίως· νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς. ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἠδύνατο, καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, διὰ τὸ συχνοὺς ἤδη προτεθνάναι σφίσιν. ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον, οἱ δὲ καιομένου ἄλλου, ἄνωθεν ἐπιβάλλοντες ὃν φέροιεν, ἀπήεσαν. Hæc Thucydides: quæ, vt diximus plane hunc Capitolini locum illustrant: nam ex illis optime intelligas, quas sepeliendi leges, & sepulcrorum ferre tum imperatores fuerit necesse. Constituisse autem nõnulla Diuos fratres de iure sepulcrorum, vtcumque colligas ex iis qui supersunt libris iuris: vt ex lege sexta De religiosis, & sumtibus funerum: & lege tertia De sepulchro violato: & si quæ sunt alia ex eorum constitutionibus quæ illuc spectabant Pandectarum libris aspersa.

37. *Quando quidem cauerunt, ne vti quis vellet fabricaret sepulcrum.*] Hæc lectio est membranarum: vbi disertè scriptum *ne*, secus quàm in vulgatis. coercentur hac lege immodici heredum sumtus circa sepulcra: quæ pro defuncti conditione ad certum modum impensarum Marcus redegit. Sed cum pestilentiæ tempore hæc lex sit lata, quando cateruatim homines moriebantur, non video quam opportuna lex ista fuerit. nam vt docebamus ex Thucydide, tali tempestate incuriam potius heredum circa defunctos, habuit Marcus castigare, quam luxum coercere. Quare vnius vocis adiectione locum ita cẽseam potius integrandum: *quando quidem cauerunt, vt si quis succedere vellet, fabricaret sepulcrum.*

Pag. 41. vers. 5. *Tantáque clementia fuit.*] Abutitur voce *clementia*: nam ὁσίαν, & pietatem erga defunctos intelligit. sed respexit ad historiam de plano, quæ posteriore tamen loco posita est.

ib. *Vt & sumtu publico vulgaria funera iuberet efferri.*] Reg. *fieri.* Aemilius Probus, siue is est Cornelius Nepos, in Cimone, *complureis pauperes mortuos, qui vnde efferrentur non reliquissent, suo sumtu extulit.* Aurelius Victor, *Gallo Volusianóque fauor quæsitus, quod anxiè studioséque tenuissimi cuiusque exsequias curarent.* Sed quod isti priuato sumtu, vel publico extra ordinem, pauperes mortuos extulerunt: melius ei rei vetus ecclesia prospexit: instituto certorum hominum ministerio, quos copiatas & parabolanos, siue parabolarios dixerunt: qui pauperibus quocunq; genere valetudinis ægrotis adessent, ac mortuos sepelirent. de his habes in Codice, Nouellis Iustiniani, & iure canonico.

6. *Et vano cuidam.*] Ita nostri codices. at liber Fuluij Vrsini *plano.* vsitatius, & melius.

8. *Finem mundi affore diceret.*] Scribe *dicebat*: vt in Regio.

10. *Profecti itaque sunt.*] Sic regius. erat prius, *pr. tamen sunt.* Scribebam *tandem.* vt hac voce indicetur mora biennij in belli huius apparatu consumta.

11. *Victoualis & Marcomannis cuncta turbantibus.*] Erat editum, *Parthis & Marc.* absurdè: cum neque fuerit quicquam commune Parthis cum Marcomannis: & bellum Parthicum nullum tum sit gestum. rescripsimus vt habetur in regio. Victouali iam inde à temporibus Traiani inter inimicas Romanis gentes innotuerunt. meminere Eutropius, Ammianus & alij: Capitolinus quoque iterum post pauca. Aliis dicuntur *Victophali,* quibusdam *Victuhali*: Pæanio Βικτόαλοι. tot modis densior aspiratio inter vocales exprimitur.

15. *Cum Aquileiam vsque venissent.*] quinam potest vtrouis modo accipi: siue de Marco & Vero, siue de hostibus: quos Marci temporibus vsque ad vicina Aquileiæ loca progressos esse, testes Lucianus in Pseudomanti, & Dio. & addit Lucianus eam vrbem pene interceptam à Barbaris. accipio tamen de imperatoribus: quos Aquileiam venisse, iterum in Vero dicitur. auctor vero Galenus libro Περὶ τοῦ προγινώσκειν, consilium fuisse Marci & Veri hibernare Aquileiæ: quò & se venire iussum à Marco scribit.

19. *Lucius tamen inuitus profectus est.*] inuitum traxit Marcus. vide in Vero.

20. *Cum plerique ad legatos imperatorum mitterent.*] cur ad legatos, cum ipsi imperatores adessent? Scribe, *cum plerique ad imperatorem legatos mitterent.* in Vero, *De quo bello quid per legatos Barbarorum pacem petentium, quid per duces nostros gestum est, in Marci vita plenissime disputatum est.*

21. *Quod amissus esset præfectus prætorio Furius Victorinus.*] qui fortasse idem est cum Cornelio Victorino præf. præt. de quo in vita Pij. Pro *amissus,* alij libri scribũt, *admissus.* quod Turnebo scimus probatũ.

26. *Instandum esse dicebat.*] Puteani melius, *ducebat.*

29. *Via quoque posteaquam iter ingreßi sunt.*] Corrupta, sine dubio, lectio: sed qualem veteres & scripti & editi exhibent. Videntur deesse nonnulla: multa enim in hac vita exscriptorum flagitia. Non displicet quomodo in nonnullis editionibus est emendatum: *Vnâ quoque postea iter ingreßi sunt.* etsi scribit idem Capitolinus in Vero non ambos esse profectos: sed Lucium solùm in vrbem destinatum. Verùm non constat sibi Capitolinus: sicut sequentia quoque arguunt. Melius autem ista cum sequentibus cohærebunt, si scribas: *Vbi autem postea vnà iter ingreßi sunt, sedens cum fratre in vehiculo Lucius, ap.*

31. *Apoplexi arreptus p.*] Reg. *apoplesia correptus.* scribe, *apoplexia.* ἀποπληξία.

32. *Fuit autem consuetudo Marco.*] Quam aliena hæc sint ab isto loco, ne tirones quidem monendi sunt: est enim res manifestissima. in regio longe aliter: sed nihilo melius.

33. *Ex quo quidem ſæpe iocis popularibus dicitur laceßitus.*] confer cum ſimili loco apud Tranquillum libro ſecundo, capite XLV.

34. *Multum ſane potuerunt liberti ſub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus.*] En ſolutas ſcopas. expones verò ex iis quæ ſcribit idem Capitolinus in Vero, *Liberti multum potuerunt apud Verum, vt in vita Marci diximus.* nam poſita hîc verba Marci æquè ac Veri exiſtimationem lædunt: immerito, & non ſine ſcriptoris vel exſcriptoris lata culpa.

Pag. 42. verſ. 1. *Mortuumque eum diuum appellauerit.*] Nummi veteris inſcriptio, DIVVS. VERVS. PARTHICVS. & ab altera facie, CONSECRATIO. S. C.

3. *Antonianos ſodales.*] *Antoninianos.* Lapis antiquus: SODALI. ANTONINIANO. VERIANO. FETIALI.

5. *Nemo eſt principum quem non grauis fama perſtringat.*] ne hominum quidem, vel ſanctiſſimorum, nedum principum. Græcorum verum eſt dictum, ἅπτεται μῶμος καὶ τῶν ἀγαθῶν.

Nemo est principum quem non grauis fama perstringat

7. *Quod Verum veneno ita ſuſtulerit, vt p.*] Reg. *tulerit*, vt ſæpe in his libris. Fabulam tangit Capitolinus iterum in Vero, & Aurelius Victor: ambo acriter confutant. Dio aliter rem narrat: Verum Marci vitæ inſidiatum, ne perderet, periiſſe. ego puto falsò hæc conficta: etſi Caracalla apud Herodianum rem geſtam vult videri: inter imperatores fratricidas, vt ipſe erat, Marcum recenſens.

10. *Caßius poſt mortem Veri à Marco deſciuit.*] Quorſum iſta hoc loco? nam de Caſſij rebellione inferius. eò igitur reiice.

13. *Tum in filium Commodum & quidem ſceleſtum atque impurum.*] Hoc vult: tanta fuiſſe Marcum in ſuos benignitate, vt qui deberet filium Commodum aut perdere, aut à Rep. procul habere ob væſaniam: conceſſerit tamen affectui paterno, & φιλότεκνον potius quam φιλόπολιν ſe probarit: quod apud Dionem illi obiicit Imp. Seuerus.

15. *Citò nomen Cæſaris.*] atqui dictum ſupra rogatu Veri liberos Marci dictos Cæſares.

17. *Quo quidem tempore ſine imperatoris filio ad triumphalem currum in circo pedes cucurrit.*] Quis cucurrit? nam ex hac lectione, quam & membranæ exhibent, non diſcas. ſed locus eſt miſere deprauatus, totâ ſententia corruptâ, vel potius nullâ. Eruditiſſimus Turnebus olim ſic emendabat. *Q. q. t. ſane equo imperatoris filius ad triumphalem currum i. c. p. c.* alij ſic: *Q. q. t. ſanè imperatoris filius*, &c. refellit vero has emendationes, quod de eodem ſcriptum antè Capitolino: *in triumpho liberos Marci vtriuſque ſexus ſecum vexerunt.* nam ſi vectus curru triumphali Commodus, corruunt hæ correctiones. dicat aliquis de fratre Commodi & ſororibus ſuperiora verba intelligenda: non de Commodo: ſed cui fiet veriſimile Commodum pedibus currum triumphalem patris ſui eſſe proſecutum? aut quomodo ſi eſt ita, dici potuit cum patre triumphaſſe? quod ſæpius legas. atqui cauſſa non eſtcur triumphaſſe ſcribatur, niſi

curru triumphali fuerit vectus. Enimuero cum de eximiis Commodi honoribus loquatur hic Capitolinus, quam alienæ ſint ab huius loci ſententia ſuperiores emendationes nemo non videt. Nos aliam longe ſententiam eſſe arbitramur: & pro *ſine* ſcribimus *ſenatus*, pro *cucurrit, accurrit.* nihil poteſt aptius dici ad hunc locum. *ſine* pro *ſenatus* iam ſemel in hac vita vitio ſcriptum indicauimus. Senſus eſt: triumphanti Commodo cum Marco & Vero, inſignem illum contigiſſe honorem, vt currum quo ipſe vehebatur per circum tranſeuntem, ſenatus comitaretur, hinc inde pedibus accurrens. De hoc genere honoris dicebamus ad Suetonium libro quarto, capite XXVI. Ait autem *in circo*, quia triumphantes per circum & forum in Capitolium veniebant.

19. *Feracior ad virtutes.*] εὐφορώτερος πρὸς ἀρετάς: ſed *virtutes* hîc accipe præclara facta ex virtute manantia. ſic Græcis ἀρετὴ pro κατόρθωμα.

23. *Vel inſtitutis mentis praua, vel moribus.*] Ingenita Vero vitia, quæ non ab aliis accepiſſet, verùm ipſe ſuopte ingenio excogitaſſet, appellat *inſtituta mentis prauæ.* At *mores*, quæ velut contagione à ſodalibus & familiaribus in ipſum erant deriuata. nam ἡ διάθεσις eſt φύσει· ἔθη verò ex quibus naſcitur ἦθος ποιὸν, eſt ἐπίκτητον.

25. *Vt vultũ nunquam mutaret mœrore vel gaudio.*] Hæc illa eſt ἀπάθεια Stoicorum: quorum doctrinam plenè hauſerat imbiberatque Marcus. ipſe ait ſe doctum à Claudio Maximo ſtoico, τὸ κρατεῖν ἑαυτοῦ, καὶ κατὰ μηδὲν περίφορον εἶναι. καὶ τὸ εὔθυμον ἐν ταῖς περιστάσεσι.

27. *Et Hadrianus, vt dictum eſt.*] Sic membranæ. locus quo nos reficit non eſt in iis quæ præceſſerunt Iulij Capitolini.

28. *Niſi & ætas puerilis obſtitiſſet.*] Scribe, *niſi ei æt.* & obſerua genus loquendi, quod ad Suetonium notabamus.

29. *Quod generum Pio hunc eundem delegit.*] Ain' tu Marcum Hadrianus Pio generum delegerat? atqui toties dictum, & dicendum, Hadriani iuſſu Ceionij Commodi filiam fuiſſe ei deſponſatam. nemo excuſauerit hanc tantam incõſtantiam: auctor enim dum modò hos ſequitur modò illos, plane ἀσύστατα ſcribit. in Eutropio pene eadem verba.

31. *Ingenti moderatione.*] Alibi, *moderamine.*

34. *Specialiter ipſe bellum Marcomannicum ſ.*] *ſpecialiter*, hoc eſt, ſuo vnius ductu & auſpiciis, non etiam Veri fratris: qui eius belli initio eſt extinctus. Sed neque Germanicum bellum cuius modo facta mentio ab auctore, Vero ſuperſtite geſtum, aut certe confectum eſt. cur igitur tribuitur Marco ſpecialiter bellum Marcomannicum? Scribendum iudico, *Speciali ipſe bellum Marcomannicum, ſed quantum nulla vnquam memoria fuit, tum virtute, tum etiam felicitate tranſegit.* etiam in pleriſque libris eſt *ſpeciale*, non vt in regio *ſpecialiter.* quod Eutropius velut interpretans, eius loco dixit, *vnum ipſe bellum M.* Sed aliter acccipiendum, vt diximus.

34. *Sed quantũ nulla vnquam memoria fuit.*] Oratoriéne hoc ſit dictũ, an

ex

ex fide historica, quę omnes ampullas & τραγῳδήματα aspernatur, nō sine caussa potest dubitari. Sed loquitur auctor ex sentētia hominū illius tēpestatis: qui neq; vllum bellū cum Marcomānico, neq; vllū imperatorem aut ducē cum Marco censebant comparandū. Quamobrē in Romana inscriptione, quæ posita fuit Marco post patratū hoc bellum, leges hæc verba. QVOD. OMNES. OMNIVM. ANTE. SE. MAXIMOR. IMPP. GLORIAS. SVPERGRESSVS. BELLICOSISS. GENTIB. DELETIS. ATQVE. SVBACTIS. S. P. Q. ROM. neque multo aliter de eius belli magnitudine Ammianus Marcellinus iudicat libro XXXI. *Marco itidem*, ait, *moderante imperium, in vnum spirando væsania gentium dissonarum, post bellorum fragores immensos, post vrbium captarum & direptarū & pessum concitas proratoris interitus partes eorū exiguas reliquisset intactas. Verùm mox post calamitosa dispendia res in integrum sunt restitutæ.* locus hic eximius est: sed quo vix alius in tota Marcellini historia deterius videatur acceptus, cum in editionibus, tum in manu exaratis: nam ita scribitur etiam in veteri codice, qui fuit Claudij Faucheti Præsidis monetalis, viri optimi & doctissimi: itemque in altero qui Florentię seruatur, quem mea gratia cum editis contendit Richardus Thomson, vir summa doctrina atque humanitate præditus. Est verò peccatum hîc dupliciter: nam alia verba perperam scripsit librarius: alia τὴν ἀρχὴν, ne scripsit quidem. Lego, *post vrbium captarum & direptarum, & pessumdatarum cunctarum prouinciarum interitus, cum partes earum exiguas reliquisset intactas* .... *Verum mox* &c. in vacuo spatio desunt huiusmodi verba: *vniuersam prope iam rem Ro. extinxerat.* Protulimus autem hunc Ammiani locum, ne cui videatur mirum Capitolini de hoc bello iudicium. nam in regiis membranis totus locus in aliam sententiam ita conceptus: *Contra G. r. f. gessit: specialiter ipse b. Marcomānicum: sed quanta nulla vnquam memoria fuit, tum virtute, tnm etiam felicitate transegit.* quam lectionem non dubitamus ab iis excogitatam, qui bellum istud cum antiquis Gallorum, Cimbrorum, Pœnorum & Mithradatis non rebantur conferendum. at vulgatam confirmat etiam Eutropius, qui acceptā à Capitolino sententiam ita expressit. *Bellum ipse vnum gessit Marcomannicum: sed quantum nulla memoria fuit: adeo vt Punicis conferatur: nam eo grauius est factum, quod vniuersi exercitus Romani perierant.* postrema Eutropij verba, quæ ille minuendæ admirationi adiecit, nisi è sequentibus Capitolini exponantur, à vero aliena sunt.

36. *Multa millia & popularium & militum interemerat.*] vrbanam multitudinem vocat *populares*, & militibus opponit. sic sæpe apud optimos Latinæ linguæ scriptores. Vlpianus De officio præfecti Vrbi: *Debet etiam dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem* non enim popularia ibi debent intelligi, vt doctissimi viri exposuerūt: sed populares, vt hoc loco, pro turba populi. Sic *militares* pro militibus, cum in his libris, tum apud Victorem vtrumque sæpissime. Pro

populares militibus oppon[it]

interemerat, regius, *interierunt*. non male, si scribas, *pestilentia graui*.

Pag. 43. vers. 4. *Omne ærarium exhausisset suum.*] id est, tam fiscum quàm ærarium.

6. *Auctionem ornamentorum imperialium fecit.*] Factum sæpe à Rom. imperatoribus, vt in pecuniæ inopia species superuacuas, quæ inter ornamenta imperialia habebantur, vænum exponerent. Primus de quo id legimus Caligula est: quem refert Suetonius, *auctione proposita reliquias omnium spectaculorum subiecisse & venditasse*: deinde *inuitatum lucro, quicquid instrumenti veteris aulæ erat*, hastæ similiter subiecisse. Sed quod hæc lues cũ summa sua infamia, optimi principes æterna cũ laude fecerunt: vt Nerua, qui vt scribit Dio Cassius, χρημάτων ἀπορῶν, πολλὰ μὲν ἱμάτια καὶ σκεύη καὶ ἀργυρᾶ, καὶ χρυσᾶ, ἄλλα τε ἔπιπλα καὶ ἐκ τῶν ἰδίων καὶ ἐκ τῶν βασιλικῶν, πολλὰ δὲ καὶ χωρία καὶ οἰκίας, μᾶλλον δὲ πάντα, πλὴν τῶν ἀναγκαίων, ἀπέδοτο. & Traianus: de quo Plinius in Panegyrico, *Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium: quo sit detestanda auaritia illius, qui tam multa concupiscebat, cum haberet superuacua tam multa.* item Pius: de quo Capitolinus. *Species imperatorias superfluas, & prædia vendidit.* horum & Marci exempla secutus postea Pertinax, teste in vita eius Capitolino.

8. *Vestem vxoriam sericam, & auratam g.*] Victor non ille Schotti, sed alter, sic descripsit hæc verba: *vxoriam ac suam sericam & auream vestem.* vbi magnam obseruabis eius scriptoris incogitantiam: qui & Marco sericam tribuat vestem: quod non dicit Capitolinus vnde ille sumit: & scimus nos esse falsissimum. Eutropius Verum describit.

9. *In repostorio sanctiore.*] ita dictum, vt sanctius ærarium. corruptè in regio, *sanctione Hadriani.*

14. *Sciret licere.*] Mira locutio: *dedit potestatem, vt sciret licere*: sed non est obscura mens. antecedens positum pro consequenti: nam est sensus: dedit potestatem vt consulerent suis quisque commodis, gnari id sibi licere. Sic locutus Cicero epistola quadam ad Acilium proconsulem: *Peto abs te vt eum in meis intimis maximeque necessariis scias esse.* id est, sic eius consulas commodis, vt qui scias eum mihi esse coniunctissimum.

15. *Tunc viris claris permisit.*] Regius, *clarioribus*: sic olim legit Victor, cuius verba: *Hic permisit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu quo & ipse, & ministris similibus, exhiberent.* Erat hæc permissio necessaria, vt instituta sectio posset peragi. Nam alioquin imperatoriam supellectilem quis esset ausus emere? Plinius loquens de auctione Traiani: *Tanta benignitas principis, tanta securitas temporum est, vt ille nos principalibus rebus existimet dignos: nos non timeamus quod digni esse videmur.* Lampridius in Heliogabalo: *primus omnium priuatorum toros aureis toralibus texit: quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum imperatorium publicè vendiderat.*

16. *Vel ministris similibus.*] hoc enim licebat nemini. Tranquillus de

de Domitiano, *Generum fratris , indigne ferens & ipſum albatos miniſtros habere , proclamauit, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.* ne curſores quidem fas priuato habere eodem cultu quo eſſent imperatorij : ſed mutauit Aurelianus,vt notat Vopiſcus. Erant autem hæc miniſteria albata & aurata, vt ex Suetonio, Lampridio, aliis, eſt notum. ac fere non alia quàm laſciua erant iſta miniſteria : quæ propterea pium principem Theodoſium lege ſuſtuliſſe narrat Victor.

17. *In munere autem publico tam magnanimus ſ.*] Parum hæc ſuperioribus cohærent:& longe alius ordo in regio. *Magnanimus*, καταχρηστικῶς, pro magnificus. Sic apud Græcos voces μεγαλοπρεπὴς & μεγαλόψυχος, necnon μικροπρεπὴς & μικρόψυχος confundi,alibi obſeruabamus. In Euſebij Chronico ad annum vltimum imperatoris huius hæc ſcripta ſunt, etiam in antiquiſſimis membranis : *Antoninus poſt victoriam adeo in editione munerum magnificus fuit, vt centum ſimul leones exhibuerit.* quæ verba è Capitolino illuc videntur fuiſſe tranſlata.

21. *Octauodecimo anni imperij ſui.*] Mirum vnde hic error:qui tamen etiam apud Aurelium Victorem habetur, ſiue auctorum ille eſt, ſiue exſcriptorum. Annus integer in hoc numero prætermittitur, & dies amplius decem vel vndecim. Obiit apud Sirmium,(alij ſcribunt Vendobonæ) die decimoſexto Kalendarum Aprilium, ait Tertullianus in Apologetico : Dio Caſſius vnum diem adiicit τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ τοῦ Μαρτίου μετήλλαξεν.errant qui de die conſentire hos duos auctores aiunt. Virum illuſtriſſimum qui in Annalibus ſuis non ſemel ſcripſitMarcum rebus humanis fuiſſe exemptum die decimaſeptima Aprilis, quid mouerit diuinare non poſſum : niſi forte,aliud agenti hoc excidit.

23. *Tantuſque illius amor eo die regij funeris claruit.*] Sic in vita Caſſij: *Et amor Antonini hos maximè enituit.* Tolle vocem *eo*, quæ totam ſententiam obſcurat. Ait, die quo celebratum eſt imperatorium Marci funus,neminem illum planxiſſe:iam quippe illum populus Ro. eluxerat. Nam ad nuntium è Pannonia allatum de eius obitu, *confuſa luctu publico Vrbe,ſenatus in Curia veſte tetra* (vel *atra*) *amictus, lacrymans conuenit*, ait Victor.

27. *Senatus populúſque,non diuiſis locis.*] Aurelij Victoris verba hinc cape : *Denique qui ſeiuncti in aliis,Patres ac vulgus ſoli omnia decreuere, templa,columnas, ſacerdotes.*

29. *Hic ſane vir tantus.*] inſertam periodum alieno loco nemo non videt.

30. *Qui ſi felix fuiſſet,filium non reliquiſſet.*] Scribebam,*qui felix fuiſſet,ſi f.*Spartianus in Seuero, *Quid Marco felicius fuiſſet, ſi Commodum non reliquiſſet heredem?* Dio eleganter: quod filium,ait, à ſe educatum optime,peſſimum reliquerit, ἐν τούτῳ ἐς τὴν οὐκ εὐδαιμονίαν αὐτοῦ συνηνέχθη. Ouidius, —*qui ſi ſine prole fuiſſet, Inter felices Cyniras potuiſſet haberi.* Seruant tamen editam lectionem omnes codices : neque aliter deſcri-

ſit Robertus à Porta.

33. *Sacrilegus iudicatus eſt, qui eius imaginem in ſua domo non habuit.*] Genus honoris, quod initio peperit affectus in principem, vel metus aut adulatio: poſtea neceſſitas acceſſit. Sic narrat Vopiſcus cauiſſe Tacitum, *vt Aurelianum omnes pictum haberent.* Idem in Probo, *Eant, & dignitatem Probo derogent, quem imperatores noſtri prudenter conſecrandum vultibus iudicarunt.*

37. *Somniis eum multa prædixiſſe.*] Videtur ſignificare ſolitam in Marci templis exerceri τὴν δι' ἐγκοιμήσεως μαντικὴν: conſultoreſque inibi incubantes ſomnia captaſſe, vt in Aeſculapij templis, & aliis quibuſdam fieri ſolitum. Legebatur, *multa prædixiſſe augurantes futura & vera*: nos vocem *augurantes*, libris auctoribus induximus.

Pag. 44. verſ. 3. *Omnia quæ de ſacratis decreuit antiquitas.*] Impropriè *ſacratis*, pro conſecratis. nam *ſacrare* cum de perſonis dicitur, eſt θεῖόν τι προσνέμειν, vt olim in tribunis factum, poſtea in imperatoribus: qui propterea ſacratiſſimi dicũtur. at mortuis principibus quos inter cœlites retulerant, non diuini aliquid, ſed deitatem, vt ita dicam, cenſebant ineſſe: neque hoc *ſacrare*, ſed *conſecrare*, Græci ἀποθεοῦν dixerunt, vel θεὸν ποιεῖν.

6. *Ac talem fabellam vulgari ſermone contexunt.*] cur fabellam appellat hiſtoriam, quam modo dixit veriſimilem? quod & paullo poſt repetit. *vulgari ſermone contexere*, non eſt vili & plebeia dictione componere: ſed è ſermonibus vulgi, non autem ex vllo probatæ fidei auctore.

7. *Cum gladiatores tranſire vidiſſet.*] non temere aut caſu, vt vulgo accipiunt: ſed *cum oſtentata per arenam periturorum corpora mortis ſuæ pompam ducerent*, vt loquitur Quintilianus in nona declamatione.

11. *Vt occiſo gladiatore.*] Scripti quidam, *vt occiſo Pantonomo, ſeu gladiatore.* Scripſerat Capitolinus, *vt oc. pantomimo ſeu gl.* nam ſequitur, *De amatis pantomimis ab vxore fuit ſermo, vt ſuperius diximus.*

ib. *Sanguine illius ſeſe Fauſtina ſublauaret.*] hoc eſt, locos ſibi & τὴν φύσιν lauaret. Vtrumque poteſt ſignificari voce *ſublauare*, leuiter lauare, vel inferiores partes lauare: quod magis videtur ſententiæ accommodum. Princeps editio *ſubleuaret.* Sunt qui ſcribant, gladiatoris huius quem Fauſtina deperibat, ſanguinem, in aquæ ſpeciem mutatum, illi infauſtæ fuiſſe propinatum: cui rei fingendæ videtur vox iſta *ſubleuaret* anſam præbuiſſe. hoc tamen commentum ſecutus eſt ille ſuauiludius, qui inſcriptionem eam compoſuit, quæ à Fauſtina poſita fingitur, amore iſto liberata.

16. *Vt in vita eius docebitur.*] Non extat hæc vita à Capitolino ſcripta: eſt enim Lampridij quæ infra habetur: niſi imponunt nobis vulgares tituli. Poſſit ſane videri verba hæc illius libri reſpicere: *Tantum palmarum gladiatoriarum confecit, vel victis retiariis vel occiſis, vt mille contingeret.*

21. *Apud Caietam.*] Aurelius Victor,*in Campania sedens amœna litto-m obsidebat.*eum vide.

ru 22. *Conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse.*] Vt γαμεῖν & *nubere,*voces honestissimæ ad turpem notionem transferuntur,sic *conditio.*nam apud Ciceronem atque alios, *conditio* id est quod vulgo dicitur *vn parti.*hîc aliter. similiter apud Lampridium in Alagabalo, *conditiones bene vasatorum colligere* : &,*bene vasatorum conditionibus frui.* eo loci & de nauticis conditionibus plura.

24. *Dos autem quid erat.*] Sic scripti.alij,*quid habebatur.*

30. *Deus vsque etiam nunc.*] Scripti,*deúsque etiam nunc h.*

31. *Vt vobis ipsis sacratißime imperator.*] in primis editionibus & manu exaratis plerisque, *vobis ipsi* non *ipsis.* qui fuit postremæ Latinitatis idiotismus. nam in scriptoribus illis , vt apud Iuonem Carnutensem, sæpissime leges,*vos ipse attendite.*&,*vos ipse scripsistis* , ac similia. eius generis est apud veteres Romanos,*tacente nobis,dicente nobis,*quæ nota sunt eruditis.

35. *Etiamsi philosophia nec Plato esse poßit.*] Scimus viros magnos hunc locum pro deprauatissimo habuisse , & tantum non proconclamato:qui tamen videtur nobis integerrimus. tantum ita scribe, *ac sæpe dicitis vos vitâ & clementiâ tales esse cupere qualis fuit Marcus:etiam si philosophiâ nec Plato esse poßit.* talis & tantus videlicet qualis quantusque in eo studio fuit Marcus. Porro quantus in philosophia habitus sit Marcus , habes in Veri quæ sequitur vita.

37. *Hæc sunt gesta. Post fratrem pr.*] Distingue,*Sub M. A. hæc sunt gesta post fratrem. Primum c.*

Pag.45.vers.1. *Corpus eius Romam deuectum est.*] Suspitionem mendæ iniicit regius qui præfert *c.eius vt Romam deueheretur est & ill.*auctor est Galenus in Commentario Πεϱὶ τῶ πϱογνώσκειν , Marcum Veri media hieme defuncti corpus Romam aduexisse,& iustis illi factis ad bellum contra Germanos statim esse profectum. quanquam ex Capitolino colligas, non adeo modicum fuisse tempus , quod Romæ egit Marcus prius quàm iterum proficisceretur ad id bellum.

6. *Se quasi à principio acturum esse Remp.*] ὅτι οἱονεὶ ἐξ ἀπαρχῆς μέλλει πολιτεύεσθαι : hoc est , velut iactis nouis fundamentis omnia in melius mutare.

7. *Nec aliter senatus accepit quàm Marcus dixerat.*] Satis inhumanum est putare Marcum de morte fratris palàm esse gauisum. Molliamus censeo asperitatem sententiæ,& scribamus,*N.a.s.a. quæ Marcus dixerat, quàm vt videretur grat.ag.*

9. *Omnibus deinde sororibus.*] Iam dixit ; *amitásque eius & sorores honoribus & salariis subleuauit.*quare in regio ista heic non leguntur.

10. *Erat enim famæ suæ curiosißimus.*] Paullo post,*Male loquentium dictis vel literis vel sermone respondebat.*& in fine,*de auaritia se multis epistolis purgat.*

12. *Emendans quæ bene reprehensa viderentur.*] *erat emendans*, pro emendabat. vt Attici ἐπανορθῶν ἦν pro ἐπηνόρθου. mirum quam delectetur hoc Atticismo durus scriptor & minimè Ἀττικὸς Lucifer Caralitanus: apud quem leges passim, *es dicens*, *es capiens*, *es permanens*, *es credens*, & id genus sexcenta, quæ rariùs inuenias alibi. heic quoq; malim scribi *emendabat.*

14. *Non decurso luctus tempore.*] ante exactum annum luctus legitimi.

ib. *Grandæuo equitis* Ro. *filio.*] Sic regius: alij libri, *grandæui*: malè.

16. *Quem postea bis consulem fecit q.*] in anno Marci XIII. Seuerum II. & hunc Pompeianum Coss. exhibent Fasti. alterum consulatum adhuc quæro.

19. *Res per legatos bene gestæ sunt.*] huc refero quod in saxo quodam Hispanico dicitur Marcus, DEVICTOR. OMNIVM. GENTIVM. BARBARARVM. Addit regius, *& per ipsum compositæ.* ex altero loco qui non longe sequitur in hæc verba: *Compositæ res in Hispania, quæ per Lusitaniam turbatæ erant.* talia multa in eo codice, quæ nihil attinet adnotare.

20. *Per Aegyptum Bucolici milites grauia multa fecissent.*] Volcatius Gallicanus in Auidio Cassio non idem solum dicit, sed iisdem plane verbis cum Capitolino: vt videatur alter alterum describere: vel potius, quod & certum est, ambo Marij Maximi verbis, loquuntur. de hoc bello & prædonibus istis Aegyptiacis eorumque duce Isidoro, lege Xiphilinum. dicti sunt Βουκόλοι & Bucolici à vulgari appellatione eius loci quem insiderent: nam vt ait Heliodorus, Βουκόλια σύμπας κέκληται πρὸς Αἰγυπτίων ὁ τόπος. vide necessario sequentia: nullus enim est veterum scriptorum, vnde hæc discas tam bene, atque hic vnus. Hieronymus in vita Hilarionis eremitæ. *Qui cum reuertisset, cupienti rursum ad Aegyptum nauigare, hoc est ad ea loca quæ vocantur Bucolia, eò quod nullus ibi Christianorum esset, sed barbara tantum & ferox natio*, &c.

21. *Retusi sunt.*] Reg. *retunsi.* vt obtunsus. alibi, pro obtusus.

22. *Sub ipsis profectionis diebus in s.*] Palam est auctorem loqui de altera Marci ad bellum Germanicum profectione, post Veri mortem suscepta: hoc enim arguunt manifestissime verba præcedentia, quibus hæc cohærent. Onufrius tamen Panuinius ad prioré profectioné refert in qua habuit Marcus fratré Verum comitem. mouetur vir eruditissimus sequentibus verbis, *& quia ludi* Iouis OPT. MAX. *erant*: quæ ille interpretatur de agone Capitolino: refertque illam priorem Marci ac Veri expeditionem in annum qui consules habuit Pudentem II. & Pollioné Vitrasium: quo anno agon Capitolinus XXI. fuit celebratus. Fallitur vero diligentissimus Onufrius in hoc epilogismo: & quidé lustro integro: nam si per ludos Iouis OPT. MAX. quorum hîc mentio, Capitolinus agon intelligitur: de quo tamen dubitari nec temere potest: certissimum est non de illo lustro capiendum esse, quod putat Onu-

Onufrius,ſed de eo quod illud proxime eſt ſecutum.In errorem impulit, quod tempus à Vero inſumtum in Parthica expeditione multo quàm debuerit breuius ſtatuit. hoc πρῶτον ψεῦδος: vnde alia peccata in aſſignandis vtriuſque expeditionis Germanicæ temporibus. nam eius ſententiam refellit manifeſto Galenus: quo nemo melior aut certior rerum illarum teſtis.

23. *Filium nomine Verum Cæſarem.*] Lege quæ notamus ad Lampridij Commodum.

24. *Execto ſub aure tubere.*] Reg. *excepto*: corrupte; vt ſunt ibi pleraque in hac vita corruptiſſima. Si quid mutandum ſcribam *exorto*.ſed placet *execto*:nam videtur ea voce medicorum imperitiam notare, qui intempeſtiua tuberis ſectione pernitiem huic puero attulerunt. quanquam id legere non memini apud Galenum, aſſiduum criminatorem medicorum qui in aula & in Vrbe ea tempeſtate alicuius erant nominis.

25. *Conſolatuſque etiam medicos actibus publicis ſe reddidit.*] Prorſus ridicula lectio:inRegio hoc ſolum aliter,quod *rediit* ſcriptum,non *reddidit*: omiſſa vocula ſe: quam nullus veterum agnoſcit. Tentabam ex veſtigiis iſtis, *conſolatuſque etiam edicto ſe, publicis actibus reddidit.* vel,*ad publicos actus rediit.* Solebant imperatores etiam de huiuſmodi rebus cum populo per edicta agere: quorum exempla in Suetonij Claudio, & Cæſarum hiſtoria tota paſſim. Sed placet nobis impensè clariſſimi Lipſij emendatio,*conſultuſque,etiam medios publicis actibus reddidit.*

28. *Imago aurea circenſibus per pompam ferenda.*] Petitum exemplum ab iis quæ in Germanicum olim decreta.Tacitus:*decretum vt ludos Circenſes eburna effigies præiret.* notus mos.

29. *Et vt ſaliari carmini nomen eius inſereretur.*] Tacitus,*vt nomen eius ſaliari carmine caneretur.* multa nos de hoc genere honoris apud Athenæum libro ſexto,capite XIV.Simile apud Athenienſes fuit quod bene meritos de republica peplo Mineruæ intexebant:vnde natum apud illos prouerbium, ἄξιος ἐστι τοῦ πέπλου. vt ſi dicas, dignus eſt, cuius nomen ſaliari carmine canatur. Ariſtophanes in Equitibus,

> Εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
> Ἄνδρες ἦσαν τῆσδε γῆς ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου.

Diodorus Siculus libro XX. vbi narrat decretos ab Atheni:nſibus honores Antigono & Demetrio: καὶ συντελεῖν αὐτοῖς ἀγῶνας. καὶ πομπὴν καὶ θυσίαν ἐνυφαινόντων αὐτοὺς εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλον καὶ ἐνιαυτόν. Velim verò obſeruari quod hic ait Diodorus de annuo peplo: nam Mineruæ peplus non quotannis illi conſecrabatur, ſed διὰ πενταετηρίδος, vt ſcribunt veteres critici:& Plautus diſertis verbis in Mercatore,*quinto quoque anno.*

30. *Deorum cultum diligentiſſimè reſtituit.*] fecerat idem iminineute bello Parthico.quod teſtantur Acta Græca Abercij ſtatim initio: Μάρκου Ἀντωνίνου καὶ Λουκίου Βήρου τὴν αὐτοκράτορα Ῥωμαίων διέποντος ἀρχὴν, δόγμα ἐπὶ

πᾶσαν ἐφοίτα τὴν γῆν, ὅση ποτὲ Ῥωμαίοις ὑπήκουε, δημοτελεῖς κελεῦον τοῖς λεγομένοις θεοῖς σπονδάς τε καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν. quæ referrem lubens ad hoc tempus: nisi vetaret series eorum Actorum: vt quidem illa Metaphrastes digessit.

31. *Quemadmodum bello Punico factum est.*] Robertus à Porta, *bello secundo Pun.*

32. *Quos Voluntarios exemplo Volonum appellauit.*] De Volonibus notum ex Liuio, Festo, Macrobio, aliis. Apud Liuium in eadem historia Voluntarij quoque sæpe nominantur: qui diuersæ conditionis fuerunt ab istis Marci Volonibus: liberi nempe homines, non serui: qui cum vel propter ætatem, vel quod legitima stipendia confecissent, cogi non possent, sponte militabant. Euocati postea dicti sunt, hoc est, inquit Dio, ἀνάκλητοι.

33. *Armauit & gladiatores.*] Tacitus de copiis Othonis, *deforme insuper auxilium, duo millia gladiatorum: sed per ciuilia arma etiam seueris ducibus vsurpatum.*

34. *Quos Obsequentes appellauit.*] tanquam non in legionibus militantes, sed in obsequiis principis. in vita Pertinacis, *cum milites de castris ad obsequium principis conuenissent.*

ib. *Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit.*] Latrones appellat gentem latrociniis deditam ex præda & rapinis plurimum viuentem. non enim parti Dalmatarum aut Dardanorum, sed in vniuersum omnibus hoc nomen conuenisse ex historicis notum & geographis. Dalmatarum militum meminit vetus inscriptio Moguntina, cuius initium.

PLASSI. F. DIOCLEAS
MIL. EX. COHORTE. V
DALMATARVM.

35. *Armauit & Diocmitas.*] Regius, *Daticas.* sed vulgatam scripturam tuetur locus Ammiani, quem subieci è libro XXVII. loquitur autem de Musonij vicarij Asiæ expeditione contra Isauros prædones. *Adhibitis,* ait, *semiermibus paucis, quos diocmitas appellant, vnum grassatorum cuneum, si patuisset facultas, adoriri est conatus.* sic legunt ibi & antiqua Marcellini exemplaria. Errant qui existimant scribendum *diogmitas.* διωγμὸς Græcum est vocabulum: at διωγμίτης, non Græcum sed Barbarum. Nobis diu placuit scribi *dioctas.* Apparet ex Ammiano militum genus fuisse leuissimę armaturæ: quorum opera aduersus prædones, & id genus fugaces hostes vtebantur. Vetus Romanorum mos fuit, vt per singulas prouincias sorte ductas cohortes collocarent contra latronum incursiones. Tertullianus: *Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur.* Hi sunt latrunculatores, quos Iustinianus in Nouella octaua, & XXVIII. ac XXIX. appellat ληστοδιώκτας, & βιοκωλύτας. Sed quoniam *Diocmitas* scriptum in omnibus libris, regio excepto, inuenimus, scribam lubens cum Iosepho Scaligero, *Docimitas.* id nomen populi in agro Synadensi Phrygia, de quo Strabo aliique. Videtur Marcus horum

rum

rum aliquot cohortes in exercitu suo habuisse, vt Dalmatarum & Dardanorum. Meruerunt aliquando inter Romanorum mercenarios & Dolomitæ. gens ea fuit in Persidis montanis sita: de qua fuse Procopius libro vltimo.

Pag. 46. vers. 4. *Cum tabulis magnorum artificum.*] Perperam in membranis, *magistrorum artif.*

5. *Marcomannos in ipso transitu Danubij deleuit.*] Marcomannos intellige, non gentem ipsam, quæ multis post seculis infesta Romano nomini perdurauit: sed illum tantum exercitum eorum, qui stabat in acie. sequitur statim, *accepit in deditionem Marcomannos.* vide Xiphilinum & Legationum ex Dione Excerpta. narrat Dio, Iazygas magnam cladem accepisse, ea pugna quæ pugnata est super aquis Danubij gelu concretis: de qua fortasse clade hæc sunt accipienda.

6. *Gentes omnes ab Illyrici limite vsque Galliam conspirauerant.*] Aurelius Victor, *Triumphi acti ex nationibus quæ regi Marcomaro ab vsque vrbe Pannoniæ, cui Carnuto nomen est, ad media Gallorum protendebantur.* Hæc Victor: vbi vides illius in historica narratione securitatem: nam falsum omnes gentes quæ ad bellum Germanicum siue Marcomannicum societatem iunxerunt, regi Marcomaro fuisse subditas. & quod ait, *vsque ad media Gallorum.* melius Capitolinus, *vsque Galliam.* vel vt alij, *vsque in Gall.* Sed ita loquitur Victor, res in Sequanis turbatas respiciens. de quo mox & Capitolinus.

7. *Narisci.*] In excerptis Legationum è Dione appellantur isti Ναρισταί. in regio quoq; eadem terminatio: sed in principio ibi peccatum, *Tharistæ* pro Naristæ. Tacitus *Nariscos* aut fortasse *Naristos* nominat, in libro De moribus Germanorum. in codice Augustano *Varistæ*: quomodo etiam in Ptolemæi codicibus: nam ibi Οὐαρισοί.

ib. *Hermunduri & Quadi.*] Reg. *Hermunduli.* Quatuor hos populos etiam Tacitus similiter iungit. *Iuxta Hermunduros*, ait, *Narisci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt.*

8. *Latringes & Buri.*] Reg. *Latringes, Burci.* Suspicor esse qui in libris Taciti dicuntur Marsigni & Burij, sermone cultuque Sueuos referentes. nisi mauis Marsignos Taciti esse Μαρσουίγγους Ptolemæi: quod propius vero. at in Excerptis è Dione Δάσκριγοι deprauatè, pro Λάσκριγοι, vel Λάτριγγοι. Iornandes nominat & Astringos: qui non sunt Latringes isti: sed qui dicuntur Dioni Ἄστιγγοι. *Burri* Ptolemæo quoque οἱ Βοῦροι, & Dioni in Excerptis.

9. *Hi aliique cum Victoualis.*] Regius *Hyalij.* sic & Puteani vnus. Sed Hyaliorum inter gentes Germanicas aut Sarmaticas, quod sciam, nemo est qui fecerit mentionem. Assentior igitur Beato Rhenano, reconditæ doctrinæ viro, qui pridem corrigendum monuit *Taifali.* nota gens ex Mamertini panegyrico, & magis ex Ammiani historia XXXI. vbi multa de horum turpi & obscœna vita. Iornandes de rebus Geti-

cis Tafilos dicit,ſiue Thuifalos.de Victoualis,qui Ammiano Victobali,ante dictum.Scripti, *Conuictuales.*

ib. *Soſibes* , *Sicobotes.*] Regius, *Sicrobotes.* vtrum melius , aliis quærendum relinquimus : nobis enim hæc populorum nomina, alibi non comperta. Qui deinceps ſequuntur, omnes vulgo notiſſimi. *Coſtoboci*, Dioni Κοστούβωκοι. Ptolemæi codices , Κοιστοβῶκοι.

15. *Semper ſane cum optimatibus.*] Non ſignificat vox hæc ſub Imperatoribus,quod olim libera Rep.cum eſſent & dicerentur alij optimates,alij populares.nam mutata eius forma,&ſtudiis partium extinctis, omnes qui in Rep. eminerent dicti optimates. Gloſſæ vertunt rectè, πρωτοπολῖται.at vetere notione,optimates erant οἱ ὀλιγαρχικοί.vt ad Theophraſtum obſeruabamus : non autem indiſtinctè τὰ πρῶτα τῆς πόλεως. Aurelianus in epiſtola ad Gallonium *optimates Gotthicas* appellat , mulieres captiuas in ſua gente nobiles. Ingens abuſus in hac voce poſtea commiſſus,cum dicti ſunt optimates miniſtri poteſtatum : quales ſunt in Nouellis οἱ ταξεῶται, aut ſpiculatores,vel ſimiles his : qui iuſti milites non erant,ſed quaſi publici quidam ſerui ducibus miniſtrabant,optionibus ſimiles.ſemper tamen hos Græci ὀπτιμάτους nominant:vt Tacticorum auctores,& Conſtantinus libello Περὶ θεμάτων : vbi multa de themate optimatum.at optiones etiam Procopio ὀπτίωνες.

21. *Grauiter carpebatur.*] iſtud probabilius,quàm quòd antè dictum: *Dabat ſe Marcus totum & philoſophiæ,amorem ciuium affectans.*

23. *Bello Germanico,ſiue Marcomannico , ſiue plurimarum gentium.*] ſic loquitur vt ſignificet poſſe hoc bellum non ſolum Germanicum aut Marcomannicum appellari : ſed etiam Sarmaticum, & Quadicum,& Sueuicum,& alijs plurimis nominibus ,de ſingularum gentium appellationibus,quas modo Capitolinus enumerauit.

ib. *Quibus omnibus ſtatuas in foro Vlpio collocauit.*] ſic Auguſtus ſtatuas omnium ducum in vtraque fori ſui porticu dedicauit.

27. *Nec prius receſſit quàm omnia bella finiret.*] Rectè,ſi de prioribus expeditionibus accipias:nunquam enim receſſit niſi victor &rebus cum hoſte compoſitis. at vltimum bellum conſtat ab eo non eſſe confectum.ſed non recedit à bello qui illi immoritur.

28. *Prouincias ex proconſularibus conſulares , aut ex conſularibus proconſulares,aut prætorias pro belli neceſſitate fecit.*] Prouinciarum alia eſt ordinaria adminiſtratio,alia extraordinaria.ſæpe enim principes, pro temporum neceſſitatibus,formam vſitatam immutarunt. *temporaria autem permutatio ius prouinciæ non immutat*,inquit Vlpianus lege CXXIV.de regulis iuris.Exempla ſunt in hiſtoria principali,iam inde ab Auguſto multa. Eiuſmodi eſt quod hîc obſeruatur de Marco: & quod de Alexandro ſcribit Lampridius:*Prouincias prætorias præſidiales plurimas fecit:proconſulares ex ſenatus voluntate ordinauit.* Obſeruabis in Capitolini verbis diſtingui prouincias conſulares à proconſularibus:in quo vel peritiſſimi

rei Romanæ iure hæreant. nam quod inter has discrimen statuemus? Proconsulares scimus dictas in quas mittebantur functi consulatu, vt illis proconsule præessent. iidem consulares dicebantur, & eorum prouinciæ modò consulares, modò proconsulares. Non aliter apud M. Tullium & cæteros veteres scriptores hæ voces accipiuntur. mira igitur hæc Capitolini distinctio, atque vt puto, alibi non legenda. Accedit huc, quod præsidialium prouinciarum nulla heic mentio. cur prætermisit? melius Lampridius: qui tria prouinciarum nomina, quot & fuerunt, ponit distinctè: proconsularium & prætoriarum, quæ in potestate populi: & præsidialium, quæ propriæ principis ex institutione Augusti. Erant præter prouincias & præfecturæ quædam cum in Italia, tum alibi, quas consulares viri administrabant, de quibus in Hadriani vita dictum est. an igitur de his præfecturis sentit Capitolinus, & prouincias diuersa notione nominat? omnis enim procuratio cuiuscunque partis Reip. prouincia dici potest. sic apud Ciceronem prouincia callium & aquarum. Vix tamen putem, hanc interpretationem conuenire isti loco. Obseruabamus ad Spartiani Hadrianum, etiam præsides & legatos prouinciarum Augusti, postea appellatos esse proconsules, vel proconsules Augusti. ex hac consuetudine loquendi proconsulares prouincias interpretari heic possumus, præsidiales.

30. *Res etiam in Sequanis turbatas.*] Strabo libro quarto, πέραν τοῦ Ἄραρος οἰκοῦσιν οἱ Σηκουανοί, διάφοροι καὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐκ πολλοῦ γεγονότες, καὶ τοῖς Ἐδούοις, ὅτι πρὸς Γερμανοὺς προσεχώρουν πολλάκις, κατὰ τὰς ἐφόδους αὐτῶν, τὰς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν. Hæc Strabo de antiquis Sequanis: quorum posteros eandem seruasse mentem, eosdem animos hæc maxime historia testatur.

ib. *Censura & auctoritate repressit.*] Reg. *compressit. Censura* pro seueritate & exactiore disciplina, recentioris est Latinitatis. sic autem in his libris, & apud Latinos patres sæpissime. Marcus in oratione ad senatum, opponit clementiæ: *vt censura vestra deposita, meam pietatem clementiámque seruetis.* τὸ ἀπαραίτητον vocat *censuram.* Vulcatius, *ipsius mores varij semper fuerunt: sed ad censuram crudelitatémque propensiores.* inde *censorius* pro graui, Trebellius Pollio: *Consulem habuimus tam seuerum, tamque censorium, vt in eius magistratu nemo pranderit.* Iocus est M. Tullij, quem refert: at verba non Tulliana. nam aliter Macrobius.

32. *Filio Commodo accersito ad limitem.*] Germanicum. Dio.

33. *Togam virilem dedit.*] Capies ex istis mentem Dionis scribentis: ὁ Μάρκος τὸν Κόμμοδον τὸν υἱὸν ἐκ τῆς Ῥώμης, ὡς καὶ ἐς ἐφήβους ἤδη τελεῖν δυνάμενον μεταπέμψατο. nam illa ὡς καὶ ἐς ἐφήβους ἤδη τελεῖν δυνάμενον, ex more Romano debes interpretari, *cum id iam ætatis esset, vt toga virilis ei posset dari.*

34. *Ante tempus.*] venia legis annariæ impetrata. Lamprid.

35. *Proscriptus esset à præfecto Vrbi.*] Accipe illa *à præfecto Vrbi*, vt exempli loco posita. non enim libentius accepit Marcus à senatu proscriptos, aut aliis magistratibus. testis epistola quam super Cassij &

complicum proſcriptione ad ſenatum ſcripſit.

Pag.47.verſ.2. *Et tributa vel vectigalia vbi neceßitas cogebat, remiſit.*] Non magna principis optimi laus: ſi neceſſitate cogente, hoc eſt, iis à quibus exigi nihil poterat, tributa remiſit. ſed ſcripſerat fortaſſe, *vbi neceßitas non cogebat.* vt intelligamus voluntatem Marco ſubleuandi tenuiores, defuiſſe nunquam: etſi voluntas ſæpe, per Reip. neceſſitates, ſed nihil pronuntio. celebrant hanc largitatem Dio, & Euſebius in Chronico. Georgius Monachus, imo Euſebius ipſe: τὰ δημόσια τέλη ἀνῆκαν καὶ τοὺς τῶν χρεῶν χάρτας ἐπὶ τῆς Ρωμαννσίας ἀγορᾶς κατέφλεξαν.

3. *Populi Rom. voluptates.*] Perperam in ſcriptis, *voluntates.* notum eſt ſpectacula ſic vocari.

7. *Tardius pantomimos exhiberi, non votis diebus.*] Poteſt ſcribi, *non totis d.* quomodo hunc locum aliquando emendare memini Iacobum Lectium, ſapientiſſimum ac feliciſſimi ingenij virum, ſanctiſſima amicitia mihi coniunctiſſimum. Poteſt & reticeri quod eſt editum. *voti dies*, quibus eduntur ludi votiui, quas εὐχωλιμαίας θέας appellat Dio in Heliogabalo: Hi ludi, ceu debiti, maxima cura edebantur, & religione etiam quàm cæteri maiore.

11. *Sederi in equis.*] expoſuimus ad Hadrianum. ibidem & de lauacris mixtis.

12. *Et iuuenum nobilium ſacra ſ.*] Volebam diſtinctum: *Mores matronarum compoſuit diffluentes, & iuuenum nobilium. Sacra S.* vel pueri hoc videant: ſed & liber regius non aliter.

13. *Sacra Serapidis à vulgaritate Peluſiæ ſubmouit.*] Lege, *Peluſia.* vrbem enim hanc Aegypti nemo vnquam dixit Peluſiam: omnes Peluſium. deductum ab hac gentile, varie formarunt. Stephanus: τὸ ἐθνικὸν Πηλουσιώτης, ὡς Ζεφυριώτης· ἀλλὰ καὶ Πηλούσιος καὶ Πηλυσιακός. Peluſiam ſiue Peluſiacam vulgaritatem appellat ciues Peluſiotas, & omnem illam turbam, quæ Serapeæ huius feſtiuitatis cauſſa, eo ſolebat ex cætera Aegypto conuenire. Concurrebatur in eam vrbem & mercimonij gratia. auctor mihi Hieronymus: qui *Peluſiacam lentem* apud poetam interpretatur contra veterum criticorum ſententiam, *non quod ibi genus hoc leguminis gignatur vel maximè: ſed quod è Thebaide & omni Aegypto per riuum Nili illuc plurimum deferatur.* Videntur ludi Peluſij quorum meminit Tertullianus libro De baptiſmo, magna hominum frequentia celebrati. Cum igitur Peluſiotæ obtentu ſacrorum Serapidis, & religionis ludorum, multa flagitia & ſcelera ſoliti eſſent exercere, vt eorum petulantiam coerceret Marcus ſacra iſta illis ademit. nam alioquin mirum, ſacra Aegyptiaca, quæ etiam Romam eſſent recepta, vrbi Aegyptiacæ fuiſſe ademta. Sed populi huius peruerſam mentem & prauos mores etiam prouerbio notarunt veteres: nam apud Hieronymum ſæpius, *Peluſiota* ſtulti hominis & Marrucini conuitium eſt. alluſione facta non minus ad mores incolarum eius vrbis: quàm ad nominis veriuerbium.

uium. neque enim Aegyptiaca vox eſt, ſed Græca: eſtque auctore Strabone Πηλούσιον παρὰ τὸ πηλός ita dictum, vt ſi Lutetiam à luto dicas. Digni ſane fuerunt Peluſiotæ qui riſum omnibus tollerent, cum ſuo illo deo mirifico, crepitu ventris inflati: quæ, vt ſcribit Hieronymus, Peluſiaca religio eſt.

14. *Quod ſub philoſophorum ſpecie quidam remp. vexarent & priuatos.*] Quia verbum *vexare* variam interpretationem admittit, poteſt huius loci ſententia multimodis explicari. Cum tanti faceret Marcus philoſophiam, nemo prudens dubitauerit fuiſſe multos, qui philoſophiæ ſtudium ſimularent, potius quàm ſcita præſtarent: vt imperatoris beneuolentiam ſibi conciliarent. Hi gratia qua pollebant apud principem ad quæſtum ſuum abutebantur, cum multorum querellis. Sunt iſti fortaſſe, quos dicit Capitolinus, remp. vexaſſe & priuatos. Sed & illi remp. vexant, qui prauis religionibus vulgi animos inficiunt: ſæpe vt ad rerum nouarum molitionem impellant. De hoc genere hominum editam fuiſſe conſtitutionem à Marco, teſtis Modeſtinus libro primo De pœnis: *Si quis aliquid fecerit*, inquit, *quò leues hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur: diuus Marcus huiuſmodi homines in inſulam relegari reſcripſit.* Vlpianus libro VII. De officio procõſulis: *Diuus Marcus eum qui de motu Caßiano vaticinatus erat, & multa quaſi inſtinctu deorum dixerat, in inſulam Scyrum relegauit.* Etiam illi vexant remp. qui cum in illam nihil conferant, ex ærario alimenta percipiunt, & alia commoda debita iis, qui propter induſtriam ſuam & operam publico nauatam, digni ſunt præmio, καὶ τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. multos autem Marco ita impoſuiſſe ſub ſpecie philoſophorum, en Dionem auctorem. παμπληθεῖς, ait, φιλοσοφεῖν ἐπλάττοντο, ἵν᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ πλουτίζωνται. Si quis referre malit ad immunitates philoſophis conceſſas, & excuſationes à tutelis, qua de re multa apud iuris auctores, per nos licet. Erat enim & reip. & priuatis oneroſum, reperiri tam multos, qui beneficiis quæ fuerant veris philoſophis conceſſa, vterentur. Sed longum fuerit omnes interpretationes perſequi, quæ huic loco poſſint aptari. Vir magnus qui ad Chriſtianos refert, ab auctoris mente, niſi fallimur, aberrat longè.

19. *Hominum honeſtorum.*] Scrib. *honeſtiorum.* τῶν ἐντιμοτέρων. non enim poterat omnium honeſtorum. in Commodo, *adhibitos cuſtodes vitæ ſuæ honeſtiores ferre non potuit.* multa Xiphilinus de hac Marci æquitate, patientia, & diligentia in cognitionibus. nec penitus tacet ipſe in libris ſuis.

21. *Qui cito reorum cauſſas audierat.*] qui iudicia de reis breui auditione peregerat: quod inter mali principis notas ponunt veteres.

22. *Dignitatis eorum intereſſe dicens.*] Lego, *reorum.* Solebant prætores non per ſe, ſed per decemuiros, aut quæſitores, alióſve quibus iuriſdictionem mandaſſẽt, de reorum etiã honeſtiorũ cauſſis cognoſcere: hoc non fert Marcus, & ait verè intereſſe dignitatis reorum, vt ab eo audi-

rentur, qui pro populo iudicaret.

23. *Aequitatem etiam circa captos hostes custodiuit.*] Exemplum est huius æquitatis, quod narrat Dio. Captiuus adolescentulus Barbarus, à Marco de re aliqua interrogatus, negauit se responsurum prius quàm iussisset ille dari sibi vestem defendendo frigori, quo vrebatur. indulsit Marcus, nihil commotus hac captiui hominis libertate.

25. *Fulmen de cælo precibus suis c.*] imo verò militum Christianorum, qui illi tunc militabant, precibus. Nota historia de qua erit locus alibi, si Deus voluerit, plura dicendi.

33. *Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Caßij, nec in eius affectus sæuiit.*] Et hoc verbis fere iisdē apud Volcatiū: *Nec tamen Antoninus grauiter est iratus, rebellione cognita, nec in eius liberos aut affectus sæuiit.* sunt, opinor, verba Marij Maximi. Alibi scribit idem Volcatius, *Faustinam ad vindictæ neceßitatem Antoninum impulisse quiescentem.* Scribit tamen Dio Marcum ad huius rei nuntium σφόδρα ἐκπλαγῆναι. sed ita est: qui omnia magni principis munia obiret ἀταράχως & composito tranquilloque animo, videbatur multis non moueri satis.

34. *Nec in eius affectus sæuiit.*] vxorem Cassij intelligit, & liberos ac generum: de quibus vide in ipsius vita. Non cepêre hoc verbum qui scripserunt in membranis, *nec eius affectus sæui*: atqui affectus sæpe apud hos scriptores, sunt charitates, & ipsæ personæ quæ affectu præcipuo amantur. Vulcatius in Cassio, *quod tam mitis esset in hostem suum, eiusque liberos & affectus.* Capitolinus in Albino, *Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad eius affectus perueniat.* in Maximino, *timentes milites, quorum affectus in monte Albano erant.* in Gordiano, *affectus suos vnicè dilexit.* sic & alij scriptores sæpe, vt etiam ad Suetonium olim obseruabamus. Notissimū loquendi genus vel pueris: in quo tamen & viri interdum offendant magni nominis: vt illi philosophi quos reprehendit Plutarchus, quia non intelligebant φύσιν & γένεσιν apud Empedoclem esse τὸ πεφυκὸς αὐτὸ καὶ τὸ γεγονός. Ita accipe multa apud Tertullianum prima fronte obscura: cuiusmodi est hic locus Apologetici cap. XXVII. *Itaque cum vice rebellantium ergastulorum, siue carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis seruitutis, erumpunt aduersus nos in quorum potestate sunt, (certi & impares se esse, & hoc magis perditos) ingratis resistimus vt æquales.* comparat malos spiritus, qui pios semper, quibus sunt subiecti, lædere conantur, cum seruis rebellibus, qui olim apud Scythas & Romanos bella seruilia concitarunt. qui aliter exponunt dictionem *vice*, errant. *ergastula* pro ergastulariis seruis, vulgatissimum. sic & *carceres* dixit pro vinctis in carcere. Lucilius, *carcere vix carcer dignus.* & *metalla* pro damnatis in metalla. iterum capite XLIV. *de vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant.* vbi ἐμφατικώτατα *æstuare carcerem* dicit, ad designandam multitudinem sceleratorum, qui cottidie in carcerem coniiciebantur. & *metalla* etiam hic sunt οἱ ἐργαζόμενοι τὰ μέταλλα. vt apud Mar-

Marcellinum, *ab omni toga rogabatur.* id eſt, omnibus togatis qui ad officium aderant. Pro *perdito* non diſpliceat in priore Tertuliani loco *perditi.* καὶ παρὰ τοῦτο μᾶλλον ἀπονενοημένοι. creſcit enim furor ex deſperatione. vulgatæ ſcripturæ minus acuta ſententia: etſi ferri poteſt: *& hoc magis perditos*, id eſt, & hoc amplius certi ſe eſſe perditos.

35. *Bonaque eius proſcripta per ærarium publicum.*] Non laboramus de mente, quæ hæc eſt: proſcripti Caſſij bona non in fiſcum Cæſaris fuiſſe illata, ſed in ærarium publicum. pluribus verbis hoc narrat Vulcatius. Simile in Hadriano: *Damnatorum bona in fiſcum priuatum redigi vetuit: omni ſumma in ærario publico recepta.* in verbis laboramus. nam quæ hæc locutio eſt? *bona proſcribi in ærarium* vt cumque feram: vt ſit poſitum vnum verbum pro duobus: quomodo loqui amant interdum ſcriptores. *proſcribi per ærarium*, neſcio quid ſit. Puto omiſſione hic peccatum. nam quia ſequens periodus incipit à voce *relicto*, videtur in huius fine omiſſum verbum *redacto*, ob affinitatem illarum duarum vocum. Scribo igitur, *bona eius proſcripta, inque ærarium publicum redacta. Relicto e.* aut voce *per* ſeruata: *b.e.pr.per ſenatum: inque æ.p.r.*

37. *Romæ turbæ etiam fuerunt.*] in vita Caſſij: Nec Romæ terror defuit, *cum quidam Auidium Caßium dicerent abſente Antonino. eſſe venturum.*

Pag. 48. verſ. 6. *Nam & præfectum præt. ſibi fecerat.*] non Metianus, ne erres: ſed Caſſius. vide in eius vita.

9. *Ne eius pollueretur imperium.*] ἀκύρως *eius*, pro ſuum, vel ipſius. paullo poſt, *ignouit Antiochenſibus quæ multa in Marcum pro Caßio dixerant.* pro, in ſe.

18. *Nam nec Cyprum voluit videre ex qua erat Caßius.*] Scribe *Cyrrhum.* Dio, ὁ δὴ Κάσσιος Σύρος ἐκ τῆς Κύρου ἦν. legendum Κύῤῥου. nam Cyrus, ſiue potius Κύρου πόλις, Cyropolis, in finibus fuit Perſidis. Caſſius vero non Cyropolitanus fuit, ſed Cyrrheſtes, vel Cyrrheſtanus ex vrbe Syriaca Cyrrho. ita ſcribi debere id nomen auctor eſt Stephanus Περὶ πόλεων: & ita apud Ptolemæum, & in Antonini itinerario.

19. *Fuit Alexandriæ, clementer cum iis agens.*] *cum iis*, πρὸς τὸ σημαινόμενον, ſed fortaſſe verius, *cum cunctis.* ad verbum Dio, ὁ Μάρκος ἐπιὼν τὰ ἔθνη τὰ τῷ Κασσίῳ συνεξαμαρτόντα, πάνυ φιλανθρώπως πᾶσιν ἐχρήσατο.

ib. *Poſtea tamen etiam Antiochiam vidit.*] ponenda hæc erant ante verba præcedentia: *Fuit Alexandriæ* &c. vel ſcribendum, *poſtea ſane, & An.*

20. *Legatis Perſarum.*] Parthos intellige. vide Lamprid. in Alexandro.

23. *Apud multos etiam philoſophiæ veſtigia reliquit.*] Robertus Bonon. *apud milites.* non probo. *Philoſophiæ veſtigium* interpretor, memoriam grauiſſimorum ſermonum, quos & priuatim & publicè habuit, quocunque veniſſet: cum ad virtutum amorem, & ſapientiæ ſtudium omnes hortaretur, & exemplo ſuo ſtimularet. ideo Marcum vocabat Caſ-

ſius dialogiſtam, vt ſcribit Gallicanus. in libris quos fecit ipſe de ſe, reperies ſæpius adnotatum locum vbi quæque illorum ſit meditatus. vt libro primo, Τὰ ἐν Κουάδοις πρὸς τῷ Γρανούᾳ. & in fine ſecundi, Τὰ ἐν Καρνούντῳ.

24. *Apud Aegyptios ciuem ſe egit.*] vel *ciuilem*, quod Petrus Faber malebat: poteſt defendi vtrumque.

ib. *Et philoſophum in omnibus ſtudiis, templis, locis.*] *Studia* appellat loca in quibus eruditi conueniebant communicaturi de ſtudiis. μουσεῖα Græci. Spartianus de Hadriano: *Apud Alexandriam in muſio multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit: & propoſitas ipſe diſſoluit.*

26. *Et filiam ſuam apud eos reliquit.*] poteſt fieri vt filiam ſuam Marcus Alexandriæ relinqueret, cum ipſa vel ob valetudinem patrem comitari non poſſet, vel aliam ob cauſſam. ſed in hoc quid ſit adeo memorabile, non video. Cogitemus igitur, num de Caſſij filia Alexandra hæc ſint potius accipienda. *ſuam* pro ipſius vel eius. abutuntur enim his voculis ſæpe etiam mediæ Latinitatis auctores.

28. *in vico Alale.*] vide ad Alagabali vitam. in Antonini itinerario vocatur Fauſtinopolis: quia vt ſtatim ſequitur, Antoninus vicum hunc coloniam fecerat.

29. *Honores Fauſtinæ ædemque decernerent.*] Templum Fauſtinæ fuerat poſitum in Romulei montis pede: cuius meminit Trebellius Pollio in Salonino Gallieno.

30. *Laudata eadem.*] de qua etiam ſcribit libro primo; παρὰ τῶν θεῶν· τὸ τὴν γυναῖκα τοιαύτην εἶναι, οὑτωσὶ μὲν πειθήνιον, οὕτω δὲ φιλόστοργον, οὕτω δὲ ἀφελῆ.

ib. *Cum tamen impudicitiæ fama grauiter laboraſſet.*] ſatis dictum antè: eoque nomine reprehenſus vulgò Marcus. Lege Cæſares Iuliani. extant tamen nummi multi in eius honorem cuſi, cum hac inſcriptione, PVDICITIA.

31. *Nouas puellas Fauſtinianas.*] cur dicat *nouas* clarum eſt, ex vita Pij.

33. *Diuam etiam Fauſtinam à ſenatu appellatam.*] Nummi, DIVA FAVSTINA. PIA. & ab altera parte, CONSECRATIO. S. C.

35. *Vt matrem caſtrorum appellaret.*] Poſt illam de Quadis inſignem victoriam, Marcus IMPERATOR VII. ſalutatus eſt: Fauſtina verò, MATER CASTRORVM. ita Dio. & vetus numiſma. DIVAE. FAVSTINAE. AVG. MATR. CASTROR. CONSECRATIO. Olim Liuia Auguſti *Parens patriæ* dicta, exemplum dedit ſimilium adulationum. quarum multa in hiſtoriis exempla.

Fauſtina mater caſtrorum dicta

37. *Heliogabalo dedicata eſt.*] narrat Spartianus in extremo Caracallo.

ib. *Ipſum Caßium pro clementia occidi paſſus eſt, non iußit.*] Gallicanus, *quem quidem occidi non iußit, ſed paſſus eſt.* Dicitur autem paſſus fieri quod factum non vindicauit. nam conſtat occiſum Caſſium inſcio atque inconſulto Marco.

Pag.

Pag. 49. verſ. 1. *Deportatus eſt Heliodorus filius Caßij.*] Non probo quod eſt in membranis *Heliodelus*. nam ita dictus hic de aui ſui nomine, vt fere ſemper apud Græcos. Caſſio autem pater Heliodorus.

3. *Filij autem Caßij e.*] Scribo, *Filij autem Caßij alij e.* nam de vno è filiis Caſſij, Heliodoro, dictum eſt. niſi cui ſuſpecta ibi vox *filius*. Volcatius certè eius mentionem facit nullam: qui tamen in pleriſque idem Capitolino dicit, atque iiſdem verbis.

ib. *Et amplius media parte.*] Vulcatius omittit illa, *& amplius*.

5. *Alexandria filia Caßij.*] Scribe vt in regio, & Puteani, *Alexandra*. nam Græci Ἀλεξάνδρα.

6. *Et Druncianus gener.*] Vulcatius, *Druentianus*, in regio, *Adruntianus*. Paulus libro ſingulari De publicis iudiciis: *Diuus Marcus Drunciani vt pote ſenatoris, qui Caßiani furoris ſocius fuerat, bona poſt mortem vindicari iußit.* referuntur hæc in lege ſeptima Codicis, Ad legem Iuliam maieſtatis. Vbi vides Paulum iuriſconſultum, qui illis fere temporibus vixit, diuerſum tradere ab eo quod ſcribunt Capitolinus & Vulcatius Gallicanus. ideo putabat phœnix iuriſconſultorum huius ſeculi perperam in ea lege Drunciani nomen alterius cuiuſdam loco eſſe ſcriptum. Atqui videntur ſic eſſe hæc diuerſa, vt non ſint contraria neque ἀσύστατα. non enim ait Paulus ſimpliciter Drunciani bona iuſſiſſe Marcum vindicari: ſed cum hac adiectione, *poſt mortem*. nihil quod hoc deſtruat Capitolinus aut Vulcatius. illi aiunt Druentiano datam facultatem vt tanquam inſons viueret: Paulus indicat mortuum vt ſontem. illud ex indulgentia Marci: hoc ex cenſura. nuſquam ſcriptum à Capitolino aut Vulcatio, Marcum Druntiano ignouiſſe penitus: & omnem pœnam remiſiſſe.

7. *Commendati amitæ marito.*] Vulcatius, *quos quidem amitæ ſuæ marito commendauit.*

10. *Athenis fuit.*] *fuit* pro venit, vt in idiotiſmo noſtro Gallico. Græci παρεγένετο.

ib. *Cereris templum adiit.*] Dio, de Marco ex Syria reuertente εἰς Ἀθήνας ἦλθε καὶ ἐμυήθη.

ib. *Vt ſe innocentẽ probaret.*] in ſacris Eleuſiniis clamabat ſacer præco, ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. vel vt ait Lampridius, *Nemo ingrediatur niſi qui ſe innocentem noui*. Hæc prioribus temporibus erat τῆς προῤῥήσεως formula: poſtea fuit alia: nam tria nominatim hominum genera ſacris arcebantur: athei, Chriſtiani, & Epicurei. Lucianus in Pſeudomanti: ἐν τῇ πρώτῃ τῆς τελετῆς ἡμέρᾳ πρόῤῥησις ἦν, ὥσπερ Ἀθήνησι τοιαύτη. ΕΙ ΤΙΣ ΑΘΕΟΣ Η ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ Η ΕΠΙΚΟΥΡΕΙΟΣ ΗΚΕΙ ΚΑΤΑΣΚΟΠΟΣ ΤΩΝ ΟΡΓΙΩΝ ΦΕΥΓΕΤΩ. ΟΙ ΔΕ ΠΙΣΤΕΥΟΝΤΕΣ ΤΩι ΘΕΩι (Eleuſine dicebant, ΤΑΙΝ ΘΕΟΙΝ.) ΤΕΛΕΙΣΘΩΣΑΝ ΤΥΧΗι ΤΗι ΑΓΑΘΗι.

11. *Sacrarium ſolum ingreſſus eſt.*] Scribe ex regio, *ſolus*.

ib. *Reuertens ad Italiam.*] Sic ſcripti, pro in Italiam: vt antè monebamus.

13. *Togam & ipſe ſumſit.*] Vide ad Hadrianum Spartiani.

14. *Neque vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites.*] Romæ quidem, aut in Italia. ita accipe.

15. *Romam vt venit triumphauit.*] Regius, *Romam vt venit, cum Commodo filio ſuo, quem iam vt diximus, Cæſarem fecerat, triumphauit.*

ib. *Exinde Lauinium profectus eſt.*] in villam Lanuuinam, de qua diximus ad Pium. à regio abſunt hæc verba.

16. *In tribunitiam poteſtatem.*] Regius, *in tribunitia poteſtate.*

19. *Sententia Platonis.*] in quinto De republica. Aurelius Victor non de hoc Antonino, ſed de patre Pio, *adeo æqualis probiſque moribus, vti plane docuerit, eo demum fortunatas vrbes fore, ſi regna ſapientiæ ſint.*

21. *Brutij Præſentis filiam.*] Criſpinam, filiam viri conſularis. nam Brutus Præſens collega fuit Pij ſecundùm conſulis: deinde Marcus iterum fecit conſulem: inque eius conſulatu ipſe vltimum diem clauſit.

25. *Triennio bellum poſtea.*] τὸ *poſtea*, turbatũ hîc aliquid docet: neq; ita hæc edi vt fuerãt ab auctore digeſta. nam ridiculũ eſt, ſubiici iſta verbis præcedẽtibus, quæ Marci mortẽ continent. huius triennij mẽtio eſt in Eutropio, & in Euſebij Chronico: vnde clarũ pertinere hæc verba non ad vltimã Marci cõtra Germanos expeditionem: ſed ad ſuperiorẽ huic proximã. verba Euſebij è regione anni decimiſeptimi ſunt hæc: *Antoninus cum filio de hoſtibus triumphauit, quos per triennium apud Carnũthum habens ſtatiua caſtra vaſtauerat.* Diligens lector ex illo loco Actorum publicorum, qui in vita Commodi habetur, de tota ratione horum temporum melius ſtatuat: nam ibi indicatur annus quo triumpharunt Marcus & Commodus: item ille, quo poſtrema expeditio ſuſcepta.

27. *Et ſi anno vno ſuperfuiſſet, prouincias ex his feciſſet.*] Dio idem, ſed non ita præciſe: καὶ εἴγε πλέον ἐβεβιώκει, πάντα τὰ ἐκεῖ ἂν ἐκεχείρωτο.

28. *Ante biduum quam expiraſſet.*] Sic pars librorum: alij, *expiraret:* quod etſi melius, haud ſcio tamen an & verius. nam illa ætas hæc duo tempora amauit confundere. ſic ſtatim, illo loco, *petens tamen vt expectaret paucos dies*, & regius & veteres editiones ſcribunt, *expectaſſet.* & poteſt fieri vt non aliter ab auctore eſſet ſcriptum: nam vt diximus, idiotiſmus erat eius ſeculi: Lucifero, qui fuit ſuppar huic ætate, admodum familiaris. vt in libro De non parcendo in deum delinquentibus: *nobis te contra non fuerat ſurgendum, ne dicti fuiſſemus petulantes.* id eſt, ne diceremur. in fine libri De non conueniendo cum hæreticis: *ne videlicet tecum ad illa fuiſſemus præcipitati loca tormentorum, ad quæ omnes illos quorum tenens es iter, narrat Iacobus apoſtolus præcipites datos.* pro, præcipitaremur. alibi in eodem ſcripto: *quia fuerimus metuentes atque ſumus, ne illa fuiſſent dicta de nobis, quæ ſunt dicta de deſertoribus Iudæis.* idem alibi, *vt in veritate currentes dei ſerui, manſiſſent immobiles.* pro manerent. talia ſunt plurima apud

apud illum ſcriptorem, & alios qui eum ſunt ſecuti.

29. *Dicitur oſtendiſſe ſententiam de filio eandem, quam Philippus de Alexandro.*] Videtur reſpicere ad dictum aliquod Philippi morientis de Alexandro: ſed non ita eſt: nam Philippum repentina mors ita oppreſſit, vt dicendi quicquam facultatem non haberet. Diodorus libro XVI. de Pauſania, διὰ τῶν πλευρῶν διαντιαίαν ἐνέγκας πληγὴν, τὸν βασιλέα νεκρὸν ἐξέτεινεν. Quærant vero ſtudioſi, quibus otij plus eſt quàm nobis, Philippi dictum illud de Alexandro, quod heic tangitur. quanquam vereor ne & illi fruſtra ſint. nihil enim, niſi fallit nos memoria, de filio ſuo Philippus ἀπεφθέγξατο, præter illud omnibus notum, quod euentus ratum fecit: *Macedonia te non capit.* ſed nihil ad lucem huius loci facit hoc dictum: nam optimus Marcus tale aliquid de immani Commodo ſentire diceréve, neque potuit, vt ſciunt omnes: neque etiam dixit: vt ſequentia verba manifeſto arguunt: *cum de hoc male ſentiret*, &c. Suſpicamur nos, quod & eruditiſſimo Lectio videbatur, omiſſa negatione, ſententiam menti auctoris cõtrariam eſſe effectam. Legimus igitur: *oſtendiſſe ſententiam de filio non eandem quam Philippus de Alexandro.* ſapientiſſimus princeps cum morti propinquus de filij moribus, qui vt ſubiicit Capitolinus, turpem iam & cruentum ſe oſtentabat, cogitare cepiſſet, non abſtinuit quin ſuum de illo iudicium amicis aperiret. Ait igitur illis Marcus: ea Commodum eſſe indole, iis moribus, vt non poſſit ipſe de eo ſperare, aut aliis ſpondere, quod olim Philippus de ſuo Alexandro verè præſagiſſet. apparet optimum patrem cum hæc diceret, figurata oratione vſum, & magnam rerum quas præuidebat atrocitatem, tectis verbis indicaſſe.

30. *Addens minime ſe ægre mortem ferre, filium ſuperſtitem relinquens.*] Vocem *mortem* quæ exciderat, reſtituimus è regio. ſed locus nondum bene habet: cum & oratio claudat, & ei ſententiæ quam modò dicebamus, quámque adeo veram putamus, cornua obuertant hæc verba. Erit aliqua ſententia, ſi pro *relinquens* ſcribas *relinquentem*. Paullo poſt: *Fertur eum mori voluiſſe cum filium talem videret futurum, qualis extitit poſt eius mortem.* ſed neque illum locum ita ſcriptum alij libri exhibent: & alia, niſi coniectura fallor, atque acrior Marci ſententia. Scribo, *addens minimè ſe ægre mortem ferre, ſed quod moreretur filium ſuperſtitem relinquens.* quanto morientibus parentibus ſolatio eſſe ſolent liberi ſuperſtites: tantum doloris Marco afferebat Commodus ſuperſtes: quem prouida mens illius pernitioſiſſimum Reip. futurum augurabatur.

35. *Cum filius ei reſpondiſſet, cupere ſe primum ſanitatem.*] Sine cauſſa viri doctiſſimi hæc conati emendare: optime enim habent. Victor alter Commodi reſponſum aliis verbis, ſed in eandem ſententiam, refert hoc modo: *cum in ſupremis moneretur à parente, attritos iam Barbaros ne permitteret vires recipere: reſpondit, Ab incolumi quamuis paullatim negotia perfici poſſe: à mortuo verò nihil.*

37. *Aut simul proficisceretur.*] *simul*, hoc est, simul cum dicto, statim, & nulla interposita mora. hoc perinde est ac si diceret infelix pater : si meo vteris consilio fili, manebis, & susceptum bellum hoc vrgebis: sin aliud cogitas, & ire vis te perditum, age, voluntati tuæ morem gere: nihil te moror. sed quia ait auctor, habitum hoc colloquium cum adhuc Marcus ægrotare cepisset, fortasse scribi sit satius : *vt simul proficisceretur.*

Pag. 50. vers. 2. *Ridens res humanas.*] Non ridere, sed rite ac suo pretio æstimare res humanas solitus vir hic sapientissimus. Hoc ille nos docet diuinis illis suis libris: velut cum ait in secundo : non enim tempero mihi, quin mellitissima grauissimi doctoris verba adscribam : Τοῦ ἀνθρωπίνου βίου, ὁ μὲν χρόνος στιγμή. ἡ δὲ οὐσία, ῥέουσα. ἡ δὲ αἴσθησις, ἀμυδρά. ἡ δὲ ὅλου τοῦ σώματος σύγκρισις, εὔσηπτος. ἡ δὲ ψυχὴ, ῥεμβός. ἡ δὲ τύχη, δυστέκμαρτον. ἡ δὲ φήμη, ἄκριτον. συνελόντι δὲ εἰπεῖν, πάντα τὰ μὲν τοῦ σώματος, ποταμός· τὰ δὲ τῆς ψυχῆς, ὄνειρος καὶ τῦφος. ὁ δὲ βίος, πόλεμος καὶ ξένου ἐπιδημία· ἡ ὑστεροφημία δὲ, λήθη. *Vita humanæ,* ait, *tempus punctum est: natura, fluit: sensus, obscurus : corporis vniuersi concretio, facilis putrescere : animus, vagus : fortuna, res imperuestigabilis : fama, res incerta : & vt verbo dicam, omnia, corporis quidem, fluuius : animi verò somnium & fumus : vita, bellum, & hospitis in peregrina vrbe mora : fama post obitum, obliuio.*

3. *Mortem autem contemnens.*] Melius Marcus libro nono : Μὴ καταφρόνει θανάτου, ἀλλ' εὐαρέστει αὐτῷ. & vide sis sequentia.

6. *Et cum ab eo quæreretur cui filium commendaret.*] Scilicet expectauit Marcus, vt alius eum paterni huius officij sui moneret. sed lege Herodianum: cuius narratio constans & grauis, plus fidei meretur, quàm isti ex diuersis scriptoribus consuti centunculi.

13 *Fertur illum mori voluisse.*] Regius, *Fertur filium mori voluisse, cum eum talem videret futurum.* placet sententia : quæ euidentior futura, si scribas, *Fertur illum filium m. v.* atque ita legit olim Robertus à Porta. Ex iis quæ ante dicta sunt, nemo mirabitur Marcum optasse filio mortem, priusquam illa patraret, quæ non temere ipse metuebat. Quod ait vulgata scriptura, superuacuum est, cum dixerit paullo antè, *abstinuit cibo potuque mori cupiens.* sed & quod sequitur, *ne, vt ipse dicebat, similis Neroni, Caligulæ, & Domitiano esset,* editam lectionem falsi arguit.

15. *Neroni, Caligulæ.*] ita omnes libri : nec refert quod alio ordine vixerunt.

16. *Tertullum & Vtilium.*] à regio abest *&*. Lego cum illustrissimo Scaligero, *Tertullum Tutilium.* Gens Tutilia ex historia & saxis nota.

18. *Cum Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit.*] Temporibus illis certum flagitij argumentum habebatur, si quis cum Augusta familiarius se ageret, quàm reuerentia domus aulicæ postulabat : quod in Septimio Claro & Suetonio Tranquillo vindicauit Hadrianus.

20. Et

20. *Et ille diceret ter Tullus.*] hoc eſt, Tullus, Tullus, Tullus. ita enim accipiendum. quod autem ſequitur, *iam dixi ter, Tullus dicitur*, ſic pronunciatum à mimo, vt qui audirent. & quomodo ſcriptum eſt poſſent accipere, & ſic, *iam dixi, Tertullus dicitur.*

27. *Nihil enim magis & timuit & deprecatus eſt, quàm auaritiæ famam.*] αἰτιαλικὸν illud *enim*, eò ſpectat, quod mali principes proſcriptionibus damnatorum amabant locupletari. Non eſt autem dubium multis ad detrahendum de Marco legem ipſius os aperuiſſe, qua primus omnium cauit, vt lex Iulia Maieſtatis etiam ad defunctos pertineret. Sed & *in largitionibus pecuniæ publicæ fuiſſe parciſsimum* antè dictum. Hinc igitur illa auaritiæ criminatio: quam optimus ſcriptor Dio, tanta diligentia diluit.

29. *Quod & fictus fuiſſet, nec tam ſimplex quàm videretur.*] Loquere tu Dio, & ſententiam tuam dice, ὅτι οὐ προσποιητὸς, ἀλλ᾽ ἐξ ἀρετῆς πάντα ἔπραττε πρόδηλον. & ſtatim, οὕτως ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ ἦν, καὶ οὐδὲν προσποιητὸν εἶχε.

ib. *Dederunt etiam crimini quod aulicam arr.*] Legitur, in quibuſdam codicibus: *D. e. cr. quod liberti multum potuere ſub eo verò: maxime Geminas & Agaclytus: & quod aul. ar.* ſed ſcribendum, *ſub eo & Vero*, vt alio loco ſupra ſcriptum eſt. vbi cum eadem verba habeantur, quid opus eadem hic repetere? iure igitur ſunt extruſa ab hac ſede. nam Fuluius Vrſinus, qui veteris editionis authoritate illa tuetur, omnium antiquiſſimam videtur ignoraſſe, quæ Venetiis cuſa eſt anno CCCCLXXXX. in hac certe nullum horum verborum veſtigium. in regio non geminata, ſed ex ſuperiore loco huc tranſlata. inde error.

30. *Quod aulicam arrogantiam confirmauerit.*] Eſt contrarium eius quod in Pio dixit, *imperatorium faſtigium ad ſummam ciuilitatem deduxit.* Victor alter, *auctoritatem principis emollire.* anteà dictum eſt, Marcũ aulico faſtigio renitentem fuiſſe ornatum.

31. *Summouendo amicos à ſocietate communi & à conuiuiis.*] Μονοφαγία, vt Athenæus obſeruat, velut criminis loco ſolita quondam obiici. in criminatione Domitiani hoc non prætermiſerunt veteres. & merito: nam ille bipedum arrogantiſſimus, ex contemtu humani generis ſolus veſcebatur. at ſcelerate illi, qui vt alibi dicebamus, in Iohanne Chryſoſtomo in deteriorem partem hoc ſunt interpretati. Marcum verò pro ſe loquentem audiamus. Is cum alia ſe à patre Pio doctum refert, tum imprimis τὴν κοινονοημοσύνην. propria Marco eſt vox illa, eruditiſſimo interpteti minus intellecta. ſic autem appellat ciuilitatem, & virtutem illam, per quam cenſeri communi cum cæteris ciuibus iure æquo animo aliquis patitur. Herodianus vocat, τὸ μέτριον καὶ ἰσόμετρον. Subiicit verò Antoninus, quaſi hanc vocem interpretans. καὶ τὸ ἐφεῖσθαι τοῖς φίλοις μήτε συνδειπνεῖν αὐτῷ πάντως, μήτε συναποδημεῖν ἐπάναγκες. Didici, inquit, à parente, amicis remittere & cœnandi mecum neceſſitatem, & vna mecum pe-

regrinandi. Non igitur, vt aulicam arrogantiam confirmaret, vt male feriati quidam in animum induxerunt, ſolus eſitauit Marcus: ſed vt ſæpius conuiuandi moleſtia & ſe pariter, & amicos ſuos liberaret.

35. *Sed ſemper diu quæſiuit quod erat verum.*] Marcus Antoninus ibidem, A patre, inquit, accepi, τὸ ζητητικὸν ἀκριβῶς ἐν τοῖς συμβουλίοις, καὶ τὸ ἐπίμονον· ἀλλ' οὐ τὸ, Προαπέστη τῆς ἐρεύνης, ἀρκεσθεὶς ταῖς προχείροις φαντασίαις.

ib. *Eniſa eſt Fabia vt Fauſtina mortua in eius matrimonium coiret.*] Hæc fuit Veri ſoror, auctore Capitolino in eius vita: eiuſdem mentio & in Pertinacis rebus. Videtur illa ipſa eſſe Lucij Ceionij Commodi filia quam voluerat Hadrianus Marco deſponderi. etſi vnde illi fuerit nomen Fabiæ neſcimus. In Antoninorum ſtemmate reperiuntur aliquot Fadillæ. fortaſſe & hæc Fadia vero nomine fuit, non Fabia.

36. *Rebelles dixerit ſe ſeruaturum fuiſſe.*] Lego cum principe editione, *rebelliones.* de qua voce antè diximus.

37. *ne tot liberis ſuperduceret nouercam.*] κυρίως *ſuperducere* de nouerca. Donatus: *Phaſma nomen eſt fabulæ Menandri, in qua nouerca ſuperducta eſt adoleſcenti.* ſic Græci ἐπάγειν & ἐπεισάγειν. Vetus poeta, Ὁ παισὶν αὐτοῦ μητρυιὰν ἐπεισάγων. & cum præpoſitione κατὰ eleganter atque ἐμφατικῶς, vt in lege Charondæ apud Diodorum, τοῖς μητρυιὰν ἐπαγομένοις κατὰ τῶν ἰδίων τέκνων, ἔθηκε πρόστιμον. quod apud Stobæum alius auctor dixit, μητρυιὰν ἐπιγαμεῖν.

ISAACI

ISAACI CASAVBONI
IN IVLII CAPITOLINI
DIVVM VERVM,
EMENDATIONES
ET
NOTÆ.

IVLII CAPITOLINI.]Etiam membranæ omnes vitæ huius auctorem faciunt Capitolinum: non Spartianum, cui aſcribunt eædem patris huius Veri Cæſaris vitam. Si quis tamen vtrumque ſcriptum diligentius inter ſe comparet, inueniet cur eius animo ſuſpicio oboriatur de fide librorum hac in parte. nihil enim ſimilius gemino hoc ſcripto. Iam cum ſcribit auctor vitæ illius, *is liber debet omnia quæ ad ſtemma generis pertinent, continere, qui habet principem de quo plura dicenda ſunt*: nonne videtur his verbis hunc quoque librum ſibi vindicare? videtur, mihi quidem. Verùm vt pronuntiare de hoc nolim: ita illud non dubitem omni aſſeueratione confirmare, rectè vulgatos libros & Marci & huius vitam eidem attribuere auctori, ſiue ille Spartianus eſt, ſiue Capitolinus.

8. *Literis atque hiſtoriæ dedicaſſe.*] Regius, *hiſtoria*. affine apud Vopiſcum, *conſecrare aliquem vultibus*. at *hiſtoriæ dedicare*, vt illa, hiſtoriæ tradere, conſecrare poſteritati.

ib. *Vt priorem Verum intimandum legentibus darent.*] *Intimare*, vt rectè Gloſſarum auctor, eſt γνωρίσαι, & ἐμφανίσαι, cognoſcendum aliquid exhibere. quare inepte locutus eſt auctor, ſi ita ſcripſit. nam quo illud *darent*? cuius verbi notio ineſt τῷ *intimare*, vt diximus. ideo etiam, optimus ille Gloſſographus, *intimare* παρέχειν interpretatur. neque aliter verbo *intimare* vſus Spartianus in vita Veri. Lego igitur, *intimandum legentibus putarent*: vel, *crederent*. vt ſtatim, *credidi celebrandum*.

9. *Non imperandi ſecuti ordinem.*] Ita veteres: alij *ſecutos*, nihilo deterius, & fortaſſe verius.

ib. *Sed viuendi.*] hoc eſt moriendi, ſiue vitam finiendi. ita enim expoſuimus ad Spartianum in vita Hadriani: vbi ſimiliter *vita* pro morte ponitur. Macrinus apud Lampridium, *mihi non multum ſupereſſe videtur*,

ad vitam, hoc eſt, ad finem vitæ, ſiue mortem. Declarat hũc locum alius ſimilis Spartiani in Caracallo: *Nam quamuis prior Geta è vita exceſſerit, nos tamen ordinem ſecuti ſumus, vt qui & prior natus eſt, & prior imperare cœperat, prior ſcriberetur.* ex his manifeſtiſſimum eſt, *ordinem viuendi* auctorem heic appellare, ordinem à vita excedendi.

14. *L. Ceionius Aelius Commodus Verus.*] pro *Aelius*, in vita à Spartiano ſcripta, ſæpius legitur *Aurelius*.

18. *Non inhorruiſſe vitiis.*] οὐκ ἀποθηριωθῆναι τῇ κακίᾳ. tranſlatum ab apris & aliis feris, quæ tum maxime horripilantes ſurrigunt ſetas cum maxime ad ſæuiendum ſe parant.

ib: *Nec abundaſſe virt.*] Reg. *non abund.* elegantius.

19. *In ſimili ac pari maieſtatis imperio.*] Melius dixiſſet, *in ſimilis ac paris imperij maieſtate.* nam ex imperio naſcitur maieſtas: non ex maieſtate imperium.

20. *Et vitæ licentioris nimietate.*] Licentis ſiue licentioſæ vitæ nulla eſt mediocritas. melius paullo poſt, *licentia vitæ liberioris.* at *ſecta* eleganter pro moribus, ex M. Tullio.

21. *Erat enim morum ſimplicium e.*] quo illud *enim*? hoc vult: per ſimplicitatem morum Veri factum, vt vitia ſua palàm faceret, cum non minus viueret incautè, quam parum caſtè.

24. *In eadem ſtatione conſtitutus periit.*] Abeſt à regio vox *conſtitutus*. nec eſt cauſſa cur ſi abſit deſideretur.

26. *Natus eſt Lucius Romæ in prætura patris ſui.*] poſt adoptionem igitur patris ſui. nam ſcribit Spartianus: *Adoptatus Aelius Verus ab Hadriano eo tempore quo iam parum vigebat, & de ſucceſſore neceſſario cogitabat, ſtatimque prætor factus.* Hoc verò falſum eſt, ſi recte ſcribitur infra vixiſſe hunc annis quadraginta duobus. qua ratione incidat natalis eius in annum Hadriani vndecimum, & Coss. Nonium Aſprenatem, & Annium Libonem: cum Veri Cæſaris adoptio poſtremis Hadriani temporibus ſit celebrata, anno vt videtur doctis decimonono, qui habuit Coss. ipſum Verum & Ciuicam: vel certe decimo octauo, Luperco & Attico Coss. Nihil dici poteſt, quî tam diſcrepantes ſententiæ inter ſe concilientur: nam ſeptem minimum annorum diſcrimen eſt in medio. Sequor verò Capitolinum: & Spartianum, qui Cæſarem Verum poſt adoptionem factum prætorem ſcribit, aut erraſſe puto: aut quod fortaſſe verius, eſſe corruptum. Plane ita cenſeo, ſcripſerat Spartianus *ſtatimque Proc. factus*. id eſt proconſul. imperiti homines ſcripſerunt *Prætor*. non puto futurum quemquam hiſtoriæ huius peritum, qui emendationem iſtam non approbaturus ſit.

27. *Die quo & Nero.*] Suetonius, capite ſexto.

30. *In Hadriani familia remanſit.*] Spartianus, *qui pereunte Aelio in familia ipſius Hadriani remanſerat.*

31. *Marcum nepotem eſſe voluiſſet.*] Si hiſtoriam ſpectes, nihil refert

ſiue

ſiue *Marcum* hîc legas, ſiue *Verum.* qua de re ſatis diximus ad librum ſuperiorem. Sed poſtulat huius loci ſententia ſcribi hîc *Verum.* ſequitur, *Verum pater ita in adoptionem Pij tranſire iuſſerat, vt nepotem appellaret.*

35. *Vt in Marci vita expoſuimus.*] Vide quæ ibi obſeruamus. locus eſt non longe ab initio libri.

36. *Educatus eſt in domo Tiberiana.*] ibidem & Marcus : vt antè dictum.

Pag.52.verſ.1. *Qui grammaticus Hadriani fuit.*] A. Gellius libro XI. cap. XV. *Terentius Scaurus diui Hadriani temporibus grammaticus vel nobiliſsimus.*

2. *Hephæſtionem, Harpocrationem.*] Hephæſtion hic videtur ille eſſe Alexandrinus grammaticus, cuius extat hodieque de re metrica elegans libellus. auctorem certe illum antiquiſſimum eſſe nullus dubito. Harpocrationem quendam Suidas commemorat ſophiſtam Alexandrinum qui Aelius fuit dictus. eſt hic fortaſſe Veri præceptor: aut alter ille Valerius Harpocration, qui eruditum illum de dictionibus decem oratorum Athenienſium librum compoſuit. cæteri præceptores hic nominati Vero communes fuerunt cum Marco.

10. *Illa qualiacunque ſunt.*] extabant, vt apparet, temporibus Capitolini ſcripta Veri imperatoris: ſic enim loquitur, quaſi illa legerit.

14. *Poſt ſeptimum annum in familiam Aureliam traductus.*] poſt mortẽ patris ſui. atqui eo anno quo Verus Cæſar obiit, filius hic illius ſeptenni maior fuit: nouem minimum annorum. mendoſe igitur notatus hic numerus.

20. *Mediuſque inter Pium & Marcum idem reſedit q.*] Pone πλείαν στιγμὴν ante hæc verba. diuerſus eſt hic honor à præcedenti : non enim togam virilem ſimul ſumſit, & ludos quæſtor dedit. imò, vt videtur ſatis ſerò quæſturam conſecutus eſt: nam conſulatus qui mox ei delatus, in annum incidit Pij decimumſextum.

21. *Interiectis annis.*] Videtur numerus deeſſe. Scribo, *interiectis* VII. *annis.*

25. *In ſenatu ante quæſturam non ſedit.*] quæſtura & ædilitas curulis velut ianuæ erant, per quas aditum cuiuis patuit in ſenatum: in principum liberis id tẽpus non expectabatur: quod tamen hîc in Vero factũ.

ib. *Neque in itinere cum patre vectus eſt.*] Suetonius de Auguſto: *nunquam iter fecit, niſi vt vehiculo nepotes anteirent, aut circa adequitarent.* At vehi cum principe magni honoris loco habitum : Lampridius in Alexandro : *Præſides prouinciarum, quos verè, non factionibus laudari comperit, in itineribus ſecum ſemper in vehiculo habuit.*

34. *Puritatemque viuendi.*] καθαριότητα: quæ iure inter virtutes cenſetur. Pythagoras: Ἐθίζου δὲ δίαιταν ἔχειν καθάρειον. Hic vitio eſt affinis, vt apud Philonem Περὶ βίου θεωρητικοῦ.

36. *Principatu etiam imperatoriæ poteſtatis indulto.*] Lege cum prima

editione *participatu*. non ſemel ea menda commiſſa in his libris. Spartianus in Nigro, *ad participatum imperij Seuerum vocans.* Capitolinus in Macrino: *arripuit imperium, filio Diadumeno in participatum aſcito.* vtitur & in Maximinis.

Pag. 53. verſ. 4. *Lucius quidem Marco vicem reddens ſuſcepit.*] Hæc regij lectio: in qua poſtremum verbum mendo vix caret. in aliis libris ſcriptum, *ſi ſuſciperet.* Totum igitur locum ita concipimus: *Lucius quidem Marco vicem reddens, ſicuti par erat, obſequutus vt legatus proconſuli, vel præſes imperatori. Iam p.* Eſt certum quod dicit Capitolinus: Verum per initia principatus ſui, proconſulem egiſſe potius quàm principem αὐτοκράτορα. pertinet eo quod in vita Marci dictum eſt, de ornamentis Vero attributis cum in Syriam iret: quod fieri ſolitum dicebamus in proconſulibus.

6. *Iam primum cum Marcus pro ambobus ad milites eſt locutus, & p.*] Diſtinctio maior ponenda ante *iam*. dixit modò Verũ Marco obſecutũ vt inferiorem, neq; vt parem idem iuris in Rep. ſibi vſurpaſſe. id nunc probare aggreditur. duo eius argumenta vel fortaſſe & plura attulerat. ſed locus hodie inquinatiſſimus, & vt cenſeo mutilus. Scribe autem ex libris, *Iam primum enim M.* hoc ſolum recte in antiquis: cætera æque male. primum quod affertur argumentum ei quod dicimus probando, planum certumque eſt: ait Marcum poſt initum à ſe & Vero imperium, ſuo fratriſque nomine milites eſſe allocutum. Allocutio militum proprium & peculiare ius fuit Auguſtorum: priuato nec militem fas alloqui, nec in concionẽ prodire, aut ad ſenatũ epiſtolam mittere: omnes autem priuati præter principem. mater etiam imperatoris hoc iure caruit, vt Liuia: quam ait Dio lib. LVII. principio Tiberij omnia pro imperatore egiſſe: vno hoc excepto: quod in ſenatum venire, aut milites alloqui vel concionem habere auſa ſit nunquam. Ideo Commodus iis literis, quibus Albinum Cæſarem creabat, *tibi do*, inquit, *facultatem, vt ſi neceſſitas fuerit, ad milites prodeas.* & plura talium exemplorum in hiſtoria Auguſta. hoc igitur clarum: quod ſequitur non item.

7. *Et pro conſenſus imperio grauiter ſe ad Marci mores egit.*] Prima editio: *& proconſulis imperio gr.* Scribebam, *& in proconſulis*, vel *proconſulatus imperio grauiter ſe Verus ad M. m. e.* Et erunt fortaſſe quibus hæc lectio arrideat. nos non dubitamus grauius hîc latere vlcus. nam in libris melioribus aliter ſcriptum eſt. Quare arbitror poſt vocem *imperio* excidiſſe pluſculas voces: quas vt reſtituere in integrum abſque libris melioribus, poſſit nemo: ita mentem eorum hariolari videmur poſſe non male. Quid multa? videtur Capitolinus tale quid ſcripſiſſe: *& pro conſenſu in imperio [gratias egiſſe: ipſe autem in principio] grauiter ſe ad Marci mores egit.* Satis conſtat nouos imperatores antiquius nihil habuiſſe vbi primum nacti eſſent imperium, quàm vt in ſenatum ſtatim, ac deinde in caſtra prætoria ſe conferrent, vt illic quidem patribus, hîc

vero

vero militibus,quod imperio ſuo conſenſiſſent,gratias agerent. Quod ſequitur de Veri moderatione in principio imperij,& reuerentia Marco præſtita; non perſtitiſſe illum in eadem ſimulatione alter quoque locus declarat: vbi auctor, *reuerſus*, ait, *è Parthico bello minore circa fratrem cultu fuit.*

17. *Vt vagaretur nocte per tabernas & lupanaria.*] Similia his Suetonius Nerone, cap. XXVI. & Lampridius in Commodo atque Heliogabalo. Regius, *vt baccharetur*, vt Lampridius: *in palatio per conuiuia & balneas bacchabatur.*

18. *Cucullione.*] Laxè nimis Gloſſarũ magiſter, *cucullio*, σκέπασον. ſcribe σκέπαστρον. formã & vſum diſce ex Iohanne Caſſiano libro primo, capite quarto, & aliis qui veterum monachorum habitum deſcripſerunt.

ib. *Et commiſceretur cum triconibus.*] Quidam, *commiſſaretur*. probo magis quod eſt editum.

20. *Sæpéque afflictum liuida facie rediiſſe.*] *afflictum* eſſet, in turba humi deiectum & προσουδισθέντα. ſed quod additur de liuida facie, aliter legendum indicat. Lego, *ſæpéque à conflictu l.f.r.*

21. *Iaciebat & nummos.*] Suetonius de Caio, *quin & nummos non mediocris ſummæ ſparſit in plebem.*

22. *Quibus calices frangeret.*] Lampridius in Commodo: *in his artifex quæ ſtationis imperatoriæ non erant; vt calices frangeret, ſaltaret, cantaret.* Similis παιδιὰ apud Græcos, de qua in Animaduerſionibus ad Athenæum libro primo, capite XIV.

22. *Amauit & aurigas praſino fauens.*] Caianum hoc: nam de Caligula Suetonius, *Praſinæ factioni ita addictus & deditus, vt ſtaret in ſtabulo aſſiduè & maneret.* etiam Commodus factioni praſinę addictus ſic, vt praſinam ipſe indueret cum circenſes in palatio ſibi exhibebat. Xiphilinus, οἴκοι ἡρματηλάτει, τῇ πρασίνῳ σκευῇ χρώμενος. Heliogabalus quoque: de quo idem ſcriptor, ἤλαυνε ἅρμα τῇ πρασίνῳ σκευῇ χρώμενος. at Caracallus apud eundem ἁρματηλάτει τῇ οὐενετίῳ χρώμενος.

23. *Gladiatorium etiam frequentius p.*] omnes libri *frrequentius*. nec mutem. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον.

25. *In thoro conuiuali.*] *toro*. apage aſpirationem ab hac voce: de qua multa alibi.

26. *Somni fuit permodici, digeſtionis facillimæ.*] non enim ſemper qui plurimum edunt aut bibunt plurimum & dormiunt. Suetonius de Claudio: *Somni permodici erat: nam ante mediam noctem plerumque euigilabat.*

27. *Sed Marcus hæc omnia quaſi neſciens, diſsimulabat rem, p.*] Videbatur diſtinguendũ & ſcribendũ: *Sed Marcus hæc omnia, quaſi neſciens, diſsimulabat: retentus pudore illo, ne repr. fr.* nunc muto nihil, refragãtibus libris. ſic alibi, *metu illo*. Diſſimulationis vero huius qua vſus Marcus, non ea fuit cauſſa vera, quam affert Capitolinus; ſed quod nollet ſi quid fuit pudo-

ris residuum in Vero, increpationibus suis id exhaurire. norat vir sapientissimus, sapientum id esse consilium. Seneca: *Meliorem illum facies ferendo: vtique peiorem exprobrando. Non est quod frontem eius indures. sine, si quid est pudoris residui, seruet. Sæpe dubiam verecundiam vox conuiciantis clarior rupit. Nemo id esse quod etiam videtur timet. Deprehensus pudor amittitur.*

29. *Fertur tale conuinium.*] Mendose in regio, *feridale conuiuium.*

ib. *In quo primum duodecim accubuisse dicitur.*] Puto Verũ famosissimã illam Octauij iuuenis cœnam δωδεκάθεον æmulatum: cuius si venisset in mentem Capitolino hæc scribenti, abstinuisset, credo, voce *primùm.*

31. *Septem conuiuium: nouem vero conuitium.*] Ausonius in Ephemeride.

Quinque aduocaui: sex enim conuiuium
Cum rege iustum: si super conuitium est.

Lege Aulum Gellium libro XIII. cap. XI. & Archestrati apud Athenæum versus.

32. *Donatos autem pueros decoros q.*] Adi ad Athenæum, & Lampridium in Heliogabalo.

Pag. 54. vers. 2. *Coronas quinetiam datas, lemniscis aureis interpositis*] Sic omnes codices: non vt suadeant similes apud diuersos auctores loci: *c. q. datas aureas, lemniscis interp.*

ib. *Et alieni temporis flores.*] Mamertinus in panegyrico ad Iulianum. *quæsitissimæ dapes, non gustu, sed difficultatibus æstimabantur: miracula auium, longinqui maris pisces, alieni temporis poma, æstiuæ niues, hibernæ rosæ.*

4. *Cum mulabus ac mulionibus, cum iuncturis argenteis.*] *Iunctura* est qua iunguntur mulæ carrucariæ, vt iumenta aut boues ad aratrum iugo. Iulius Paulus libro tertio Sententiarum: *Carruca cum iunctura legata, mulæ quoque legatæ, non mulio videtur, propter quotidianam loquendi consuetudinem.* Fieri autem solitas ex argento & Vlpianus docet, qui iuncturæ argenteæ facit mentionem in lege decimanona, Digestis, De auro, argento, mundo, &c.

6. *Omne autem conuiuium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus sestertiûm.*] Budæi æstimatione, fiunt aurei quinquenti supra centum & quinquaginta duo millia. nec mirabitur summæ huius magnitudinem, qui Neronis aut Vitellij cœnas meminerit: aut illius margaritæ quã Iulius Cæsar in amiculæ gratiam emit pari fere impenso pretio, hoc est sexagies H-S. Scimus hæc nota eruditis: at boni Egnatij stupor & audacia, cui hîc stomachum non moueat?

13. *Cum alia vita.*] hoc est, cætera vita, siue cætera alia quæ gessit in vita.

16. *Vt frequenter prouincialibus literas caussa Circensium & miserit & acceperit,*] Ait *aussa Circensium*: hoc est parandorum equorum gratia curulium. eius argumenti epistolas multas habes apud Symmachum. ex epistola autem eiusdem LXIII. libro quarto, discimus tanto studio Circenses

censes

censes actitatos Antiochiæ, vt sæpe Antiochensium summates ad mercandas quadrigas vsque in Hispaniam mitterentur. qui autem negotij eius caussa in prouincias abibant, commendatitias à principibus viris accipiebant: quarum exemplum est in illa Symmachi epistola. Tales multas scriptitasse Verum cum esset Antiochiæ, atque etiam alibi, non dubitandum.

17. *Præsens & cum Marco sedens.*] cum in Circo spectaret Circenses.

18. *Quod turpißime contra eos faueret.*] Duo eâdem operâ præstabat Verus: Venetianos irridebat, & prasinæ factionis populo fauebat. Multis autem modis signũ fauoris in theatro & circo dabant. ore, gestu totius corporis, & vestis agitatione vel orarij: qua de re multa infra, obseruamus. interdũ vero & sannas in eos adiiciebant quibus nõ fauerẽt. puta, manu in obscœnũ modum formata, & in illos protensa: quod vocat Capitolinus, *turpiter contra aliquem fauere.* cui simile apud Suetonium in Caio, *quorum studio teneretur, omnibus ad insaniam fauit*: sed *fauere contra aliquem*, ita dixerunt, vt Tacitus *censere in senatu contra studium alicuius*, in secunda historia. Plinius secundus in octauo epistolarum: *& ideo iam nunc contra istum librum faueo orationi quam nuper in publicum dedi.* sic in inscriptionibus, *coronari contra omnes scenicos.* Græci ἀντισπουδάζειν vt sæpe Dio.

19. *Volucri equo prasino.*] Sic scribendum: infra, *habuit calycem crystallinum nomine Volucrem, ex eius equi nomine quem dilexit.* huiusmodi nomina equis curulibus imponebant. notus Caligulæ Incitatus; in saxis nominantur cum alij, tum famosissimus quidam Aquilo. & Græci poetæ similiter Αἰετὸν equum celebrant. Archias epigrammate in illum, ὃ πρὶν ἀελλοπόδων λάμψας πλέον Αἰετὸς ἵππων.

21. *Cui quidem passas vuas & nucleos.*] Hanc insaniam de Caianis vitiis traxit. Lege Dionem libro LVIII. & Suetonium, capite LV. eadem væsania Heliogabali. *nucleos* hic interpretor πιτυίδας.

22. *Quem sagis fuco tinctis coopertum.*] Suetonius vocat *purpurea tegumenta.* Vox *sagum*, & εἰδικῶς appellatio certæ vestis est: & γενικῶς quoduis tegumentum. quæ alij coopertoria vel tegumenta equorum dicunt, ea sæpe nominantur saga, vt hîc. Vegetius artis veterinariæ libro secundo, *animal loco calido statues, ac sagis cooperies.* libro tertio, *animal sagis diligentißime vsque ad vngulas operiatur.* in eodem, capite LIIX. *totum corpus sagis cooperiunt, vt sudet.* vbi male editum *saccis*. nam ita capite XXV. *opertum grauioribus sagis donec sudet.* coopertoria vocat, cap. LXXVII. Apsyrtus vocat σισύρας ἐξ ἐρίου αἳ ἱδρῶτα κινοῦσι. neque audiendi qui in eiusmodi locis cum hîc tum apud Isidorum aut alios vocem illam aut corrigunt, aut cum Græca σάγη confundunt. nam & σάγων vocem alij artis veterinariæ magistri Græci vsurpant.

23. *Cui mortuo sepulchrum in Vaticano fecit.*] In Vaticano Circenses exhibebant imperatores, vt de Claudio Suetonius refert, & de Helio-

gabalo Lampridius. ibi igitur prope Circum qui Neronis dicitur Victori, videtur exstructus hic tumulus.

24. *In huius equi gratiam primum ceperunt equi aurei vel brauia postulari.*] Scribe vt olim ad Suetonij librum quintum emendauimus, *ceperunt equis a.* malim etiam, *velut brauia.* Morem aurigarum postulandi aurum, aperit & Dio in Caracallo, de eius aurigationibus loquens: ἀγωνοθέτην δὲ ἢ τῶν ἐξελευθέρων τινά, ἢ τῶν ἄλλων τῶν πλουσίων ἐκάθιζεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ἀναλίσκηται· προσεκύνει τε αὐτοὺς κάτωθεν τῇ μάστιγι, καὶ χρυσοῦς ὥσπερ τις τῶν ταπεινοτάτων ᾔτει. idem de Abito, ἐθεῶντό τε αὐτὸν καὶ ἁρματηλατοῦντα, καὶ χρυσοῦς ὥσπερ τινὰ τῶν ταπεινοτάτων αἰτοῦντα, τούς τε ἀγωνοθέτας καὶ στρατιώτας προσκυνοῦντα. In priore loco quid vocet Dio προσκυνεῖν τῇ μάστιγι, nescio: & scribendum suspicor, κάτωθεν θεὶς τὴν μάστιγα: descendens de curru, & posito flagello. vel κάτω θεὶς τὴν μάστιγα.

29. *Apud Canusium ægrotabat, quò ad e.*] Scribe: *ægrotauit: q.* vel vt in regio, *& morbo impl. ap. Can. ægrotaret, ad eum v.*

31. *Deteguntur.*] pro commemorantur memoriæ prodita. durum verbum.

32. *Interfecto legato, cæsis legionibus.*] Seuerianum cæciderat Vologæsus cum omni eius exercitu. narrat Dio initio Marci, & Lucianus, Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν.

37. *Antiochiam postquam venit, ipse quidem se luxuriæ dedit.*] Dio tamen aliter: αὐτὸς ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ ἐκάθητο διατάττων ἕκαστα, καὶ τὰς τοῦ πολέμου χορηγίας ἀθροίζων.

Pag. 55. vers. 2. *Statius Priscus.*] de quo in Marci vita.

ib. *Et Martius Verus.*] is est, quem Dio Cappadociæ præsidem appellat.

3. *Per quadriennium.*] Vide ad illa è Marci vita, *fratre post quinquenniũ reuerso.*

8. *Risu fuit omnibus Syriis.*] Scribe *Syris.* Antiochenses præsertim intellige: de quorum iocis etiam in principes dicebamus ad Hadrianũ.

9. *Vernas in triclinium Saturnalibus & diebus festis semper admisit.*] De Saturnalibus sine caussa notat vt rarum. quis nescit Saturnaliorum diebus seruos omnia pro dominis egisse? Scribi malim, *Vernas in triclinium, vt Saturnalibus, & d. f. s. a.*

11. *Ephesum etiam rediit, vt Lucillam vxorem missam à p.*] Vide locum ex Actis Abercij, quem protulimus ad vitam Marci.

20. *Fertur præterea ad amicæ vulgaris arbitrium in Syria posuisse barbam*] Antiochenses & Syri eos qui barbam alerent auersabantur, & subsannabant, vt docet vel Iuliani Misopogon. Verus autem barbam prope barbaricè solitus demittere, auctore Capitolino paullo post. Ab Hadriano omnes fere Rom. imperatores barbati. sed qui molliores fuêre inter illos, ij in gratiam Antiochensiũ barbam posuerunt. Dio de Caracallo, ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐτρύφα, ὥστε καὶ τὸ γένειον πάνυ ψιλίζεσθαι. similiter Heliogabalus

balus vt ſcribit idem auctor, ἐψιλίζετο, ὥστε καὶ ἐκ τούτου γυναικίζειν. Contra Macrinus, cum ſeueritatis famam affectaret, ac velut alter Marcus haberi vellet, in oculis Antiochenſium ψόγον ἤσκει, ait Herodianus.

23. *Luem ſecum deferre videretur.*] De hac peſtilentia in vita Marci. ſed magnitudinem illius ex Galeno melius cognoſces, qui toties illius meminit.

28. *Expugnata eſt.*] Expugnari vrbs dicitur quæ vi capitur, aut deditionem facere cogitur. quod cum de Seleucia dici non poſſit, quæ vt amicos Romanos milites acceperat, *expugnata* heic eſt, ſolo æquata, & funditus deleta. Dio, τὴν Σελεύκειαν διέφθειρεν ἐμπρήσας. At Euſebius in tertio Marci anno ſic: *Seleucia Syriæ vrbs cum trecentis milibus hominum à Romanis capta.* locus ex Eutropio deſcriptus: ſed pro *Syriæ* ſcribendum *Aſſyriæ.* & pro *trecentis*, Eutropius atque Pæanius habent *quadringentis.*

29. *Quadratus belli Parthici ſcriptor.*] Aſinius Quadratus, cuius Παρθικὰ laudant Græci & Latini non raro. Scripſerat de hoc bello, & de vniuerſis Marci rebus, vt indicat Zoſimus: & Stephanus quoque illius Ῥωμαϊκῶν meminit. Neſcio ſitne eadem hiſtoria an diuerſa, cuius liber decimusquartus citatur alibi ab eodem ſcriptore, ſub titulo Ῥωμαϊκῆς χιλιαρχίας, ſiue χιλιάδος; nam vtroque modo apud illum ſcribitur.

Pag. 56. verſ. 3. *Et amicis paribus.*] refer ad ſimilitudinem morum: *par* ſæpe, pro ſimilis. vel, ad ætatem. vtrique interpretationi conuenit quod ſequitur.

8. *Aut conuiuia comparante.*] Regius, *cooptante.*

9. *Agrippum hiſtrionem.*] Regius, *Agrippium.* malim *Agrippam*, vel *Agrippinum.*

11. *Quem Apolauſtum nominauit.*] propter obſcenum miniſterium: nam ἀπολαυστικὴ vita, qualis Epicureorum. Videtur eſſe Apolauſtus ille, quem vnà cum aliis libertis aulicis cæſum temporibus Commodi narrat Lampridius.

13. *Et omnia mancipiorum genera quorum* S.] intelligit nanos & illos pueros minutos procacitate commendatos Romanis proceribus: de iis notamus ad Suetonij librum ſecundum, capite LXXXIII.

18. *Sed occultus rumor inſuſurrabat.*] vltimum verbum abeſt à regio: & omitti poteſt: alij libri, *inſeuerat.*

21. *Dicens, ad fratrem ſe ſcripturum eſſe, ſi quid forte dubitaret.*] Regius, *ad fratres ſuos ſc.* ſunt hæc Libonis verba: qui cum eſſet frater patruelis Marci, per vanitatem & arrogantiam quoties de illo, aut eius fratre loqueretur apud prouinciales, fratres illos nominabat: iure ille quidē & more Romano: nam & patrueles fratres ſuos, ἁπλῶς vocabant fratres: ſed hanc appellationem ægrè ferebat Verus: vt qui fratrem ſe à priuato homine appellari ſine maieſtatis imperatoriæ imminutione non poſſe cenſeret. Hinc cauſſa odij in Libonem, & ſuſpicio veneni ex illo odio. Vulgata lectio, *ad fratrem ſe ſcripturum eſſe*, ſenſum hunc habe-

ret: solitum Libonem quotiescumque de aliquo negotio dubitaret, non ad præsentem Verum referre: sed ad absentem Marcum fratrem per literas: in quo meritò Verus fieri sibi iniuriam putarit. mihi prior interpretatio arridet magis.

25. *Quod eius fraude putaretur occisus.*] Notanda locutio, *visum est quod putaretur occisus*, pro, quod esset occisus. apud Græcos sæpe δοκεῖν pro εἶναι. vt οἱ δοκοῦντες ἄρχοντες, hoc est, ὄντες: & similia. Vulcatius Gallicanus, *Auidius Caßius, vt quidam volunt, ex familia Caßiorum fuisse dicitur.* & heic περίεργος est cautio: nam sublato verbo *dicitur*, remanet eadem sententia.

27. *Vt in vita Marci diximus.*] Et quidem totidem verbis, vt ibi notatum est.

28. *Denique nuptiis ab Vero celebratis, Marcus conuiuio interfuit.*] Nisi inserta negatione legas, *conuiuio non interf.* quod præcedentia verba suadent, quibus dicitur Marcus has nuptias non probasse: habes hic insigne exemplum eius indulgentiæ, quam Marco tribuebat Capitolinus: de qua ad librum superiorem diximus.

31. *Codem & Eclectum.*] Non dubito prius nomen esse coruptum. nec tamen occurrit vllum nomen quod eius loco substituam. an *Euodem*? Εὐώδη. nam *Euodium*, quod vsitatissimum scimus esse, vereor ne paullo sit remotius. Eclecti nomen Græco more scriptum est. Ἔκλεκτος: nam Latinum esset Electus. origine fuit Aegyptius, Commodi mox cubicularius. de hoc multa Herodianus.

Pag. 57. vers. 3. *Composito autem bello in Pannonia, vr.*] in Marco, *composueruntque omnia quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant.*

4. *Vrgente Lucio Aquileiam rediret.*] in Marco, *Placuit autem, vrgente Lucio, vt præmißis ad senatum literis, Lucius Romam rediret.* agnoscis verba eadem: sententia tamen diuersa nonnihil. Vrbem sane non Aquileiam desiderabat Lucius. mutandum tamen nihil, nisi quis malit, *redirent*, pro *rediret*: nam vt dicitur in Marci vita, transcensis Alpibus longius ab Aquileia ambo processerant.

13. *Quanuis & illa fabula.*] de extincto Vero fraude Marci, cum illi venenum propinasset.

20. *Idque cum esset per Agaclytum libertum proditum M.*] Regius, *idque cum esset per Ag. lib. proditum Marco, ante aduentum Lucij Faustina occurrit, ne præueniret.*

21. *Vultu gemmatus.*] Liber regius, *geniatus.* quem non sequor. nam rectum est *gemmatus*. gemmata facies dicitur, in qua tumores crebri, vt de Tiberio scribit Suetonius. in idiotismo nostro similis metaphora: dicimus enim *visage boutonné*. sunt autē res affines gemmæ vitium, vnde vox *gemmatus*: & illi erumpentes plantarum calyculi, vnde traducta est vox Gallica. cum autem sine tumore maculosus est vultus, Græci κατάστικτον & φάκοψιν vocant. Glossæ veteres, φάκοψις, *lentiginosus, sparso ore.*

gemmatus vultus

Te-

Terentius, *Rufamne illam virginem, cæsiam, sparso ore, adunco naso.*

25. *Vt capiti auri ramenta respergeret.*] Inepte vulgo, *roramenta*: etsi ita pleræque etiam membranæ. in Commodo rectè, *capillo semper fucato, & auri ramentis illuminato.* Trebellius in Gallieno, *Crinibus suis auri scobem aspersit.* ramentum, siue vt Plautus, ramentam, dixerunt & scobem, quod humi cadit cum lima aut scobina similive instrumento aliquid atteritur. sic plumbi ramenta, apud Cælium Aurelianum, & similia passim. affines sunt voces rasura & rasamen. *rasuram eboris* leges apud Vegetium in arte veterinaria, quæ *scobs eborea* Scribonio Largo: *rasamen pastæ* apud Marcellum empiricum. dicitur & *serrago*, à serra. nam quæ alij medici ramenta cornu ceruini, Cælius Aurelianus *serraginem* libro primo. idem libro quarto, *cum ceruini cornu serragine aspersa, quam Græci rhinen vocant.* scribendum, *rhinema.* nam huiusmodi ramenta Græci appellant ψήγματα, ξέσματα, πρίσματα, aut ῥινήματα. Herodianus de Commodo, ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προσιόντα ἐπιπάσσεσθαι, τοὺς δὲ ἐκθειάζειν. Porro veteres cum magnam haberent curam flauentium capillorum, vsi in eam rem medicamentis variis, quorum meminerunt medici in præceptis τῆς κομμωτικῆς, & Plutarchus in extremo Ἐρωτικοῦ. sunt etiam vsi nonnulli barbarorum aurearum bractearum intertextura quadam mirifica, cuius meminit Ioannes Chrysostomus, in caput tertiũ epistolæ ad Colossenses. ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς, ait, χρυσοῦν ἔχει τὸ γένειον, τῶν περὶ ταῦτα δεινῶν, καθάπερ τῇ κρόκῃ, οὕτω καὶ ταῖς ἐκείνου θριξὶν ἐμπλεκόντων τὰ πέταλα τοῦ χρυσοῦ. Aliam χρύσωσιν capillorũ indicat Valerius Flaccus libro sexto.

—— *sanguine vultus*
Et grauidæ maduere comæ, quas flore Sabæo
Nutrierat, liquidóque parens signauerat auro.

neq; hoc adeo mirum videri debet: nam & alias corporis partes deaurabant: vt papillas. Iuuenalis: —*tunc nuda papillis Prostitit auratis.*— item vngues: Virgilius: —*præfulgens vnguibus aureis.* Seruius, *vngues solent deaurari*: Statius: *auro mansueuerat vngues.* Sed hæc exempla rarius vsurpata: inspersio verò nitellæ aureæ, in frequentiore vsu posita. Inuentum est vetustissimum, ac si Iosepho credere libet, rex quoque Salomon eo vsus in ornandis aulicis ministris vel satellitibus suis. Scribit enim ille octauo libro in mentione eorum iuuenum, quos ait currus Salomonis solitos conscendere: ἐπεκόσμουν δ' αὐτοὺς, καὶ οἱ ἀναβαίνοντες, μηκίστας καθειμένοι χαίτας· ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς, τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης. inepte eo loco ψῆγμα χρυσίου vertit *auri tincturam*, Rufinus, siue alius qui versionem Rufini interpolauit: nam in antiquissimo codice Friderici Lindembruchij, viri eruditissimi, & propter singularem morum probitatem mihi charissimi, desideratur integra illa periodus.

28. *Præter crudelitatem & ludibria.*] de crudelitate Neronis Suetonius capite XXXIII. *Ludibria* autem Capitolinus vocat, illud insanum

eiuſdem ſtudium ludicrarum artium : de quo multa Tranquillus.

31. *Imperauit cum fratre annis vndecim.*] imo nouem, vt dudum probarunt viri docti: ſed eſt vetus error Victori, Eutropio, Cedreno, aliiſque communis. Euſebius è regione anni noni, *Lucius imperator anno regni nono, ſiue vt quidam putant* XI. *extinctus eſt.*

Pag.58. verſ. 1. *Sed totam purgatam confutatamque reſpuimus.*] Præceſſit vox fabulam : ſed longè, nec poteſt commode repeti. Scribe igitur, *totum purgatum, confutatumque reſp.*

ISAACI CASAVBONI
IN VVLCATII GALLICANI AVIDIVM CASSIVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

VVLCATII GALLICANI V. C.] Senatoria dignitate fuiſſe Vulcatium præditum indicio ſunt illæ notæ V.C. id eſt, vir clariſſimus: fuit hic titulus diu ordinis ampliſſimi proprius. qui inde colligunt quintum fuiſſe conſulem, faciunt ineptè: cum ne vnum quidem huius conſulatum auctoribus Faſtis poſſint probare. Aetatem Vulcatij & ſcripta ex ipſo cognoſcimus: cætera de illo, atque illius omnia præter hanc vitam inuidit nobis vetuſtas, & qui Καὶ τ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος.

22. AVIDIVS CASSIVS, *vt quidam volunt, ex familia Caßiorum fuiſſe dicitur.*] Atqui ipſe Caſſius non genus trahere ſe à Caſſio, & ſtirpis originem, ſed nomen tantum L. Caſſij geſtare ſcribit. ait enim, *Vbi L. Caßius, cuius nos fruſtra tenet nomen?* & refutat hanc fabulam Dio, qui non dubitanter Syrum natione prodit, Heliodori filium : de quo non ſemel antè diximus.

12. *Per matrem tamen auo genitus Auidio Seuero.*] ita emendarunt viri docti lectionem primæ editionis, quam & nos in omnibus libris miro conſenſu reperimus : *per marem tamen nouo genitus Auidio Seuero.* in

regio

regio duæ voces transpositæ, *genitus nouo* A. nihil hic video: nam fortasse aliud latet, quàm quod nunc editur. *auo genitus*, insolens locutio.

16. *Cum illum summum virum & Reip. necessarium asserit.*] Elogium hoc plane magnificum: & quod melius imperatori alicui conueniat, quàm priuato duci, licet fortissimo. Sic Lampridio dicitur Alexander Seuerus, *iuuenis optimus & Reip. necessarius.* Vopisco Diocletianus, *vir Reip. necessarius.* sed & de aliis viris magnis idem dicitur: de Cassio Marcus ipse paullo post: & Decius Imp. in epistola ad Messalam, Claudium adhuc iuuenem vocat *ciuem castris, senatui, & Reip. necessarium.* vim & decus elogij huius agnoscebat Saturninus, cum fatalem sibi purpuram sumens, diceret amicis, *Necessarium, si non arroganter dicam, Resp. virum perdidit.* alio sensu Vopiscus accipit, cum Aurelianum appellat, *principem necessarium, magis quàm bonum.*

19. *Periisse fatali sorte.*] ἀπελθεῖν ἐς τὸ χρεών. Latini veteres, *fato concedere, fato fungi, naturæ concedere.*

20. *Qui in Curia in Iulium conspirarunt.*] Expressa est membranarum scriptura: alij, *qui in Caium Iulium conspirauerant.* in regia κακοπρεπὴς illud, vt multa alia in his scriptoribus, *in Iulium conspirarunt*, pro, inita conspiratione occiderunt.

22. *Dicebatque nihil esse grauius nomine imperij.*] Expleuimus ex membranis mutilum ante & corruptum locum.

27. *Vero autem illum parasse insidias.*] Reg. *ante autem il.* quod possumus tueri. *antè*, id est, etiam prius quàm moreretur Verus: nam erupit Cassij coniuratio mortuo demum illo. heic autem tempus illud intelligitur, quo Syriam regebat Verus.

31. *Literas nostras ridet.*] philosophiam: cuius studium profitebatur Verus quo tempore se ad Marci mores agebat. vide infra epistolam Cassij.

32. *Te philosopham aniculam.*] Videtur scribendum, *te philosophum anic.* hoc est, quem vulgo homines pro philosopho habent. σὲ τὸν φιλόσοφον ἀποκαλεῖ γραίδιον.

34. *Non bene consulat.*] Regius *consulatur.*

ib. *Tales inter præcinctos habeas.*] milites aut cinguli honore præditos. cingulum, ζώνη & στρατεία idem.

35. *Quales milites libenter audiunt.*] cupidos rerum nouarum, à quibus ingentia sperant præmia. Tacitus, *mutatus princeps licentiam turbarum, & ex ciuili bello spem præmiorum ostendebat.*

36. *Sollicitam potius quam imperatoriam.*] quasi virtus imperatoris præcipua sit τὸ ἄδεες, & fati sui fiducia. quo animo qui sunt, ij suspicionibus non facile commouentur.

37. *Et non nostri temporis.*] hoc vult: sollicitum esse & meticulosum, non est imperatoris: certe meum non est, qui bonis artibus ad imperium accessi, & nullius facti mihi sum conscius, cur odio cuiusquam sim dignus.

ib. *Nam si ei diuinitus debetur imperium, non poterimus interficere.*] Regius, *n.p.resistere.* quod lenitati Marci est conuenientius. plane est illi simile in Actis apostolorum: ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη, ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται). εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό.

Pag.59.vers.2. *Scis enim proaui tui dictum.*] mox auum appellat. sic Verus imperator aliis nepos aliis pronepos Hadriani dictus, vt ad patrem huius obseruamus.

ib. *Successorem suum nemo occidit.*] Est in voce ὁμωνυμία. Successorem appellamus tam illum qui ex voluntate principis, aut legibus regni vel imperij destinatur successioni: quàm eum qui fatali lege ad successionem, siue debitam siue indebitam, est destinatus. ille potest occidi: hic non potest: semper enim quicquid humanæ mentes moliantur, *Fata viam inuenient.* Omnis hoc historia sacra & prophana testatur. Sed impij & ingrati simus aduersus numen supremum, si hodie foris exemplum quæramus nos: qui tam recens, tam illustre domi habeamus.

4. *Adde quod non possumus reum facere quem nullus accusat.*] nisi adsit accusator, institui iudicium non potest. Itaque sæui principes cum aliquem imperio suspectum vellent tollere, accusatorem submittebant: quod etsi iniquum est, speciem tamen saltem inanem, iustitiæ habet. ideo Marcellinus de Constantio principe pernitiosissimo: *nec vox accusatoris vlla, licet subditi, in his malorum quærebatur aceruis: vt saltem specie tenus crimina præscriptis legum committerentur, quod aliquoties fecerunt principes sæui.* Cæterum, quod ait hîc Marcus, id nemo tam imperitus rerum est, qui non videat sine distinctione necessarium non esse: cum sæpe in minoris momenti rebus accusatorem non expectare iudices teneantur.

5. *In caußis maiestatis hæc natura est.*] Sic omnes libri: pro, *caußis m.h. nat. inest.* vel, *caussarum maiestatis.*

6. *Vt videantur vim pati etiam quibus probatur.*] ὡς δοκεῖν ἀδικεῖσθαι καὶ τοὺς σαφῶς ἐξελεγχομένους. nihil video cur non Latina hæc sit oratio. Vt sæpe in libris iuris actor caussam suam iudici probare vel adprobare dicitur, cum illi rationibus suis facit satis: sic reo sua accusatio probatur, quando ille certis argumentis conuictus tenetur. Quamobrem scripturam omnium librorum *quibus probatur*, censemus retinendam.

9. *Quàm Domitiani.*] Suetonius capite XXI.

10. *Tyrannorum etiam bona dicta non habent tantum auctoritatis q.*] Verum est Græcorum dictum, οὐχ ὁ λόγος ἐστὶν ὁ πείθων, ἀλλ' ὁ τρόπος. paullo aliter Euripides,

— Λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων, αὑτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.

12. *Nam quod dicis, liberis meis cauendum esse morte illius.*] Hoc nusquam dixit Verus expresse in ea certè quæ præcedit epistola: significauit tamen non obscurè, cum imminens periculum ob oculos poneret. ineptè scripta lectio, *mærore illius.*

18. Et

18. *Et eorum caussa à quibus oppreßi fuerint.*] Dele &. ac scribe *fuerunt.*

19. *Addemus autem quemadmodum ad imperium venerit, & q.*] Tria se pollicetur dicturum: quomodo ad imperium venerit, quomodo fuerit occisus, & vbi victus. Lege omnia quæ deinceps sequuntur: miraberis scriptoris huius supinitatem: vel fatum & cladem mecum miseraberis. nam eorum quæ hic proponuntur, quæque necessario erant dicenda, alterum caput ita negligenter attingitur, vt pene prætermissum iure videatur: tertium penitus omittitur. Quare aut supra modum obliuiosus & dormitator Vulcatius hic fuit: aut quod verius puto, multum ei peruersa quorundam industria nocuit. Omitto ἀταξίαν in hoc libello insignem: cuius alibi caussam quæ videtur esse exposuimus.

27. *Nec defuere qui illum Catilinam vocarent.*] non solum propter similem coniurationem: sed magis propter morum similitudinem. itaque auctor in descriptione quæ præcedit, morum Cassij, locum Salustij respexit, vbi suis coloribus Catilina est depictus. inde & verba quædam mutuatur Capitol.

29. *Addens futurum se Sergium si dialogistam occidisset.*] Ea væcordia fuit Cassius, vt non solum Catilina audiret lubens: sed vltro etiam diceret, se vel Sergium dici velle, si modò Marcum occidisset. oportet Sergium extrema linea improbum fuisse: cum eius comparatione parum malus sit perditissimus ille perduellium Catilina. Quis autem hic Sergius? quæsiuerunt ante nos viri eruditissimi, nec inuenerunt. Aio illum ipsum esse Catilinæ libertum, vel cognatum, & in coniuratione socium, quem lacerat ac proscindit merito diuina illa M. Tullij δεινότης. eius verba sunt in ea Pro domo sua ad pontifices. *Quis est Sergius? armiger Catilinæ, stipator tui corporis* (Clodium alloquitur,) *signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiæ.*

30. *Antoninum hoc nomine significans.*] Nihil admodum erat opus, vt hanc interpretationem Capitolinus adiiceret: est enim manifestissimum Marcum intelligi à Cassio: qui in epistola ad generum, *Marcus Antoninus*, ait, *philosophatur, & quærit de clementia, & de animis, & de honesto & de iusto.* his verbis exponitur vox dialogista. sed magis eam Marcus ipse nobis aperit, qui se puerum Dialogos testatur scripsisse. Παρὰ Διογνήτου, ait, τὸ γράψαι διαλόγους ἐν παιδί. sed videtur postea pœnituisse Marcũ eius scripti: subiicit enim ibidem, παρὰ Ρυστίκου τὸ λαβεῖν φαντασίαν τοῦ χρήζειν διορθώσεως καὶ θεραπείας τοῦ ἤθους· καὶ τὸ μὴ ἐκτραπῆναι εἰς ζῆλον σοφιστικὸν, μηδὲ τὸ συγγράφειν περὶ τῶν θεωρημάτων, ἢ προτρεπτικὰ λογάρια μὴ διαλέγεσθαι. Caussam exsequentibus ibi verbis augurari licet: quod id genus scriptionis multa habeat φαντασιοπληκτικά, & ad ostentationem comparata.

31. *Timentibus cunctis ne quid fatale proueniret, rogatus sit n.*] Melius in regio, *eueniret.* Aurelius Victor: *Constat tantum Marco sapientiæ, lenitudinis, innocentiæ ac literarum fuisse, vt is Marcomannos cum filio Commodo,*

quem Cæſarem ſuffecerat, petiturus, philoſophorum obteſtantium circumfunderetur, ne ſe expeditioni aut pugnæ prius committeret, quàm ſectarum ardua & & occulta explanauiſſet. Ita incerta belli eius ſalute, doctrinæ ſtudiis metuebantur. Hæc Victor: ſed ſcribendum, *philoſophorum obteſtantium vi circumf.* & deinde, *Ita incerta belli in eius ſal.* C. Plinius epiſtolarum libro primo, de Tito Ariſtone ægrotante: *nihil eſt illo grauius, ſanctius, doctius: vt mihi non vnus homo, ſed literæ ipſæ, omneſque bonæ artes in vno homine ſummum periculum adire videantur.*

33. *Nec ille timuit.*] quid autem poterat timere? an ſermunculos maleuolorum qui ſtudia ſapientiæ vitio illi verterent? ita exponendum neceſſariò: niſi malis ſcribere, *renuit*, vel *abnuit.*

34. *Per ordinem paræneſeos.*] vel *paræneſeon*, vt ſuadet ſequens interpretatio.

ib. *Hoc eſt præceptionum.*] Cenſeo inducenda: nondum enim ætate Capitolini ita exaruerat Græcarum literarum ſtudium, ſine quibus nulla poteſt eſſe eruditio ſolida, vt voculæ præcedenti adiicienda eſſet interpretatio.

36. *Et qui ſe Marium dici vellet.*] Regius, *Mallium Marcum*, merum ſterquilinium: ſed vnde aurum effodimus vel primæ indicaturæ. Nam ſcripſerat auctor, *& qui ſe Manlium aut Marium dici vellet.* Nota ſunt Manliana imperia, & vnde dicta. Confirmat vnice hiſtoria ſequens de punitis à Caſſio centurionibus: quo iudicio vetus Manlij exemplum crudelitatis eſt renouatum.

Pag. 60. verſ. 4. *Primus etiam.*] Regius, *Primitus etiam.*

5. *Pedum octoginta & centum.*] hoc eſt, aut octoginta, aut centum.

ib. *Id eſt materiam.*] Reg. *idem materiam.* ego hæc cenſeo gloſſema eſſe vocis *ſtipitem.*

7. *Alios fumi cruciatu.*] Et fumus pro inſtrumento ſæuitiæ crudelibus tyrannis vſurpatus. habes exemplum apud Martyrologiorum ſcriptores, in paſſione Felicis presbyteri & aliorum ſanctorum martyrum, qui Valentiæ Cauarum ἐπνίγωθησαν: item alibi, in illis hiſtoriis. Caſſij verò exemplum omni execratione dignum. Ne Alexandrum quidem, Seuerum laudo, optimum alioquin principem, qui fumo ex ſtipulis & humidis lignis facto, eum puniit, qui vendiderat fumum.

18. *Iußit in crucem tolli, ſeruiliq; ſupplicio affici, quod exemplũ non extabat.*] Supplicium enim militare non fuit, crux: ſed ſecuris, vel etiam gladius: inter quæ ſuppliciorum genera plurimum intererat. Sed & in crucem acti milites interdum, transfugæ præſertim. Valerius Maximus libro ſecundo de ſuperiore Africano: *grauius in Romanos, quàm in Latinos trãſfugas animaduertit, illos enim tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit: hos tanquam perfidos ſocios ſecuri percußit.*

22. *Nudus, campeſtri ſolo tectus.*] Regius, *ſagulo.* Campeſtre ſagulum legi alibi nuſquam: campeſtre ἁπλῶς quid ſit, ſcimus. quare nihil mutamus.

primi in [illegible]
[illegible]

Crux [illegible] non
[illegible]

mus. Ac videtur Caſſius è campo vbi ſe exercebat recta ad milites profectus.

23. *Percutite me, ſi audetis, & corruptæ diſciplinæ facinus addite.*] Iunius Blæſus apud Tacitum, *Mea potius cæde imbuite manus*: mox, *iugulatus pœnitentiam adcelerabo.*

24. *Meruitque timeri quia non timuit.*] Lucanus in ſimili narratione de Cæſare qui cæſpititium tribunal aſcenderat, integram legionem exauctoraturus:

— *ſtetit aggere fulti*
Ceſpitis intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque hæc ira dictante profatur.

28. *De hoc multa grauia c.*] Eſt durius dictum, pro, *huius multa gr.* ſed ita ſcripti: & poteſt ferri.

33. *Et manus multis amputauit.*] Regius, *militis.* ſed obſtant ſuperius poſita hæc: *multis deſertoribus manus excidit.*

ib. *Et præter lardum & buccellatum atque acetum.*] *lardum* veteres ſcribūt non *laridum.* buccellatū ſciunt iam omnes eſſe ξηρὸν ἄρτον quo plurimum alebantur milites. etiam illud omnibus notum, ordinarium potū Rom. militum acetum fuiſſe. de his in libris iuris adfatim, & recentioribus Græcis ac Latinis.

35. *Portare prohibuit.*] Erat vſitatius, portare quicquam prohibuit.

Pag. 61. verſ. 1. *Quas totas excaldantes ſe r.*] Lampridius in Alexandro, *cum Antiochiam veniſſet, ac milites lauacris muliebribus ac deliciis vacarent.* lauacra muliebria appellat, quas Capitolinus *excaldationes.* Carinus apud Vopiſcum *aquam muliebrem.* raro his viri vtebantur à luxuria alieni. interdum tamen. Lampridius de Alexandro, *vnctus lauabatur, ita vt caldariis vel nunquam vel rarò, piſcina ſemper vteretur.* Hæc ſunt balnea quæ libro primo Codicis vetantur ab hoſpitibus ſuis exigere vel præcipui militiæ duces, nedum caligati milites. Chryſoſtomus in priorem ad Timotheum: στρατιώτης λουτροῖς καὶ θάλποις προσανέχων, καὶ πραγματείαις, καθάπερ τις λειποτάκτης κρίνεται. vox λουτρά heic non de quibuſvis lauacris, ſed de excaldationibus accipienda. nam in piſcinis lauationes & ψυχρολουσίαι omnes, etiam ad firmandum corpus valent: cum θερμολουσίαι, vt ſæpe repetit Galenus, corpora reddant ἀσθενῆ καὶ μαλακά. imò & animos quoque cum corporibus corrumpant: vt præclare diſputat etiam Cryſoſtomus in epiſtolam ad Hebræos, homilia XXIX. *Excaldare* apud Marcellum medicū idem ac calefacere: heic verò eſt λουτροῖς ἑαυτὸν διαθερμαίνειν, quod ſæpe apud Galenum legas.

5. *Scis enim verſum à bono poeta dictum, & omnibus frequentatum.*] Reg. *ab vno poeta d.* quod propter ſubiecta verba ſpeciem veri habere videtur. fortaſſe tamen verius ſit, *ab Ennio p.* nam verſum eſſe Ennij certum ex Auguſtini De ciuitate Dei, libro ſecundo, capite XXI.

10. *Græcanicis militibus.*] Romani munditiem & delicias Græcis ferebant acceptas. Alexander Seuerus in concione ad milites Antiochiæ

habita: *Milites Romani amant, potant, lauant, Græcorum more etiam quidam se instituunt.* idem in epiſtola ad matrem: *vereor ne ſoror mea Græcis munditiis erudita, Barbarum ſocerum ferre non poßit.* Trebellius de Herode, *homo omnium delicatißimus, & prorſus orientalis & Græcæ luxuriæ.*

12. *Militi excutiet.*] Regius, *excuti iußit.*

15. *Programma.*] pro edicto & imperatores vſurpant in Codice, & Caſſiodorus in Formulis.

17. *Arma militum ſeptima die ſemper reſpexit, veſtimenta etiam, & calceamenta & ocreas.*] Inter præcipuas prudentis ducis curas, erat armorum & veſtium militarium frequens inſpectio. Capitolinus de Maximino, *gladios, lanceas, loricas, galeas, ſcuta, tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumſpiciebat: calciamenta quinetiam ipſa proſpiciebat.* idem de Gordiano: *cum eſſet præfectus, arma militum ſemper inſpexit.* omitto ſimiles his locos ſtudioſis notandos in vitis Valeriani, & Probi Auguſtorum. Aurelianus in epiſtola ad vicarium ſuum: *arma terſa ſint, ferramenta ſamiata, calceamenta fortia. Veſtis noua veſtem veterem excludat.* Huius generis inſpectione ſe cum militaret functum narrat Plinius iuſſu legati conſularis, epiſtolarum libro ſeptimo.

21 *Exercitium ſeptimi diei f.*] De obſeruatione ſeptimi diei aliquid notabamus ad Suetonium libro tertio, capite XXXII. ſed in exercendo milite non eandem omnes rationes tenuerunt. nam Maximinus non ſeptima, ſed quinta quaque die exercebat: alius aliter.

22. *Et armis ludere.*] *Ludere armis* dicebantur qui ſe armis exercerent: & dies ille armiludium, vt armiluſtrium quo arma luſtrabant.

23. *Et gladiatores.*] ab his ſumſere Romani ὅπλων μελέτην, auctore P. Rutilio viro conſulari. Valerius Maximus, libro ſecundo, capite tertio.

33. *Vt quidam dicunt Fauſtina volente, quæ valetudini Marci iam diffidebat.*] eadem verba in Marco. ſed hoc paullo poſt multis confutatur. Dio habet pro vera hiſtoria & cauſſam eandem fere affert. ἔνιοι Fauſtina τὸν Κάσσιον δι᾽ ἀπορρήτων παρασκευάσαι, ἵν᾽ ἄν τι ὁ Ἀντωνῖνος πάθοι, καὶ αὐτὴν καὶ τὴν αὐταρχίαν λάβῃ.

Pag. 62. verſ. 2. *Quo diceret.*] Scrib. *quod dic.*

ib. *Nam & diuum eum appellaſſe dicitur.*] Similiter Philippus cum Gordianum occidiſſet, diuum vocabat, peregrina calliditate, inquit Capitolinus.

5. *Præfectum prætorij fecit.*] vide librum ſuperiorem: ibi & de Metiano, & multis aliis, quæ verbis ferme iiſdem mox repetuntur.

25. *Vt illi exprobraret beneficia ſua, eumque ſeruaret.*] Etiam Dio auctor eſt, nihil grauius in Caſſium dixiſſe Marcum: niſi quod beneficia ſua illi exprobrarit, ingratum frequenter appellans. de Marci voluntate Caſſium ſeruandi multa idem Dio.

30. *Non ſic deos coluimus, nec ſic viuimus, vt ille nos vinceret.*] O virum! quid

quid hic faceret ſi verum Deum noſſet? ſed & Philemon antiquus comicus aliis verbis dixit ferme idem. *Οἱ τὸν θεὸν σέβοντες ἐλπίδας καλὰς ἔχουσιν εἰς σωτηρίαν.* Marcus verò in illa grauiſſima oratione qua ſe ipſum hortatur ad vitam Patris Pij exemplo inſtituendam, Eſto, inquit *θεοσεβὴς χωρὶς δεισιδαιμονίας, ἵν' οὕτως εὐσυνειδήτῳ σοι ἐπιστῇ ἡ τελευταία ὥρα ὡς ἐκείνῳ.* nimirum ab illo fonte quem appellat Marcus *τὸ εὐσυνείδητον* manauit hæc de Caſſio vox. inde & illa in epiſtola ad vxorẽ: *Eſto ſecura dij me tuentur, diis pietas mea cordi eſt.*

31. *Omnes principes qui occiſi eſſent habuiſſe cauſſas cur mererentur occidi.*] Plinius in Panegyrico, *Nunquam deceptus eſt Princeps, niſi qui prius ipſe decepit.*

36. *Nec imperare voluiſſe.*] Putem *valuiſſe.* nam Vitellium imperare noluiſſe falſiſſimum eſt: ne Otho quidem noluit: etſi ei ſpei paullo maturius renuntiauit.

ib. *Nam de Pertinace & Galba paria ſentiebat.*] Ridiculum: de Pertinace Marcum. ſed excuſari poteſt, ſi accipias vt illud poetæ: *ἔνθ' ἑλέτην δίφρον τε καὶ ἀνέρε δήμου ἀρίστω,* & ſimilia apud Græcos & Latinos multa: vbi *τὸ κοινῶς λαμβανόμενον, διαφόρως νοεῖται.* ſic hoc loco, *ſentiebat* de Galba, eſt *ἔκρινε*, vel *ἔγνω*: de Pertinace, *ἔγνω ἄν.* hoc ideo dicimus, quia omnes libri hanc ſcripturam retinent. Si quis tamen ſculpello ſanare hunc locum malit, non contra ibo eius ſententiæ nimis pertinaciter.

Pag. 63. verſ. 15. *Nam & Alexandriæ.*] Scribe cùm regio, *Alexandra.*

16. *Euagandi vbi vellent.*] *vbi* pro quò. ſicut ſæpe in Græcorum libris *τοῦ* & *τῷ* confunduntur.

20. *Damnatis aliquibus iniuriarum.*] Inepte alij lib. *ob iniuriam.* emendauimus ex regio.

24. *Quæ ſolum Marcus.*] Scribe *ſolus M.*

27. *Audiſſe enim te arbitror quod æruſcatores de eo nuntiarent.*] Pertinent ad lucem huius loci verba Vlpiani: *Diuus Marcus eum qui de motu Caßiano vaticinatus erat, & multa quaſi inſtinctu deorum dixerat, in inſulam Scyrum relegauit.*

28. *Veni igitur in Albanum.*] Vetus Auguſtorum ſeceſſus: de quo ad Suetonij Domitianum capite quarto nonnihil.

29. *Hîc autem apparet F.*] Scribe *Hinc appar.*

30. *Cum dicat Marius infamari eam cupiens.*] Auctorem ſecutus erat Marius Maximus Dionem: vt ex iis quæ hodieque ſuperſunt cognoſcimus.

31. *Nam & ipſius extat epiſtola ad Verum, qua vrget Marcum, vt in eum gr. v.*] Epiſtola quam ait, ea ipſa eſt, cuius exemplum ſubiicitur ſtatim: illa verò non ad Verum miſſa eſt, ſed ad Marcum. quare mirum eſt vnde illæ voculæ *ad Verum* in hanc periodum irrepſerint. atqui Verum fata rebus humanis exemerant multo ante quam hæc fierent. nam hæc ſcripta ſunt à Fauſtina poſtquam regia ornamenta Caſſius aſſumſerat:

non autem post illam Veri ad Marcum epistolam quæ initio libri recitata est. Lego, *ad virum*, hoc est, maritum suum.

34. *Ipsa in Albanum cras, vt iubes, mox veniam.*] Fortasse, *cras, vt iubes, aut mox veniam.*

35. *Acerrime prosequaris.*] Scribe ex regio, *persequaris.*

Pag. 64. vers. 1. *Mater mea Faustina patrem tuum Pium eiusdem.*] Scribo, *virum eiusdem*: necessaria emendatione: nisi malis τὸ *eiusdem* inducere: quod non probo: nam ratione non caret, quod Faustina Pium matris virum potius quàm patrem suum hic nominat.

3. *Non enim pius est imperator qui non cogitat vxorem & suos.*] *non cogitat*, ὃς οὐ προνοεῖ, vt in simillimo maximi doctorum dicto, εἴ τις τῶν ἰδίων οὐ προνοεῖ, ἀπίστου χείρων.

4. *Pompeianus gener & senior est & peregrinus.*] in Marci vita, grandæuus equitis Romani filius, genere Antiochensis, nec satis nobilis dicitur. neque aliud vox *peregrinus* hoc loco significat, quam generis obscuritatem: nam si propriè accipias, falsum est, fuisse Pompeianum peregrinum, hoc est, non ciuem Romanum. vel Antonini enim constitutione cum cæteris omnibus in orbe Rom. ciuis fuerat effectus.

27. *Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecrauit.*] Seneca de Augusti clementia loquens: *Hæc hodieque præstat illi famam quæ vix viuis principibus seruit: Deum esse non tanquam iussi credimus.*

28. *Hæc patrem tuum in primis Pij nomine ornauit.*] Regius aliter, *hæc p. t. specialiter ornauit.* vtitur & alibi Capitolinus ea voce.

30. *Dij me tuentur: diis pietas mea cordi est.*] Horatius:

Dij me tuentur: diis pietas mea
Et Musa cordi est.

allusum eodem & mox ab acclamante populo, *Dij te tuentur.* cui geminum est apud comicum, Ὦ δῆμ᾽ ἐνδρογῶς ἡ θεός σ᾽ ἐπισκοπεῖ.

Pag. 65. vers. 2. *Neque quenquam vllum senatus occidat.*] Cogitemus de voce *vllum*. nam esse illam Marci præstare nolim. neque eam alibi Capitolinus agnoscit, vbi eius epistolæ meminit. nescio an scripserit, *nobilium.* nec refert quod idem mox dicitur. videntur tamen postrema orationis verba eam vocem tueri.

4. *Vtinam possem multos etiam ab inferis excitare.*] Placeat magis *mortuos*: quæ Scipionis Gentilis coniectura est eruditissimi Iurisconsulti & nobis amicissimi.

5. *Quæ etsi iustior fuerit.*] Regius, *iusta.*

8. *Scientes sub Marco se viuere.*] Scribe ex membranis, *sub Marco Antonino se v.*

9. *Viuant in patrimonio parentum pro parte donato.*] Recte *pro parte.* in Marco: *Filij Cassij & amplius media parte acceperunt paterni patrimonij.* item aliis locis. male alij, *pro patre.*

16. *Vt in caussa tyrannidis qui in tumultu cecidit probetur occisus.*] hoc est,

eſt,vt è rebellibus ac perduellibus, illi ſoli pereant,qui in tumultu fuerint occiſi.

17. *Hanc eius clementiam ſenatus his acclamationibus proſequutus eſt.*] Mos acclamandi,qui è theatris in fora primum penetrauit,(is locus eſt ἀγωνιστηρίων λόγων,) deinde etiam in ſenatum, ex aliis ſcriptoribus notus eſt: ſed ipſas acclamationum formulas, & earum exempla non inuenias apud vetuſtiorem alium Capitolino, ac cæteris hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus hiſce. Eius rei cauſſa, quod omnes quæ in his libris proferuntur acclamationes, ex Actis publicis deſcriptæ ſunt ab auctoribus. Lampridius in Alexandro Seuero: *Addam acclamationes ſenatus, quibus id decretum eſt. ex Actis Vrbis a.d. pridie Non. Martias.* Non ſunt autem acclamationes ſenatus in Acta publica ceptæ referri ante Traiani tempora. eius honori primum hoc fuit delatum. Plinius in Panegyrico; *Ante orationes principum tantum eiuſmodi genere monumentorum mandari æternitati ſolebant: acclamationes quidem noſtræ parietibus Curiæ claudebantur. Erant enim quibus nec ſenatus gloriari, nec principes poſſent: has verò & in vulgus exire, & poſteris prodi cum ex vtilitate, tum ex dignitate publica fuit.* poſt illa igitur tempora etiam hiſtorici factas cuique principi acclamationes ceperunt in literas referre: id verò vides quo ſtudio, qua diligentia ab iſtis auctoribus ſit factum: quos equidem non dubito pleraſque deſcripſiſſe è libris Marij Maximi, & aliorum vetuſtiorum quàm ipſi ſint. Dio quoque etiam in iis quæ apud Xiphilinum reliqua ſunt ſæpe meminit. Græci vocant ἐπιβοήματα, vocem Latinam vertentes: nam ea notione vetus Græcia id verbum ignorauit. dicunt & κρότους. & acclamare, κροτεῖν, ἐπιβοᾶν, vel ἐκβοᾶν, & ἐπιφημίζειν: & ἐπικραυγάζειν Euagrius, atque ἐπικράζειν: non male ſane: clamabant enim ad rauim vſque, & vt alibi Victor loquitur, vſque ad vocis defectum. nam vbi ſemel mos hic theatrorum in cœtum illum grauiſſimorum patrum contra veterem diſciplinam eſt admiſſus, nullus eſt modus ſeruatus: ſed quicquid in theatricis acclamationibus fieri ſolitum, idem & in iſtis. non temere autem quid quiſque vellet acclamabant: ſed, vt in choris, erat aliquis cuius vox cęteris præiret: hic formulã acclamationis cõcipiebat: reliqua turba nihil niſi acceptas ab eo voces reddebat. Ars vero adhibita, & in cõcipiendis acclamationibus, quas ideo Plinius Secundus cantica appellat: & in acclamando: modulatione enim quadam vtebantur canentibus non diſſimiles. Atque vt in ruſticis quibuſdam cantilenis fieri videmus, vt idem repetatur ſæpius: ſic qui acclamabant, non ſemel aut iterum, ſed ſæpius eadem verba reſonabant. Semper autem in Actis adnotatum, quoties quidque fuiſſet repetitum. quod ne hiſtorici quidam neglexerunt: nam leges ſæpe in iſtis libris, *dictum quinquies, dictum decies, dictum vicies,* & ſimilia. Trebellius vero in Claudio etiam ſexagies atque octuagies idem acclamatum obſeruat. Adeo illa tempeſtate mos acclamandi inualuerat: quem non dubitamus ægre initio & paucis au-

ctoribus,modice ac verecunde à conſcriptis patribus fuiſſe admiſſum. res enim erat,vt nobis quidem videtur, indecora prorſus,& à grauitate tam venerandi conſeſſus alieniſſima. Sed vbi acceſſit vſus & conſuetudo,per quam ſæpe τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται: facile vetuſtas ipſa omnem deformitatis huius ſenſum in hominum vel ſapientiſſimorum animis extinxit. Igitur ſemel receptus mos auxit in dies:neque ſolum in ſenatu aut aliis ciuilibus cœtibus id ſeruatum:ſed &in omnibus Eccleſiaſticis conuentibus idem olim factitatum. Vetus enim eccleſia & acclamandi morem vſurpauit, & illas ipſas etiam formulas retinuit, quas habent auctores iſti diuerſis locis. his populus in ſacris conuentibus vtebatur; his & patres ipſi in ſynodis ſuis. Atque vt ſenatorum acclamationes in Acta publica relatæ,numero etiam adnotato,quoties quidque dictum fuiſſet: ſic & vetus eccleſia cum in Acta ſynodica, (Πράξεις ipſi & Πεπραγμένα vocant,) tum in alia geſta eccleſiaſtica habitas acclamationes per notarios ſuos pari diligentia referebat. Proferam exempla aliquot,vt ſtudioſi lectores cum iis conferant quę paſſim in his vitis leguntur. In Actis ordinationis Eradij, cum illum beatiſſimus Auguſtinus iam ſenex apud clerum & populum ſucceſſorem ſibi dixit: poſt iſta Auguſtini verba, *Presbyterum Eradium mihi ſucceſſorem volo*, ſequuntur iſta: *A populo acclamatum eſt: Deo gratias, Chriſto laudes*: dictum eſt vicies ter: *Exaudi Chriſte, Auguſtino vita*: dictum eſt ſexies decies. *Te patrem, te epiſcopum*: dictum eſt octies. *cumque reticeretur, Auguſtinus epiſcopus dixit*: *Non opus eſt* &c. mox. *A notariis Eccleſiæ ſicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis: & meus ſermo, & veſtræ acclamationes in terram non cadunt. Apertius vt dicam, eccleſiaſtica nunc geſta conficimus. ſic enim hoc eſſe quantum ad homines confirmatum volo. A populo acclamatum eſt trigeſies ſexies, Deo gratias, Chriſto laudes: Exaudi Chriſte, Auguſtino vita*: dictum eſt tredecies. & ſub finem, *Hic mihi reſponſione veſtra opus eſt: teneam reſponſionem veſtram de hac aſſertione aliquid acclamate. A populo acclamatum eſt: Fiat, fiat*: dictum vicies quinquies. *Dignum eſt, iuſtum eſt*: dictum vicies octies: *Fiat, fiat*: dictum quaterdecies. *Olim dignus, olim meritus*: dictum vicies quinquies. *Iudicio tuo gratias agimus*: dictum tredecies: *Exaudi Chriſte, Eradium conſerua*. dictum octies decies. Plane hæc gemina ſunt iis quæ in Claudium ſenatores dixerunt, cum illi imperium deferrent. *Auguſte Claudi, dij te nobis præſtent*: dictum ſexagies: *Claudi Auguſte, principem te, aut qualis tu es, ſemper optauimus*. dictum quadragies: *Claudi Auguſte, te Reſpublica requirebat*: dictum quadragies: *Claudi Auguſte, tu frater, tu pater*, &c. quæ lege apud Trebellium. Synodicæ acclamationes in Actis Conciliorum multæ: contentis verò, hiſce libris ſimillimas paucas ſubieci. In Actis Synodi Epheſinæ Oecumenicæ tertiæ, Celeſtino & Cyrillo duobus Chriſtianę fidei columinibus, ita acclamatur venuſtiſſimè: Αὕτη δικαία κρίσις. νέῳ Παύλῳ Κελεστίνῳ· νέῳ Παύλῳ Κυρίλλῳ· Κελεστίνῳ τῷ ὁμοψύχῳ τῆς συνόδου. Κελεστίνῳ εὐχαριστεῖ πᾶσα ἡ σύνοδος.

δος. Κελεστίνῳ τῷ φύλακι τῆς πίστεως. εἷς Κελεστῖνος. εἷς Κύριλλος. μία πίστις τῆς συνόδου. μία πίστις τῆς οἰκουμένης. non diſſimiles iſtis, quas in alia ſynodo habitas refert Euagrius libro ſecundo, capite XVII. Ἅγιε Κύριε σὺ αὐτὸν ἐκδίκησον. ὀρθόδοξε βασιλεῦ σὺ αὐτὸν ἐκδίκησον. Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη. τοῦ πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη. ibidem non multo aliter in Dioſcorum acclamatur, quàm apud Lampridium in mortuum Commodum. Ἀνάθεμα Διοσκόρῳ. Διόσκορον ὁ Χριστὸς καθεῖλε· τοῦτον ἔξω βάλλε. ἆρον ὕβριν τῆς συνόδου. ἆρον βίαν τῆς συνόδου. τὰς φωνὰς τῶν βασιλείων. ἆρον ὕβριν τῆς συνόδου, ἆρον ἄγος τῆς συνόδου. Earum vero acclamationũ quibus excipere, atq; adeo interpellare ſoliti epiſcopos concionantes, & in ſcriptis patrũ, & eorundem vitis frequens mentio. Ac videtur admirandæ ſanctitatis vir B. Auguſtinus, eum morem tuliſſe non inuitus, atque adeo non improbaſſe: quod ex libro quarto De doctrina Chriſtiana, capite XXVI. aliiſque locis licet intelligere. Non ita Ioannes Chryſoſtomus: qui vir diuinus, vt erat auſteriore ingenio, morem tot ſeculorum improbauit damnauitque. Extant integræ illius homiliæ, quibus id vnum agitur, vt plauſus omnes & acclamationes de concionibus ſacris tollantur. quod cum ille vir tantus neque auctoritate neque facundia ſua potuerit obtinere: ipſo tandem temporis tractu correctum eſſe, & è piorum ſynaxibus ſublatum hodie videmus: magno argumento, non quicquid olim factum eſt, id ſemper eſſe melius.

18. *Antonine pie, dij te ſeruent: Antonine clemens, dij te ſeruent.*] Formulæ acclamandi aliæ erant ſolennes & communes: aliæ certis negotiis propriæ. Capitolinus in Maximo & Balbino, *inde in ſenatum itum eſt: vbi poſt illa quæ communia ſolent eſſe feſta, dictum eſt.* malim *fauſta.* appellat *communia fauſta*, voces vſurpari ſolitas in omni acclamatione fauſta. hæ ἐγκύκλιοι acclamationes nihil aliud niſi vota & laudationes erant. ferè autẽ à votis incipiebant, vt hic, & alibi ſæpe in his hiſtoriis. Sic in illa elegãtiſſima narratione quæ habetur in codice Theodoſiano, lib. VII. titulo XX. præfectorũ & tribunorum acclamationes ita incipiunt: *Auguſte Conſtantine dij te nobis ſeruent: veſtra ſalus, noſtra ſalus: verè dicimus, iurati dicimus.* Interdum & verſibus acclamabant. talis illa eſt apud Tertullianum acclamatio, *De noſtris annis addat tibi Iupiter annos.* quò alluſum eſt à B. Ambroſio: ſi tamen Ambroſij eſt oratio de obitu Valentiniani imperatoris: *Quod ſi me*, inquit, *ad illum reuocatis dolorem, quod citò exceßit è vita: nec ego abnuo immatura obiiſſe ætate, quem noſtræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, vt de noſtris annis viueret, qui fungi non potuit ſuis.*

20. *Commodo imperium iuſtum rogamus.*] Iacobus Lectius meus, C. *i. tutum r.* & firmant ſequentia, *progeniem tuam robora. Fac ſecuri ſint liberi tui.* Ego aliter accipiebam, & *imperium iuſtum* interpretabar plenum, ad differentiam eius dignitatis quam obtinebant Cæſares. Commodum enim iam Cæſarem Auguſtum fieri poſtulat ſenatus, vtque mortuo Vero in participatum imperij adſciſcatur à patre: quod & mox factum

ſcimus. iuuant illa ſtatim, *Commodo Antonino tribunitiam poteſtatem rogamus.*

23. *Præſentiam tuam rogamus, philoſophiæ tuæ, p.*] Diſtingue: *præſentiam tuam rogamus. philoſophiæ tuæ, patientiæ tuæ*, *d.* peſſimè hæc membra coniunguntur: nam præſentiam Marci optat ſibi ſenatus. illo enim abſente, poſtquam recitata eſt epiſtola ipſius ad ſenatum acclamationes iſtæ ſunt habitæ. Deinde ſequitur ὡς ἀπ᾽ ἄλλης ἀρχῆς: *philoſophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitati tuæ, innocentiæ tuæ.* vbi perperam ſcribunt nonnulli, *nobilitatis tuæ.* putarunt omnia hæc ſecundos eſſe caſus, qui penderent à voce *præſentiam.* quod falſum eſt: nam rectè in omnibus libris tertio caſu ſcriptum *nobilitati tuæ.* deeſt in hac periodo verbum, bene precamur, vel tale quid. talia multa in his acclamationibus elegantiſſime dicta. ſimillimè apud Lampridium in Alexandro: *Alexander Auguſte, dij te ſeruent. verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, caſtitati tuæ.* & hîc, *verecundiæ tuæ* dictum σιωπήρως, pro, verecundiæ tuæ omnia fauſta optamus ac precamur. aut verbo vno, feliciter: vt in vita Commodi, *fidei prætorianorum feliciter: pietati ſenatus feliciter.* Verũ paullo aliter accipe iſta apud Victorem iuniorem: acclamatum eſt: *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus: patri pio, patri ſenatus, patri omnium bonorum*, deeſt hîc, honores petimus, vel cenſemus deferendos, aut neſcio quid huiuſmodi.

24. *vincis inimicos, hoſtes exuperas.*] in Alexandrum Seuerum dictum eſt: *Viciſti vitia, viciſti crimina, viciſti dedecora.*

30. *Qui ſi obtinuiſſet imperium fuiſſet non modò clemens, ſed bonus, ſed vtilis & optimus imperator.*] *fuiſſet*, hoc eſt, dictus fuiſſet. non enim ex ſententia ſua loquitur Vulcatius, ſed ex conſuetudine hominum, qui in cæteris veritatem vtcumque amplectentes: in principibus per adulationem illam fere corrumpunt. δεινὰι γὰρ, vt ait Græcus orator, ἐπισκιάσαι τοῖς κακοῖς αἱ εὐτυχίαι. Non penitus diſſimile eſt quod obſeruat Dio libro XLV. Octauium qui pene adhuc puer auſus patris hereditatem cernere, Iulij nomen aſſumere, & Reip. turbis ſe immiſcere occiſo Cæſare, pro temerario & audace tunc habitum: ſed cum illi res ſucceſſiſſent, fortitudinem illius omnes prædicaſſe. vide locum, ſub initium eius libri: etſi non plane eadem ſententia.

33. *Nam extat epiſtola ei.*] Caue referas ad proxima verba: pertinent enim ad illa, *ſed ad cenſuram crudelitatemque propenſiores.* eos fuiſſe Caſſij mores, probat allata epiſtola quæ planiſſimum id facit.

34. *Cupidos & diuites patitur miſera. Marcus h.*] Regius & Puteani, *c. & d. patitur. Miſer Marcus h.* in vulgata, *miſera* in fine ſententiæ. σχετλιαστικῶς eleganter poſitum, vt apud Græcos ἡ τάλαινα, ἡ ταλαίπωρος: at initio periodi *miſera Reſp.* ἀποφαντικῶς dictum, δυστυχὴς ἐστιν ἡ πολιτεία. Probo tamen ſcriptam lectionem, propter ſequentia verba: quibus rationem reddit, cur Marcum dixerit miſerum.

37. *Vbi*

37. *Vbi Marcus ille Cato censorius*?] abest à regio nomen *Cato*. Ego vero miror cur censorium potius quàm Vticensem Catonem appellet in hac re Cassius.

Pag. 66. vers. 4. *Nec sentit pro Rep.*] nec sententias dicit in senatu satis fortes & viriles: sed nimietate clementiæ fouet malos, in perniciem Reip.

ib. *Multis opus esse gladiis, multis elogiis.*] respicit ad titulos puniendorum, quæ vocari elogia notum est.

5. *Ego vero præsidibus prouinciarum.*] malam crucem videlicet opto, aut tale quid.

12. *Reddant Caßiani Reip. principatum.*] Malim, *reddent*, vt pendeat à superiore periodo. *Reddere Reip. principatum*, non aliud est, quàm, *reddere Remp.* quod exponebamus ad Suetonium libro secundo ex Dione, reddere Reip. arma, prouincias, magistratuum comitia, & ærarium. Doctorum virorum interpretatio horum verborum argutior quàm verior.

ISAACI CASAVBONI
IN AELII LAMPRIDII COMMODVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

AELII LAMPRIDII.] Robertus à Porta, qui ante aliquot ſecula hiſtoriam rerum Commodi duobus capitibus eſt complexus, ſolitus initio cuiuſque capitis auctorem laudare quem excerpit: non Aelium Lampridium heic, ſed Iulium Capitolinum bis nominat. Regius tamen & omnes ſcripti vitam hanc Aelio Lampridio adſcribunt. Meminit huius initio Probi Flauius Vopiſcus. Aetas certa eſt: reliqua in obſcuro latent.

23. *Apud Lanuuium.*] in villa Lanuuina. vide Capitolinum in Pio.

ib. *Cum fratre Antonino Gemino.*] è re cognomen impoſitum. ſed an rectè ſcriptum? nam fortaſſe verius litera minore, *gemino*.

24. *Pridie Cal. Septemb.*] die quo & Caligula natus, vt mox. Suetonius, cap. VIII.

28. *Serpentes parere.*] Videtur numerus excidiſſe. Scripſerim cum Lectio, *ſ. duos parere.* quia ſequitur, *ſed ex his vnum ferociorem.* Ita reperi poſtea apud Robertum Bonon.

29. *Quem parem aſtrorum curſu Commodo m.*] Malim, *ex aſtrorum curſu.* ridet obiter mathematicos genethliacos, qui fratrum geminorum paria & eadem fata eſſe dixerant. Eos igitur exemplum hoc, vt alia infinita, vanitatis arguit.

33. *Magnorum atque optimorum virorum.*] Notat Herodianus, ſtatim initio. ipſe Marcus quantæ fuerit ſibi curæ recta liberorum educatio, teſtatur abunde libro primo, vbi inter maxima beneficia à Deo ſibi collata & hoc ponit: τὸ ἐπιτηδείων τροφέων εἰς τὰ παιδία εὐπορῆσαι. Pitholaum cubicularium, Commodi τροφέα nouimus è Galeno.

37. *Tantum valet aut ingenij vis.*] Non ſine cauſſa dubitat: nam fuit naturâ ſuâ Commodus minimè malus: atque adeo, auctore Dione, εἰ καί τις ἀνθρώπων ἄκακος. quod tamen elogium iis quæ ſtatim ſubiicit Lampridius, nullo modo conuenit.

ib. Eo-

ib. *Eorum qui in aula institutores habentur.*] Pitholaum videtur perstringere qui fuit eius educator, & in aula institutor.

Pag. 67. vers. 4. *Vt calices fingeret.*] Lego, *frangeret.* de hoc genere κωμῳδίας dictum aliquid ad Verum Imper. Est & calices fingere vinearij artificis potius quàm eius qui in imperatoria statione sit collocatus: sed eam lectionem refellunt sequentia. Accedit testimonium Roberti Bon. qui hinc scribit, *Nam calices de mensa rumpebat.*

6. *Apud Centumcellas.*] Procopius libro sexto, siue Gotthicorum altero, διὸ δὴ καὶ πόλιν ἐπιθαλασσίαν λόγου πολλοῦ ἀξίαν Κεντουκέλας ὄνομα, τῶν ἐπιτηδίων συνοικίζοντες, ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐξῆγον. ἔστι δὲ ἡ πόλις μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος, ἐς τὰ Ῥώμης πρὸς ἑσπέραν ἐν Τούσκοις κειμένης, σταδίοις αὐτῆς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις ἀπέχουσα. Fabellam de conditis Centumcellis per Hadrianum non fecisset tanti nugator Egnatius, si epistolam Plinij XXXI. libro sexto legere olim meminisset.

7. *Balneatorem in fornacem coniici iussit.*] Balneatorem hîc interpretor non dominum vel mancipem balinei, τὸν βαλανέα: sed seruum mediastinum qui in balneis aquam & oleum affundebat. Glossæ, *Mediastinus, præfusor*, παραχύτης, περιχύτης. In scriptis Rabbinorum vocantur hæc ministeria אורייורין vel אליוורין vt notatur in Aruch. Seneca epistola LXXXVI. *Olim non suffundebatur aqua, nec recens semper velut ex calido fonte currebat.* describit ministerium serui παραχύτου.

10. *Appellatus est autem Cæsar puer c.*] Infra, *Nominatus est inter Cæsares, quarto Iduum Octobrium, Pudente & Pollione Coss.*

11. *Cum fratre suo Seuero.*] Marco Antonino nati sunt è Faustina filij tres: Commodus qui imperauit: Antoninus Geminus, qui partu eodem cum fratre Commodo editus, quadrimus periit: & Verus ille quem obiisse cùm esset annorũ septem, in Marco narrat Capitolinus. Herodianus Verissimum hunc nominat: qui cum Marco filios tribuit duos tantum, fratrem geminum Commodi videtur ignorasse: vt qui multo ante obiisset, quam ipse Alexandria Romam migraret. Cum igitur plures filios tribus illis quos diximus non habuerit Marcus: quis iste frater Commodi Seuerus? Sed non dubitamus Verum esse, de quo Capitolinus. Lego, *Sex. Verum.* Galenus Περὶ τοῦ προγινώσκειν, non semel Σέξτον Ἀντωνίνου υἱὸν à se curatum narrat: de cuius peruicacia cum quæratur Galenus, ceu φιλονίκου ὄντως ἐσχάτως, vt ait ipse, non potest geminus Commodi frater intelligi. is igitur, est, qui periit septuennis.

ib. *XIII. ætatis anno in collegium sacerdotum adscitus est.*] Infra ex Actis postea factis, vel emendatis: *assumtus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos, XIII. Kal. Inuictas, Pisone & Iuliano Coss.*

22. *Cooptatus inter tres solos principes iuuentutis cum togam sumsit.*] Omnes libri corrupti. Lege, *inter trossulos principes iuuentutis.* & Iusto Lipsio, præstantissimi ingenij viro, qui certissima coniectura sic emendauit, magnas habe gratias. Caussas emendationis ab ipso licet petas,

& eius Electis, bonæ frugis plenissimis libellis.

15. *Nonarum Iuliarum die, quo in terris Romulus non apparuit.*] Romuli excessum nonnulli in diem hunc Nonarum Quintilium Caprotinarum coniiciebant, vt Plutarchus: alij in Quirinalia & Februarium mensem. quas sententias expendit διογενὴς heros Iosephus Scaliger, in quinto De emendatione temporum. eum vide.

17. *Et eo tempore quo Caßius à Marco desciuit.*] Expresse notat Dio: vt ad Marcum notamus.

26. *Popinas & ganeas in palatinis semper ædibus fecit.*] didicerat à Vero, de quo Capitolinus, *popinam domi instituit.*

29. *Vt prostibula mancipia lupanarium.*] Vetus editio, ante vocē lupanarium inserebat monstrū verbi *perficiem*. vnde scribebat princeps doctorū æui sui Hadrianus Turnebus, *per speciem lupanarium*. nobis tamen libri regij lectio placet. nisi illa *mācipia lupanariū* sunt glossa τοῦ *prostibula.*

30. *Imitatus etiam propolas circumforaneos, equos curules sibi comparauit.*] Tale quid in Vero notabat Capitolinus, cum inter flagitia illius poneret, quod *frequenter prouincialibus literas caussa Circensium & miserit & acceperit.* sed Commodi proiectior pudor. Propolas circumforaneos vocat eos, qui curulium equorum greges sibi comparabant, quos dominis factionum venderent, aut locarent. Sed nondum penitus displicet, quod aliquando venit nobis in mentem: mutata distinctione totum locum ita esse concipiendum. *Mulierculas formæ scitioris, vt prostibula mancipia lupanarium, ad ludibrium pudicitiæ contraxit, imitatus etiam propolas circumforaneos. Equos c.* Erit sensus, Commodum in emendis hisce mulierculis, quarum pudicitiæ cum ipse, tum sodales eius erant illusuri, inuitatum esse circumforaneos propolas, siue mangones impurissimos, qui virgines quas emerent, aut venderent, soliti denudare atque perspicere. Tangit hunc morem Suetonius duobus locis: libro secundo, cap. LXIX. & libro quarto, cap. XXXVI.

Mangones virgines quas vendebant solebant nudare

31. *Aurigæ habitu currus rexit.*] non publicè tamen, nisi forte noctu, luna silente: sed domi, prodire in publicum cum maximè vellet non ausus. Dio, καὶ ἐν μὲν τῷ δημοσίῳ οὐδαμόθεν ἅρματα ἤλασε, πλὴν εἰ μή που ἐν ἀσελήνῳ νυκτί. ἐπιθυμήσας μὲν γὰρ δημοσίᾳ ἁρματηλάσαι, αἰσχυνθεὶς δὲ καὶ ὀφθῆναι τοῦτο ποιῶν, οἴκοι συνεχῶς τοῦτ᾽ ἔπραττε τῇ πρασίνῳ σκευῇ χρώμενος. de nocturnis agitationibus & Iuuenalis in nona.

31. *Gladiatoribus coniunxit.*] Infra, *Ludum semper ingressus est.* plura ibi. Sed mirum scribi cōstanter in membranis, *cum gladiatoribus cōmisit.*

32. *Aquam geßit vt lenonum minister.*] id est, vt aquariolus aut baccario: nam ita vocabantur οἱ πορνοδιάκονοι qui in lupanaribus aquam ministrabant. Multum in illis lustris aquæ vsum fuisse, testis M. Tullius plurimis locis: vt in oratione pro M. Cælio, pro Muræna, & in Vatinium: necnon ad Atticum epistola XVI. libri primi. Frontinus libro secundo De aquæductibus: *ipsam Martiam splendore & rigore gratißimam*

aquariolus aut baccario

bal-

balneis ac fullonicis & relatu quoque fœdis ministeriis deprehendimus seruientem. Erat enim moris vt priusquam inde abirent, corpus totum lauarent. Chrysostomus in caput VI. prioris ad Corinthios: Τοῦτο ἡμῖν ἔθος. ἀπὸ μὲν τῆς πλεονεξίας καὶ ἁρπαγῆς οὐκ αὐτῆς σπουδάσαιεν ἐπὶ βαλανεῖον ἥκειν, ἀλλ' ἀδιαφόρως ἐπὶ τὴν οἰκίαν ἀνίασιν. ἀπὸ δὲ μίξεως πόρνης, καθάπερ ὅλος γενόμενος ἀκάθαρτος, ἐπὶ τὸ λουτρὸν ἔρχεται. Lucianus in Ἔρωσι. διηγούμεναι θηλύτητος εὐνὴν γέμουσαν, ἀφ' ἧς ἀναστὰς ἕκαστος, εὐθὺ λουτροῦ χρεῖος ἐστι. Allusit ad hunc morem auctor Διαταγῶν Clemẽtinarum libro sexto: verba ipsa adscribam, quæ elegantissima sunt. Ἀνὴρ καὶ γυνὴ νομίμῳ γάμῳ συνερχόμενοι καὶ ἀπ' ἀλλήλων ἀπαρατηρήτως προσευχέσθωσαν· καὶ μὴ λουσάμενοι καθαροί εἰσιν· ὃς δ' ἂν ἀλλοτρίαν γυναῖκα ὑποφθείρας μιανῇ ἢ συμμιανθῇ πόρνῃ, ἀναστὰς ἀπ' αὐτῆς οὐδ' ἂν τὸ πέλαγος ὅλον καὶ τοὺς ποταμοὺς πάντας ἀπολούσηται, καθαρὸς εἶναι δυνήσεται. Consuetudo veterum Christianorum tunc fuit, vt siue ab vxoris geniali lecto prodirent, siue ab impura & scelesta Venere, templa non prius adirent orationis caussa, quam corpus lauassent: quorum vtrumque auctor huius constitutionis affirmat superuacuum: hoc quia nihil prosit: illud quia non necessarium. Sane hæ lauationes, quarum multi veterum patrum meminere, imitatione paganorum vsurpatæ. Clemens Alexandrinus, εἰς ἱερὰ μὴ εἰσιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλούτους ἐνομοθέτησαν Αἰγύπτιοι. verba Herodoti sunt, quem lege in Euterpe, barbaros reprehendentem, quod non idem seruarent. at libro primo eiusdem, consuetudo Babyloniorum eadem, multis exponitur. in ritualibus libris Iudæorum de hoc genus lauationibus multa aliquando legimus.

Pag. 68. vers. 4. *Regibus hostium addictus remisit.*] Optime in regio & Puteani, *legibus*. ita rescribe. hoc ita Herodianus, ὁ Κόμμοδος τὸ ἀμέριμνον ὠνούμενος ἀφειδῶς τε ἔχων χρημάτων, πάντα ἐδίδου τὰ αἰτούμενα.

5. *Antero post se in curru locato, ita triumphauit, vt eum sæpius ceruice reflexa publice oscularetur.*] Quos plurimum amabant imperatores, hos in triumphali curru pone se collocabant. Philostratus de Prusæo Dione, Τραϊανὸς αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν, ἤγετο θαμὰ ἐπιστρεφόμενος, Τί μὲν λέγεις οὐκ οἶδα· φιλῶ δέ σε ὡς ἐμαυτόν. quod Lampridius, *sæpius ceruice reflexa*, Græcus scriptor, θαμὰ ἐπιστρεφόμενος.

7. *Etiam in Orchestra hoc idem fecit.*] Olim notatus Domitianus quod faceret fere idem in pueruIo portentoso paruoque capite. Suet. cap. IV.

10. *Heluareturque viribus imperij.*] elegantissimè. declarant autem hæc sequentia paullo post verba, *cum sumtus eius vires Romani imperij sustinere non possent.* Mamertinus in Gratiarum actione, ad Iulianum, luxum priorum imperatorum describens. *Quinetiam prandiorum & cœnarum magnitudines Romanus populus sentiebat, cum quæsitissimæ dapes non gustu sed difficultatibus æstimarentur.*

13. *Fieretque contemtui.*] atqui sæuitia principis non contentum, sed

odium potius in subditorum animis generat. sed eò respicit Lampridius quòd vitium omne parit contemtũ. verùm de Paterno plura mox Lampridius.

ib. *Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam compulit.*] Caussam huius conspirationis aliam affert Herodianus, qui omnia diligentissime persequitur. Quadratus hic quem Herodianus νεανίσκον, vocat, videtur esse filius Numidij Quadrati illius, de quo in vita Marci.

15. *Non sine præf. præt. Tarrutini Paterni consilio.*] Ex Herodiano dubites an hoc satis verum: nam ille de Paterno in ea historia nihil. qui etiam scribit, Perennem factum præfectum prætorio ante quam hæc acciderent. Dio inter eos qui occasione huius coniurationis cæsi sunt, aut certè sub id tempus, Paternum nominat: vnde videtur data occasio coniiciendi fuisse & illum conscium: at negat non obscure idem Dio: qui in Paterni potestate fuisse ait, vitam Commodi: si voluisset ille occidere.

ib. *Tarrutini Paterni.*] Scribe *Tarruntij Paterni.* vt rectè legitur in lege XII. Digestis, De re militari. Sic apud Dionem in Legationum excerptis è Marci vita: Ταῤῥουτήνιον Πάτερνον, τὸν τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῦ τὰς Λατίνας διὰ χειρὸς ἔχοντα. In veteri tamen indice, qui Pandectis præfixus, Ταῤῥουτηνὸς Πάτερνος scriptum: & ita princeps editio hoc loco, *Tarrunteni P.*

16. *Datum est negotium peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo.*] Paullo post: *occisus est eo tempore etiam Claudius, quasi à latronibus: cuius filius cum pugione quondam ad Commodum ingressus est.* quem hîc solo Claudij nomine designat, is est Claudius Pompeianus ille, cui post Veri mortem nupsit Lucilla. huius filium Claudium Pompeianum cædem hâc aggressum, cum Lampridio scribit Dio, qui sibi in his, vt testi αὐτόπτῃ fidem haberi postulat. vt mirer valde aliter Herodianum tradere: qui pro Claudio Pompeiano Quintianum quendam iuuenem senatorem nominat. Ammianus libro XXIX. Herodianum sequitur non Dionem: *Commodus, ait, in amphitheatrali cauea, cum adfuturus spectaculis introiret, à Quintiano senatore inlicitæ cupidinis homine, ad debilitatem pene pugione vulneratur.*

17. *Qui ingressus ad Commodum.*] Sic mox, *quondam ad Commodum ingressus est.* hoc tamen falsum: non enim tentata cædes in palatio: sed in aditu Circi, vt scribit Dio: Herodianus, ἐν τῇ τοῦ ἀμφιθεάτρου εἰσόδῳ. ζοφώδης δὲ αὕτη. τῷ καὶ λήσεσθαι ἤλπιζε. sic Marcellinus.

19. *Hunc tibi pugionem senatus mittit.*] Dio, Τοῦτό σοι τὸ ξίφος ἡ βουλὴ πέπομφε. similis vox eius militis qui Pertinacem occidit: Τοῦτό σοι τὸ ξίφος οἱ στρατιῶται πεπόμφασι.

20. *Detexit facinus fatuus, nec impleuit.*] Herodianus quem sæpe describunt scriptores isti: προεῖπε τὸ βεβουλευμένον μᾶλλον ἢ ἔδρασε.

22. *Dein Narbana.*] Scribe, *Norbana.*

ib. *Et Paralius, & mater eius Lucilla in exilium exacta.*] Lucilla hæc soror

ſoror Commodi eſt: quam Capreas in exilium relegatam, deinde occiſam, ſcribit Dio. ſed quis iſte Paralius eius filius? duos Lucilla habuit maritos: Verum & Pompeianum. Veri filius eſſe non poteſt. neq; enim Græco nomine Imperatoris filius nominatus fuiſſet: neque ita obiter ab auctore indicaretur. Pompeiano genitus eſſe ac Lucilla per temporum rationem non poteſt. Supereſt vt locus ſit mendoſus. Diſtingue: *& Paralius & mater eius. Lucilla in exilium exacta*. vel ſcribe vt aliis libris, *& Lucilla in e.e.*

25. *Cuius potentiam præfecti prætorio ferre non poterant.*] Liber regius, *cuius potentiam populus Romanus ferre non poterat.* ſæpiſſime librarij literarum iſtarum loco P. R. aliud quid ſcripſerunt. Vulgata lectio duplicem cauſſam occiſi Anteri à præfectis prætorio aſſignat. quarum altera alteri minus belle cohæret: nam ſi id ſpectarunt illa cæde, vt inuidia Commodum liberarent; falſum eſt ideo eſſe interfectum, quod ipſi illius potentiam ferre non poſſent.

27. *In hortos ſ.*] Regius ſemper *ortos*. quomodo & veteres ſcripſiſſe teſtes grammatici.

30. *Paratæ necis Commodi.*] vel Commodo.

ib. *Et interuentorem ne coniuratio latius puniretur.*] *interuentor* apud iuriſconſultos, eſt pararius, proxeneta. hic eſt μεσίτης & deprecator. apud M. Tullium, ὁ ἐπελθών.

31. *Inſtigante Tigidio.*] Regius, *Acidio*.

ib. *Per laticlaui honorē à præfecturæ adminiſtratione ſubmouit.*] Scrib. *laticlauij* vel *laticlauiæ*, vt alibi apud Lamprid. aut *lati claui*. Laticlauium proprius ſenatorum honos. at præfecti prætorio ad illam ætatem nunquam, niſi rariſſimè ex ordine ſenatorio: ſemper ex equeſtri. Capitolinus in Pertinace: *doluit palam Marcus, quod cum ſenator eſſet, præf. præt. fieri à ſe non poſſet.* Lege verò Lampridium in Alexandro Seuero: qui vetus hoc ius immutauit. Ex illo autē loco Lampridij cognoſcimus hanc de Materno narrationem ſumtam eſſe de libris Marij Maximi: nam apud Dionem & Herodianum hæc non leges.

34. *Iuliani filio.*] Iulianum patrem cum Paterno occiſum ſcribit Dio quoque. vocatur autem hîc in Xiphilini codicibus, Σέξτιος Ιουλιανός.

36. *Vitruuium Secundum Paterni familiariſſ.*] an hic Victorinus, cuius cædem narrat Dio? nam eloquentiam hominis prædicat: quod non male conueniat, cum illis ſequentibus, *qui epiſtolas imperatorias curabat.* ſed illum præfectura Vrbis functum ſcribit: de cura epiſtolarum nihil.

37. *Domus præterea Quintiliorum omnis extincta.*] Par fratrum nobiliſſimorum & magnæ dum viuerent optimæque famæ. Dio cædem narrans hoc illos honeſtat elogio; ἐφόνευσε καὶ τοὺς Κυϊντιλίους, τόν τε Καρδιανὸν, καὶ τὸν Μάξιμον· μεγάλην γὰρ εἶχον δόξαν ἐπὶ παιδείᾳ καὶ στρατηγίᾳ καὶ ὁμοφροσύνῃ καὶ πλούτῳ. Ait occiſos Quintilios Cardianum & Maximum, quod magna florerent gloria propter eruditionem, ſcientiam regendorum exerci-

tuum, concordiam inter ſe, & diuitias. omiſit Dio honores quibus erant functi maximis. conſules fuiſſe & quidem annis circiter triginta prius quam occiderentur, diſcimus ex Faſtis: nam Græcus χρονογράφος noſter, quem appellatione Siculorum Faſtorum Sigonius & Onuphrius ſemper intelligunt, in anno Pij decimoquarto Coss. adnotat Κονδιανὸν καὶ Μάξιμον. quos eſſe hos Quintilios rectè docet Onuphrius. quare in ſuperiore loco Dionis non Καρδιανὸν, ſed Κονδιανὸν ex Græco Chronologo ſcribendum cenſemus. firmat coniecturam, quod Maximi filius dicitur eidem Dioni Sextus Condianus. quod cognomen habuiſſe illum à patruo ſuo non dubitamus. Fuerunt Quintilij & prouinciæ vel fortaſſe prouinciarum præſides: ſed ſimul ambo. auctor Dio in vita Marci; vbi fortitudinem ipſorum iterum prædicat. ac Xiphilini quidem ex verbis Pannoniæ eos præfuiſſe coniiciebamus: collocat enim in prouincia quam vndique barbari conarentur inuadere. Philoſtratus tamen ait Achaiæ. τὼ ἄνδρε τούτω ἄμφω τῆς Ἑλλάδος ἠρχέτην. Eruditio quam Dio tribuit Quintiliis, Utcumque apparet hodieque in fragmentis librorum De re ruſtica, quos ſub Quintiliorum nomine toties laudatos videmus in Eclogis rei ruſticæ, ſiue Geoponicorum libro. multa enim in id corpus relata è libris Quintiliorum fratrum. de his accipienda verba Athenæi libro XIV. οἱ τὰ Γεωργικὰ συγγράψαντες ἀδελφοὶ ἐν τῷ τρίτῳ γράφουσιν οὕτως. Opes verò huius domus magnas fuiſſe, etiam illa hiſtoria docet, quam narrat Dio, de illo plano qui Pertinace imperante, in Sexti Condiani nomen inuaſit, fortunis inhians quæ illius fuerant. At concordia horum fratrum, quam ait Dio, plane æterna laude digniſſima. Putes vnum fuiſſe non duos: ita ſemper coniunctim Quintilij nominâtur à veteribus: imò ita coniuncti ſemper illi vixerunt. Conſulatum ſimul geſſerunt: prouincias ſimul rexerunt: libros ſimul ſcripſerunt, ſimul ediderunt: ad Marcũ Imperatorem ſimul literas dederunt: Marcus quoque ambobus ſimul reſcripſit, vt eſt in lege XV. Dig. De bonis libertorum. poſtremò, qui ita coniuncti longam egerant vitam, vnâ ſimul iuſſu latronis huius perierunt. Porro non fuiſſe Quintilios ab antiquo ciues Romanos, ſed Troianos, ſcribit Philoſtratus in ſophiſtæ Herodis vita.

Pag. 69. verſ. 1. *Quod Sextus Cocidiani filius, ſpecie mortis ad defectionem diceretur euaſiſſe.*] Hiſtoriam perſtringit, quam fuſe narratam Dioni, legant ſtudioſi apud Xiphilinum. In nominibus magna diſcrepantia: imo & in re: nam alterum Quintiliorum Cocidianum fuiſſe nominatum, ſignificant hæc Lampridij verba. Dio alterum Maximum vocat, alterum Cardianum. ſed iam diximus ibi ſcribendum eſſe aliter ex Faſtis. idem & de iſto Lampridij loco cenſendum. Scribe igitur, *Sextus Condiani f.* At quod iuuenis ille de quo heic ſermo, & cuius mors aſtu miro ſimulata, Condiani filius Lampridio dicitur: in eo conuenire illi cum Dione non poteſt: qui alterius Quintilij facit filium: Κονδιανὸς Σέ-

Σέξτος, inquit, ὁ τοῦ Μαξίμου υἱός. Condianum & Fasti nominant: aſſentior enim Onuphrio, qui è libro Cuſpiniani conſulem hunc non Pudente II. facit, anno quo exceſſit Marcus.

3. *Velius Rufus.*] Legitur in Faſtis Vettius Rufus conſul biennio ante obitum Marci. ſed Velius hîc omnes libri, non vt fingit eruditiſſimus Onuphrius *Vettius*. filius an nepos fuerit illius, qui Marco nominatur libro XII. Οὐήλιος Ροῦφος.

4. *Aemilius Iunctus, & Attilius Seuerus Coss.*] Vlpianus lege XXVIII. Digeſtis, De fideicommiſſis libertatibus: *Factum eſt ſenatuſconſultum, Aemilio Iunco, & Iulio Seuero conſulibus*. alibi hos conſules nuſquam inuenio. quare vtra lectio ſit verior, nihil poſſumus pronuntiare.

6. *Poſt hæc Commodus nunquam facile in publicum proceßit.*] *Poſt hæc*, id eſt, poſt Lucillæ conſpirationem cuius Paternus fuit conſcius. ita Lampridius. Herodianus verò, ὁ δὲ Κόμμοδος, inquit, ἐκφυγὼν τὴν Ματέρνου ἐπιβουλὴν, πλείονί τε περὶ αὑτὸν ἐχρῆτο φρουρᾷ, καὶ σπανίως τοῖς δήμοις ἐπεφαίνετο. Materni verò coniuratio tempore poſterior, neque habuit commune quicquam cum illa priore, cui immixtus Paternus.

8. *Commodi animum perſciens.*] Regius, *Commodi perſciens.*

12. *Hac igitur lege viuens i.*] *lege*, hoc, eſt more ac ratione: vt ſcilicet publicæ rei partem nullam attingeret: Perennis eſſet vnus in Rep. τὰ πάντα.

15. *Ex plebe ac nobilitate nuptuſque.*] Poſtrema vox corrupta. Regius, *nuptiiſque*. ne id quidem ſatis emendatum. Fortaſſe *nuptiis ſuis*. Similes nuptiæ Neronis & Spori. aliquanto poſt, *Nec irruentium in ſe iuuenum carebat infamia*. ſed vereor ne aliud lateat hîc quod non aſſequor.

16. *Forma diſceptatrice collegerat.*] hoc eſt, vt modò dicebat, delectos ad formæ ſpeciem. Sic dixit Ammianus *luce arbitra*. libro XXVIII. *ſolitis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitra diligenter explorat.*

17. *Habitu victimarij victimas immolauit.*] Suetonius de Caligula, *Admota altaribus victima ſuccinctus poparum habitu elato alte malleo cultrarium mactauit.*

18. *In harena rudibus int.*] Diſtingue ex Dione: *in harena rudibus: inter cubicularios gladiatores pugnauit, lucentibus aliquando mucronibus*. nam ait καὶ μέντοι, καὶ ἐμονομάχει οἴκοι μὲν, ὡς καὶ φονεύειν τινά. & ſtatim, ἐν δὲ τῷ κοινῷ ἄνευ σιδήρου καὶ αἵματος ἀνθρωπείου. inter iſta inferta ſunt in Dionis codicibus hæc, ἐν ξυρῷ τε ἑτέρων, ὡς δὲ τὰς τρίχας ἀφαιρῶν, παρέτεμνε τῶν μὲν ῥῖνα, τῶν δὲ ἄλλο τι. quæ verba cum intelligerem ad gladiatorias Commodi pugnas nihil pertinere, ſcribebam ἐν ξυστῷ τε ἕτερον: nam xyſticæ certationes gladiatoriis pugnis affines, vt ſcimus ex Suetonio libro ſecundo, cap. XLV. ſed nec ſatis cohæreat oratio, per hanc ſcripturam: & didici poſtea è Zonara, domeſticas Commodi cædes diuerſi generis, quas ſeparatim expoſuerat Dio (inde habet Zonaras,) temere à Xiphilino in vnam periodum fuiſſe congeſtas. *Lucentes mucrones* opponuntur præ-

pilatis ac retusis. quibus vtebantur in ludicris certaminibus, & armaturæ tirociniis.

19. *Tunc tamen Perennis cuncta sibimet vindicauit.*] *Tamen*, pro autem, vel potius vacat, vt in his libris sæpissimè.

20. *Quos voluit interemit, spoliauit plurimos, omnia iura subuertit, pr.*] Pugnant ista ἐκ διαμέτρου cum iis quæ de eodem Perenni scribit Dio. sed cum Lampridio facit Herodianus.

21. *Omnem prædam in sinum contulit.*] paullo post, *qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur.* & ita plurimi scriptores, vt docti pridem obseruarunt.

23. *Cum eam compreßisset.*] Regius, *oppreßisset.* sequentia vulgatam stabiliunt. & Robertus, *cum eam maculasset.*

29. *Omni parte corporis, atque ore in sexum vtrumque pollutus.*] Idem Lampridius in Heliogabalo, *Quis ferre posset principem, per cuncta caua corporis libidinē recipientem?* Qui corrigunt *augustiore* pro, *atque ore*, faceti nimis sunt.

30. *Occisus est eo tempore etiam Claudius, quasi à latronibus.*] Claudius Pompeianus Lucillæ maritus. Sed fallitur hîc Lampridius. nam hic Commodo fuit superstes. vide in Pertinace Dionem. De illis verbis, *quasi à latronibus*, lege quæ notamus ad Spartiani Caracallum.

34. *Et nonnulli per prouincias à P.*] Regius refert ad fœminas tantum, quæ modo nominatæ: Scribit igitur, *nonnullæ, insimulatæ, spoliatæ, interemtæ.*

36. *Obiiciebatur, quod scribere voluissent Commodum heredem.*] An *noluissent?* planior ita multo futura sententia. tamen & *voluissent* subtiliter potest excusari.

Pag. 70. vers. 1. *In filium suum Perennis referebat.*] præerat tum Illyricis exercitibus filius Perennis. Lege Herodianum.

3. *Equestris loci viros.*] Vlpium Marcellum intelligo: quem Dio, missum ait in Britanniam ἄνδρα μέτριον καὶ εὐτελῆ ὄντα.

4. *Prodita re per legatos, exercitus hostis est appellatus.*] Distingue, *prodita re per legatos exercitus, h. e. ap.* Legatos exercitus appellat illos mille quingentos iaculatores, quos ab exercitu Britannico Romam missos narrat Dio. quam vim illa habeant in historia Rom. cum dicitur aliquis hostis appellatus, nemo ignorat.

5. *Lacerandusque militus est deductus.*] Regius, *datus.* melius Puteani, *deditus.* Dio, ἐξέδωκε τὸν ὕπαρχον τοῖς στρατιώταις ὧν ἦρχε.

6. *Cleandrum ex cubiculariis.*] Phryx origine & quondam Romæ de catasta emptus, & inter regios seruos diu versatus.

9. *Et hanc quidem pœnitentiam scelerum.*] addit regius, *suorum Commodus.*

18. *Ad cuius nutum etiam libertini in senatum atque in patricios lecti sunt.*] De senatu, nihil mirum aut nouum: nam à Claudij temporibus qui pri-

primus exemplum aliis dedit, nemo dubitat libertinis, ſæpe aditum patuiſſe ad ſenatum. Vide Suetonium in Claudio, & Tacitum XI. Annalium. at de allectione in gentes patricias id nouum: cum ante præcipua nobilitas & maxime edecumata deligeretur explendis patriciis gentibus: qua de re ſæpe Suetonius & Tacitus.

19. *Tuncque primum* XXV. *Coss. in vnum annum.*] Dio de Cleandro, ὑπάτους ἐς ἐνιαυτὸν πέντε καὶ εἴκοσιν ἀπέδειξεν· ὃ μὴ πρότερόν ποτε μήθ' ὕστερον ἐγένετο.

20. *Omnia Cleander pecunia venditabat.*] Dio, ἐχαρίσατο δὲ ἐπώλησε βουλείας, στρατείας, ἐπιτροπείας, ἡγεμονίας, πάντα πράγματα.

23. *Vt Byrrhum ſororis Commodi virum.*] Antiſtium Burrhum de quo & Capitolinus in Pertinace. Onuphrius ſororem huius Criſpinam Commodi vxorem fuiſſe prodit. mirum quo auctore.

31. *Inter quos libertinus qui à pugione eſt appellatus.*] Hic velut miniſter reliquorum, qui erant legitimi præfecti prætorio, aſſidue illos comitabatur pugioné ferens. Pugio autem erat inſigne poteſtatis quam habuit præfectus prætorij: vt probat vel notiſſima vox Traiani cum Suram Licinium faceret præfectum præt.

33. *Nam cum inſidiis illius Arrius Ant.*] Apud Xiphilinum & Herodianum cauſſa cædis Cleandri longè diuerſa: & longe quidem probabilior. De Arrio hoc Antonino egimus ad illa è vita Pij *Proconſulatum Aſiæ ſic egit, vt ſolus auum vinceret.*

Pag. 71. verſ. 1. *Etiam concubinas eius conſtuprauit.*] Damoſtratiam Commodi concubinam vxorem duxit. auctor Dio. De cæde filiorum Cleandri parcius & Herodianus & Dio.

3. *Iulianus & Regillus.*] Iuliani ἐπάρχου poſt Cleandri cædem Dio meminit: Regilli nemo.

5. *Et Dulium.*] Suſpecta vox, & vt arbitror parum Romana. Fort. *Duilium.* at in Regio, *Helalium.*

8. *Allium Fuſcum.*] Tabula marmorea apud Onuphrium: C. ALLIVS. C. F. FVSCIANVS.

9. *Lartium Euripianum.*] Filius hic an nepos illius de quo Scauola in lege XXI. Digeſt. De annuis legatis, &c. vbi ſcriptum in Piſano, *Largius Eurippianus.* regis hîc *Larcium.*

10. *Pactuleium Magnum cum ſuis.*] hoc eſt cum amicis quiſque ſuis, libertis, liberiſque, interdum & vtriuſque ſexus. Quamobrem cum hic eſt occiſus, rumor ſtatim percrebuit de filiæ quoque illius morte. Tryphoninus lege vltima Digeſtis, De heredibus inſtituendis. *Pactumeius Androſthenes Pactumeiam Magnam filiam Pactumeij Magni ex aſſe heredem inſtituerat: eique patrem eius ſubſtituerat. Pactumeio Magno occiſo, & rumore perlato, quaſi filia quoque eius mortua, mutauit teſtamentum.* Ex his paret ſcribendum *Pactumeium.* nam & alibi ſcribitur ſic hoc nomen. vt in lege XXI. Dig. De ſtatuliberis: & in lapide Campano: PACTVMEIAE. CAMPANAE. Pactumeius, vt partumeius apud Horatium.

13. *Consobrinam patris sui Faustinam Anniam.*] Galenus De præcognitionibus. τραφείσῃ Κομμόδῳ παρὰ τείτην ὥραν ἧκεν Ἀννία Φαυστίνη συγγενὴς οὖσα τοῦ αὐτοκράτορος ἔγγιστα.

15. *Cum sumtus eius vires Romani imperij sustineri non possent.*] Scribendum *sustinere*. ita autem regius & Puteani, non *iniuriis*. vide superius, vbi simile dictum.

16. *Senatu semet ridente.*] Ita regius ac Puteani. vulgo *tradente*. perperam. paullo post: *senatus hoc libenter accepit, per irrisionem, quantum intelligitur.*

22. *Nec vlla defectio fuit præter Alexandri.*] quis iste? sine dubio Iulius ille est Alexander Emesenus, de quo est apud Dionem vnum. sed de illius defectione, nihil apud nobilissimum historicum.

23. *Qui postea se & suos interemit*] *suos*, id est, puerum delicatum. digna lectu historia apud Dionem.

24. *Appellatus est Commodus etiam Britannicus ab adulatoribus.*] quare ab adulatoribus? nam verè potuit: cum per legatos ipsius magnum bellum in Britannia constet esse confectum. Britannicus autem sæpe dicitur in nummis & saxis.

25. *Cum Britanni etiam imperatorem contra eum deligere voluerint.*] itane Britanni imperatorem Romanis dare cogitarunt? quo iure? quo exemplo? quibus viribus? attriti pridem à Romanis, & continuo muro procul summoti. sed illustrat hunc locum quæ infra scribuntur. *Pannoniæ quoque composita: in Britannia, in Germania & in Dacia imperium eius recusantibus prouincialibus*. tale quid narrat & Xiphilinus è Dione. hæc est illa seditio quam compescuisse in Britannia tantis cum periculis suis dicitur Pertinax. lege vitam illius.

26. *Appellatus est etiam Romanus Hercules.*] cum ad senatum scriberet, inquit Dio, cum alios titulos vsurpabat, cum istum, Ῥωμαῖος Ἡρακλῆς, peccant qui inter has voculas distinctionem statuunt in Dionis codicibus.

28. *Vt domi bestias interficeret.*] ille verò & publicè. Dio, θηρία πολλὰ μὲν οἴκοι ἀπέσφαξε, πολλὰ δὲ καὶ ἐν τῷ δημοσίῳ.

29. *Et vrbem Romam coloniam Commodianam vocari voluerit.*] Dio tantum Κομμοδιανήν: addit verò & castra Commodiana, & diem quo decretum ea de re factum fuisset in senatu *Commodium*.

30. *Inter delinimenta Marciæ.*] hæc illa famosissima eius concubina, cæde ipsius notissima. Dioni dicitur Μαρκία ἡ τοῦ Κουαδράτου παλλακή. *delinimenta* sunt φίλτρα.

31. *Voluit etiam in circo quadrigas agitare.*] non fecit tamen. vide supra, & Dionem.

ib. *Dalmaticatus in publico processit.*] In auctione rerum Commodi, iussu Pertinacis celebrata, repertæ sunt, auctore Capitolino, *lacernæ & chirodotæ Dalmatarum*. Dalmaticatum autem prodire in publicum, de-

decori

decori summo fuisse declarat alter locus Lampridij in vita Heliogabali, quem vide. de Dalmaticis, & varia eius vocis acceptione non hic locus est dicendi. & sciunt qui vel degustarunt veteris ecclesiæ historias, vestem illam, quæ olim fuerat molliũ & delicatorũ, postea grauissimorum sanctissimorumque episcoporum fuisse gestamen: sed & forma mutata & materia. verùm hæc alibi accuratè. *In publico procedere*, pro in publicum, recentior est Latinitas. sic & apud Græcos passim illi duo casus confunduntur.

32. *Atque ita signum quadrigis emittendis daret.*] Scribo, *mittendis*. sic *mittere quadrigas* vel mappam, sæpe apud Liuium, & alios. Id munus fuit olim summi magistratus; dictatoris, vel consulis, aut prætoris. Etiam sub imperatoribus mansit ius illud penes magistratus: sed quod sæpe imperatores infringerent, vt hic: & apud Sueton. Nerone, cap. XXII.

36. *Seipsum Commodianum vocauit.*] Γερουσία Κομμοδιανὴ apud Dionem in epistola Commodi.

Pag. 72. vers. 1. *Motilenum præf. præt.*] Reg. *Metilenum*. Malim si liceat, M. *Attilianum*. vel *Atilicinum*. quæ scimus esse nomina Romana.

3. *Per ficus veneno interemit.*] διὰ σύκων φαρμάκῳ ἀνεῖλε.

ib. *Accepit statuas in Herculis habitu.*] καὶ ἀνδριάντες αὐτοῦ παμπληθεῖς ἐν Ἡρακλέος σχήματι ἔστησαν. Dio.

4. *Multos præterea parauerat interimere.*] Ista non erant loci huius.

5. *Quod per paruulum quendam proditum est.*] Per Philocommodum puerulum minutum, de quo Herodianus multa? & de tabula occidendorum.

6. *Tabulam è cubiculo eiecit.*] pro abstulit vel extulit. quod verbum, vt puto, fugiens, tanquam funerum proprium, in istud incidit minus aptum.

7. *Sacra Isidis coluit, vt & caput raderet, & Anubin portaret.*] Spartianus in Caracallo. *Sacra Isidis Antoninus Commodus ita celebrauit, vt & Anubin portaret, & pausâ sederet.* sed postrema verba menda vix carent, vt ibi sumus dicturi cum Deo. Isiaci autẽ caput radebant, communi fere omnium sacerdotum Aegyptiorum more, vt scribit Artemidorus libro primo, cap. XXIII. Hieronymus commentario libro in Ezechielem XIII. *Perspicuè demonstratur, rasis capitibus sicut sacerdotes cultoresque Isidis ac Serapis nos esse non debere.* Etiam supercilia rasitabant. Ambrosius epistola ad Sabinum: *Ipsi capita & supercilia sua radunt, si quando Isidis suscipiunt sacra.* Synesius, Encomio caluitiei, ἤδη δὲ ἐγὼ κατενόησα καὶ τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ θεραπευτὰς τοῦ θείου μηδὲ τῶν ἐπιβλεφαρειδίων ἀνεχομένους τριχῶν. ἐπεὶ ἦσαν μὲν ἰδεῖν γελοῖοι· σοφοὶ δέ τι ἐνόσουν ἅτε ὄντες ἱεροὶ καὶ Αἰγύπτιοι. Caussam cur Isiaci caput raderent pete è Plutarcho in De Iside & Osiride. Ibidem habes quis iste Anubis, siue Hermanubis, & quomodo ad Isiaca sacra cultus illius pertinuerit. de eodem habes apud Apuleiũ, Virgilij

interpretes,atque alios. Anubin autem portare, est simulacrum illius humeris impositum per vrbem circumferre. mos hic genticus plane ridiculus fuit,& stultus. Isaias capite XLVII. ἐποίησαν χειροποίητα, καὶ κύψαντες προσκυνοῦσιν αὐτοῖς· αἴρουσιν αὐτὰ ἐπὶ τοῦ ὤμου, καὶ πορεύονται. quem eximium locum,de sacris Aegyptiorum interpretatur Hieronymus. Procopius in eum locum magis generaliter: φασὶν ὡς ἐν ταῖς τῶν δαιμονίων πομπαῖς ἐγκωμιάζοντες ἱερεῖς τὰ ἀγάλματα φέροντες ἐπ᾽ ὤμων, τὰς πλατείας ἀχθοφοροῦντες διήρχοντο.

8. *Bellonæ seruientes verè exsecare brachium præcepit st.*] Bellonarij fanatici missione sanguinis sui deam placabant,nono Kal.Aprilis: qui dicebatur dies sanguinis,vt indicat Trebellius Pollio in Claudio. Meminere Seneca,Tertullianus,Lactantius,alij numero multi.Sed obserua vocem Lampridij,*vere.* nam ex illa discimus, plerumque ficta & simulata fuisse tantum vulnera Bellonariorum.

9. *Isiacos pineis vsque ad perniciem pectus tundere cogebat.*] Lactantius libro primo,*Sacerdotes Isidis deglabrato corpore pectora sua tundunt, lamentando sicut ipsa cum filium perdidit, fecerat.* Strobilis autem in se tundendo vtebãtur,ad maiorem asperitatem,vt pugiles cestis suis. Adde quod πιτύϊδες ad omnia tristia & feralia aptæ: vt pinus ipsa ἀκηδίας σημαντική, ait Artemidorus.

11. *Cum Anubin portaret capita Isiacorum grauiter obtundebat ore simulacri.*] Cum simulacrum Anubis plures simul baiularent, cæteros baiulos præcedebat Commodus: sed ibat ante simulacrum, & qui illum gestabant Isiacorum sacerdotum agmen. Commodus igitur per lasciuiam sese incuruans,facile efficiebat,vt simulacri,quod humeris gestabat,os in proximi cuiusque caput incideret. non poterat hoc fieri sine læsione eorum qui ictum illum excipiebant.nam &capite nudo erant: & os Anubis in rostri canini similitudinem vt notum est, effigiatum, inferendo vulneri aptissimum. Interdum & personam caninam assumebant Isiaci:cum quidem tanto fuit facilius Commodo obtunsionibus capita præcedentium lædere. Appianus libro quarto bellorum ciuilium: Ουολούσιος ἀγορανομῶν προεγεγράφη, καὶ φίλον ὀργιαστὴν τῆς Ἴσιδος ἔχων, ᾔτησε τὴν στολὴν, καὶ τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις, καὶ τὴν τοῦ κυνὸς κεφαλὴν ἐπέθετο· καὶ διῆλθεν οὕτως ὀργιάζων αὐτῷ σχήματι εἰς Πομπήϊον. Tertullianus de Isidis orgiasta,

Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.

14. *In gigantum modum formauit, ita vt à genibus de pannis & linteis quasi dracones digererentur.*] quia dicitur Hercules cum monstris & gigantibus pugnasse & vicisse, voluit & nouus hic Hercules Romanus gigantes occidere. Vix credi possit tantus furor. nisi narraret qui præsens vidit omnia Dio. eum lege. Gigantes poetæ fingunt δρακοντόποδας. Ouidius in Fastis, *Mille manus dedit illis,& pro cruribus angues.*

16. *Sagittis confecit.*] Dio ait claua: quod fuit alterum Herculis gestamen.

17. *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit.*] Olim Mithriaca sacra non

non ſine humana victima peragebantur. ſed deſitus mos in orbe Romano, lege lata ab Hadriano qua omnes penitus ἀνθρωποθυσίαι ſunt vetitæ. narrat Porphyrius libro ſecundo De abſtinentia ab eſu animalium, ex Pallante qui de Mithræ myſteriis accuratiſſime ſcripſerat.

ib. *Cum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleat.*] Tertullianus De corona militis extremo libro: *Erubeſcite Romani commilitones eius, iam non ab ipſo iudicandi ſed ab aliquo Mithræ milite: qui cum initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi mimum martyrij, dehinc capiti ſuo accommodatam, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum ſi forte transferre, dicens Mithram eſſe coronam ſuam.* Præter hunc martyrij mimum quem deſcribit Tertullianus, erant in Mithriacis ſacris & alia ad terrorem comparata. nam quo animi robore miſellis qui initiabantur opus fuit, cum in ſpeluncam atram deducti, nihil niſi leones, hyænas & coruos cernerent? Vt enim in Iſiacis caninam perſonam aſſumebant: ſic in iſtis viri leones ſe fingebant, mulieres hyænas: miniſtri ſacrorum, coruos. ipſi qui ad ſacra admittebantur, modo in leones, modo in alias feras, effingebantur. Quare quod in Cereris ſacris dicebant τὰ μυστήρια παραλαμβάνειν, Spartianus in Hadriano, *Eleuſinia ſacra ſuſcipere*, in myſteriis Mithræ dixerunt τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνειν. Porphyrius Περὶ ἀποχῆς libro quarto: ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις τὴν κοινότητα ἡμῶν τὴν πρὸς τὰ ζῶα αἰνιττόμενοι, διὰ τῶν ζώων ἡμᾶς μηνύειν εἰώθασι. ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας, λέοντας καλεῖν· τὰς δὲ γυναῖκας, ὑαίνας· τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας κόρακας. ἐπί τε τῶν πατέρων· ἀετοὶ γὰρ καὶ ἱέρακες οὗτοι προσαγορεύονται. ὅ, τε τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνων περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφάς.

24. *Si quis ſane ſe mori velle prædixiſſet.*] Suſpectum verbum *prædixiſſet.* malim, *præ dolore dixiſſet.* aut ſimile quid.

29. *Capite ſuppuratum reddebat. Obtunſi oneris p.*] Lege, *c. ſ. reddebat obtunſionibus. Pinguem ho.* obtundere eſt κολάπτειν, quod ſemper Ariſtoteles vſurpat de auibus quæ roſtro nocent. vnde picus Martius Græcis, δρυοκολάπτης. dicunt & κόπτειν.

31. *Monopodios & luſcinios.*] Scrib. *Luſcinios.* hi quod luſci eſſent facti, illi quod μονόποδες.

35. *Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriuſque ſexus.*] Capitolinus de Pertinace inſtrumentum omne aulæ Commodianæ vendente: *Scurras turpiſſimorum nominum dedecora perferentes, proſcripſit ac vendidit.* rem eandem pluribus narrat Dio, quem lege in vita Pertinacis.

36. *Quos libentius ſuis oculis applicabat.*] Scribi malim, *oſculis.* ſic *oſcula applicare* dixit Ouidius. *Oſculaque applicuit poſito ſuprema feretro.* Sed & *oculis applicare* probum ac Latinum eſt. Suetonius in Octauio *oculis ſubiicere.*

37. *Habuit & hominem pene prominente, vltra modum animalium.*]

Idem alibi de Heliogabalo: *ad honores reliquos promouit, commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum.*

38. *Quem Onon appellabat.*] Ezechiel Dei propheta, capite XXIII. ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς νεότητός σου ἐπόρνευσας ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ἐπέθου ἐπὶ τοὺς Χαλδαίους, ὧν ὡς ὄνων αἱ σάρκες αὐτῶν, καὶ αἰδοῖα ἵππων τὰ αἰδοῖα αὐτῶν. Hieronymus in illum locum: *Insaniuit quondam in concubitu Aegyptiorum, quorum carnes sunt ad similitudinem asinorum: & tam largus seminum fluxus, siue verenda tam grandia, vt equorum superent deformitatem.* Iuuenalis,

——*atque alium bipedem sibi quærit asellum.* sic apud alios, quos prætermitto. Atque ex istis adducimur in suspicionem, illum impurum famæ detestandæ hominem, cuius in Marco meminit Capitolinus, non Veterasinum, vt vulgo ibi scriptum, fuisse appellatum, sed Veretrasinum.

Pag. 73. vers. 1. *Sacerdotio Herculis Rustici præposuit.*] Hícne est qui in descriptione Vrbis, dicitur Victori Hercules Siluanus? an Hercules rusticus dicitur, qui rure dedicatus à Commodo fuisset?

2. *Pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse.*] Ex principio libri noni Περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως Galeni discimus, veteres quosdam medicos etiam istis in sanandis oris vulneribus esse vsos, vt & cæteris humani corporis partibus.

3. *Aliis, vt putabat, irrisis.*] homo furiosus putabat magnum facere, cum suos conuiuas ab esu ciborum quibus ipse delectaretur, hac spurcitie auerteret. Non dissimile lurconis cuiusdam στρατήγημα Athenæo narratur.

ib. *Duos gibbos.*] Scripti ineptè, *gilbos.*

6. *Togatum, præsente officio suo, in p.*] *suo*, nempe Iuliani.

7. *Quatientem cymbala.*] Cymbala & tympana mollioribus saltationibus adhiberi solita notũ est, vel ex Plinio, epistola XIIII. libri secundi.

ib. *Genera leguminum coctorum ad conuiuium propter luxuriæ continuationem, raro vocauit.*] Quid ergo? legumina adhibuit mensæ non cocta? ridiculum. quemadmodum & illud penitus falsum, leguminibus luxuriæ siue rerum Veneris continuationem impediri. Hæ tantæ absurditates hoc euincunt primò, deesse negationem: deinde illam vocem *coctorum*, mendæ arguunt. Lego verò, *Genera leguminum cuncta suum ad conuiuium p. l. continuationem non raro vocauit.* Naturæ rerum adeo imperitus nemo, quin sciat legumina pleraque inflare, & proinde Veneri conducere. est notum & pueris vetus prouerbium, A fabis abstine. Medici autem non fabam solum stimulandæ libidini præscribunt: sed & alia pleraque legumina, vt cicer, pisa, phaselum, ochros, dolichos, & id genus.

10. *Lauabat per diem septies atque octies.*] diem intellige æstiuum. in vita Gordiani: *quater & quinquies in die lauabat æstate: in hieme bis.* Trebellius in Gallieno, *lauit ad diem septimo æstate vel sexto: hieme secũdo vel tertio.*

II. Et

11. *Et in ipsis balneis edebat.*] more delicatiorum. ideo in balneis frequentes libarij, botularij, crustularij, & omnes popinarum institores, vt scribit Seneca, epistola LVI. postea cepere & viri graues in balneis etiam cœnare. Spartianus in Antonino Geta: *vtriusque ordinis viri & in balneo cœnantes, & in publico percutiebantur.* vbi tamen scripserat fortasse Spartianus, *& in balneo, & cœnantes,*

ib. *Deorum templa polluit stupris.*] Venerem in templis deorum exercere, barbaræ gentes susque deque habuerunt: magis politæ piaculum duxerunt. Herodotus libro secundo, *οἱ ἄλλοι σχεδὸν πάντες ἄνθρωποι πλὴν Αἰγυπτίων καὶ Ἑλλήνων μίσγονται ἐν ἱροῖσι.*

12. *Imitatus est & medicum.*] Chirurgum medicum agens, aliis aurem, aliis nasi partem, aut aliud quid præcidere solitus. auctor Xiphilinus, de cuius verbis supra egimus.

13. *Menses quoque in honorem eius.*] Mensium omnium fuisse mutata nomina constat inter Dionem & Herodianum: sed quod hic addit, plerasque appellationes ad Herculem respexisse, refellit Dio, qui ipsas appellationes nouas recenset solus è veteribus. sunt autem istæ.

AMAZONIVS.	ΑΜΑΖΟΝΙΟϹ.
INVICTVS.	ΑΝΙΚΗΤΟϹ.
FELIX.	ΕΥΤΥΧΗϹ.
PIVS.	ΕΥϹΕΒΗϹ.
LVCIVS.	ΛΟΥΚΙΟϹ.
AELIVS.	ΑΙΛΙΟϹ.
AVRELIVS.	ΑΥΡΗΛΙΟϹ.
COMMODVS.	ΚΟΜΜΟΔΟϹ.
AVGVSTVS.	ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ.
HERCVLEVS.	ΗΡΑΚΛΕΙΟϹ.
ROMANVS.	ΡΩΜΑΙΟϹ.
EXVPERATORIVS.	ΥΠΕΡΑΙΡΩΝ.

ex istis duodecim nominibus, quatuor sunt tantum, quæ possint *εἰς Ἡρακλέα ἀναφέρεσθαι*, vt loquitur Herodianus: ΗΡΑΚΛΕΙΟϹ, ΥΠΕΡΑΙΡΩΝ, ΑΜΑΖΟΝΙΟϹ, ΑΝΙΚΗΤΟϹ. reliqua omnia partim propria Commodo, partim omnibus imperatoribus solennia sunt. Quænam autẽ istarum appellationum nouarum cuique veteri respondeat, antiquorum nullus est, qui nos certò doceat. Ex ea tamen serie quæ in his nominibus seruatur apud Dionem, coniicimus, primum Commodianorum mensium esse LVCIVM: reliquos eo ordine secutos, quem in inscriptionibus epistolarum illæ appellationes obtinebant. semper autem propria cuiusque principis nomina præcedebant: cuiusmodi sunt ista hîc. LVCIVS. AELIVS. AVRELIVS. COMMODVS. quæ ita iunctim ex Dione recensent Xiphilinus & Zonaras, in reliquorum etiam nominum ordine penitus sibi consentientes. Putamus igitur anni Commodiani primos quatuor menseis illis nomi-

nibus dictos. Porro eius anni caput videtur ille mensis esse factus, vel quo natus, vel quo Cæsar est appellatus, vel ille potius quo Augustus.

14. *Pro Augusto Commodum.*] Statim sequitur ex Actis, *iterum profectus* III. *Nonas Commodias.* Lapis Lanuuij,

IDVS. COMMODAS
ELIANO . COS.

heic autem cum Dione conuenit Lampridio: nam si Amazonium qui in laterculo Dionis primus est, Ianuarium interpretemur. Commodus Augustus erit.

16. *Pro Septembri Herculem*] non Herculē, sed Herculeū vocat Dio. Sed in eius laterculo inter Cōmodū mensem & Herculeū alius interiectus, qui veteri nomine, sed noua notione Augustus dictus: is autem est September, Cōmodus enim est Augustus. Herculeus igitur erit October, non September. ita Dio: à quo stant & publica Acta, ex quibus describuntur paullo post hæc verba: *Nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas postea nominauit.* Constat liquido ex istis vulnus hîc præteritione aliqua omnes codices accepisse: magna auctoris iniuria: cuius leuitas excusari nequeat, si Actis quæ laudat ipse contraria scribat. Ita ergo locus concipiendus: *pro Augusto* COMMODVM, AVGVSTVM *pro Septembri,* HERCVLEVM *pro Octobri,* INVICTVM *pro Nouembri,* EXVPERATORIVM *pro Decembri,* AMAZONIVM *pro Ianuario.* in omnibus codicibus etiā mēbranaceis, omissa est primò vox AVGVSTVM. deinde, illa, *pro Ianuario.* quæ ex Dione restituenda sic esse non dubitamus. etsi non per omnia Lampridio conuenit cum scriptore Græco: nam Dioni ΡΩΜΑΙΟϹ est qui nostro INVICTVS. ΑΝΙΚΗΤΟϹ illi Februarius. COMMODVS September est Victori, Eutropio, Eusebio. Suidæ qui in disponendis Commodianorum mensium nominibus à Xiphilino discrepat & Zonara, nullam censeo habendam rationem.

18. *Quam pictam in Amazone.*] Scribe, *in Amazonem.*

20. *Et nomina gladiatorum reecpit, eo gaudio quasi acciperet triumphalia.*] Infra, *Appellatus est inter cætera triumphalia nomina etiam sexcenties vicies Paulus* (vel *Palus*) *primus secutorum.* Herodianus ἑαυτὸν δὲ οὐκέτι Ἡρακλέα, ἀλλὰ τῶν μονομαχούντων ἐνδόξου τινὸς προτελευτηκότος ὀνόματι καλεῖσθαι προσέταξε.

22. *Ludum semper ingressus est.*] Supra, *gladiatoribus conuixit.* Herodianus μετοικισθῆναι ἐβούλετο εἰς τὸ τῶν μονομάχων καταγώγιον. Lege Dionem, qui ludum vocat τὸ χωρίον ἐν ᾧ οἱ μονομάχοι τρέφονται. Herodianus etiam alibi sæpius μονομάχων καταγώγιον.

23. *Pugnasse autē dicitur septingenties tricies quinquies.*] Vide paullo post.

26. *Pudente & Pollione Coss.*] anno imperij Marci & vitæ Commodi VI.

27. *Maximo & Orphilo Coss.*] anno XII.

29. *Pisone & Iuliano Coss.*] anno XV.

30. Pro-

30. *Profectus est in Germaniam.*] hæc prima profectio, cum à patre in Germaniam ascitus est, vt togam virilem sumeret, quo tempore, Cassius rebellauit.

31. *Togam virilem accepit cum patre: app.*] Inepta distinctio: rescribe, *Togam virilem accepit, cum patre appellatus imperator* v. *Kal. Exuperatorias, Pollione iterum & Apro Coss.* fuere isti Coss. anno XVI.

34. *Orphito & Rufo Coss.*] anno XVIII.

37. *Præsente iterum Cos.*] anno quo obiit Marcus, & Commodus è Germanico exercitu Romam rediit, Coss. fuerunt Præsens iterum & Condianus: de quo multa diximus supra. sed Condiani postea memoria damnata est, ipse hostis appellatus condemnatusque. propterea erasum eius nomen ex Actis, vt hic vides. periere tum & Quintilij fratres, pater nempe huius & patruus: quos similiter nominare cauit Athenæus cum de illis loquens ita scribebat, οἱ τὰ γεωργικὰ συγγεγραφότες ἀδελφοί.

Pag. 74. vers. 1. *Tertio meditans de profectione*] hoc est, de expeditione aliqua contra barbaros: puta Britannos, Quados vel Marcomannos aut Parthos. alioquin Roma sæpius constat esse profectum.

ib. *Populo suo.*] Sic enim Commodus Romanos coloniam suam, siue Cōmodianam vocitabat: & ita loquebantur, qui Acta conficiebāt.

2. *Fusciano iterum Cos.*] annum octauum imperante Commodo Coss. facti Fuscianus & Silanus: qui postea occisus iussu Commodi, & nomen fastis exemtum.

3. *Pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies.*] paullo ante scriptum, *pugnasse dicitur septingenties tricies quinquies.* quem numerum suspicabar hic quoque restituendum: sed muto sententiam propter illa, *sub patre.* nam ille maior numerus pugnas post patrem pugnatas continet. Est verò digna res maxima admiratione hanc filij sui insaniam tantum virum inhibere non potuisse.

6. *Vt mille contingeret.*] Capitolinus in Vero: *qui mille prope pugnas publice populo inspectante gladiatorias imperator exhibuit.* auctor est Herodianus Commodum basi colossi cui caput suum imposuerat, pro imperatoriis titulis hunc subscripsisse VICTOR MILLE GLADIATORVM. Dio ita refert eius basis titulum istum, μόνος νικήσας δωδεκάκις οἶμαι χιλίους. ita quidem Xiphilini codices: sed absque vllo dubio perperam. vox enim δωδεκάκις vel penitus inducenda: vel scribendū vt apud Herodianum νικήσας μονομάχους, οἶμαι χιλίους.

6. *Ferarum autem diuersarum manu sua occidit multa millia.*] præter Dionem & Herodianum narrat & Ammianus Marcellinus libro XXXI.

9. *Vitio etiam inter inguina prominenti.*] laborabat enim hernia Commodus. ideo in mortuum dictum refert Dio: τὸν μονομάχον, τὸν ἁρματηλάτην, τὸν ἀριστερὸν, τὸν κηλήτην. nam & scæuola fuit.

10. *Per sericas vestes populus Rom. agnosceret.*] Dio tamen & dalmaticatum & sericatum fuisse visum scribit, non in publico, sed domi à fa-

lutantibus : ἐνέδυε πρὶν εἰς τὸ θέατρον εἰσιέναι χιτῶνα χειριδωτὸν, σηρικὸν, λευκὸν, διάχρυσον· καὶ ἐν τῷ τούτῳ αὐτὸν σχήματι ὄντα ἠσπαζόμεθα.

11. *De quibus etiam in opere ſuo Marius Maximus gloriatur.*] non quod illos verſus feciſſet, ne erres : iunior enim Marius Maximus fuit : ſed quod diligenter collegiſſet ; in quo ſecutus erat Suetonij Tranquilli exemplum:neſcio an iudicium.nam quæ in his libris referuntur, cum ſint pleraque ex illius libris deſcripta, naſum eius criticum parum nobis approbant.Pro *in opere ſ.* regius liber & Puteani, *in libro ſ.*

13. *Vt elephantum conto transfigeret : & orygis cornu haſta tranſmiſerit.*] de elephanto etſi mirum eſt,minuunt tamen miraculum ſimiles narrationes ab Herodiano & Dione diligenter expoſitæ. de orygis cornu tranſmiſſo non adducor vt credam : vtique ſi de vero ſentit oryge: quod animal cornu habet non ſolum magnum : ſed & durum adeo, vt inſtar ferri ſecet. Quare nationes fuerunt quæ orygis cornibus pugnarent,vt aliæ gladiis ferreis. Agatharchides de gente Struthophagorum : οὗτοι τοῖς τῶν ὀρύγων κέρασιν, ὅπλοις χρῶνται, μεγάλοις καὶ τμητικοῖς οὖσι. eadem pæne verba apud Diodorum Siculum. Sed non ſemper apud Latinos ſcriptores orygum appellatione illud animal intelligitur de quo diximus.Gloſſæ veteres : *Sublones*, ὄρυγες, θήλια ἐργαλεῖα. ſcribe ὄρυγες θηλεία, ἐργαλεῖά τε. ſunt autem ſublones hinnuli,cum primum cornua eis prorumpunt.

16. *In amphitheatro vel theatro ſedens publicè ſæpiſſimè biberit.*] Narrat Dio accurate:ſed non ſedentem bibiſſe:verum ἐν μέσῃ τῇ ἀγωνίᾳ καμόντα. neque indutum muliebri veſte, ſed παρὰ γυναικὸς γλυκὺν οἶνον ἐψυγμένον λαβόντα.

21. *Quæ omnia iſta per duces ſedata ſunt.*] Scribo, *quæ omnia ſtatim p.d.ſ.ſ.*

22. *ita vt libellis vna forma multis ſubſcriberet.*] Hoc ego non capio: nihil hic enim video vnde poſſit nobis de Commodi negligentia conſtare. Lego, *vna forma multis ſemel ſubſcriberet.*

24. *In epiſtolis autem plurimis Vale tantum ſcriberet.*] interdum tamen & totas ipſe ſcribebat : vt illam ad Albinum, quæ Capitolino deſcripta.

26. *Cum & annonam vaſtarent ij qui tunc remp.gerebant.*] Cleandrum intelligit : qui aſtu improbo id agebat,ſicut referunt Dio & Herodianus, vt conflata ex ea re inuidia Commodum opprimeret. ſed hæc illum mollientem Papyrius Dionyſius annonæ præfectus aſtu pari, verùm fine diuerſo, vexans & ipſe annonam, perdidit. *Annonam vaſtare*, eſt ἐπαυξάνειν τὴν σιτοδείαν, vt hîc loquitur Dio. Varro, incendere & excandefacere.

28. *Cum fruges non deeſſent.*] aliter Dio, ἐγένετο καὶ ἄλλως ἰσχυρὰ σιτοδεία.

30. *Ipſe vero ſeculum aureum Commodianum nomine aſſimulans v.*] Vocabat, inquit Dio, ſeculum ſuum, *ſeculum aureum* : atque ita in Actis

omni

omnibus iussit scribi.

31. *Vilitatem proposuit, ex qua maiorem inopiam fecit.*] *Vilitatem proponere* dicitur magistratus, qui pretia rerum ad victum necessariarum edicto suo minuit: quod sæpe malum esse charitatis annonæ remedium, per quotidiana exempla testatissimum est. Ammianus Marcellinus libro XXII. in elogio Iuliani: *Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluũ videbatur, quod nulla probabili ratione suscepto popularitatis amore, vilitati studebat venalium rerum: quæ nonnun quam secusquam conuenit ordinata, inopiam gignere solet & famem.* sic scribendus hic locus. Prudẽtissimè igitur Alexander Seuerus: de quo Lampridius, *cum vilitatem,* ait, P.R. *ab eo peteret, interrogauit per curionem, quam speciem caram putarent: illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille, non quidem vilitatem proposuit: sed iußit ne quis suminatam occideret,* &c.

34. *Et immunitates malorum.*] Veteres editi, & omnes scripti, *imminutiones m.*

Pag. 75. vers. 3. *Triennium nullus impleret.*] Supra, *Mutabantur præfecti pratorij, per horas ac dies.*

9. *Spectator gladiatoria sumsit arma, p.*] O hominem obliuiosum, vel negligentem! nam quoties iam dictum de gladiatoriis Commodi pugnis? sed alibi pugnas, aliquis dicat, narrauit auctor: heic de spectatis solùm gladiatoribus loquitur. suadet sane vox *spectator* initio istius periodi posita. verum quis credat sumta arma gladiatoria à Commodo spectandi tantum gratia, non pugnandi? Mouit me aliquando ea res, vt mutata distinctione scriberem: *& factioni mortis eius interfuit spectator. Glad. s. a.* eadem & in regio distinctio: vbi tamen pro *spectator* scriptum *speculator.* sed cædis Commodi Electus non spectator fuit, verùm architectus & machinator. Suspicor igitur, verbum *spectator*, non esse auctoris, sed alienum. per gladiatoria arma cape heic armaturam secutorum. Dionem lege, & confer cum Victore.

ib. *Pannno purpureo nudos humeros aduelans.*] Dio, ἐν τῷ τοῦ Ἑρμοῦ σχήματι εἰς τὸ θέατρον, καὶ ἀποῤῥίψας τὰ ἄλλα, οὕτως ἐν τῷ χιτῶνι ἀνυπόδετος ἔργου εἴχετο. Liber regius, *humeros aduelatus.*

13. *Commodianum etiam* P.R. *dixit, quo sæpißime præsente gladiator pugnauit.*] Prima editio, non P.R. sed *præt.* exhibet. id est *prætorem.* quæ lectio si cui probabitur, non *præsente* scripserim: sed *præsidente.* cum Iusto Lipsio: etiam si malis scribere cum regiis & Puteani codicibus, *præfectum.* Fuisse tamen & populum Romanum ab isto monstro Commodianum appellatum ex dictis supra atque alibi certissimum.

15. *Sane cum sæpe pugnanti, vt Deo populus fauisset.*] *fauere*, est ἐπιβοᾶν. ipsas acclamationes ex parte habes apud Dionem. sed magis hic facit, quod idem scribit alio loco: σοῦ ὁ χρυσοῦς, σοῦ ὁ Ἡρακλῆς, σοῦ ὁ θεός, καὶ τὸ τοῦτ᾽ ἤκουεν.

16. *A militibus claßiariis, qui vela ducebant.*] Quidam libri, *adducebant.*

quod minus placet: nam ducere heic generalis vox, pro adducere & reducere. De theatrorum velis nota iam omnia. Inter principum ministeria fuerunt & qui dicebantur velarij domus Augustanæ: quorum in antiquis inscriptionibus non semel fit mentio. Ad theatrica autem vela iure classiarij milites adhibiti, propter vsum & peritiam nauticorum velorum.

18. *Vt pote coloniam suam.*] Ita dici Romam voluit iussitque. Dio.

19. *Nisi lætus.*] Regius, *Adlætus*. scribe, *Aelius Lætus* vel potius *Aemilius*, vt apud Dionem, & paullo post etiam in libris scriptis. & mox, *triumphalia cognomina.*

21. *Paulus primus secutorum.*] Mira deprauatio in membranis regiis & Puteani. *P. pr. scriptorum scenicorum.* Probo verò, quod viri docti ante nos monuerunt, scribendum esse hic, *Palus primus secutorum*: & apud Dionem, Πρῶτος Πάλος σεκουτόρων. Palus hic ille est nobilis gladiator πρωτεπελευτικὸς, ait Herodianus, cuius nomen assumsit Commodus.

22. *Crinita stella apparuit.*] Herodianus quoque inter alia prodigia istud primo loco recenset: verum aliter paullo narrat: ἀστέρες ἡμέριοι συνεχῶς ἐβλέποντο, ἕτεροί τε εἰς μῆκος κεχαλασμένοι, ὡς ἐν μέσῳ ἀέει κρέμασθαι δοκεῖν.

23. *Vestigia deorum in foro visa sunt exeuntia.*] Scribo, *exeuntium*. idem prodigium in historia Romana legas sæpius.

ib. *Et ante bellum desertorum cœlum arsit.*] Bellum desertorum est quod excitauit Maternus militiæ desertor. describit illud bellum vnus Herodianus. Spartianus meminit in Pescennio Nigro: *Pescennius Seuero, eo tempore quo Lugdunensem prouinciam regebat, amicißimus fuit: nam ipse missus erat, ad comprehendendos desertores, qui innumeri Gallias tunc vexabant.*

24. *Et repentina caligo ac tenebra in circo Cal. Ianuariis oborta.*] Regius illa non agnoscit, *in circo*. At *tenebra oborta*, omnes membranæ cum editis: non vt postulat Latinitas *tenebræ*.

26. *Incendiariæ aues.*] de incendiariis auibus Plinius libro x. cap. XIII. in Romana historia sæpius harum inter prodigia mentio.

ib. *De Palatio ipse ad Cælium montem in Vectilianas ædes migrauit.*] Apud Victorem in regione secunda siue Cælimontio est Vectiliana domus: cuius mentio in altera veteris Romæ descriptione. vide in Cõmodo.

27. *Negans se in Palatio posse dormire.*] Et in verbis omen sibi fecit heic Commodus, & in re etiam. Et verborum quidem omen ei simile quod narrat Suetonius de Augusto: cùm ille Roma postremùm proficiscens, variis interpellatoribus eum detinentibus, exclamauit: *Non si omnia morarentur, amplius se posthac Romæ futurum.* In re omen quale fuerit declarat locus quem subiecimus è Panegyrico, qui Constantino dictus: *Quid aliud illum sperasse credendum est, qui iam ante biduum Palatio emigrauerat, & cum vxore ac filio in priuatam domum sponte concesserat?* & statim: *adeo*

adeo ipſe verum ſibi dixerat, & venturo tibi ceſſerat, cum excedendo Palatio iam ſe abdicaſſet imperio.

39. *Herculis ſignum æneum ſudauit.*] Frequens portentum in hiſtoriis Græcorum & Latinorum. cæterum ſudoris huius cauſſam naturalem explicat Theophraſtus vltimo libro quinto Hiſtoriæ plantarum.

30. *In Minutia.*] veteri, vt puto: nam alteram Frumentariæ cognomine diſtinguebant.

30. *Bubo etiam ſupra cubiculum eius deprehenſus eſt t.*] Regius, *deprehenſa*: vt apud poetam, *Solàque culminibus ferali carmine bubo, Viſa queri.* vide quæ ad eum locum Seruius notat. Dio heic: ὁ βύας ἀπ' αὐτοῦ ἐβυξεν. ἀπ' αὐτοῦ, id eſt, è Capitolio, cuius præcedit ibi mentio. ſed non diſpliceat ἐπ' αὐτοῦ.

33. *Ad caput ſibi deterſit.*] ceu imprecaretur ipſe ſibi, veteri prouerbio, εἰς κεφαλὴν ἐμοί.

34. *Et contra conſuetudinem penulatos iuſſit ſpectatores non togatos, ad munus conuenire, quod funeribus ſolebat.*] Dio poſtquam dixit de metu ſummo, in quo ipſe verſabatur & omnes boni propter huius inſani furorem: τοιούτων τούτων γιγνομένων, παρεμυθήσατο ἡμᾶς, ὅτι μέλλων αὖθις μονομαχῆσαι, παρήγγειλεν ἡμῖν ἔν τε τῇ στολῇ τῇ ἱππάδι καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν· ὅπερ οὐκ ἄλλως ποτὲ ἐποιοῦμεν εἰσιόντες εἰς τὸ θέατρον, εἰ μὴ τῶν αὐτοκρατόρων τις μεταλλάξειε. Duo heic præter conſuetudinem: genus veſtis: nam togati ſedebant in ſpectaculis Romani, ſi per temporis conditionem liceret, non autem pænulati: de cuius veſtis vilitate monebamus ad Hadriani vitam. alterum eſt, color inſolens & mali ominis: nam pænularum color vulgò apud Romanos pullus: quod tamen vt notum omnibus, neque Dio neque Lampridius hic notarunt. ſed leges alibi apud Dionem φαιὰν μανδύην. Lampridius verò cum ſubiicit, *ipſe in pullis veſtimentis præſidens*, ſatis indicat quo colore veſtis erat quam iuſſi ſunt ipſi ſumere.

ib. *Penulatos iuſſit ſpectatores.*] Scribendum *ſenatores*. adi ad Dionem.

35. *Quod funeribus ſolebat.*] Inueni ſcriptum *funebribus*. nempe ludis. explicat Dio.

36. *Galea eius bis per portam Libitinenſem elata eſt.*] Dio quoque ſubdit, καὶ ὅτι ἐν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τὸ κράνος αὐτοῦ κατὰ τὰς πύλας καθ' ἃς οἱ τελευτῶντες ἐκφέρονται, ἐξεκομίσθη.

37. *Congiarium dedit populo ſingulis denarios ſeptingenos vicenos quinos.*] Narrat Dio datum ſæpius congiarium populo ab hoc principe, drachmas ſiue denarios centenos & quadragenos: ſed iſta quam commorat heic Lampridius, alia & prorſus ſtupenda liberalitas. Efficiunt enim denarij ſeptingeni viceni quini, H S. nummum trina millia: quæ hodiernæ pecuniæ æſtimatione valent ὡς ἔγγιστα, aureis ſeptuagenis quinis. Et tamen ſummam hanc adeo ingentem nonnihil augebamus nos aliquando coniectura non aſpernabili. quia enim dictum ſuperius, atque adeo relatum ex Actis, pugnaſſe Commodum ſeptingenties

tricies quinquies, suspicabamur hoc loco esse scribendum *tricenos*, non *vicenos*. vt æquetur numerus datorum denariorum, cum numero palmarum gladiatoriarum Commodi, quæ quidem adhuc illi partæ, quando in Acta id relatum. nam postea auxit numerus. Fere autem in dando congiario tale quid seruatum videas. Sic Seuerus imperij decennalia celebrans denos singulis aureos dedit: & passim in historia Augusta hoc genus exempla obuia.

Pag. 76. vers. 2. *Quod luxuriæ sumtibus ærarium minuerat.*] imò penitus exhauserat, ludicris maxime sumtibus: ὅθεν, ait Dio, καὶ οὐχ ἥκιστα καὶ τὰ χρήματα αὐτὸν ἐπέλιπε.

3. *Circenses multos addidit*] Minus rectè, in membranis *edidit*. contra eædem in Pio, *circenses additi*, non vt vulgo *editi*. Addere circenses, est vel dies eius θέας multiplicare, vel bigarum adiectione, & missuum multiplicatione spectaculum protrahere. solitum hoc interdum fieri vel Suetonij vnius varij loci declarant.

Addere circenses

4. *Vt dominos factionum ditaret.*] Tranquillus in Nerone, *Neque dissimulabat velle se palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis missibus in serum protrahebatur: ne dominis quidem iam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum greges ducere.*

5. *Quintus Aelius Lætus.*] Scripti, *Aemilius*. sic Dio & Zonaras.

7. *Quod cum minus operaretur.*] frustrata eius vi per cibum.

8. *Per athletam cum quo exerceri solebat.*] ministrum vnguendi, alij vocant, alij palæstritam, vel γυμναστήν. Spartianus in Nigro vt heic, athletam. Georgius Monachus nescio quem secutus auctorem, Narcissum hunc ἱπποδαμαστὴν τοῦ βασιλέως appellat: qui etiam illud peccat, quod Commodum ait διαφθαρῆναι ἐν τοῖς βασιλείοις. melius Eusebius: *Commodus strangulatur in domo Vectiliani*. domum Vectilianam voluit dicere. sed non aliter scripserat Eusebius: vt apparet ex antiquissimo codice Petauiano, & Orosio, ac veteribus Fastis Græcis: vbi hæc leguntur: Κόμμοδος αἰφνίδιον ἐτελεύτησεν, ἀποπνιγεὶς ἐν οἰκίᾳ Βεστιλλιανοῦ συγγενοῦς αὐτοῦ, καὶ Ἀπλαιανῆς τῆς ὑπατεύσης ἐν Ῥώμῃ πρὸ α΄ Καλανδῆς (Καλανδῶν) Ἰανουαρίων, ἄρξας ἔτη ιβ. En lepidum hominem, & historiæ Romanæ auctorem præcipuum.

9. *Fuit forma quidem corporis iusta.*] Melius libri, *Fuit autem f. c. i.* Herodianus, τὴν ὄψιν ἦν ἀξιοθέατος σώματος συμμετρίᾳ.

10. *Vultu insubido.*] contrarium Herodianus, qui tribuit κάλλος προσώπου μετ᾽ ἀνδρείας.

ib. *Vt ebriosi solent.*] hoc dicit propter oculos igne micantes: quod tamen in alteram partem Herodianus interpretatur: ὀφθαλμῶν τε ἀρθμίαι καὶ πυρώδεις βολαί.

11. *Capillo semper fucato & auri ramentis illuminato.*] Hoc falsum, si Herodiano fides: qui vt temere iactatum refellit.

12. *Adurens comam & barbam timore tonsoris.*] Timebat in se quod fecerat ipse in aliis: cum chirurgum agens, scalpris feralibus alios naribus

bus alios auribus, alios alia parte mutilaret, vt dicebamus ex Dione. Sed poteſt & alia eſſe cauſſa: Suetonius libro ſecundo: *ſolitus crura ſuburere nuce ardenti, quò mollior pilus ſurgeret.*

15. *Præter lauacrum quod Cleander nomine ipſius fecerat.*] Thermæ Commodianæ notiſſimæ. Herodianus ſic narrat, vt videatur Lampridius ſcribere debuiſſe *nomine ſuo.* nihil tamen muto.

18. *Claſſem Africanam inſtituit.*] & ante Commodum frumenta Romam ex Africa deuehebantur: ſed ille hoc inſtituit, vt per certos homines, impenſa publica, ad inſtar Alexandrinæ, quam conſtituit Auguſtus, Africana quoque curaretur. De his vide in Iuſti Lipſij Electis.

24. *Coloßi autem caput dempſit, quod Neronis eſſet.*] Falſum, *eſſet.* fuerat quidem aliquando: ſed iam non erat, verùm Solis. Herodianus τοῦ μεγίστου ἀγάλματος κολοσσιαίου, ὅπερ σέβουσι Ῥωμαῖοι, εἰκόνα φέρον Ἡλίου, τὴν κεφαλὴν ἀποτεμών, ἱδρύσατο ἑαυτοῦ. Dio qua facie eſſet ademtum caput non dicit. vide ad Spartiani Hadrianum.

25. *Et titulum more ſolito ſubſcripſit.*] Emenda Herodiani codices hac parte corruptos: ὑπογράψας τῇ βάσει οὐχ ἃς εἰώθασι βασιλικὰς καὶ πατρῴους προσηγορίας, ἀντὶ δὲ Γερμανικοῦ, μονομάχους χιλίους νικήσαντος. negat titulum more ſolito ſubſcriptum, quod affirmat tamen cum Lampridio etiam Dio Caſſius: ἐπέγραψε πρὸς τοῖς δηλωθεῖσιν αὐτοῦ ἐπωνύμοις καὶ τοῦτο. Tolle ergo negationem, ac ſcribe: ὑπ. τῇ β. αὐτοῦ ἃς εἰ. hoc vult Herodianus: baſi coloſſi omnes titulos fuiſſe ſubſcriptos à Commodo, quos vel eius pater vſurpaſſet, vel imperatores cæteri, illo excepto, GERMANICVS. cuius loco ſcripſit, VICTOR MILLE GLADIATORVM.

26. *Ita vt illum gladiatorium effœminatum non prætermitteret.*] Regius, *glad. & effœm.* ſed quare vocat titulum effœminatum, quo de mille palmis gladiatoriis gloriabatur? an reſpicit auctor ad parum virilem miſeros homines vincendi modum, quem narrant Dio & Victor?

ib. *Hunc tamen Seuerus imperator amantißimus nominis ſui.*] hoc eſt ſeueriſſimus. ſed hoc quam durum? Seuerus amans nominis ſui, pro amans ſeueritatem. vix ferendæ ineptiæ. Longe aliter membranæ regiæ, vbi ſcriptum: *Hunc autem Seuerus imperator grauis, & vir nominis ſui, odio quemadmodum vid.* plane eleganter & rectè. *vir nominis ſui* dicebant pro φερώνυμος. Gallus Antipater initio hiſtoriæ quam de Aureolo ſcripſit: *Venimus ad imperatorem nominis ſui.* Valerianus ad Gallienum filium: *omnes boni Probum ſui nominis virum dicunt.* hoc eſt, φερώνυμον τῇ προσηγορίᾳ. vt apud Euſebium, ὁ Εἰρηναῖος φερώνυμός τις ὢν τῇ προσηγορίᾳ. minus eleganter alij è Latinis, ſeruare proprietatem nominis ſui, vel recipere. vt in epiſtola xxv. Ambroſij, *Lætus hoc faciet, recepta iam etiam nominis ſui proprietate.*

31. *Acclamationes ſenatus.*] occiſo Commodo, cum Pertinax in caſtra deductus imperium ſuſcipere fuiſſet coactus: ſtatim ille priuſquam illuceſceret in Curiam venit, & ſenatum habet. in eo ſenatu fa-

ctæ acclamationes quæ hic descriptæ. Dio narrat ipse qui interfuit.

35. *Hosti patriæ honores detrahantur.*] Dio, καὶ ὁ Κόμμοδος πολέμιος ἀπεδείχθη.

ib. *Parricidæ honores detrahantur.*] hoc colum superiori prope ἰσοσύλλαβον, atque iisdem ferme vocibus constat. in his duobus maximè positum est τὸ εὔρυθμον harum acclamationum: quam venustatem eximiè seruatam in iis quæ dicta fuerunt in Commodum, & Dio scribit, & facile quiuis inter legendum obseruet. In regio & Puteani hæc ita concepta. *Hosti patriæ honores detrahantur. Hostis patriæ, paricida trahatur: hostis deorum, paricida, gladiator, in spoliario lanietur. hostis deorum, carnifex senatus vnco trahatur. Qui innocentes occidit, vnco trahatur: qui senatum occidit in spoliario ponatur: hostis, paricida, verè s.* & postea, *Pietati senatus feliciter. Rogamus paricida trahatur. Exaudi Cæsar, Speratum ad Leonem. Exaudi Auguste. hoc rogamus, paricida trahatur.* Sed nihil attinet totum locum describere: nam omnia fere aliter concepta. sed vulgata lectio meis auribus modulatior videtur, ac proinde verior. multa enim prætermissa in regio, quæ non dubitamus esse ἐν τοῖς μάλιστα γνήσια.

Pag. 77. vers. 1. *Qui sanguini suo non pepercit.*] propter occisam Lucillam, Anniam Faustinam, Claudium Pompeianum, alios. etiam de patre suspicio fuit multorum.

4. *Qui te occisurus fuit vnco trahatur.*] in hanc sententiam multo plura dicta sunt quàm hîc referantur à Lampridio: neque enim Pertinaci soli gratulati sunt quod Commodi manus euasisset, sed & optimo cuique senatorum. Dio, τοῖς τε βουλευταῖς ὅσοις μάλιστα καὶ ἐκ τοῦ Κομμόδου φόβος ἐπῆρτο, ὁ ὄχλος ἐπέλεγον, Εὖγε, εὖγε, ἐσώθης, ἐνίκησας. ita legendum, non Ἆγε, ἄγε, ἐσ.

11. *Speratum ad Leonem.*] Quis hic Speratus? an aliquis delator, vel alius scelerũ Commodi minister? imo vt videtur ipse Cõmodus. videtur hoc vnum esse de gladiatoriis cognominibus, quæ solitus assumere. Speratus tamen honestum nomen, non vt Palus, & similia, gladiatorum. inuenies in historia eorum temporum non raro, etiam inter Africanos martyres. aliquando scribebam *Spartacum.*

15. *Necator ciuium.*] Regius, *mercator c.* quod ex iis quæ superius dicta possis tueri.

16. *Te saluo salui & securi sumus, verè, verè.*] Regius, *Te saluo salui sumus. Verè modò, dignè modò, modò liberè.*

19. *Salui simus, delatores de senatu.*] Scribe vt in regio, *Salui sumus. Delatores de senatu.*

22. *Impuri gladiatoris memoria aboleatur.*] Regius, *Imperij glad.* optima sententia. sic apud Athenienses damnata archontum memoria, scribebatur in Fastis ΑΝΑΡΧΙΑ.

25. *Sic fecit, sic patiatur.*] Malo vt in regio: *sicut fecit, sic patiatur.* allusum ad illud, Εἴκε πάθοι τά κ᾽ ἔρεξε, δίκη γ᾽ ἰθεῖα γένοιτο.

26. Ro-

26. *Rogamus parricidæ cad.*] Placet distinctio regij: *honores innocentium restituas rogamus. p.*

28. *Præroga, præroga.*] Melius vt in regio, *Perroga, perroga, omnes censf.* sic paullo post, *De parricida refer, refer, perroga.* Plinius in Panegyrico, *Parum est vt censentes audias, nisi & perrogas.*

35. *Qui filiis abstulit hæreditatem.*] Regius, *Qui hæreditates tulit.* sic passim tulit pro abstulit, vt ad Hadriani vitam adnotatum est.

Pag. 78. vers. 2. *O nos felices te viro imperante.*] Regius, *Omnes f.* malim etiam, *te viuo & imperante.*

3. *Præsentiam tuam rogamus.*] in Auidio Cassio, inter ea quæ Marco sunt acclamata: *præsentiam tuam rogamus.* doctis viris placebat *sententiã.*

5. *Iussu Pertinacis.*] absunt à Regio. Supra: *corpus eius iussu Pertinacis in monumentum Hadriani translatum est.*

ib. *Liuius Laurensis procurator patrimonij.*] Regius, *Larensis.* optimè iudicio meo & verissimè. Hic ille est Larensis, dipnosophistarum cœnis decantatissimus, quæsitus diu nobis, beneficio regij codicis tandem heic repertus. Λαρήσιος, *Larensis.* aliter Græcè non poterat efferri. de hoc viro plura nos alibi. Procurationem patrimonij caue confundas cum procuratione priuatarum rerum, quæ à Seuero primum constituta fuit, vt auctor est Spartianus.

9. *Cingius Seuerus dixit.*] Regius perperam, *Orygius S.* videtur esse Africæ proconsul, is qui Cincius Seuerus nominatur Tertulliano in libro ad Scapulam.

11. *Censeoque (quod is qui in.*] Fortasse verius sublatis parentheseos notis, *quas is qui n.* atque ita præstantissimus Puteanus emendabat.

16. *Cum primum illud malum in remp. incubuit.*] ὅτε πρῶτον ὁ ὄλεθρος ἐκεῖνος εἰς τὴν πολιτείαν εἰσέφρησε. vel, τῇ πολιτείᾳ εἰσεφθάρη.

ISAACI CASAVBONI
IN IVLII CAPITOLINI PERTINACEM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

PVBLIO HELVIO PERTINACI *pater libertinus.*] Fortaſſe pater *Ligur, libertinus.* Ipſe Pertinax Dioni & Zonaræ Λίγυς dicitur propter parentem Ligurem, vt ſuſpicamur nos, ſicut mox aperiemus.

5. *Qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis.*] Heluius Succeſſus Pertinacis pater cum coctiliciam in Liguria tabernam exercens mediocres opes conſecutus eſſet, filium literas curauit docendum ὅσον ἀποζῆν ἀπ' αὐτῶν, inquit Dio. hoc eſt, vt vel docendis literis, vel cauſſis agendis rem faceret. filius verò contra patris voluntatem paternam negotiationem continuare maluit: neque ab iſta ſententia diu potuit dimoueri. ab hac igitur pertinacia Pertinacis cognomen patre auctore eſt nactus. *Pertinax,* eſt ὁ μονότονος καὶ ἐπίμονος, vt rectè vertitur in Gloſſario.

8. *Natus eſt Pertinax in Apennino in villa Martis.*] Quia inferius vada Sabatia nominantur, ſcripſerunt nonnulli Martis villam vbi natus Pertinax, ad vada Sabatia fuiſſe olim ſitam. ex Dione potius ſtatuas, Albæ Pompeiæ fuiſſe vicinam. nam ille ait, ἦν ὁ Περτίναξ Λίγυς, ἐξ Ἄλβης Πομπηίας. ſed cum in Liguria Martis villam inuenerim apud veteres nullam, poſſintque verba Dionis de origine non minus quàm de natiuitate intelligi, dubito, num Martis villa hæc illa ſit quam in Terentij vita Donatus ſtatuit, in via Appia. certum enim Appiam non procul ab Vrbe ad montana deflexiſſe, & Apenninum.

32. *Stipem ſe perdidiſſe dixit.*] quia conſcius ſuæ tenuitatis magna pollicenti Chaldæo fidem habebat nullam: ideo ſtipem ſe ait perdidiſſe quam genethliaco dederat. male in membranis, *ſtirpem.*

34. *Atque inde Sulpicio Apollinari.*] ille eſt aut eius filius, de quo multa apud A. Gellium.

36. *Per Lollianum Auitum conſularem virum.*] conſul fuit ſub Pio. is ipſe eſt de quo Apuleius in Apologia, & Vlpianus lege tertia, Digeſtis,

ti e decurionibus.hic etiam est,opinor,quem Victor hic Lollium Gentianum vocat,per errorem.

Pag.79. vers.1. *In Syria.*] *in Syriam.*

2. *T. Aurelio imperatore.*] Reg.*imperante.*

3. *Quod sine diplomotibus cursum vsurpauerat.*] vide legem tertiam Cod. De cursu publico. diplomata passim in libris vetustiorum, quæ ibi euectiones.aliis etiam tractoriæ,& conbinæ, hoc est διπλαῖ. Regius hîc,*displomatibus*.scribe *duplomatibus*.vt in Pandectis.

4. *Ad legationem suam iter facere.*] Lego,*ad legionem suam*. non enim legatus fuit tum Pertinax,sed præfectus cohortis.

5. *In Britanniam.*] Lego ex regio, *in Bithyniam*. nam ex Syria in Bithyniam translatus est;deinde in Mœsiam,vt statim sequitur.

6. *Alimentis diuidendis in via Aemilia procurauit.*] Sequitur non longè:*Accepto successore alimentorum ei cura mandata est.* sed eam curam Pertinax in Vrbe sustinuit,ætate iam prouecta,post multos & magnos honores: istam quæ hic commemoratur, iuuenis adhuc obiit per oppida & vicos ad viam Aemiliam hinc inde sitos. Spartianus in Iuliano, *Post hoc curam alimentorum in Italia meruit.*

10. *Inde ad ducenûm H-S.stipendium translatus in Daciam.*] Ita scripti: vulgò,*ducentorum*.corrigit verò Iosephus Scaliger Notis ad Manilium suum,*ad ducenariorum stipendium*.quinam essent ducenarij pluribus explicatum eò loci inuenient harum rerum studiosi. Fuerunt & qui dicerentur centenarij, itemque sexagenarij, fitque in vtroque codice persæpe mentio ducenæ & centenæ dignitatis.de quibus omnibus luculentissime Iacobus Cuiacius, ad legem primam Cod. De exactionibus tributorum.

11. *Quorundam relatu.*] an *delatu?* factio enim fuit quorundam,mox prodita,vt subiicitur.

ib. *A partibus remotus est.*] hoc est,ab administratione reip.& ab illa statione quam tunc temperabat.metaphora est à ludo pilæ,vt explicat doctè Scaliger.

12. *Et postea per Claudium Pompeianum.*] quem virum præcipuo cultu semper coluit Pertinax, vt ex Dione constat.

13. *Adiutor eius futurus.*] Melius in Reg.*ei futurus.*

ib. *Vexillis regendis ascitus est.*] vt præesset cohortibus veteranorum ad signa retentorum.

17. *Et primæ legioni regendæ imposuit.*] legiones primæ erant plures: sed cognominibus distinguebantur.Prima Italica Neronis,prima Adiutrix Galbæ,& prima Mineruia Domitiani.videtur heic Prima Adiutrix intelligi, quam in Pannonia locat Dio.

19. *Cos.est designatus.*] inter suffectos:gessitque absens, collega Didio Iuliano, qui ei successit. nam consul ordinarius ante vltimum Cōmodi annum non fuit,& tamen hunc quoque consulatum inuidiosum

Pertinaci apud multos fuiſſe, ob ſordidam originem, declarat Dio in vitaMarci. De anno huius conſulatus dicemus mox.

24. *Quod cum ſenator eſſet.*] expoſuimus ad ſuperiorem vitam.

29. *Integrè ſe vſque ad Syriæ regimen Pertinax tenuit.*] *ſe tenuit* δικαίως, egit. σωφρόνως καὶ ἐγκρατῶς διῆγε. ſed non diſpliceat *integrum.* ἄμεμπτον ἑαυτὸν διετήρησε.

33. *Cum eam ſenator antea non vidiſſet.*] iam illa tempeſtate multi Romani erant ſenatores, qui Romā raro commearent: nonnulli qui vidiſſent nunquam, vt alio loco diximus. poſt tempora vero Conſtantini etiam legibus & conſtitutionibus principum opus fuit, vt compellerentur Romam venire ſenatores. Lege in Codice Theodoſiano titulum quartum libri ſexti.

35. *Nam pater eius tabernam coactilitiam in Liguria exercuerat.*] Omnino ſcribendum *coctiliariam*, vt pridem viri docti monuerunt. generaliore voce vſus, idem ſignificauit ſtatim initio, lignariam negotiationem appellans. at coctiliarij ſunt illi, qui non quæuis ligna, ſed coctilia tantum parant venduntque. Græci, & Latini etiam multi, acapna dicunt. Artem hanc paucis deſcribit Theophraſtus libro quinto Hiſtoriarum: δριμύτατος, inquit, ὁ καπνὸς συκῆς, καὶ ἐρινεοῦ, καὶ εἴ τι ἄλλα ὀπώδες· αἴτια δ᾽ ἡ ὑγρότης· φλοιωθέντα δ᾽ καὶ ἀποβρεχθέντα ἐν ὕδατι ἐπιῤῥύτῳ, καὶ μετὰ ταῦτα ξηρανθέντα, πάντων ἀκαπνότατα, καὶ φλόγα μαλακωτάτην ἀφίησι. Iſti ſunt quos olim admiratus Anacharſis dixit, τὸν μὲν καπνὸν ἐν τοῖς ὄρεσι καταλείπειν, τὰ δὲ ξύλα εἰς τὴν πόλιν κομίζειν. fere enim qui coctiliariam faciebant, in montibus degebant, aut ſyluis, vt huius pater in Apennino. Coctilia iſta vt plurimū in batillis accendebant, vt docemus ad Trebellij Claudium. In regio & Puteani, atque etiam Politiani corrupte, *cratiliariam*, vel *cratiliciam.*

37. *Manente forma priore.*] Scripti, *fortuna*, contra auctoris mentem.

Pag. 80. verſ. 3 *Eumque petiit per literas.*] *petere aliquem* pro rogare, apud Marcellinum & alios, contra morem vetuſtiorum.

Vaticinationibus earum quæ de templo Cœleſtis emergunt.] Idem in vita Macrini, *Vates Cœleſtis apud Carthaginem deo repleta ſolebat vera canere.* Cœleſtis Carthaginenſium dea omnibus nota: ſed illa pauciſſimis, quæ de Phœnicum ac Pœnorum diis è denſiſſimis tenebris in claram lucem protulit δαιμόνιος ἀνὴρ Ioſephus Scaliger.

20. *Et ipſi Commodo plurimum placuit, quia ille eſſet iterum, cum Pertinax factus eſt.*] Videtur Capitolinus hoc ſignificare: priorem Pertinacis conſulatum, de quo antè dixit, eo anno fuiſſe ab illo geſtum, quo ſecundum Conſul fuit Commodus: hoc eſt anno priuſquam excederet Marcus. aliter hæc verba accipi poſſe non videntur. Sed mirum eſt, cur Pertinax Commodo plurimum placuerit, hanc à Capitolino rationem afferri: frigidam penitus, ſi quid iudico, & prope nullam. Sed non eſſe ſincerum locum ipſa oratio arguit, inconcinna ſatis &

quæ

quæ neque auresneque mentem expleat. Non dubito deesse hic aliquid,& fortasse etiam pluscula verba:quantumuis membranæ veteres vitium dissimulent.

22. *Tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis non fugit.*] Si de coniuratione Marciæ & Læti & Electi qui Commodum non interemerunt, sentit Capitolinus, haud dubie fallitur. nam Pertinax de eo consilio resciuit nihil quicquam. adi ad Herodianum. Iulianus tamen imperator idem scribit cum Capitolino.

26. *Donatiuum promisit.*] in singulos denariûm trina millia: siue aureos hodiernos circiter ccc.

28. *Quia & milites ne tentarentur pertimescebant.*] Ait *& milites*,quia & Pertinax ad quem prius venerant Lætus & Electus, diu ne tentaretur timuit:neque Commodi cædem prius credidit, quàm per suorum vnum explorasset, cui cadauer est ostensum. hoc pluribus declarant Dio & Herodianus: etiam Capitolinus subobscure cum dixit modo, *vt eum confirmarent.*

31. *Pridie Cal. Ianuarias.*] Regius, *Kalendis Ianuariis.* idque verissimum est. nam Commodus occisus est pridie Calendas: noctis autem illius pars multo maxima præterierat priusquam in Castra adductus Pertinax à prætoriis militibus salutaretur Imperator:neque multo ante quam illucesceret imperium illi in senatu confirmatum. Kalendis igitur acta,quæ post mediam noctem gesta.

32. *Cellă curiæ.*] *Cella* veteribus quæ *capella* amissa Latinitate dicta est, ναΐδιον, sacellum. Semper autẽ cellam Curiæ prius quàm Curiam ingrediebantur, ex Augusti præcepto. Suetonius libro secundo, cap.xxxv. vocem *ædituus* ex regio restituimus. sic & Puteani.

Cella veteribus quae postmodum capella

Pag.81.vers.2. *Pertinacem nocte imperatorem appellauerunt.*] Dio ait, νυκτὸς ἔτι οὔσης. hoc est, appetente die, vt modo dicebamus. Herodianus diem plane iam ait exortum,

15. *Et Flauia Titiana vxor eius Augusta est appellata.*] decreto senatus Augusta est appellata: sed eum honorem ab ea recipi noluit Pertinax, vt mox subiicitur,& pluribusDio,qui & caussam adiicit.Cæterum totus locus in vulgatis scriptisque libris perturbatus, concipiendus hoc modo: *Eadem die qua Augustus est appellatus, & Flauia Titiana eius vxor est appellata, eis horis quibus ille in Capitolio vota soluebat: prima sane omnium ea die, qua Augustus est appellatus. Etiam patris patriæ nomen recepit.* Vidit ante nos Iustus Lipsius, qui & totum locum in Notis ad Plinij Panegyricum eruditissimè est interpretatus.

16. *Necnon simul etiam imperium proconsulare.*] de hoc satis ad Pium. delatum esse simul cum imperatoris nomine,mirum nihil.nam &proconsulare imperium,& tribunitia potestas necessario cohærent maiestati imperatoriæ.

17. *Necnon ius quartæ relationis,quod ominis loco fuit Pertinaci.*] ius re-

lationis, quod Auguſtis ſolitum attribui, expoſuimus ad Suetonium, libro primo: neque nunc repetimus. Quod autem viri magni omen heic in numero ponunt quartæ relationis, cum eſſet moris tertiam vel quintam deferre: nolim ire inficias, etiam iſtud fortaſſe Capitolinum ſpectaſſe: cæterum omen præcipuum ſine controuerſia in eo potius fuit, quod contra conſuetudinem omnes Auguſtorum honores ita ſimul & ἀθρόως in Pertinacem eſſent congeſti. cito enim periturum illum augurati ſunt, qui ſiç repente ac confertim omnia nactus eſſet, quæ multis annis priores principes meruiſſent. Atque hoc quia inſolens fuerat & contra priora exempla, in principibus inſecutis raro eſt vſurpatum: etſi factum interdum. vide Lampridium Alexandro Seuero, & quæ ibi notamus.

20. *In Vectilianis.*] in ædibus Vectilianis, de quibus in ipſius vita. apud Herodianum initio ſecundi, βασίλειος αὐλή, non eſt palatium, ſed domus Vectiliana, vel eius veſtibulum, vbi excubabant οἱ σωματοφύλακες. vbicunque princeps, ibi aula.

25. *Ea die etiam ad conuiuium magiſtratus & proceres ſenatus rogauit.*] ea dies fuit Kalendarum anni noui: quam ludis, iocis, conuiuiis, munuſculorumque miſſitationibus atque omni genere feſtiuitatum celebrabant Romani.

31. *Laſciuium.*] Regius, *Laſgurum.*

37. *Suſcipere ſe etiam imperium à ſenatu dixit, q.*] dixit in ſenatu. verba Pertinacis referunt Herodianus & Dio. eò autem hæc referenda, etſi poſita loco non ſuo.

Pag. 82. verſ. 1. *Cum iureiurando.*] huc pertinent iſta Dionis: καὶ ἐπώμοσε μηδέποτε τοιαύτην δίκην προσδέξεσθαι.

2. *Eorum memoria reſtituta qui occiſi fuerant.*] contra legem Corneliam, quam & Cicero Conſul propter publicam vtilitatem firmauit. Dio, τὴν ἀτιμίαν ἀφεῖλε τῶν ἀδίκως πεφονευμένων. lege totum locum: eſt enim eximius.

5. *De filio dixit Cum meruerit.*] Suetonius de Auguſto: *Numquam filios ſuos commendauit vt non adiiceret, Si merebuntur.* Marcus ad Verum: *Plane mei liberi pereant, ſi magis amari merebitur Auidius, quam illi, & ſi Reip. expediet Caßium viuere quàm liberos Marci.*

6. *Allectionibus innumeris prætorios miſcuiſſet.*] male ſcripti, *prætorias.* Prætorij ſunt ſenatores prætura functi, vel ornamentis prætoriis donati: quod ſolitum fieri ab imperatoribus: ſed cum iudicio, & pro meritis in Remp. Commodus verò adulatores & voluptatum miniſtros inter prætorios adlegerat, vt loquitur Plinius in epiſtolis. *Miſcere* pro inquinare. Græci dicunt κοινοῦν. Sed præſtat referre ad ordinem ſedendi.

10. *Cenſus retractari iußit.*] iſtæ ſunt cenſuariæ liberalitates, de quibus ad Hadrianum Spartiani.

ib. De-

ib. *Delatores vinctos.*] Regius, *certos*. probo. non igitur sine ratione. Petrus Faber pro *vinctos* emendabat *conuictos*: quod idem est ac certos.

14. *Vt testamenta priora non prius essent irrita quam alia perfecta essent.*] Iustinianus Institutionum libro secundo, titulo XVII. *Diui Pertinacis oratione cautum est, ne aliàs tabulæ priores iure factæ irritæ fiant, nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint.*

16. *Ipseque professus est, nullius se aditurum hereditatem, quæ aut ad.*] Iustinianus ibidem, *Ea de oratione expreßit, non admissurum se hereditatē eius, qui litis caussa principem reliquerit heredem.* &c.

17. *Aut legitimi.*] *vt leg.*

20. *Per discrimina atque dedecoris vestigia.*] hæc regij scriptura. malim tamen, *per huius modi crimina*. vel vt amplissimo Fabro videbatur, *per ista crim.*

22. *Tantam pecuniam ærarij haberet: vt præter decies sestertium non se inuenisse fateretur.*] Ad verbum Dio, τοσαύτη δ' ἄρα τότε τὸ βασιλικὸν εἶχεν ἀχρηματία, ὥστε πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδες δραχμῶν μόναι εὑρέθησαν. scribe igitur *penuriam*, non autem *pecuniam*.

24. *Ea exigere quæ Commodus indixerat.*] Regius, *indulserat*: & scribendum sic.

25. *Lollius Gentianus.*] est is qui vltimo Seueri anno Consul fuit cum Basso. assentior enim Onuphrio, quem consule. alius ab isto Lollius Gentianus cuius meminit Victor iunior in Pertinace: sic enim nominat quem initio huius libri Capitolinus Lollianum Auitum consularem. atque vt puto, vel errauit eo loci Victor, vel qui eum exscripsit.

29. *Qui per vim Palatio videbantur inserti.*] hi sunt quos ex nobilitate Commodus forma disceptatrice collegerat.

32. *Scurras turpißimorum nominum dedecora perferentes.*] Scribe cum eruditissimo Petro Fabro *præferentes*. de istis in vita Commodi. Dio sic: κοπρίας τινὰς καὶ γελωτοποιούς αἴσχιστα μὲν τὰ εἴδη, αἰσχίω δὲ τὰ ὀνόματα.

33. *Militibus donatiuo dedit.*] addit Dio & populo congiarium datum. sed oppidò tenue, denarios singulis centenos: cum prætorianis darentur trina millia denariûm.

37. *Vestis subtegmine serico aureis filis. insignior per tunicas p.*] Lego *vesteis subtemine serico, aureis filis, insigni opere, tunicas, p.* Constanter libri scripti indicem hunc rerum Commodi quarto casu concipiunt, non recto, vno tantum aut altero loco excepto. quanquam certum est tabulas auctionarias & quæ alliciendo emtori proponebantur, & quæ ad rei memoriam inter publica monumenta seruabantur, aliter solitas concipi. huiusmodi tabulas bonorum ex condemnatione venditorum conficere, & referre in archiua aut stelis inscribere, etiam Athenienses moris habuerunt, sicut obseruamus ad Athenæum libro XI. capite VII. descriptiones istas appellarunt Græci δημιόπρατα. semper autem in

in illis omnis oratio pendebat à verbo πέπρακε).quare apud Iulium Pollucem ſæpiſſimè leges ἐν τοῖς δημιοπράτοις πέπραται.Contra hoc loco,vniuerſa oratio pendet à verbo VENDIDIT.quod nuſquam tamen poſitum eſt à Capitolino. nihil igitur mutandũ cenſemus. at *ſubtemine* melius quàm *ſubtegmine*.Etſi aliter omnes veteres. Antiquiſſimus mos eſt *ſubtegmen* ſcribere pro *ſubtemen* : ita enim ſcriptum inuenies apud Tertullianum, Hieronymum, Auguſtinum, alioſque. Falluntur qui initio libri De pallio corrigunt, *de ſubtegminis ſtudio*, & de diſcrimine inter voces ſubtegmen ac ſubtemen argutantur.nam Tertullianus intelligit quam Plato τέχνην κροκονητικὴν appellat in Politico:cui affinis eſt quæ ibidem στημονικὴ dicitur, vel potius στημονονητική. Alibi hæc diligentiſſime à nobis explicantur : vbi etiam docemus eruditiſſimos viros toto illius libelli principio nihil plane vidiſſe.

Pag.83.verſ.1. *Chirodotas Dalmatarum.*] Dio in Commodo χειριδωτὸν σπελικόν.vide librum ſuperiorem.

2. *Et Cirratas militares.*] Regius, *chirritas*. quod inter mendas eius codicis referimus:nam ea vox neque Græca eſt,neque Latina.Cirratas militares cenſemus cum Ioſepho Scaligero,eſſe chlamydes hirtas,quarum in Seuero & Alexandro habetur mentio apud Spartianum & Lampridium.Hoc putamus verius,quam vt ſcribatur *citratas*, vel *citroſas*. etſi non neſcimus θυώδεα εἵματα poetæ, Latinis dicta citroſas veſtes: cuius appellationis cauſſam diuerſè explicant Feſtus & Macrobius. Sed de his alibi,ſi Deus voluerit,accurate.

ib. *Purpureáſque chlamydes Græcanicas.*] Dio ἐσθὼν χιτῶνα ὁλοπόρφυρον, χρυσῷ καταπαστον, χλαμύδα τε ὁμοίαν τὸν ἑλληνικὸν τρόπον ἀνελάμβανε. chlamydes Græcanicas præſertim militares purpureas fuiſſe, etiam Suetonius in Nerone ſcribit. Græci paſſim πορφυροβαφεῖς,ὁλοπορφύρους & ἁλουργεῖς, vel ἁλουργίδας vocant.

3. *Cuculi bardaici.*] hoc eſt bardocuculli.ita enim vocantur & Martiali,& aliis.*Bardiacus* eidem ἁπλῶς metri cauſſa pro bardocucullus illo verſu,*Laſi Bardiacus quod euocati*:nam ita meliores libri.& fortaſſe heic quoque *cuculli Bardiaci* ſcribendum.è Gallis Santonibus & Lingonibus Romam mitti ſolitos,ex eodem poeta conſtat. Vtrum verò à Gallorum bardis fuerint dicti, an à Bardeis Illyricis, quos aperit nobis ſingularis Gloſſarum locus,nondum plane conſtitui. Obſeruabis caſum.rectum enim poſuit pro quarto:niſi aliter ſcripſerat. ſed & mox iterum occurrit idem caſus.

4. *Et toga armaque gladiatoria.*] mendum ineſſe voci *togæ*, facile aſſentior doctiſſimo Petro Fabro,ac lego, *& ſaga ar.*

ib. *Armaque gladiatoria gemmis auroque compoſita.*] λιθοκόλλητα καὶ διάχρυσα, vel χρυσᾶ. nam ſcribit Seuerus in epiſtola ad ſenatum pro Commodo: ἀλλ' ἐμονομάχει, νὴ Δία. ὑμῶν δ' οὐδεὶς μονομαχεῖ; πῶς οὖν καὶ ἐπὶ τί τὰς τε ἀσπίδας αὐτοῦ καὶ τὰ κράνη τὰ χρυσᾶ ἐκεῖνα ἐπρίασθέ τινες;

5. Et

5. Et *macharas* Herculaneas.] enſes iis ſimiles,quos pictores & poetæ Herculi tribuunt:nam &Commodus alter Hercules.alioquin Herculaneus gladius eſt magnus,vt Ἡρακλεία νόσος id eſt μεγάλη interprete Galeno. ſic *lanceæ* Herculaneæ in Claudio. Græcanicos enſes Commodus machæras nominabat voce Græca:quæ eadẽ eſt & Syrorum מְכֵרָה μάχαιρα.

6. *Vaſaque eluto auro,ebore,argento citroque compoſ.*] Elutum aurum eſt,probe purgatum.nam in auro purgando lauationibus multis opus, vt ſcimus è Strabone ac Plinio. in membranis corrupte *eludo*. forſan placeat alicui vaſa è ludo, dici τὰ ἐκ τοῦ τῶν μονομάχων καταγωγίου,id eſt gladiatoria.nobis non placet:nam ſi quid mutandum,ſcribam certa coniectura *electro*. vaſa electrina habes etiam apud Paulum Iuriſconſultum lege XXXII. De auro, argento mundo. pateram electrinam apud Trebellium Pollionem in Quieto tyranno.

ib. *Atque etiã phallouitroboli.*] iterum mutat orationis formam, reditque ad caſum rectum. *Phallouitrobolos*, vel *phallouitrobelos* appellabat Commodus pocula quæ obſcenitatem illam figura ſua referebant, quam Græci φαλλὸν,Latini *belum* vocabant.vnde *monobeli* in Alagabalo. *belum* pro telo è Græco βέλος poſterior ætas vſurpauit,etiam extra fœditates iſtas. Luithprandus Ticinenſis libro ſecundo, *verſi terga ceu in fugam Hungari directis acriter belis plurimos ſternunt.* Si legas *phalloueretrobeli*. erunt ſynonyma tria ad maiorem obſcœnitatem à flagitioſiſſimis propudiis coniuncta. iuuat quod non è vitro calyces hi fuerunt: ſed ex auro,ebore,argento, citro:quanquam & ex iſtis aliter nominari poſſunt, vt pyxis dicitur quæ eſt argentea. Non ſine exemplo autem inſaniam hanc inſaniuit Commodus. Plinius libro XXXIII. *Auxere & artes vitiorum irritamenta. In poculis libidines celare iubet, ac per obſcœnitates bibere.* Iuuenalis, *Vitreo bibit ille priapo.* Vetus ſcholiaſtes explicat *in vitreum penem, quos appellant drillopotas.* vbi fortaſſe ſcribendum, *phallopotas*, aut *veretrillopotas.*

7. Et *vaſa Samnitica calefactandæ reſinæ ac pici diuellendis hominibus, ac leuigandis.*] Athenæus libro XII.de populis quibuſdam. loquens ſolitis πιττοῦσθαί τε καὶ ξυροῦσθαι καὶ λεαίνεσθαι τὰ σώματα, ſcribit inter cætera: χρῶνται δὲ τούτῳ τῷ νόμῳ πολλοὶ καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν τὴν Ἰταλίαν οἰκούντων, μαθόντες παρὰ Σαμνιτῶν καὶ Μεσσαπίων. iure igiur Samnitica vaſa appellata ſunt quæ ad artem pertinerent, cuius auctores præcipui Samnites. ſine cauſſa emendant nonnulli *Samiaca* aut *Samia*. nam aliter manu ſcripti.

11. *nunc ad ſpiritus opportunitatem, per vertiginem.*] fit enim ſæpe, vt incluſi in vehiculis vertigine tententur:qui auræ ſpiritu in vehiculum admiſſo, ſtatim recreantur.

12. Et *alia iter metientia horaſque monſtrantia.*] Habes apud Vitruuium libro nono in horologiorum fabrica,penſilia,viatoria,& anaporica.ſed quæ non multum huc faciant.

16. *Sumtus etiam omnes Commodi reddidit.*] Hoc quid ſit. lego verò cum Ioſepho Scaligero, *reſcidit.* hoc eſt,ad ſoliti dimidium detraxit, vt ſtatim ſequitur.

ib. *Exemplo autem imperatoris cum ille parcius ſe ageret.*] quis ille? ſed nihil omnino præcedit quò poſſis referre. Lego retracta litera fugitiua, *cum miles parcius ſe a.* omnino ita ſcribi & ſententia poſtulat & hiſtoria.

20. *Præmia militantibus poſuit.*] Regius *militaribus*,iam ante monuimus *militares & populares* dixiſſe pro militibus & populo.

23. *Reformandis ſuis pecuniam contulit.*] qui iſti *ſui?* ego non ambigo locum eſſe corruptum.Scribo,*reformandis viis.*

25. *Alimentaria etiam compendia.*] Nihil eſt cauſſæ cur emendemus cum viro docto *impendia.* nam vtrumque dici poteſt: ſed illud ſeruant libri omnes.compendia alimẽtaria,ſiue alimentariorum,vt commoda militiæ.

26. *Quæ nouem annorum ex inſtituto Traiani debebantur.*] Reg.*ex inſtitutu.* pro inſtitutione. Videtur autem hoc dicere Capitolinus:non omnibus alimentariis debita fuiſſe alimenta: ſed iis ſolum qui beneficio Traiani primum ad perceptionem frumentariam, id eſt quinque illis millibus puerorum ingenuorum, quibus frumenta dari primus Traianus inſtituit. auctor Plinius in Panegyrico. ſed de huius loci ſententia plura eruditiſſimus Lipſius in accuratiſſima diatriba de frumentatione.

29. *Latius ſuos teneret fines.*] Scribo,*tenderet.* eleganter pro extenderet.

30. *Ex Luciliano verſu agrarius mergus eſt appellatus.*] Scripta lectio, *Granius.* Fortaſſe ſcripſerat,*Granius agrarius mergus.* nam Granij præconis, de quo tam multa M. Tullius, frequens in Lucilij ſatyris mentio. vt in iſtis apud Gellium: —— *& iam*

Coniicere in verſus dictum præconi' volebant
Grani. ——

hunc ſcurram lucella captantem bonis dictis, videtur poeta appellaſſe mergum:ſolet enim ea auis minutorum piſciculorum prædam è littorum ſaxis captare. Græcorum eſt prouerbium,de laro quidem dictum: ſed quod mergo, etſi diuerſi generis aui, non minus conueniat: λάρος χάσκει. Ariſtophanes, Λάρος κεχηνὼς ἐπὶ πέτρας δημηγορῶν. at Pertinax qui non ex aquis compendia ſibi quæreret,ſed ex vicinorum incommodis, non ſimpliciter *mergus* eſt dictus: ſed *agrarius mergus.* nihil improbius eo hominum genere,qui afflictorum tempora obſeruant, vt ex eorum miſeriis rei ſuæ amplificandæ occaſionem capiant. feciſſe hoc Pertinacem,verbis illis *oppreſſis fœnore poſſeſſoribus* auctor ſignificat. Atque hæc cauſſa eſt,cur mergus ſit dictus. Perperam accipit hunc locum nuperus ille alienorum ſcriptorum cenſor, qui ad Perſij verſum,

Diues arat Curibus quantum non miluus oberrat:

Capi-

Capitolini hæc verba affert, & ſimilis ait eſſe ſententiæ. itàne ſimilis? haud vidi magis. probet iſte, duas haſce enunciationes eaſdem aut ſimiles eſſe: ὁ δεῖνα tantũ arat, quantum miluus vno volatu nõ circumeat: &, ὁ δεῖνα oppreſſis fœnore poſſeſſoribus, agris ſuis eos exuit. probet hoc, & virum putabimus. Sed hominis arrogantiſſimi inſolentiam, & ἀφυεστάτου καὶ παρεγγεγράπτου κριτικοῦ ἀκρισίαν aliis caſtigandam relinquimus. Nos eiuſmodi ſcripta è quorum lectione neque meliores neque doctiores poſſumus recedere, ſemper contempſimus, ſemper contemnemus. Securi igitur lucubrationes noſtras ψωλοὶ Peluſiotæ arrodant: riſum & commiſerationem poſſunt: bilem nobis exprimere, κἂν μύλλωσι διαρραγῶσι, non poſſunt.

31. *Nam vacationes & legationes militares dicitur vendidiſſe.*] Quænam dicantur *vacationes* in Romana militia, & quomodo duces illas vendere ſint ſoliti, ex multis veterum ſcriptorum locis, quos docti viri congeſſerũt, manifeſtiſſimum eſt. at *legationes militares*, alibi legere non memini. mendoſum tamen non exiſtimo: ſed de honore illorum accipio, quos ſoliti interdum limitanei exercitus, eorumve duces, ad imperatores mittere. etiam in vita Commodi legatorum exercitus Britannici meminit Lampridius. huiuſmodi legationes & honorem magnum iis qui illas obirent, & commoda quoque maxima attuliſſe, quis dubitat?

35. *Subito diues eſt factus.*] Refellit Herodianus, cui potius fidem habe. Ait ille, Commodum, qui omnes patris amicos ſuſtulit, vnico Pertinaci peperciſſe, quòd propter paupertatem illum contemneret. ἦν γὰρ αὐτῷ, inquit, καὶ τοῦτο μέρος τῶν ἐγκωμίων, ὅτι πλεῖστα πάντων ἐγχειρισθεὶς, πάντων εἶχεν οὐσίαν ἐλάττονα.

Pag. 84. verſ. 4. *Inſidias parauit ei Falco.*] Soſius Falco conſul, opibus potens. hiſtoriam vnus Dio narrat.

5. *Quod quidem ſenatus credidit.*] Attende ad verba: non negabis hiulcam orationem eſſe, & aliquid deeſſe. in regio ſequuntur hæc verba, *volens imperare*: quæ in vulgatis præcedunt. Lego igitur: *Inſidias parauit ei Falco: de quo conqueſtus eſt in ſenatu, vt volente imperare. q.* verum, vt diximus, videtur deeſſe aliquid. Tota etiam quæ ſequitur narratio de Fabiæ ſeruo, an ad Falconis inſidias quicquam pertineat, non poſſis liquidò cognoſcere. Dio quidem nihil eiuſmodi. & certum eſt, Falconem non alij, ſed ſibi imperium quæſiuiſſe. De hac Fabia ante dictum.

11. *Et à ſenatu impunitatem eius petiit.*] Regius & Puteani, *impetrauit.* ſcribendum, *ei impetrauit.* Dio qui ſenatui illi interfuit: μελλόντων δὲ ἡμῶν καταψηφιεῖσθαι τοῦ Φάλκωνος, ἀναστὰς ὁ Περτίναξ καὶ ἀνακραγὼν, Μὴ γένοιτο ἔφη μηδένα βουλευτὴν ἐμοῦ ἄρχοντος μηδὲ δικαίως θανατωθῆναι.

15. *Factio præparata eſt per Lætum.*] conuenit cum Dione: nam aliter nonnulli. ipſe Capitolinus in Albino diuersè narrat.

20. *Quod in cauſſa Falconis multos milites ad vnius ſerui teſtimonium oc-*

cidi præceperat.] de hoc ſeruo nihil Dio:cætera pene ad verbum. ὁ Λαῖτος παραλαβὼν τὴν κατὰ τὸν φρόνημα, ἀφορμὴν, πολλοὺς τῶν στρατιωτῶν, ὡς καὶ ἐκείνου κελεύοντος, διέφθειρεν.

22. *Trecenti igitur de caſtris armati, ad imperatorias ædes cuneo facto milites, venêre.*] Lego, *Ducenti ig.* Dio ibidem, διακόσιοι δὲ οἱ τῶν ἄλλων θρασύτεροι, καὶ ἐς τὸ παλάτιον τὰ ξίφη ἀνατεταχότες ὥρμησαν. firmat Dionis lectionem & Zonaras.

23. *Eadem tamen die in*] *tamen* pro ſane. ſæpe enim abutuntur illa voce hi ſcriptores. Sic accipe ſub finem, *nec multum tamen amatus eſt.* inepte in huiuſmodi locis interpreteris ὅμως.

24. *Negatur in hoſtia cor repertum.*] Regius *negant.* Poparum fraude plerumque factum, aut ipſorum etiam extiſpicum, vt victimis mactatis modo cor, modo caput extorum, aut neſcio quid aliud deeſſet, ad Athenæum obſeruabamus. multa de his Marcus Tullius in ſecundo De diuinatione.

25. *Caput extorum non deprehendit.*] Cicero, *Caput eſt in iecore, cor in extis.* ſic Feſtus in *Peſtifera auſpicia.* Philoſtratus libro octauo: ἐν ἥπατι φασὶ τὴν τῆς αὑτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα. Fuere huius quoque artis propria vocabula & τεχνικά. Quare apud veteres grammaticos ſæpe leges illa verba σημεῖον ἐστιν ἐν θυτικῇ. & extiſpices iidem non ſolum ἱερέας, θύτας, aut σπλαγχνομάντεις & ὀνωμομάντεις nominant, ſed etiam σημειωτικούς. vt Heſychius, περατοσκόπος, μάντις σημειωτικός. Apud eundem haruſpicinæ vocabula vel ſigna aliquot leguntur: vt ΓΛΩCCAI. quam vocem interpretatur ille σημεῖα ἐπὶ τοῦ ὕδατος παρὰ τοῖς θύταις. ſed ſcribendum, ἐπὶ τοῦ ἥπατος. Sic alibi, ΔΙΨΑC, interpretatur idem, σημεῖον ἐν θυτικῇ, ἐπὶ τοῦ ἥπατος. item, ΔΟΛΟΥ ΤΡΑΠΕΖΑ ἐπὶ ἥπατος σημεῖον ἐν θυτικῇ. & alio loco, ΕCΤΙΑC ΧΩΡΟC. μέρος τοῦ ἥπατος ἐν θυτικῇ. eſt etiam ΔΙΟΠΤΡΑ eidem σημεῖον ἐν θυτικῇ. item ΔΙΟΚΡΟΥΡΟΙ. ΕΓΓΥΗ. ΕΠΙΘΕΟC. ΚΩΛΥΤΗΡ. ΠΟΤΑΜΟC. ΤΑΦΟC. ΠΥΛΑΙ. hæc & ſimilia his nomina ſunt ſignorũ, quæ in mactatis victimis obſeruauerant, ex quibus reſponſa dabant conſultantibus. ΛΟΒΟC quoque etſi σημεῖον non eſt, proprium tamen eius artis verbum fuiſſe obſeruant critici veteres.

26. *Qui cum de caſtris ad obſequium principis conueniſſent.*] ſatellitium principis vocabant obſequium: quam vocem Græci quoque ſuam fecerunt. ſic accipe τὰ ὀψίκια apud Arrianum libro tertio Diſſertationum Epicteti: Conſtantinus in Περὶ θεμάτων libello. ὀψίκιον Ῥωμαῖοι λέγεται, ὅπερ σημαίνει τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τοὺς προπορευομένους ἔμπροσθεν τοῦ βασιλέως ἐπὶ εὐταξίᾳ καὶ τιμῇ. in hiſtoria miſcella, ſiue vt aliis placet, Anaſtaſij bibliothecarij, *obſicium* ſæpius pro obſequio legitur. vt *comes obſicij*, *primus ſtratorum obſicij*, *thema obſicium*, & ſimilia.

27. *Proceſsionem quam parauerat vt audiret poetas.*] Lampridius in Alexandro Seuero, *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorum vel poetarum cauſſa frequenter proceſsit.* Capitolinus in Gor-

Gordiano, *vbi adoleuit in Athenæo controuersias declamauit, audientibus eum imperatoribus.* & apud Sidonium Apollinarem sæpius. locus fuit, quod nomen ipsum arguit, studiis Mineruæ sacer: cuius honori dicatam inibi fuisse aliquam ædem aut cellam ex eo coniiciebamus, quod etiam senatum haberi in Athenæo mos fuit. Dio extremo Iuliano: καὶ ὁ ὕπατος συναγαγὼν ἡμᾶς εἰς τὸ Ἀθήναιον, καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ τῶν πεπαιδευμένων ἀσκήσεως, τά τε παρὰ τῶν στρατιωτῶν ἐδήλωσε, καὶ τοῦ Ἰουλιανοῦ θάνατον κατεψηφισάμεθα. senatus autem nisi in templo, & loco per augures constituto, haberi non potuit. mirum tamen caussam appellationis petere Dionem non ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς, & Mineruæ æde: sed ab eo, quod illuc conuenirent homines docti, & Mineruæ sacris initiati. Quare fieri potest vt nulla ibi esset Mineruæ ædes: sunt enim res diuersæ templum atque ædes. Firmat hanc nostram sententiam Aurelius Victor, cuius sunt de Hadriano verba: *gymnasia doctoresque curare occœpit: adeo quidem, vt etiam ludum ingenuarum artium quod Athenæum vocant constitueret.* Vides ludum ingenuarum artium dici, non ædem Mineruæ. hoc amplius verò ex isto Victoris vnico loco discimus, Hadrianum Athenæi Romæ conditorem fuisse, & publicum illud opus struxisse. Quid igitur de illo dicemus pansophomastige, qui ad Persium tantum perdit verborum, vt Athenæum probet templum fuisse Apollinis Palatini? quid autem nisi vnam lituram? enimuero miseret me ægræ mentis. nam eiusmodi sunt illius omnia: nunquam enim acutissimus magister, auctoris sui mentem assequitur, nisi cum alios, quos mordet, sequitur.

31. *Aut imperatori nuntiari.*] nuntiatum est tamen: sed serò & frustra. Dio ait ab vxore, Herodianus ab amicis.

32. *Omnium aulicorum.*] aulici sunt οἱ Καισάρειοι. hi Dione teste cum in Pertinacem eodem quo milites prætoriani essent animo, tamen quod nudi essent & ἄοπλοι, inuiti se continuerunt.

36. *Ad locum qui appellatur Sicilia & Iouis cœnatio.*] Videntur esse eiusdem loci duo nomina. Sic Augustus locum in edito singularem habuit, quem vocabat Syracusas & Τεχνόφυον. *Sicilia* autem membranæ omnes: tamen viri docti, quia in descriptione Vrbis apud Victorem *Iouis cœnationi* iungitur *Summa Velia*, hunc locum de mendo habent suspectum.

Pag. 85. vers. 2. *Quum ad interiora prorumperent.*] Reg. *vlteriora.* eodem sensu.

3. *Longa & graui oratione placauit.*] οἱ στρατιῶται τὸ πρῶτον ἠδέσθησαν πλὴν ἑνός. Dio. orationem Pertinacis imitatur Herodianus.

4. *Tausius quidam, vnus è Tungris.*] Regius, *Cirasius.* at perperam idem, *v ex Hungris.* Tungrorum cohortes inter prætorianos militasse, cum aliis Germanis & Gallis notissimum.

9. *Nam suos statim vt imperator factus est, filiis emancipatos dederat.*] an *emancipatis?* quod quidem suadet similis in Iuliano locus. Filio-

rum appellatione filium & filiam intellige, vt ipſe Capitolinus poſtea. de his non prætermittenda hoc loco Dionis verba: οὐδ' ἐν τῷ παλατίῳ τὸν υἱὸν ἔτρεφεν. ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ πρότερον ἐν τῇ πρώτῃ εὐθὺς ἡμέρᾳ ἀποθέμενος, ταῦτά τε τοῖς τέκνοις διένειμε, καὶ γὰρ καὶ θυγατέρα εἶχε, καὶ παρὰ τῷ πάππῳ διαιτᾶσθαι αὐτὰ ἐκέλευσεν. Herodianus facit grandiuſculum Pertinacis filium: neque relictum παρὰ τῷ πάππῳ, ſed ἐν τῇ πατρῴᾳ οἰκίᾳ. niſi ſcripſerat παππῴᾳ. Hinc expones illa quæ mox ſequuntur, *Filios ſuos in Palatio nutriri noluit.* Vide in extremo libro.

13. *Immiſſa barba.*] Virgilius, *dira illuuies, immiſſaque barba.*

ib. *Reflexo capillo.*] criſpo, quod & nummi docent.

15. *Et magis blandus quam benignus.*] Victor alter: *blandus magis quàm beneficus: vnde eum Græco nomine χρηστολόγον appellauere.* vide mox Capitolinum.

16. *Nec vnquam creditus ſimplex.*] Ibidem, *Amabat ſimplicitatem.*

17. *Fuerat illiberalis ac prope ſordidus.*] ita iudicabant homines lauti: frugi & ſobrij, vt Dio Caſſius, aliter longe pronuntiabant. eum lege.

19. *Niſi quod miſſum eſſet edulium.*] dono nempe. ſic cum leges ſumtuariæ vigebant, dono accepta erant ſupra legitimum modum. *Quotquot eſſent amici*, dixit, pro quotcunque.

25. *Miſit offulas binas, aut omaſi partem, aliquando lumbos gallinaceos,*] Explicant iſta Dionem: εἱστία ἡμᾶς σωφρόνως· καὶ ὁπότε μὴ τοῦτο ποιοίη, διέπεμπεν ἄλλοις ἄλλα, καὶ τὰ εὐτελέστατα.

26. *Faſianum nunquam priuato conuiuio comedit, aut alicui miſit.*] Sobriis principibus delitiarum vltimus finis erat phaſianus. Alexander Seuerus nunquam niſi diebus feſtis ſibi appoſuit: Tacitus vero nunquam niſi ſuo & ſuorum natali, & diebus feſtiuiſſimis. Iulianus plane abſtinuit: qui teſte Marcellino, *phaſianum & vuluam & ſumen exigi vetuit, & inferri munificis.*

28. *Vt cum eodem qui docuerat.*] Regius omnium horum loco: *qui cum eo docuerat.* Scribo, *vt cum eo qui cum docuerat.*

29. *Fabulas literatas haberet.*] Lampridius in Alexandro: *vt haberet fabulas literatas, quibus ſe recreari dicebat & paſci.*

31. *Expectans Vrbis natalem.*] Palilia quæ non longè aberant. Imperauit à Kalendis Ianuariis ad v. Kal. Aprilis: quo menſe xi. vel xii. Kal. Maias Palilia agitabant.

36. *Vt ſenatum fauentem adoraret.*] ſenatui ſibi fauſta dicenti, & acclamationibus fauenti, gratias agebat, eo geſtu, eo vultu quaſi deos adoraret.

Pag. 86. verſ. 6. *Omnes qui liberè fabulas conferebant.*] πάντες οἱ λογοποιοῦντες.

7. *Male Pertinaci loquebantur.*] Veteres editiones, *Pertinacem.* inſolens locutio, pro de Pertinace. ſed eſt Græcorum æmulatio: *male loqui aliquem*, κακῶς λέγειν τινά. at *Pertinaci*, vt maledicere alicui.

ib. *Chri-*

ib. *Chriſtologum eum appellantes.*] aliter membranæ, quæ nos potius eò ducunt vt ſcribamus *chryſologum*. ſed rectum eſt quod editur, vt ſcimus ex Victore: & ſubiecto interpretamento Capitolini. Græci χρησολόγους appellant pollicitatores ac Doſontas, quos aiunt τοῖς χρησοῖς λόγοις δελεάζειν. nec multo aliter apud Paulum Apoſtolum, χρηστολογία ἀπατᾶν. χρηστὸς, beneficus, & εὐεργετικός. at χρηστολόγος, verbis munificus.

9. *Et nihil de eo meruerant.*] congiarium enim adeo dedit exiguum, vt pro eodem haberetur, ac ſi nihil dediſſet.

12. *Flauij Sulpitiani filiam.*] Paullo aliter codices Dionis. τὸν πενθερὸν αὐτοῦ ὁ Περτίναξ τὸν Συλπικιανὸν τὸν Φλάκκον πολιαρχεῖν ἔταξε. ſed ſcribe Φλαούιον.

15. *Ipſe præterea infamiſſime dicitur adhæſiſſe.*] Membranæ, I. *poſtea*. eſt in iiſdem *infamiſſimè*, vt in vulgatis. nec cauſſa eſt cur reiiciamus. etſi elegans eſt viri docti coniectura, *inſaniſſime*. ἐπεμάνη αὐτῇ. ſed quod ſtatim vocem *vehementiſſime* delet idem, non aſſentior: nam & libri habent, & videtur neceſſaria, conſentiente hiſtoria.

18. *Cum gladio infeſtantem.*] eleganter pro inſectantem.

20. *Negabant in oculis eius pupillas cum imaginibus quas reddunt ſpectantibus viſas.*] Seruius grammaticus in illud poetæ, *Dat ſomnos adimitque: & lumina morte reſignat. Phyſici dicunt pupillas quas in oculis videmus morituros ante triduum non habere: quibus non viſis eſt ſumma deſperatio.* idem alibi ad hunc verſum. *Vt ſenior letho canentia lumina ſoluit,* notat: *phyſicam rem dicit: dicuntur enim pupillæ mortis tempore albeſcere.* porro quomodo pupilla diffundatur, vt deſinat apparere, medici docent cum περὶ ὑποχύσεων ὀφθαλμῶν diſputant. Vegetius Veterinariæ artis libro ſecundo, capite XVI. *cum accidit ſuffuſio, oculus videtur incolumis, nullis lacrimis, nullo ſanguine, nulla indignatione prodit iniuriam, ſed vno tantum declaratur iudicio, quod cum pupilla ipſius, imaginem tuam tanquam in ſpeculo videre non potes.*

25. *Ante dies quàm obiret.*] Legebam, *ante dies duos quàm obiret*. ſed regius aliter præfert, *ante diem q.*

29. *Collegam & ſucceſſorem meum.*] Idem accidit in Iuliano: nam & ille collegam in conſulatu & ſucceſſorem in proconſulatu Seuerum habuit.

Pag. 87. verſ. 6. *Funus imaginarium ei & cenſorium ductum eſt.*] *Imaginarium* appellat, quod non corpori Pertinacis, ſed eius imagini ductum eſt, vt loquitur Spartianus in Seuero. *Cenſorium* veteri appellatione dixit, quod ſeculo conuenientius in Opilio Macrino, *funus regium* vocauit: Spartianus in Aelio Vero, *imperatorium*. Temporibus verò liberæ Reip. cenſorium dicebatur: quia cenſura omnium dignitatum maxima & præſtantiſſima habebatur. Sed hæc pluribus viri docti.

8. *A ſenatu nomen accepit.*] vel ipſe ſibi aſciuit. nam ita alij. quidam etiam aliter. vide ad vitam illius.

ib. *Filius Pertinacis.*] qui à Caracallo poſtea occiſus, cum eſſet Cos. ſuffectus.

9. *Marciani ſodales Heluiani ſunt dicti.*] Spartianus in Seuero, *addito flamine, & ſodalibus Heluianis, qui Marciani fuerant.* ſic loquuntur & Capitolinus & Spartianus, quaſi Marcianorum fuiſſet tum nomen ſublatum. meminit tamen amborum lapis vetus Romæ, vbi hæc inter cætera. SODALI. MARCIANO. AVRELIANO. COMMODIANO. HELVIANO. SEVERIANO.

11. *Circenſes & imperij natalis additi.*] quid ſit, *circenſes addere*, diximus ad Commodum. Natalis imperij Pertinacis incidebat in Kalendas ipſas Ianuarias: diem & aliâs feſtum ac ſolennem.

Natalis imperij

12. *Et Genitiali.*] Scribe, *Genitalitij.*

13. *Vero & Bibulo Coss.*] anno imperij Hadriani nono, Coss. Vero & Ambiguo Bibulo.

14. *Vixit annis* LX.] Scribendum, LXVI. palàm eſt ex adſcriptis conſulibus. & ita apud Dionem. etſi in vniuerſa ratione nonnihil diſcrepat Dionis λογισμός.

15. *Diebus* XXVI.] Si recte ſcriptum modò occiſum fuiſſe quinto Kal. Apr. ſcribendum hic XXVIII. aut, vt dies cædis non numeretur, XXVII.

ib. *Imperauit menſibus* II.] Inueni in regio, VI. quæ menda multos etiam Græcorum chronologorum olim decepit.

16. *Diebus* XXV.] Regius, XXVI. de quo modo diximus.

17. *Congiarium dedit populo denarios centenos.*] Dio. ἔδωκε τῷ δήμῳ καθ' ἕκαστον δραχμὰς ρ'.

18. *Prætorianis promiſit duodena millia nummûm.*] Et hîc ſequitur Dionem: τρισχιλίας αὐτοῖς δραχμὰς κατ' ἄνδρα δώσειν ἐψηφίσατο. ſed quod adiicit, *ſed dedit ſena*: diſſentit à Dione, qui ſcribit, τοῖς δορυφόροις ἔδωκεν ὅσα ὑπέσχετο.

21. *Quam ego inſeri.*] Puteaneus, *inſerere.*

2. *Ob nimiam longitudinem.*] Regius, *minorem long.* eodem ſenſu.

ISAACI CASAVBONI
IN AELII SPARTIANI DIDIVM IVLIANVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

PROAVVS *fuit Saluius Iulianus.*] maternus hic proauus non paternus Iuliani Aug. cuius ſtemma ſatis perturbatè, deſcriptum heic à Spartiano, & vt cenſemus nos, mutilatum, oculis ſubiecimus ad maiorem lucem.

Didius Seuerus. Inſuber Mediolanenſis.

Saluius Iulianus bis Cos. I. Ctus. auctor Edicti perpetui ſub Hadriano, Afer Hadrumetinus.

Didius Seuerus. — *Saluius Iulianus.*

Petronius Didius Seuerus, cui vxor, — *Æmilia Clara.* *Saluius Iulianus.*

Didius Proculus. *P. Didius Saluius* IVLIANVS *Seuerus* AVG. *Manlia Scantilla* AVG. *Nummius Albinus.*

Didia Clara Aug. Cornelij Repentini vxor.

Habes heic proauum paternum, cuius nullam facit iſto loco mentionem Spartianus: niſi fallunt nos codices, quod nos putamus, vti mox dicemus: ſed meminit idem inferius, & aui & proaui, amboſque fuiſſe dictos Seueros indicat. PETRONIVS quod patri huius prænomen fuit, olim gentis erat nomen non prænomen: pridem ſiquidem exoleuerat vetuſtiorum circa nomina obſeruatio.

12. *Et iuriſconſultus quod magis eum nobilem fecit.*] adeo quidem, vt Græci ſcriptores nonnulli ipſum quoque appellent τὸν νομοθέτην: quaſi fuerit hic ille celeberrimus Iuriſconſultus, qui Edictum perpetuum compoſuit. quod & Aurelius Victor falſo putauit. in ſcriptis mutata diſtinctione, hæc verba, *quod m. e. n. fecit.* ad matrem Iuliani referebantur.

16. *Nummius Albinus.*] Regius, *Numinius.* Rectum eſt *Nummius.* Lapis Romæ.

IOVI
SERENO
NVMMIVS
ALBINVS
EX VOTO

ſic etiam in aliis ſaxis.

16. *Auus paternus Inſuber Mediolanenſis: maternus ex Adrumentina colonia.*] auus hic maternus filius fuit Saluij Iuliani qui Romæ vixit celeberrimus Hadriano imperante. quomodo igitur huius filius Afer Hadrumetinus? ego non concoquo. Lego verò, *proauus pat.* expoſito Iuliani ſtemmate, quia erant Romæ vetuſtiores gentes Didia & Saluia, quarum ſæpe in hiſtoriis mentio, ne cum illis prioribus recentiores iſtas è quibus ortus Iulianus, quiſquam confunderet, primam vtriuſque gentis originem, & vnde ac quando Romæ innotuerit, adnotat Spartianus. Saluij apud Ciceronem, Suetonium, alios leguntur multi: Didij etiam: nam ridiculè errant Græci, qui Iulianum imperatorem DIDIVM παρὰ τὸ διδόναι nuncupatum ſcribunt, propter datam pecuniæ vim, cum imperium eſt mercatus. Georgius Monachus: Ἰουλιανὸς ὁ κληθεὶς Δίδιος, διὰ τὸ χρήμασι τὴν βασιλείαν ὠνήσασθαι. Cedrenus, Δίδιος δὲ ἐπεκλήθη, διὰ τὸ ἀπὸ δώρων λαβεῖν τὴν βασιλείαν.

17. *Hadrumentina colonia.*] Regius, *Hadrumentina.* mirum eſt quàm variè & Græci & Latini hoc nomen extulerint, ſctipſerintque. obſeruat Hermolaus è Stephano, dixiſſe Græcos Ἀδρύμητα, & Ἀδρύμητον; alios maſculino, alios fœminino genere, quoſdam neutro. nomen eſt Hebraïcum, vt ex Solino docuit illuſtriſſimus Scaliger: vide ad vitam Albini. neque alia origo ſimilium appellationum, quæ diuerſis locis Aſiæ, Africæ, atque etiam Europæ ſunt attributæ: de quibus plura alibi. in his omnibus ſecunda ſyllaba promiſcue per τρ aut δρ ſcribitur.

18. *Inter viginti viros electus eſt.*] Fuit liberâ Rep. vetus conſuetudo, vt populus quotannis XXVI. viros crearet, quorum munia ſic poſtea diſtribuebantur. Fiebant ex illis Triumuiri capitales, Triumuiri monetales, Quatuoruiri curatores viarũ in Vrbe. Decemuiri ſtlitibus iudicandis, qui haſtã centumuiralẽ cogebant, Duumuiri curatores viarũ extra vrbem, Quatuoruiri in præfecturas Campaniæ mittebantur: ſed hic numerus Auguſto fuit imminutus, ſublatis Viocuris qui extra Vrbem curabant, & Quatuoruiris qui in Campaniæ præfecturas mittebantur

tebantur.ita pro XXVI. fuere XX viri ſolum: quos quidem non inſtituit Auguſtus,vt ſcribunt etiam doctiſſimi viri:ſed eorum tantum creationem mutauit: iubens vt ex equeſtri ordine eligerentur: qui videntur antè ſoliti è liberis ſenatorum creari. ita accipienda verba Dionis libro LIV. vbi fuſe de his. meminit & Feſtus in voce Præfecturæ: cuius locum iam olim Iacobus Cuiacius emendauit recte in XI. Obſeruationum. Erat vigintiuiratus velut ianua quæ aditum ad honores patefaceret: ad quos perdiu principum quoque liberi adibant hac viâ. Dio libro LVIII. in Claudio: τοὺς γαμβροὺς ποτὲ ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι, τὸ μετὰ τοῦτο πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς ἀνοχαῖς ἐκέλευσε, καὶ ὀψέ ποτε πέντε ἔτεσι θᾶσσον τὰς ἀρχὰς αἰτῆσαι σφίσιν ἐπέτρεψε. ſed huius muneris obeundi neceſſitatem, ſæpe remittebat illis ſenatus. habes exemplum apud Tacitum Annalium libro tertio. vbi Tiberius Neronē è liberis Germanici iamingreſſū iuuentam commendās patribus, petit, vt munere capeſsēdi vigintiuiratus ſolueretur.

22. *Legioni præfuit in Germania vicesimæ ſecundæ, Primigeniæ.*] Vetus lapis Romanus vbi inſculpta legionū nomina, hanc non prætermittit. nā ibi leges XXII. PRIM. hoc eſt, VICESIMA SECVNDA, PRIMIGENIA. Videtur Dio libro LV. in accuratiſſimo legionum Romanarum recenſu, nullam huius feciſſe mentionem. Sed non ita eſt: neque enim poterat fieri vt tantus in Rep. vir, legionem iſtam aut ignoraret, aut prætermitteret. ille verò non prætermittit: diſerte enim duo τάγματα εἰκοστῶν nominat: quarum legionum altera in ſuperiore Britannia caſtra haberet, altera in Germania ſuperiore. ambas ait Victrices appellatas: ſed eam quæ in Germania prætenderet, à paucis ita nominari. hæc eſt illa de qua hic Spartianus: quæ XX. ſecunda appellatur ad diſcrimen alterius illius XXæ. quæ in lapide Rom. ſic notatur: XX. VICTR. Sed de loco Dionis plura alibi ſunt dicenda.

30. *Per quendam Seuerum clariſſimum militem.*] Scribo, *Clariſſimum*: eſt enim proprium eius militis nomen. ſic Veriſſimus, Feliciſſimus, & alia his ſimilia, etſi oppidò rara.

34. *Didius liberatus eſt.*] prius tamen in veterem patriam ſuam, Mediolanum relegatus. Dio auctor.

Pag. 89. verſ. 2. *Cum filiam ſuam Iulianus deſpondens affini ſuo.*]. affinem vocat, fratris filium. Capitolinus in Pertinace.

4. *Dixitque debita reuerentia, quia collega & ſucceſſor meus eſt.*] Deeſt aliquid manifeſtiſſimè. Supplendum in hanc ſententiam: *dixit tum iuueni Pertinax, Hunc tu obſerua debita reuerentia, quia c.* Capitolinus: *adhortatus iuuenem ad patrui obſeruationem adiecit, Obſerua collegam & ſucceſſorem meum.*

6. *Sulpitianus imperator in caſtris appellari vellet.*] eò miſſus fuerat Sulpicianus à genero Pertinace, vt motus prætorianorum componeret.

7. *Et Iulianus cum genero.*] Regius, *ſocero*, at Puteani, *cum genero* Cor-

nelio Repentino.quod verum esse liquet ex sequentibus.

ib.*ad senatum venisset.*]imò cœnanti &inter pocula versanti,nuntius de cæde Pertinacis allatus, & suggestum ab vxore & filia consilium de capessendo imperio. Herodianus.

11. *Retinentes eum ad castra prætoria duxerunt.*] Lego, *renitentem.*

24. *Quum vicena quina millia militibus promisisset.*] Dio summam ait eandem,sed aliter exprimit. promisisse enim scribit drachmarum sena millia,ducenas, & quinquagenas.

25. *Vespera in senatum venit.*] Dio, ἐς ἑσπέραν πρός τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ βουλευτήριον ἠπείχθη.

ib. *Totúmque se senatui permisit.*] Imponit nobis Spartianus, siue is potius scriptor quem ille sequitur : nam hoc falsissimum esse, testis locuples Dio, etsi priuatim Iuliani inimicus.

26. *Factoque senatusconsulto imperator est appellatus.*] Dionem obiter emendabis, & scribes : οὕτω τὴν αὐταρχίαν καὶ ἐκ τῶν τῆς βουλῆς προσταγμάτων βεβαιωσάμενος. perperam enim vulgo πραγμάτων.

30. *Vxore & filia illuc vocatis, trepidis & inuitis transeuntibus.*] Etiam in hoc dissentit ab aliis,qui impulsum Iulianum ab vxore & filia scribunt. Herodianus, πείθουσιν αὐτὸν ἥ τε γυνὴ καὶ ἡ θυγάτηρ. & Zosimus, ὑπὸ γυναικὸς ἐπαρθείς.

Pag.90.vers.1. *Etiam hi.*] Scribe,*Et iam hi.*

4. *Quod falsum fuisse constat.*] refellit Dionem, cuius verba sunt : αὐτῆλθεν ἐς τὸ Παλάτιον, καὶ εὑρὼν τὸ δεῖπνον τὸ τῷ Περτίνακι παρεσκευασμένον, πολλά τε αὐτοῦ κατεγέλασε, καὶ μεταπεμψάμενος ὅθεν τι καὶ ὁπωσοῦν εὑρεθῆναι τότε ἠδυνήθη πολυτίμητον, διεπίμπλατο. Herodianus eadem testatur : ἐπεὶ παρῆλθεν εἰς τὴν ἀρχὴν, τρυφαῖς εὐθέως καὶ κραιπάλαις ἐσχόλασε.

7. *Sæpe autem nulla existente religione.*] Malim, *exigente.* sed ferri potest,pro, cum nulla esset religio.abutuntur enim scriptores verbo existere.hoc autem addit,quia religionis caussa sæpe abstinebāt carnibus, & oleribus se leguminibusque oblectabant. Lege quartum Porphyrij Περὶ ἀποχῆς.

8. *Sine carne cœnauerit.*] Idem in Seuero, *cibi parcißimus, leguminis patrij auidus, vini aliquando cupidus,carnis frequenter ignarus.*

9. *Neque cœnauit priusquam sepultus esset Pertinax.*] euertit Dionis illa, ἔνδον ἔτι τοῦ νεκροῦ κειμένου.confer & cætera.

13. *Atque vnumquenque vt erat ætas.*] Dio, προσεγέλα τε καὶ προσέπαιζε πρὸς τοὺς τυχόντας.& in eam sententiam plura. Sed Spartianus humaniti ac ciuilitati ascribit, quod verius Dio blanditiis & assentationi, & vt ipse ait, ἀκράτῳ θωπείᾳ.

17. *Lapidationem quoque fecere.*] Meminit harum lapidationum & in Pescennio Nigro Spartianus.

19. *Rem diuinam facienti.*] ὅτε τὰ εἰσιτήρια πρὸ τοῦ βουλευτηρίου ἔθυεν.

21. *Placide & prudenter verba fecit.*] Extat apud Dionem insulsissima

ma & impudentiſſima oratio quam in ſenatu habuit Iulianus. ſed non eſt illa oratio, quam intelligit heic Spartianus: nam hæc ſecundo ſenatu habita poſtridie quam imperium occupaſſet: illa primo ſenatu cum in Curiam è Caſtris veniſſet.

25. *E ſenatu in Capitolium pergenti.*] Ita fuit moris. Capitolinus in Maximo & Balbino, *Egreßi à ſenatu primum Capitolium aſcenderunt, ac rem diuinam fecerunt.*

26. *Et pollicitationibus aureorum, quos digitis oſtendebat.*] non ipſos fortaſſe, ſed eorum munerũ: nam ita ſæpe factitatũ legimus. Et inlicitatione imperij digitis pretium intendiſſe Iulianũ ſcribit Dio. ſic enim illa accipienda: φωνῇ μέγα βοῶν, καὶ ταῖς χερσὶν ἐνδεικνύμενος. Digitis numeros expreſſiſſe veteres etiam maximos, & pueri ſciunt. Si quis malit ipſos aureos fuiſſe oſtentatos, non repugnabo: imò vero, propter illa verba, *vt fidem faceret*, lubens aſſentiar. Diſtinguendum autem, *& pollicitationibus aureorum quos digitis oſtendebat ipſe Iulianus, vt fidem faceret, ſummotus atque d.e.* Dio heic ſimpliciter, ἀργύριόν τι αὐτοῖς ὑπέσχετο.

28. *Inde ad circenſe ſpectaculum itum eſt.*] *ſpectaculum eſt* θέα. quo tamen modo ſi hic accipias, erres ridicule. nihil enim aliud *circenſe ſpectaculum* hoc loco, niſi Circus ipſe, & locus ſpectaculorum. melius Dio, συνέδραμον ἐς τὸν ἱππόδρομον, & Herodianus, cuius notatu digna verba: ἔς τε τὸν ἱππόδρομον, ὅπου μάλιστα τὸ πλῆθος συνιὸν ἐκκλησιάζει, τὸν Ἰουλιανὸν ἐβλασφήμουν. Ait in Circo maxime ſolitum populum ἐκκλησιάζειν, hoc eſt per tumultum conuenire, & ſuæ voluntatis ſignificationem dare. nam ſi accipias id verbum, ſicut paſſim apud Græcos, cum dicitur populus Athenienſis, vel alius è Græcis, in theatro ἐκκλησιάζειν, falſa ſententia: nullum enim ius habuit pop. Rom. conueniendi in circum, vt de re publica deliberaret: ſed ſpoliati iure conuentus habendi in Comitio, in circis & theatris, turbatis rebus, cõgrediebantur. Mirùm verò quod ſcribit Dio, manſiſſe populum in Circo diem noctemque integram cibo potuque neglecto, donec fames tandem inde exire compulit.

33. *Multa igitur quæ Commodus ſtatuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum fauorem populi, reſtituit.*] Caue accipere vocem *populi*, in propria notione, hoc eſt, pro vniuerſo pop. Ro. plebem enim heic, & è populo viliſſimum quemque ac perditiſſimum ſignificat. Populus quidem inſtitutam à Pertinace publicorum morum emendationem probauit, eóque nomine defunctum illum deſiderauit. paullo antè, *Erat in odio populi Iulianus, ob hoc quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi Pertinacis auctoritate reparandam.* ſic in Pertinace Capitolinus, *populus mortem eius indignißimè tulit, quia videbat omnia per eum antiqua poſſe reſtitui.*

36. *Quod grauißimum plurimis viſum eſt.*] Erat enim moris, vt noui principes de honoribus defunctorum imperatorum relationem ſtatim facerent. Capitolinus in Maximo & Balbino, *Prima relatio princi-*

pum fuit, vt duo Gordiani diui appellarentur. Scribe deinde, *Constitit autem propter metum militum* &c.

Pag. 91. vers. 3. *Misso primipilario occidi præceperat.*] Sic & scripti, non vt aliquis malit, *primipilari*. atque ita iterum in Pescennio.

7. *Quem suspectum non habuerat, perturbatus ad s.*] Regius vocem inserit, haut scio quanti pretij: *humaniter perturbatus est & a.*

8. *Impetrauitque vt hostis Seuerus renuntiaretur.*] Regius *imperauitque.* non multum diuerso sensu. & imperauit autem & impetrauit. Dio, πολέμιον τὸν Σεβῆρον διὰ τῆς βουλῆς ἐποιήσατο.

13. *Is esset imperator quem senatus eligeret.*] Reg. *is esset in Rep. quem s.* in eodem est *eligeret*. sed melius priores editiones, *elegerat*. de se enim locutus Iulianus.

14. *Vespronius Candidus, vetus consularis.*] Reg. *Vesprimius Candidus Verus cons.* Fortasse scripserat, *Vespronius Candidus Verus, vetus cons.* Vespronij Candidi huiusce, vel eius patris aut aui & in Fastis mentio, & in alia historia, atque etiam apud Tertullianum. Veri cognomen eruditissimus quoque Onuphrius agnoscit, de consulibus differens anni ↀCCCLXXIX. & alibi.

18. *Notus cædibus senatoriis.*] Spartianus in Seuero, *cum iam antemisisset notos ducum interfectores quosdam, qui Seuerum occiderent.* mox, *caussatúsque est, quod ad se occidendum Iulianus notos ducum cædibus misisset.* idem in Nigro. *Aquilium centurionem, notum cædibus ducum miserat, quasi imperator tantus à centurione posset occidi.* Sic loquitur & Vopiscus in Aureliano, *libri Sibyllini noti beneficiis publicis inspecti sunt.*

19. *Ipse autem Iulianus prætorianos in campum deduci iubet.*] exercendi gratia. Herodianus, τότε δὴ πᾶσα ἡ πόλις ὅπλα εἰργάζετο, καὶ τὰ πρὸς πόλεμον παρεσκευάζετο. plura Dio.

26. *Sed Iulianus sperans Lætum fautorem Seueri.*] *sperare* pro opinari, δοκεῖν, passim apud recentioris Latinitatis scriptores, interdum etiam pro metuens.

28. *Iussit eum occidi.*] alius est Iulius Lætus ille cuius multa mentio in sequentium temporum rebus. nam hic & iussus est occidi, & occisus. Dio ἔσφαξε τὸν Λαῖτον.

ib. *Iussit etiam Martiam interfici.*] Male veteres, *Marcianum*. Dio, ἔσφαξε καὶ τὴν Μαρκίαν.

29. *Classem Rauennatem occupat.*] & classem & vrbem. Dio, τὴν Ῥάβενναν ἀκονιτὶ παρέλαβε. Notæ sunt classeis Rauennas & Misenas.

Pag. 92. vers. 13. *Iulianus suggessit.*] Regius, *subiunxit*. lego, *subiecit.*

15. *Nullum fuisse Iuliani consilium de obtruncando senatu.*] in Dionis sane reliquiis & Herodiano, nullum tam sæui consilij vestigium.

17. *Quibus putaret odium populi deliniri.*] exemplo videlicet ab amantibus petito: notæ sunt artes φίλτρων conficiendorum: de quibus multa Græci passim ac Latini, Martyrologium Græcum in Hilarione, de amatore

tore quodam puellæ Chriſtianæ & caſtæ : μαγικαῖς ἑαυτὸν ἐκδίδωσι τέχναις. Πέταλα χαλκοῦ γίνονται καὶ μορφαί τινες δαιμόνων ἐν αὐτοῖς διαγλύφονται, καὶ νήμασι δεσμοῦνται λεπτοῖς· ἔπειτα καὶ ῥήματά τινα γοητικὰ ἐγχαράττονται, ἐρασμίους ὡς αὐτὸς ᾤετο, ποιοῦντα, κἂν πάνυ μισούμενός τις καὶ ἀπόστοργος ᾖ. καὶ ταῦτα ὑπὸ ταῖς φλιαῖς λάθρα τῆς οἰκίας κατορύττονται τῆς παρθένου. αὐτίκα γοῦν δαίμων τις τῶν φιληδόνων ἐφάλλεται ταύτῃ, καὶ ἅμα ἡλίσκετο τῷ ἔρωτι τοῦ παιδός.

20. *Sed pacem ſimulatam, tentatamque cædem Seueri Tullio Criſpino pr.*] Probo eruditiſſimi viri Fuluij Vrſini coniecturam, ſcribentis, *mandatamque c.* etſi poteſt & altera lectio defendi.

27. *Vel militum arma compeſci.*] Meminerat Iulianus agitatores Circenſium factionum hic artibus ſolitos ſibi parare victoriam: qua de re multa diceremus, aliis indicta qui de hoc argumento ſcripſerunt, niſi breuitati conſuleremus. Sed & in ſeriis pugnis, magicis ſacris aduerſus hoſtes qui vterentur fuere præter Iulianum & alij : Vopiſcus in Aureliano, cum de ſummo timore dixiſſet propter Marcomannos. *libri Sibyllini inſpecti ſunt, inuentumque vt in certis locis ſacrificia fierent, quæ Barbari tranſire non poſſent.* & poſtea, *niſi diuina ope poſt inſpectionem librorum, ſacrificiorumque curas, monſtris quibuſdam ſpeciebuſque diuinis impliciti eſſent Barbari, Romana victoria non fuiſſet.*

28. *Nam & quaſdam non conuenientes Romanis ſacris hoſtias immolauerunt.*] pueros multos mactauit. Dio, ἔκτεινε δὲ καὶ παῖδας συχνοὺς ἐπὶ μαγγανεύμασιν, ὡς καὶ ἀποστρέψαι τι τῶν μελλόντων, εἰ προμάθοι αὐτὰ δυνησόμενος. Lege autem Hadriani humana ſacrificia fuiſſe vetita, ſupra dicebamus ex Porphyrio.

29. *Carmina prophana incantauerunt.*] magicas ἐπῳδὰς vocat *carmina profana*: vt Romanis ſacris non conuenientia, ſed Barbaricis.

30. *Et ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice reſpicere dicuntur.*] Regius, *ea quæ dicunt ad ſpeculum fieri.* in eodem, *puer*, non *pueri.* quia ſequitur, *puer vidiſſe dicitur.* ſed melius *pueri*, ob ſequens verbum *dicuntur.* Pro *reſpicere*, malim ſcribi, *res proſpicere.* Ἐνοπτρομαντείας obſeruo apud antiquos ſpecies diuerſas: nam & ſagæ Theſſalę quibus frequens cum luna commercium, ad diuinationes ſuas ſpeculo vſæ. in quo literas ſanguine inſcribebant, reſponſa ipſarum continentes : has legebant qui conſuluerant, non in ſpeculo, ſed in orbe lunæ. id enim carminibus ſuis ſe præſtare iactitabant: eſſeque id Pythagoræ inuentum. Veteres grammatici : φασὶ τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα δεινοὺς διὰ κατόπτρου κατάγειν τὴν θεόν. ἔστι δὲ καὶ Πυθαγόρου παίγνιον διὰ τοῦ τοιούτου κατόπτρου. Προσελήνου τῆς σελήνης οὔσης εἴ τις ἔσοπτρον ἐπιγράψειεν αἵματι ὅσα βούλεται, καὶ προειπὼν ἑτέρῳ σταίη κατόπιν αὐτοῦ, δεικνὺς πρὸς τὴν σελήνην τὰ γράμματα, κἀκεῖνος ἀτενίσαι ὁ πλησίον εἰς τὸν τῆς σελήνης κύκλον, ἀναγνοίη πάντα τὰ ἐν τῷ κατόπτρῳ γεγραμμένα, ὡς ἐπὶ τῆς σελήνης γεγραμμένα. hæc illi ad comici verſum è Nebulis,

Ὥσπερ κάτοπτρον, κᾆτα τηροίην ἔχων: vbi alludit poeta ad Theſſalarum ſpecula. fortaſſe & Tertullianus De reſurrectione carnis

capite XII. *specula lunæ* ipſum lunæ orbem appellans. *Redornantur & ſpecula lunæ, quæ menſtruus numerus attriuerat.* Alius modus κατοπτρομαντείας eſt, cuius hic Spartianus meminit: cum præter ſpeculum adhibebant & puerum ad μαγγανεύματα ſua. multa de huius modi pueris Apuleius in Apologia. Quot autem genera ſunt corporum quę imagines referunt, tot fuere & ἐσοπτρομαντικῆς ſpecies & nomina: reddunt autem imagines leuia fere omnia, ac terſa & perpolita, item aqua. itaque potes ad hanc referre cum ὑδρομαντείαν, λεκανομαντείαν, κυλικομαντείαν, ᾠομαντείαν, ξιφομαντείαν: tum ſimiles alias, quarum mentionem apud veteres reperimus. Iohannes Saliſberienſis De veſtigiis philoſophorum libro primo, capite XII. *Speculario vocant, qui in corporibus leuigatis & terſis, vt ſunt lucidi enſes, pelues, cyathi, ſpeculorumque diuerſa genera, diuinantes, curioſis conſultationibus ſatisfaciunt.* Apuleius, *Memini apud Varronem philoſophum, virum accuratiſsime doctum atque eruditum, cum alia huiuſmodi, tum hoc etiam legere: Trallibus de euentu Mithridatici belli magica percontatione conſulentibus, puerum in aqua ſimulacrum Mercurij contemplantem, quæ futura erant centum ſexaginta verſibus ceciniſſe.* habes hic κατοπτρομαντείαν: ſed in qua pro ſpeculo eſt aqua. Neque ſolum ad futurorum præſcientiam hæc faciebant: verum etiam in aduerſis præſidium inde ſibi petebant: quò videtur potius ſpectaſſe Iulianus. Miratus ſum perſæpe antiquiſſimum monachum Hilarionem, conclamatiſſimæ virtutis virum, cum in Chriſti nomine miraculum eſſet editurus, curioſorum hominum artes hoc genus eſſe æmulatum. hiſtoriam narrat Hieronymus: eadem in Græcorum martyrologiis fuſe deſcripta: vnde hæc pauca heic deſcripſimus. ὁ δὲ Ἱλαρίων τοὺς παρόντας δυσωπηθεὶς, ἐδέοντο γὰρ καὶ αὐτοὶ, μὴ περιιδεῖν οὕτως ἔχοντα τὸν Ἰταλικόν· (Chriſtianus hic erat: qui in ludicro Circenſi victus à contraria factione, non equorum virtute, ſed magicis artibus, opem ab Hilarione flens petierat.) πληρωθῆναι κελεύει τὸ ποτήριον ὕδατος, ἐν ᾧ πίνειν αὐτῷ συνήθες· ὀστράκου δὲ ἦν· καὶ εἰς χεῖρας τῷ Ἰταλικῷ ἐπιδοθῆναι. τοῦτο λαβὼν ἐκεῖνος, ὁμοῦ τούς τε ἵππους καὶ τὸν ἱππῶνα, καὶ δὴ καὶ αὐτοὺς μετὰ τῶν ἁρμάτων τοὺς ἡνιόχους ἐνοπτρίζεται καθαρῶς ἐν τῷ ὕδατι· δεδεμένοι δὲ πάντες ἦσαν γοητείᾳ τῶν ἐναντίων. τοῦτο ἰδὼν καὶ θεοῦ χάριν ὁμολογήσας καὶ Ἱλαρίωνι, αὐτίκα μὲν εἰς τὸν οἶκον ἐπανήκει· λαβὼν δὲ ἐκείνου τοῦ ὕδατος, οὗ ἐν τῷ ποτηρίῳ ἵππους πεπεδημένους εἶδε, διαρραίνει πάντας· εἶτα καὶ τῷ σεβασμίῳ τοῦ σταυροῦ τύπῳ ἐπισφραγίζει· καὶ ἀπ' ἐκείνου μεταβαίνει μὲν ἐπὶ τὸν Ἰταλικὸν ἡ νίκη· αἰσχύνη δὲ λαμβάνει τοὺς ἀντιπάλους ἐσχάτη. quis neget κατοπτρομαντείας his verbis deſcribi, illam ſpeciem, quæ cum aqua & cyatho peragebatur? Diuerſi plane generis θαυματουργίαι διὰ κατόπτρων ſunt illæ quarum meminit Iohannes grammaticus primo commentario in Ariſtotelis Meteorologica.

34. *Seuero interemtus eſt.*] Ita ſcripſi, pro *à Seuero.*

35. *Deiecta ſunt etiam ea conſulta è ſenatu.*] Regius, *ea conſulta ſenatus.*

Pag. 93. verſ. 2. *Claudium Pompeianum è Tarracinenſi.*] Reg. *& Arracinenſi.* an pro, *ex Aricinenſi?* intelligit autem ſeceſſum Tarracinenſem, vbi

tædio Commodianorum temporum Claudius Pompeianus vitam agebat. ἐν γὰρ τοῖς ἀγροῖς τὸ πλεῖστον διῆγεν, ait Dio. ex quo tamen constat, fuisse in Vrbe Pompeianum cum Pertinax factus est imperator. narrat enim tum primùm sibi illum visum, & vltimùm.

ib. *Ad principatum euocauit.*] Puteani liber, *participatum.* nempe imperij, quæ locutio non infrequens in his libris.

4. *Senem se & debilem luminibus respondens.*] Xiphilinus, τὸ γῆρας καὶ τὸ τῶν ὀφθαλμῶν νόσημα προβαλλόμενος.

7. *Interfectores Pertinacis seruari.*] comprehendi & in vinculis seruari.

13. *Mißi tamen à senatu.*] missus est tribunus militum, cui cædes mandata.

14. *Fidem Cæsaris implorans, hoc est Seueri.*] Cæsarem appellat Seuerum: quia sponte iam imperio illi cesserat. non est putandum glossam esse postrema verba. Dio hoc solum ab illo dictum: *quid commerui? quem occidi?*

21. *Quod armis gladiatoriis exercitus esset.*] Melius in regio, *exercitatus.*

26. *Moderatißimus ad libertatem.*] qui moderatissime ferret, si quis amicorum paullo liberius secum ageret.

ib. *Vixit annis quinquaginta sex.*] Dio aliter. sed de anno quo natus Iulianus nobis non constat.

ISAACI CASAVBONI
IN AELII SPARTIANI
SEVERVM,
EMENDATIONES
ET
NOTÆ.

AELII SPARTIANI.] Regius codex vitæ huius auctorem facit non Aelium Spartianũ, sed Aelium Lampridium. Videtur hæc diuersitas quosdam impulisse, vt, quemadmodum initio diximus, vnum, non duos scriptores his nominibus putarent designari. Robertus Bononiensis consentit cum vulgatis.

Pag.94. vers.8. *Seuerus Africa oriundus.*] ex ea parte Africæ, quæ sic proprie dicta, infra. *Tripolim vnde oriundus erat, securißimam reddidit.* Eutropius, *Septimius Seuerus oriundus ex Africa, prouincia Tripolitana, oppido Lepti.* Aurelius Victor, *Ortus Mediæ, humili, primo literis, deinde imbutus foro.* ante vocem *primo*, omisit librarius τὸ *p̃re*, hoc est patre. in voce corruptissima *Mediæ*, τὸ *d* inuersum *p.* nam scribendum, *ortus Lepti, ex humili patre, primo l.* sic dixerat idem paullo antè, *Tripoli, cuius Lepti opido oriebatur.* & Victor alter, *genitus apud Leptim.*

Ante ciuitatem omnibus datam.] ab Antonino Pio, etsi aliter alij, vt ante diximus.

12. *Auus maternus Macer: paternus, Fuluius Pius.*] Regius aliter: *auus paternus Macer: maternus, Fuluius Pius.* optimè. nam vt dictum modò, Seuero mater fuit Fuluia Pia: filia nempe huius Fuluij Pij. quare ita rescribendum.

14. *Erucio Claro bis & Seuero Coss.*] Reg. *Euitio Claro.* vitiose. adi ad Fastos, in anno octauo Pij.

15. *VI. Idus Apriles.*] Scribe, III. *Idus Ap.* Dio enim, τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ Ἀπριλίου. Sic passim extrema duorum II vitio coaluisse obseruabis.

16. *Nullum alium inter pueros ludum nisi Ad iudices exercuit.*] Familiare pueris ducatus & imperia ludere, vt loquitur Suetonius in Nerone capite xxxv. vel vt Trebellius Pollio in Gallienis, fingere per ludibria (siue, ludicra) potestates Semper autem hoc serij ingenij, & nati ad magna.

gna habitum eſt indicium:cuius rei triſte exemplum narrat ibi Suetonius. Ariſtides ſophiſta,in Apellæ Genethliaco: προϊὼν δὲ ἤδη τῇ παιδιᾷ μαντεύεται τὸ μέλλον ἀτεχνῶς τὴν ἑαυτοῦ τύχην γυμνάζων. καὶ δικαστὴς ἤδη κάθηται. πάντως οὐκ ἠγνόηκεν ἡ φύσις τὴν διὰ τῆς παιδιᾶς ὁδὸν ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τύχην. eleganter Ariſtides,& vere: quod in magno Athanaſio experientia conprobatum.meminit huius luſionis & Chryſoſtomus in caput primum prioris ad Corinthios: οὐχ ὁρᾶτε τοὺς παῖδας ὅταν παίζοντες τάξιν ποιῶσι, καὶ στρατιώτας. προηγοῦνται αὐτῶν κήρυκες, καὶ ῥαβδοῦχοι, καὶ μέσος ὁ παῖς ἐν χώρᾳ ἄρχοντος βαδίζει. omitto quæ in Semeſtribus ſuis πολυμαθέστατος Faber adnotauit.

20. *Latum clauum à diuo Marco petiit & accepit.*] & ſimul patrocinium fiſci: niſi tamen verius,functum prius ea cura,ſenatoria dignitate poſtea fuiſſe donatum. Aurelius Victor: *adeo Marcum Seuerus percoluerat: quod ex illo poſt multos dubioſq; euentus,auſpicia honorũ cepiſſet,patrocinio fiſci.* * *deinde laborantibus ſecundarum initia,earumque auctores memoriæ ſunt.* ſcribendum,*proinde,* & aſteriſcus tollendus: nihil enim deeſt. *proinde*, pro adeo, vt apud eundem in Caro: *proinde arduum fatalia deuertere.* pro,adeo arduum eſt.ſic hoc loco:ſenſus enim eſt:homines nouos qui ægre emergunt, ſolitos eius diei memoriam colere, qui ianuam dignitatum,& amplioris fortunæ ipſis patefecerit. Alibi notabamus, veteres fuiſſe ſolitos dies huiuſmodi pro natalibus colere. *ſecundarum auctores* appellat Victor,eos qui primi iacentes attollunt, & producunt. Inter epiſtolas Plinij vnam eſſe memini huius argumenti. idem Victor alibi *dum* particulam ita vſurpat,vt hic *proinde.* vt in Galba: *dum grauius offendunt,quos mollius conſulturos ſpes erat.* in Diocletiano, *dum animus potentiæ expers,tanquam inedia refecti inſatiabilis eſt.*

26. *Togam præſidiariam ipſius imperatoris accepit.*] Et nominis forma obſeruatu digna: *præſidiaria* enim toga,eſt quam præſidens geſtaret. & res ipſa:nam mirum eſt,hanc potiſſimum datam.

27. *Eadem nocte ſomniauit.*] Dio ſic tempus indicat, ὅτι ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσεγράφη. eadem igitur die & allectus eſt in ſenatum:& cœnans cum Marco toga eius præſidiaria fuit amictus.

29. *Sedit & in ſella imperatoria, temere à miniſtro poſita, ignarus quod non liceret.*] Dio, ὕπαρ δὲ ἐς τὸν βασιλικὸν δίφρον ἔφηβος ὢν ἐπ' ἀγνοίᾳ ἐνιδρύθη. habes ſimile exemplum in vita Hadriani. Marcellinus comes V. C. in Chronico: *Indictione* XV. *Leone Aug.* II. *ſolo Cos. Iacobus natione Achaius, religione paganus, medecinæ artis peritia, tam ingenio quàm literatura claruit. hic ob medendum Leonem Aug. febre defatigatum, ſacrum palatij cubiculum intrauit: ſtatimque regia in ſella iuxta torum imperialem poſita, ſine vllo Auguſti nutu conſedit, ſicque medicas adhibuit manus. porro meridie ad eundem reuerſus, ſacrum puluinar ſublatum ſibi propter ſolum in quo matutinus reſederat,protinus intellexit: ſpondamque tori regiam intrepidus ſuperſedit, veterum ſtudij iuriſperitorum præceptionibus monitum id ſeſe geſſiſſe, non temere præ-*

ſumſiſſe ægrotantem docuit principem.

30. *Dormienti etiam in ſtabulo ſerpens caput cinxit.*] Duplex heic omen: nam & ſerpens viſus in cubiculo imperium præſagire videbatur: vt de L. Domitio narrat Tacitus in XI. Annalium: & quod cingit ſerpens caput, alterum hoc illuſtris fortunæ omen.

36. *Omnibus ſortibus natus.*] Lego, *Quæſturam diligenter egit, omnibus ſortibus nactus: in militari poſtea quæſtura, ſorte Beticam accepit.* Quæſtura illa ætate multiplex: vrbana, palatina, prouincialis. At eruditiſſimus Petrus Faber, ita emendabat: *omnibus ſortibus nactus militarem: poſt quæſturam ſ.B.ac.*

Pag. 95. verſ. 8. *Legatum P.R. homo plebeius temere amplecti noli.*] Plebeij enim & qui nulla dignitate eſſent ornati arcebantur complexu prouincias obtinentium, vt notatur Cornelio Tacito, Annali XV. qua in re ſi quis geſſiſſet ſe inſolentius, aut cædebatur aut propellebatur, aut aliqua verecundiæ atque exiſtimationis ſuæ labe multabatur, inquit Saluianus libro tertio De prouidentia Dei. vide legem ſecundam Codic. De proximis ſacrorum ſcriniorum, &c.

15. *Eumque ſeueriſſimè exertiſſiméque egit.*] ſic veteres, non vt in vulgatis *exercitatiſſimeque.* ita dixit B. Cyprianus, *exertè & apertè minari,* lib. De zelo & liuore. paullo aliter apud Cypriani magiſtrum, *exerta diuinitas & hoſtes exerti.*

ib. *Vxorem tunc Marciam duxit.*] hæc Caracalli mater. ideo Iulia dicitur alibi Spartiano, huius nouerca, Getæ mater. & Dio tamen & Herodianus matrem non minus Antonini quàm Getæ Iuliam faciunt.

16. *De qua tacuit in hiſtoria vitæ priuatæ.*] id eſt, in ea parte librorũ quos de ſuis rebus geſtis ſcripſit, vbi priuatam vitam exponebat. auctor ipſe inferius: *vitam ſuam priuatam publicamque ipſe compoſuit ad fidem: ſolam crudelitatem excuſans.* Aurelius Victor ex eo loco, *Philoſophiæ, declamandi, cunctis poſtremò liberalibus deditus ſtudiis: idemque abs ſe texta ornatu & fide paribus compoſuit.* ſcribe, *abs ſe geſta, or.* quod aiunt de fide, noli aſſentiri temere: nam Dio, etſi illius principis amantiſſimus, ſcribit tamen alicubi: λέγω γὰρ οὐχ ὅσα Σεβῆρος ἔγραψε, ἀλλ᾽ ὅσα δὲ ἀληθῶς ἐγένετο.

21. *Quod iam labebatur.*] etſi ab Hadriano refectum.

22. *Ex altiſſimi montis vertice.*] ἀνήχθη εἰς περιωπὴν ὑπό τινος.

ib. *Orbem terrarum Romamque deſpexit.*] orbem Romanum: nam de prouinciis imperij Ro. tantum loquitur. ita accipio etiam Dionis verba. *deſpexit,* κυρίως, pro ex alto aſpexit, & κάτω ὁρᾷ.

23. *Concinentibus prouinciis lyra, voce vel tibia.*] ἐφήπλετο αὐτῶν, ὥσπερ παναρμονίου τινὸς ὀργάνου, καὶ ἐκεῖνα συνεφθέγγετο.

24. *Legioni IIII. Scythicæ deinde præpoſitus eſt, circa Maſſiliam.*] Mirabar & hærebam in voce Maſſiliam: ſciebam enim nihil ibi legione præſidiaria opus temporibus illis. inſpexi regium: offendi circa *Meſſiam.* ſcribo, *Mœſiam,* & locum præſto ſanum: etſi non me fugit Dionem

nem τὸ τέταρτον Σκυθικὸν τάγμα, non in Myſia collocare, verùm in Syria. ſed hanc diſcrepantiam ſæpe in aliarum quoque legionum ſede obſeruabis.

26. *Athenas petiit ſtudiorum ſacrorumque cauſſa & operum ac vetuſtatum.*] Regius, *ſtudiorum ſacrorum cauſſa, ac vetuſtatum.* dubito num ſit ſcribendum, *ſtudiorum Græcorum.* alteram tamen ſcripturam confirmant multorum exempla, qui Eleuſiniorum ſacrorum cauſſa Athenas petierunt. quid ſi ita? *ſtudiorum Græcorum, ſacrorumque c.*

29. *Deinde Lugdunenſem pr.*] Reg. *Idem L.* ſed ordinem temporum videtur Spartianus ſeruaſſe: de quo tamen nihil ex Dione colligas.

34. *Et accepit interuentu amicorum.*] vt arbitror Fauſtinæ maxime, vxoris Marci: quæ etiam die nuptiarum, lectum genialem illi in æde Veneris Palatinæ ſtatuit.

Pag. 96. verſ. 1. *Siciliam proconſularem ſorte meruit.*] Regius, *proconſulari ſorte.*

7. *Commodo ſe inter plurimos deſignante.*] non video quorſum hoc loco de Commodi conſulatibus attineat agere. Lego, *Commodo eos int. pl. d.* ſignificat conſules fuiſſe ſuffectos Seuerum & Apuleium: & recte illud, *inter plurimos*: nam ita fuit moris Commodo: qui etiam XXV. Coss. aliquando in vnum annum creauit.

12. *Cum humi iacens epularetur.*] tapete ſolum ſubſtrato, aut foliis congeſtis, more antiquiſſimorum hominum.

16. *Quinquennis puer reſpondit, S.*] Regius hoc tantum, *puer ei, Sed p.* credo, quia præcedit vox quinquennis, viſa hic ſuperuacua eius repetitio.

22. *Imperator eſt appellatus apud Carnuntum Idibus Auguſtis.*] Scripti *Carnutum.* Non poteſt autem de Auguſto eſſe verum: niſi error eſt ſupra in numeris temporum quibus imperarunt Pertinax & Iulianus. Non dubium eſt Maio aut Iunio motam mentionem in exercitu de creando Seuero imperatore.

23. *Quingena ſeſtertia, quod nemo vnquam principum, militibus dedit.*] Expreſſa eſt ſcriptura regij codicis & Puteani: in aliis enim & editis & ſcriptis deeſt vox numeralis. Videri poſſit fauere vulgatæ lectioni, quod narrat Dio, de aureis denis à Seuero diuiſis: nam viritim ſeſtertia dare, ſiue ſeſtertios millenos, tantundem eſt, ac ſi dicas cum Dione aureos denos. centum enim ſeſtertios vno aureo valuiſſe liquido conſtat. & quod ait Spartianus, *quod* (ſiue, *quot*) *nemo vnquam principum*: idem plane Dio: ἐφ᾽ ᾧ δὲ μέγιστον ἠγάλλετο· καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς οὐδεὶς πώποτε τοσοῦτον αὐτοῖς ἀθρόοις ἐδεδώκει. Verum ea largitio nihil omnino cum iſta habet commune: neque locus Dionis quicquam huc facit. loquitur enim Spartianus de donatiuo ſolis prætorianis diuiſo, cum ſuſceptum eſt à Seuero imperium. Græcus ſcriptor liberalitatem narrat vniuerſæ frumenta percipientium turbæ, cum prætorianis communem: occaſione

decennaliorum quæ celebrabat Seuerus. Quare eius impenſæ de qua Dio, magnitudo, non in modo fuit donatiui aut congiarij : ſed in numero accipientium : nam populi frumentarij turbam ſcimus fuiſſe prope infinitam. Donatiuum de quo Spartianus, ſoli prætoriani ſunt conſecuti : ac ne illi quidem, vt videtur, omnes : multi enim diſcincti, & cum ignominia miſſi. Pro *quingena* autem, quod nulla ratione poteſt ferri, ſcribo, *quinquagena*. verè inſolens & ante inauditus donatiui modus : nam Iulianus qui priores genere hoc profuſionis ſuperauit, tricena ſolum dederat, cum vicena tantum quina promiſiſſet.

35. *Tranſirentque in eius partes.*] ſuas fuerat dicendum.

Pag.97.verſ.9. *Quod nulli vnquam contigit, nutu t.*] deeſt neceſſaria vocula : ſcribe ex regio, *Ita, quod n. v. c. nutu tantum Seuerus victor eſt factus.* ſententia eſt ab Herodiano : ὁ δὲ δῆμος καὶ ἡ σύγκλητος δαφνηφοροῦντες ὑπεδέχοντο, πρῶτον ἀνθρώπων καὶ βασιλέων ἀναιμωτί τε καὶ ἀκονιτὶ τοσαῦτα κατορθωκότα.

13. *Centum ſenatores legatos ad eum ſenatus miſit.*] Herodianus, πρεσβείαν πρὸς αὐτὸν ἐκπέμπουσιν ἀπὸ τῶν ἐν ἀρχαῖς ὄντων, καὶ τῶν ἐξοχωτάτων τῆς βουλῆς.

25. *Cuius edicta & literas ad populum vel ſenatum intercepit.*] Regius, *interceßit.* quod ſequentia admittunt, at non præcedentia : niſi ſcribas, *& literæ.*

27. *Eodem tempore etiam de Clodio Albino ſibi ſubſtituendo cogitauit.*] Capitolinus in Albino: *Coſ. à Seuero declaratus eſt, eo tempore quo Albinum ſibi cum Peſcennio parauerat ſubrogare.* vide iterum Spartianum in Peſcennio.

28. *Cui Cæſarianum decretum aut Commodianum videbatur imperium.*] Locus deprauatiſſimus. in regio lacuna heic eſt : mentem ex aliis locis tenemus. verba vt aliquam ſententiam efficiant ita concinnamus. *cui Cæſarianum decretum & à Commodo delatum videbatur imperium.* Albini ipſius verba ſunt in ea concione quam habuit, cum imperium iniit : *Inuitumme commilitones ductum ad imperium, etiam illud probat, quod Commodum donantem me Cæſariano nomine contempſi.*

30. *Heraclitum ad obtinendas Britannias.*] in vita Peſcennij ſcriptum *Bithyniam.* nec facile dictu vter locus ex altero ſit emendandus.

31. *Plautianum ad occupandos Nigri liberos miſit.*] infra aliter, *Fuluium ad occupandos adultos Nigri filios.* de re vide Herodianum.

32. *Quum Romam Seuerus veniſſet.*] cum ad Vrbem acceſſiſſet, prius quàm ingrederetur.

33. *Prætorianos cum ſubarmalibus inermes ſibi iußit occurrere.*] plenius explicat Herodianus: iuſſit prætorianos, inquit, obuiam ſibi prodire in habitu pacis, & triumphali : id eſt, quo vterentur feſtis diebus, & cum imperatores proſequerentur triumphantes. κελεύει τὰ μὲν ὅπλα αὐτοὺς καταλιπεῖν ἐν τῷ στρατοπέδῳ, πάντας δὲ ἐξελθεῖν εἰρηνικῷ σχήματι, ὥσπερ εἰώθασι θύοντος ἢ ἑορτάζοντος τοῦ βασιλέως προπομπεύειν. & ſtatim πομπικὰς ἐσθῆτας appellat.

Erat

Erat vero prætorianorum veſtis εἰρηνικὴ, ſiue habitus pacem denotans, vt loquitur Tertullianus, ἐφεστρὶς, & trabeæ ſimilis chlamys, vel ſagum. Herodianus libro VII. ἦλθον μέχρι τῆς εἰσόδου τῆς συγκλήτου, ἐν λιταῖς ἐσθῆσι καὶ ἐφεστρίσι. ſed ſaga illa quorum ibi meminit Dio, quotidianæ veſtes erant. at iſtæ de quibus hic mentio, erant πομπικαὶ, vt modo diximus, & feſtiuitatum propriæ. Ex iſtis facile eſt colligere, quænam heic ſubarmalia ab auctore nuncupentur. ſunt autem hæc ſaga ſiue militares togæ ſic appellatæ, quod ſub armis fibula annecteretur: vel ſub armos reiicerentur. nam etſi εἰρηνικαὶ erant, ex parte tamen militaré habitum referebant. fauet huic ſententiæ, quod iſtos inermes milites compellans Seuerus, κελεύω, ait, ἀποζῶσαί τε ὑμᾶς, καὶ ἀποδύσαντας εἴ τινας περίκεισθε ἐσθῆτας στρατιωτικὰς γυμνοὺς ἀποπέμπειν. Doctiſſimus Turnebus ſubarmalia putabat dicta nó ab armis, id eſt, ἀπὸ τῶν ὠμοπλατῶν: ſed ab armis quibus pugnamus, & παρὰ τῶν ὅπλων: id eſt, quod thoraci & cæteris armis ſubiicerentur. ſed obſtat ſummi viri ſeutentiæ, quod pacis & pomparum hæc veſtis erat, vt probauimus. quare alibi leges etiam purpura fuiſſe ornata ducum ſubarmalia. quid enim purpura opus, ſi eò tantum ſumerentur, vt ſub armis laterent? Meminit huius veſtis Trebellius in Claudio. apud eundem in Aureliano, *ſubarmale profundum*, interpretor ποδήρες & infra genua demiſſum.

35. *Armatus cum armatis militibus Capitolium aſcendit.*] videtur legiſſe apud Herodianum, σὺν παντὶ τῷ λοιπῷ στρατῷ ὡπλισμένῳ ὡπλισμένος. hodierni libri vocem ὡπλισμένος non agnoſcunt. & rectè: nam Dio qui ſpeciem eius diei pulcherrimam omnium quas vnquam viderat, ſcribit fuiſſe, Seuerum ait ad portam vrbis trabeam toga mutaſſe.

Pag. 98. verſ. 1. *Supinis non erectis.*] ſigna ſupina, vel verſa, luctus aut alius calamitatis indicium faciebant.

ib. *In templis, in porticibus.*] ita erat moris quoties ſtabula ſiue hoſpitia deficerent, vt obſeruamus ad Tranquillum libro primo, capite XXXIX.

3. *Fuitque ingreſſus Seueri odioſus atque terribilis.*] magis illud odioſum quod Dio obſeruat: nam cum more veteri cuſtodes principis eſſent omnes vel Itali vel Hiſpani, vel Macedones aut Norici, primus Seuerus vrbem impleuit militibus moribus feris, aſpectu anclituque terribilibus. καθεστηκότος ἔκ τε τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἰβηρίας, τῆς τε Μακεδονίας καὶ τοῦ Νωρικοῦ μόνον τοὺς σωματοφύλακας εἶναι, κἀκ τούτου καὶ τοῖς εἴδεσιν αὐτῶν ἐπιεικεστέρων, καὶ τοῖς ἤθεσιν ἁπλουστέρων ὄντων, τοῦτο μὲν κατέλυσε, τὸ δὲ ἄστυ ὄχλου στρατιωτῶν συμμίκτων καὶ ἰδεῖν ἀγριωτάτων, καὶ ἀκοῦσαι φοβερωτάτων, ὁμιλῆσαί τε ἀγροικοτάτων ἐπλήρωσεν. hæc ille. atqui conſtat inter prætorianos militaſſe cohortes etiam Gallorum: puta, Batauorum, Tungrorum, Friſorum, & aliorum quà Gallorum, quà Germanorum: qui Noricorum appellatione comprehendi niſi abſurde non queunt. ſed lego apud Dionem, ἔκ τε τῆς Ἰταλίας, καὶ Γαλατίας, (vel, Γαλλίας) καὶ τῆς Ἰβ.

8. *Fieri etiam senatusconsultum coegit, ne liceret imperatori inconsulto senatu occidere senatorem.*] Illudebat Seuerus senatui, cùm eum iuberet hoc facere senatusconsultum: quod mox illius cæde primum est violatum, qui ipsum S. Ctum. iussu illius scripserat. fusè hæc Dio: qui eleganter factum hoc Seueri vocat νεανίευμα. sciunt Græcè periti ita appellari quæ iactabunde dicantur vel temere, supra quam alicuius ferant vires, aut contra animi sententiam. familiare verbum Demostheni, Plutarcho, & omnibus Græcis. Non igitur ferendi sunt qui optimi scriptoris verba hæc sollicitant: εἰσελθὼν δὲ οὕτως ἐνεανιεύσατο μὲν οἷα καὶ οἱ πρόσθεν ἀγαθοὶ αὐτοκράτορες πρὸς ἡμᾶς. nam verbum αἰνεσώσατο, pro quo illi pugnant, neque admittit Hellenismus, & confutat Zonaras. sic autem sæpe eo verbo vtitur Dio: vt in eadem vita: τοῦ Σεβήρου νεανιευσαμένου πρὸς ἡμᾶς τοὺς συνδικάζοντας αὐτῷ, καὶ φήσαντος ὅτι ἀδύνατόν ἐστι κακόν τι ὑπ' ἐμοῦ Πλαυτιανῷ γενέσθαι, οὐδ' ἀπενιαύτισεν αὐτὸς ἐστὶ ὁ Πλαυτιανός. plane geminus locus superiori.

10. *Milites per sedit.*] illi milites qui Seuero imperium detulerant, eumque in vrbem deduxerant. non enim milites prætoriani, aut vrbaniciani.

11 *Exemplo eorum qui Augustum Octauium Romam deduxerant.*] Libro XLVI. in rebus Augusti historiam hanc sic exponit Dio: τότε μὲν οὕτω τε καὶ ἐκ τοιαύτης αἰτίας οἱ στρατιῶται τὸ ἀργύριον ἔλαβον· προσακούσαντες δέ τινες ὅτι, ἔδοξαν ἀεὶ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς πολιτικοῖς στρατοπέδοις ὅσα ἂν εἰς τὴν Ῥώμην μεθ' ὅπλων ἀφίκηται, τὰς δισχιλίας καὶ πεντακοσίας δραχμὰς ἀναγκαῖον εἶναι διδόναι. ἐκ δὲ ταῦτα καὶ οἱ μετὰ τοῦ Σεβήρου, ἐπὶ τῇ τοῦ Ἰουλιανοῦ καθαιρέσει ἐς τὸ ἄστυ ἐλθόντες, φοβερώτατοι αὐτῷ τε ἐκείνῳ καὶ ἡμῖν (id est, senatui: nam hoc Spartiani illa volunt, *poposcerunt à senatu:*) ἐγένοντο, ἀπαιτοῦντες αὐτάς.

14. *Mitigatos addita liberalitate dimisit.*] dena millia H-S. poscebant: abstulerunt denarios ducentos quinquaginta: hoc est decimam partem eius quod postulabant.

17. *Se quoque Pertinacem vocari iussit.*] Aurelius Victor: *Horum infinita cæde crudelior habitus, ac cognomento Pertinax. Quanquam ob vitæ parsimoniam similem, ipsum magis adsciuisse plures putent: nobis mens ad credendum prona, acerbitati impositum.* plura inferius iterum Spartianus. legitur hoc cognomen in plerisque nummis & lapidibus.

23. *Statim generum fecit.*] fecit suffectos Coss. ex Kal. Iuliis, vt videtur.

26. *Accusatos à prouincialibus iudices.*] proconsules, præsides, legatos, procuratores. late enim patet iudicum appellatio apud recentiores Latinos.

28. *Septem annorum canonem.*] Puteani codex, *s. an. annonam.* nihil mutandum. vide in extremo libro.

30. *Nihil adhuc de Nigro palam dicens.*] Lege vitam Pescennij.

33. *In locum Baßi.*] Regius, *Rußi.*

Pag.

Pag.99.verſ.2. *Aliud ſperantem.*] imperij participatum, aut Cæſaris nomen ſperabat.

7. *Cum Aemiliano.*] hic erat tum Aſiæ proconſul, cum in Syriæ adminiſtratione Peſcennius ei ſucceſſiſſet.

8. *Seuerum ad participatum vocaret.*] emendauimus ex regio: nam ineptè alij libri, *ad principatum*. eadem verba in Nigri vita.

15. *Eumque apud Cyzicum interemit.*] ſic iterum in Peſcennio: tamen de loco aliter Herodianus & Dio.

20. *Præter vnum.*] & illos qui ducum vel tribunorum nomine Nigro militauerant: nam hi omnes occiſi, vt ſubiicitur. nihil enim iſta pugnant.

22. *Neapolitanis etiam Palæſtinenſibus ius ciuitatis tulit.*] Iunge iſtis quæ habes inferius: *Palæſtinis pœnam remiſit, quam ob cauſſam Nigri meruerant.* iterum, *Palæſtinis plurima iura fundauit.* vide in Nigro.

28. *Deinde circa Arabiam plura geßit.*] Aurelius Victor, *Neque minus Arabas, ſimul adortus vt eſt, in ditionem redegit prouinciæ modo.* eadem Eutropius & Euſebius.

29. *Necnon etiam Adiabenos.*] de his & eorum appellatione adi Marcellinum libro XXIII.

33. *Ne videretur de ciuili triumphare victoria.*] quod fuiſſe, ſi quid aliud, Iulio Cæſari inuidioſum veteres narrant.

34. *Recuſauit & Parthicum nomen.*] atqui id paſſim adſcriptum in omnibus nummis & ſaxis.

Pag.100.verſ.2. *Scripſerunt aut reſcripſerunt.*] Lege, *ſcripſerant aut reſcripſerant.*

ib. *Et cum iret contra Albinum in itinere apud Viminatium.*] Regius, *Viminatium.* Ptolemæus, Οὐϊμινάκιον, Λεγίων. Erat Seuerus in Thracia prope Byzantium, quando iter contra Albinum ſuſcepit. tranſiit igitur per Pannoniam ſuperiorem, vbi Viminacium ponit Ptolemæus. Fallunt qui Lugduno propinquum fuiſſe, ſeruaréque hodie veſtigium nominis, adnotant.

8. *Vnde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum.*] heic dubitat Spartianus: idem infra ἀνενδοιάστως affirmat.

10. *Quod Seuerus ipſe in Marci familiam tranſire voluerit.*] hoc verum: nam & Marci filius voluit dici, & Commodi frater. Lapis Anagnienſis.

IMP. CAESAR. DIVI. MARCI
ANTONINI. PII. GERM. SARMATICI
FILIVS. DIVI. COMMODI. FRATER

ſic & in aliis. notat & Dio.

11. *Et primo quidem ab Albinianis Seueri duces victi ſunt.*] priore pugna victus eſt Lupus dux Seueri.

13. *A Pannoniacis auguribus comperit.*] Lampridius in Seuero: ὀρνεοσκόπος *magnus, vt & Vaſcones & Hiſpanorum & Pannoniorũ augures vicerit.*

18. *Apud Trinurtium.*] locus non procul Lugduno, vt apparet ex Dione. ideo & Herodianus & Capitolinus in Albino victũ eum scribũt ad Lugdunum. Reperio in territorio Cabillonensi, castrum Trenurtium apud Reginonem chronologum in anno domini cxxv. fitque in Martyrologio eiusdem loci mentio. nominatur & in Peutingerorum tabula itineraria, quam viro præstantissimo Marco Velsero Resp. literaria debet. atque ex ea tabula cognoscimus, non ita lõgè à Lugduno ad Ararim situm fuisse Trenurtium. quanquam ex sequenti narratione videbatur posse colligi à Rhodano quam Arari propius afuisse id oppidum.

19. *Ingens periculum equi casu adiit.*] quod nec Dio prætermittit, nec Herodianus: qui etiam addit Seuerum paludamento imperatorio abiecto aliquandiu latuisse. tunc nempe creditus est ictu plumbeæ mortuus, quod ait Spartianus.

21. *Vt alius iam pœne imperator ab exercitu deligeretur.*] Lætum innuit, qui suspicionem affectati tum imperij capitis supplicio mox expiauit.

27. *Idque ad senatum scripsit addita oratione victoriæ.*] Sic omnes libri. orationem victoriæ appellat, quam super victoria sua compositam, misit Romam, in senatu recitandam. eadem omnia Dio.

30. *Idque literis prosecutus est.*] quarum argumentum paucis referunt Herodianus & Capitolinus.

ib. *Victus est Albinus die xi. Kal. Martij.*] exeunte anno tertio imperij Seueri. ita enim puto verius, quàm vt alij.

33. *Ante domum propriam exponi ac diuidi iussit.*] ante prætorium suum iacere iussit dies plurimos vsque ad fœtorem.

35. *Expauescentémque admonuit.*] vt apud Virgilium, *Admonuit biiugos.* & apud Columellam, *admonere flagello.*

Pag. 101. vers. 9. *Tuncque primum priuatarum rerum procuratio constituta est.*] Erat iam à temporibus Augusti, imperatoris procurator, & qui Græcis dicitur ἴδιος λόγος τοῦ ἄρχοντος. erat & procurator patrimonij, cuius meminit in Commodo Lampridius, & antiqui lapides sæpius. sed diuersum ab illorum munere fuit officium procuratoris rerum priuatarum, siue *priuatæ rei*, vt Capitolinus in Macrino. leges ibidem, *priuatas curare*, pro, rerum priuatarum esse procuratorem. Quid autem intersit inter patrimonij & rerum priuatarum procuratores siue comites, (sic enim ætas posterior appellauit) cupidum cognoscere docebit primus liber Codicis Iustinianei, & in Paratitlis Iacobus Cuiacius, non iuris solùm ciuilis, sed omnis eruditionis asylum.

13. *Interfectis plurimis.*] nouem & viginti extremo supplicio sunt affecti: ita Dio: sed in laterculo quod mox subiicit Spartianus, multo plures.

16. *infamibus displicuisse dixit.*] cum plerique è senatu, qui eius memoriam damnauerant turpius Commodo viuerent. Lege hic Dionem.

21. Vi-

21. *Vitalium Victorem.*] Vitalius hic gentis nomen est: at non Vitalis: quod cognomen sæpe legas apud Latinos scriptores. forsan scribendum *Vitellius.*

22. *Iulium Rufum.*] Non semel in Pandectarum libris Iulius Rufus nominatur, ad quem etiam rescripsisse dicitur Antoninus Seueri filius: est autem ille, opinor, istius filius.

25. *Mustium Fabianum.*] Mustia gens rarius occurrit in libris veterum. Legitur tamen in veteri lapide, T. MVSTIO. C. F. FAB. sed iste Nerua principe viuebat.

26. *Claudium Sulpitianum.*] Pertinacis socero: hunc ex istis omnibus solum nominatim indicat Dio.

Pag. 102. vers. 1. *Cincium Seuerum.*] puto illum esse de quo in extrema vita Commodi.

3. *Narcissum deinde Commodi strangulatorem leonibus obiecit.*] obiectus est leonibus sub hoc præconis elogio: HIC EST QVI COMMODVM STRANGVLAVIT.

6. *Vehicularium munus à priuatis ad fiscum traduxit.*] Exposuimus iam ad Hadriani vitam.

10. *Per se statuas collocauit.*] ius publice ponendi statuas, penes senatum fuit. at Seuerus ponit suis istas, per se: hoc est, sine decreto vel auctoritate patrum.

11. *Cognita eius vita.*] erat enim ἀσωτότατος τῶν ἀνθρώπων, & hoc amplius, calumniator, & omnium vitiorum homo. sed in hac narratione multa Dio aliter: & item aliter Herodianus. nam hic vero crimine appetitum Plautianum scribit periisse: ille ficto, & immani scelere generi Antonini. Ammianus Marcellinus libro XXIX. vere tentatam à Plautiano Seueri cædem refert, Herodianum potius quàm Dionem secutus: quod sæpe in illius libris obseruauimus.

20. *Hi qui hostem publicum Plautianum dixerant, deportati sunt.*] Confundit historiam, vt sæpe. nam hoc referendum ad illud tempus quo frigusculo interruptus Seueri in Plautianum amor. tunc statuas eius iussit deiici. at mox reconciliata gratia, pœnæ de his exactæ, qui medio tempore aduersus Plautianum aliquid dixissent, fecissentve.

21. *Ita omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est.*] Terentiana γνώμη notissima. sed nimis vereor ne è libri ora in verba auctoris periodus hæc tota irrepserit.

23. *Getam fratrem extulit.*] Etiam hic peruertit temporum rationem: nam Geta frater Seueri ante Plautianum mortuus.

ib. *Profectus deinde ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere.*] Solebant enim imperatores ad bellum proficiscentes gladiatorium munus edere: qui mos vnde sit tractus quærit, Capitolinus in Maximo & Balbino.

26. *Aut iocati essent.*] Regius, *aut quia ioc.*

17. *Cur pleráque figurata dip.*] Malim τὸ *pleraque* abesse: neque est in regio.

18. *Vt esset imperator v.*] Scribi malim, *vt, quod esset imp.* est enim hoc vnum tantum exemplum dictorum ἐσχηματισμένων.

29. *Erat sane in sermone vulgari.*] dixisset alius, in sermone vulgi. sed non vulgus solum ita iudicauit: nam & Dio palam pronunciat, totidem fere verbis: Σεβῆρος ὂν ὧ ταῦτα ἐπολιορκεῖτο, κατὰ τῶν βαρβάρων ἐπιθυμίᾳ δόξης ἐστράτευσε. inde constat nobis de tempore huius expeditionis: quæ in medium tempus incidit bellorum ciuilium contra Pescennium, & Albinum. sed fuêre Seueri contra Parthos expeditiones plures: nam cum extincto Albino Romam reuersus, nobilium cædibus imperium suum firmasset, non multo post in Orientem ad bellum Parthicum est reuersus. quinto anno imperij hanc profectionem esse ab illo susceptam, auctor Eusebius in Chronico.

34. *Inter hæc Pescennianas reliquias Plautiano auctore persequebatur.*] Tertullianus in Apologetico: *Sed & qui nunc scelestarum partium socij aut plausores quotidie reuelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, quàm recentißimis & ramosißimis laureis postes præstruebant: quàm elatißimis & clarißimis lucernis vestibula enubilabant: quàm cultißimis & superbißimis toris forum sibi diuidebant: non vt gaudia publica celebrarent: sed vt vota propria iam ediscerent, & in aliena solennitate exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes.* similia his & in libro aduersus Scapulam.

37. *Multos etiam quasi Chaldæos aut vates de sua salute consuluissent, interemit.*] ad horum supplicia alludens Tertullianus subiicit ibidem: *Eadem officia dependunt & qui astrologos & aruspices, & augures, & magos de Cæsarum capite consultant.*

Pag.103.vers.1. *Suspectos vnumquemque.*] Lego, *suspectans vn.*

3. *Idque dici ab his vel crederet vel audiret, q.*] dicebant isti, vel fingebat Seuerus eos dicere, vtendum esse occasione temporis, & mature deiiciendum Seuerum, dum essent filij eius adhuc paruuli.

5. *Negabat fieri se iußisse quod factum est.*] &, puto, verè negabat de multis. exemplo sit Bæbius Marcellinus: cuius tristissimum casum, & necem commiseratione dignissimam cum exposuisset Dio, hoc adiicit: prius illi caput fuisse amputatum, quàm de eius condemnatione quicquam Seuerus resciffet.

6. *Quod de Læto præcipuè Marius Maximus dicit.*] Sane & Herodianus cædem huius excusat.

15. *Morbos ægritudinesque contraherent.*] Herodianus, νόσοις περιπίπτοντες διεφθείροντο.

21. *Participem imperij dixerunt milites.*] quinto, vel vt alij, sexto imperij Seueri anno: ab eo tempore duo numerari ceperunt Augusti, Seuerus pater, & Antoninus filius. deinde accessit tertius filius minor

Geta.

Geta. quem multo ante Cæsarem appellatum, Augustum nuncupauit Seuerus, octauum annum imperans, vel ad summum, nonum. Atque hæc illa est *imperij triplex virtus*, hi illi *tot Augusti* quos laudat Tertullianus in florida De pallio. nimis enim errant qui aliter illũ locum interpretantur: Nobis nullum vnquam fuit dubium, quin ille liber à Tertulliano fuerit scriptus multo post confecta ciuilia bella, Seuero & & duobus filiis imperantibus. Puto etiam Galenum de his tribus Augustis sensisse, cum scriberet in libello De theriaca ad Pisonem: ὅτι μὲν Μάρκου τοῦ βασιλέως μόνον αὐτῆς (theriacæ) τὸ ἔργον εἰς τὴν γνῶσιν τῶν εἰδότων κοινὸν ἦν· ὅτι δὲ τῶν νῦν μεγίστων αὐτοκρατόρων, ἡ χρῆσις εἰς τὸ κοινὸν ἔφθασε· πᾶσι γὰρ ἡμῖν ἔξεστι τοῖς παρ' αὐτῶν κεχρῆσθαι καλῶς, καὶ θεραπεύεσθαι ἀφθόνως, ἄλλου παρ' ἄλλου λαμβάνοντος τὸ φάρμακον. ex postremis verbis colligas, recte de tribus imperatoribus eum loqui, potius quàm de duobus. illi verò alij non sunt, quàm isti.

25. *Concessa omni præda oppidi Parthici.*] Ctesiphontis. Dio, μετὰ τοῦτο καὶ τὴν Κτησιφῶντα ἑλὼν, ἐκείνην πᾶσαν διαρπάσαι τοῖς στρατιώταις ἐφῆκε.

29. *Filio sane conceßit vt triumpharet.*] Regius, *filiis s. conc. vt triumpharent.* ipsum triumphasse ait Herodianus.

30. *Cui senatus Iudaicum triumphum decreuerat.*] Triumphum Iudaicum hic inuenio, bellum Iudaicum à Seuero gestum, vnde illi partus triumphus, nusquam inuenio.

33. *Secum eum consulem designauit.*] consules simul fuêre anno Seueri decimo.

36. *Idem etiam de Christianis sanxit.*] Decimo Seueri anno instituta persecutio Christianorum, vt scribit Eusebius, alijque.

37. *Deinde Alexandrinis ius buleutarum dedit.*] Dio libro quinquagesimo primo, vbi ordinationem Aegypti commemorat, per Augustum factam: τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν, ait, ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι ἐκέλευσε· τοσαύτην που νεωτεροποιΐαν αὐτῶν κατέγνω. ita datum Alexandrinis ius curiæ à Seuero. hoc amplius cum lege Augusti legi in senatum P. R. ciuis Alexandrinus non posset: id quoque mutatum postea lege Antonini Seueri F. auctor ibidem Dio. De curia Alexandrina mentio in Codice De decurionibus.

Pag. 104. vers. 1. *Qui sine publico consilio.*] Videtur Augustus cum hoc ita cauit ob oculos habuisse vetus exemplum in Campanos editum cum receptæ Capuæ victor P. R. leges imposuit. *cum quidem*, inquit Liuius, *habitari tantum, tanquam vrbem, frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis consilium, nec magistratus esse: sine consilio publico, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore: præfectum quotannis ad iura reddenda ab Roma quotannis mitti.* sic Alexandriam mittebant Cæsares ad iura reddenda, eum qui Iuridicus Alexandriæ dicebatur.

4. *Propter religionem dei Sarapidis,*] hic erat deus Alexandriæ tutela-

ris, & præcipuum illorum numen, vt certum est ex historia & patribus. de hoc accipe verba Herodiani, libro quarto, cum ait Caracallam suæ Alexandriam profectionis prætexuisse hanc caussam, quod vellet τῷ θεῷ χρήσασθαι, ὃν ἐκεῖνοι σέβουσιν ἐξαιρέτως.

ib. *Propter nouitatem animalium.*] nam & in Nilo pisces multi, qui alibi non reperiuntur, & in terra Aegypto, multa ἰδιότροπα animalia. præter Strabonem, Plinium, & alios φυσικῆς ἱστορίας scriptores, consule Marcellinum libro XXII. vnde discimus, diligenter ab illo fuisse descriptam, libris qui perierunt totam hanc Seueri peregrinationem Aegyptiacam. Similis apud Tacitum digressiuncula, Annalium libro secundo.

7. *Diligenter inspexit.*] Dio, Αἴγυπτόν τε πᾶσαν εἶδε, καὶ ἐπολυπραγμόνησε πάντα, καὶ τὰ πάνυ κεκρυμμένα.

11. *Quod non obtinuit.*] Aurelius Victor: *Saluij nomen atque eius scripta factáque aboleri iubet: quod vnum effici nequiuit. Tantum gratia doctarum artium valet, vt scriptoribus ne sæui mores quidem ad memoriam officiant.* Subiicit his mox Victor de se nonnulla: quæ obiter heic emendauimus: sunt enim corruptissima. *Quo bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qui rure ortus, tenuique indocto patre, in hæc tempora vitam præstiti, studiis tantis honestiorem. Quod equidem gentis nostræ reor, * quo fato quodam bonorum parte fecunda, quos eduxit tamen, quemque ad celsa suos habet.* Lege, *tenui atque ind. p.* &, *studiis tantum hon.* deinde sublato asterisco scribe, *quæ fato quodam bonorum parum fæcunda, quos eduxit tamen cunque, ad celsa suos habet.* non abutar otio meo vt probem ita hæc restituenda: de quo putamus dubitaturum neminem.

12. *Non tam ex sua voluntate.*] corrigit quod ante dixit: *se quoque Pertinacem vocari iussit.*

13. *Ex morum parsimonia.*] Non assentior doctissimo viro qui censet mutandum. Aurelius Victor, ex hoc loco, vt facile apparet, dixit, *ob vitæ parsimoniam similem.* ei nempe parsimoniæ quam irriserunt in Pertinace multi: alij etiam durius acceperunt. *pertinax* dicitur sordidè parcus: *tenax* cum modo: nam in laude ponitur. lapis vetus in Anglia: PATRI. PIENTISSIMO. ET. SOCERAE. TENACISSIMAE. MEMORIAE. POSVIT.

14. *Cum quidam hostium.*] *quem, vti bellis ciuilibus solet, conditio loci ad Albinum detulerat,* addit vtiliter Aurelius Victor, ex eodem auctore locum describens cum nostro.

16. *Quid tu facturus es?*] Ita restituimus ex regio & Puteani: sed erat scribendum *esses.* aliàs enim iacet sententia, imò interfecta est. melius ista Victor, & vberius: *cum,* inquit, *nouissime conclusisset. Quid, quæso, faceres, si tu esses? ille respondit, Ea perferrem quæ tu. quo dicto, factóque durius nihil: cum boni sanctique huiuscemodi dissensiones, quamuis studiosius ceptas, fortunæ increpent.* sic legendus hic locus. eleganter verò Victor, *fortunæ increpare,* dixit pro imputare fortunæ, & omnem indignationem in illam

lam vertere. porrò illa verba, *Quid tu facturus esses?* subiecerat hic captiuus longiori orationi, vt docet Victor, quam ad Seuerum habuerat, vt graues caussas se habuisse doceret, cur Albini partes sequeretur. sperabat ille, Seuerum etiam in hoste fidem & officij constantiam amaturum. ita olim Augustus cum Herodi ignouit, & optimi quique principum sæpissime. sic etiam ipse Seuerus cum Cassio Clementi senatori, in simili caussa veniam indulsit, graui eius & libera oratione permotus. historiam huic similem, sed contrario euentu, narrat Dio.

17. *Fuit præterea delendarum cupidus factionum.*] separat hæc verba à superiore narratione, aliter quam auctor ille, (Marius, opinor, Maximus) vnde sumit. colligimus ex Aurelio Victore: cuius verba sunt: *At iste delendarum cupidus factionum, quo deinceps mitius ageret, neceßitudinem facti vlcisci maluit: ne paullatim spe veniæ in labem publicam per coniurationes procederetur: ad quas vitio temporum animos * intelligebat*, non suo loco asteriscus est collocatus: nam post vocem *temporum* poni debuerat. legendum enim, *vitio temporum pronos animos intelligebat.*

18. *Prope à nullo congressu nisi victor.*] Locus corruptus & voce vna mutilus etiam in membranis. Scribendum, *prope à nullo congressu digressus nisi victor.* Aurelius Victor, *Felix ac prudens armis præcipuè: adeo vt à nullo congressu, nisi victor discesserit.* Capitolinus in Maximinis: *Fuerunt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper Maximinus victor reuertit.* sic enim ibi scribendum.

ib. *Persarum regem Abgarum subegit.*] Aurelius Victor, *subacto Persarũ rege, nomine Abgaro.* inepte editũ *Agarro.* sed nec Marius Maximus excusandus, qui regulum Osroenorũ Abgarum, appellauit regem Persarum. melius Herodianus, προσέφυγε δ' αὐτῷ καὶ ὁ Ὀσροηνῶν βασιλεὺς Αὔγαρος. Sic & Dio in Caracallo. idem scriptor in Abito, obiter scribit, Abgarum hunc non dissimili pompa in Vrbem venisse, ac Neronis temporibus Teridatem.

20. *Britanniam, quod maximum imperij eius decus.*] Aurelius Victor, *His maiora aggressus, Britanniam, quoad ei vtilis erat, pulsis hostibus muro muniuit.* ita scribendum.

21. *Muro per transuersam insulam ducto.*] Victor, *muro muniuit, per transuersam insulam ducto, vtrinque ad finem Oceani.* vt certum sit eundem auctorem transcriptum ab vtroque. de muro refellit acriter Beda Historiæ libro primo, *Seuerus,* inquit, *receptam partem insulæ, à cæteris indomitis gentibus, non muro, vt quidam existimant, sed vallo distinguendam putauit. murus etenim de lapidibus, vallum verò, quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus: quibus circumcisis è terra, velut murus extruitur altus super terrã, ita vt inante sit fossa, de qua leuati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortißimis præfiguntur. Itaque Seuerus magnam fossam, firmißimumque vallum, crebris insuper turribus communitum, à mari ad mare duxit.* hæc Beda. Eutropius quoque non murum, sed vallum vocat: *val-*

lum per CXXXII. *passuum millia à mari ad mare deduxit.*

23. *Tripolim vnde oriundus erat.*] natus Lepti, oriundus Tripoli. In ora eius prouinciæ in Africa quæ commune nomen vt proprium sibi vindicat, collocatur à Ptolemæo vrbs Νεάπολις ἢ καὶ Τρίπολις, inquit, prope ostia fluminis Cinyphis. meminit & Plinius huius Neapoleos: sed non addit Tripolim quoque id oppidum fuisse dictum. Solino Tripolis non vrbis nomen est sed regionis: quam sic dictam scribit, de trium vrbium numero, Oeæ, Sabratæ, Leptis magnæ. notissima vrbs est Oea, quæ in codicibus Ptolemæi dicitur Εῶα, nisi mendum est. Sabrata eidem est Σαβάθρα. Familiare fuit antiquis prouincias minores de numero vrbium εἰς ταὐτὸ συμπλουσῶν, appellare. vt antiquissimi Dores Tetrapolim suam: alibi leges, Decapolim, Hexapolim, Pentapolim, & sic alia. Tripolis tamen quæ erat in Syria nominis rationem aliam habuit: sic enim dicta fuit, quod esset, inquit Strabo, trium vrbium κτίσμα, condita à conuenis Tyriis, Sidoniis, Aradiis. fortasse & Africana Tripolis aliam ob caussam ita dicta, quàm à societate trium vrbium. nam Solino quantum sit tribuendum norunt eruditi. sunt sane scriptores rerũ Africanarum, qui Tripolim in Africa à Phœnicibus conditam, & de nomine Syriacæ Tripoleos, sic dictam autumẽt. Manet hodieq; vetus id nomen cum vrbi, tum regioni: nam regni Tunetani pars est regio Tripolitana: in qua vrbs antiqua est cum antiquo nomine: nisi quod Arabes more suo *b* pro *p* scribunt, طرابلس vel اطرابلس Tarabilis siue Atrebelis. Leptis eisdem est Lebida.

24. *Oleũ gratuitum & fœcundissimum agrũ donauit.*] Agrum Tripolitanum veteris vrbis fuisse olim fœcundissimum, atque olei frumentique feracissimum etiam scriptores Africani memoriæ prodiderunt; etsi hodie vber solum non est: cuius mutationis caussam illi afferunt, quod magnam partem eius agri quem antiqua Tripolis arabat, mare occupauit, reliquo etiam quod non obtexit corrupto. Oleum ad vsum gymnasiorum ciuitatibus olim & gratuitum concedi à principibus, & legari etiam à priuatis solitum. sed de hac largitate in Tripolitanos nihil Aurelius Victor, quo loco de Seueri in illos beneficiis meminit. imò verò contrarium plane scribit idem alibi: cuius verba necessariò subiecimus, è vita Constantini: *Remotæ*, inquit, *olei frumentique aduentitiæ præbitiones, quibus Tripolis ac Nicæa acerbius angebantur: quæ res superiores Seueri imperio gratantes ciui obtulerant: vertebatque gratiam muneribus in pernitiem posteriorum dissimulatio.* ita vulgo editur hic locus, corruptissimè. emendandum, nisi fallimur, hoc modo. *quas res* (aut, si mauis *quorum*) *superiores Seueri imperio gratantes* (vel *gratanter*, id est gratuitò) *ciui obtulerant: vertebatque gratiam muneris huius in pernitiem post diss.* Vides pugnare προφανδὸν cum Spartiano Victorem: neque enim Seuerum Tripolitanis,

nis, verùm contra Seuero Tripolitanos oleum frumentumque annuũ vltra legitimum canonem præbuiſſe. Atqui, vt diximus ſæpe, iiſdem vſi auctoribus & Spartianus & Victor: vt plane mirum ſit adeo pugnantia ſcribere. Sed non dubitamus nos Spartianum, ſi iſta ſic ſcripſit aliud agentem auctoris ſui (Marij Maximi, vt arbitror) mentem peruertiſſe. nam quare Tripolitanis oleum largiretut Seuerus, ceu rem cuius inopia laborarent, cum certum ſit, adeo ea merce illos abundaſſe, vt aliis etiam populis ſuppeditarent? nam olei Tripolitani meminerunt veteres ſcriptores: vt etiam Romæ cogniti atque vſitati: quod & vetus Iuuenalis interpres docet. Seuero autem qui tanto ſtudio P.R. annonam curabat, nullum munus hac præbitione poterat gratius accidere. quò igitur Spartiano mens cum hæc ſcriberet? ſed optimum ſcriptorem manifeſtiſſima culpa liberant regius & Puteani codices: nam illi præferunt, *ac populo Ro. diurnum letum gratuitum & fœcundiſsimum in æternum donauit.* Scribe, *diurnum oleum gr. & f. in æ. agrum don.* veriſſima & optima ſententia: nam oleum populo Romano fuiſſe delatum à Seuero, & Spartianus infra alio loco indicat, & affirmat Lampridius in Alexandro. En verò tibi erudite lector, quanta ſæpe bonis ſcriptoribus fiat iniuria, cum debitas perfidiæ librariorum pœnas ab innoxiis auctoribus exigimus: nam equidem fateor, cum neſcio quomodo membranas non conſuluiſſem, diu Spartianum heic non exſcriptores accuſaſſe, & grauius cum eo expoſtulaſſe. Quare multum regio codici & Puteani debemus. qui de menda huius loci nos admonuerunt. Victoris quoque codices non ſolum in iis quæ adduximus ſunt deprauati: verum etiam, vt puto, in iis quæ ibidem ſubiiciuntur de Nicæa: *Alteros, ait, Marcus Boionius afflixerat mulcta, quod Hipparchum præſtanti ingenio indigenã fuiſſe ignorauiſſent.* quis credat ſæuũ adeo fuiſſe ſapientiſſimum principum, ne dicam virorum, vt rei tam leuis ignorantiam, tam graui pœna caſtigaret? An M. Tullium quiſquam laudaſſet, ſi reperto Siracuſis monumento Archimedis, quod indigenæ pridem ignorabant, publice in eos propterea poſtulaſſet animaduerti? id verò non minus dictu ineptum, quam factu futurum fuiſſet iniquum. Cenſeo ſcribendum, *fuſtibus necauiſſent.* vel, *fuſtigatum.* vt veſtigia literarum propius ſequamur.

31. *Illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori.*] dictum tranſlatitium, de multis principibus vſurpatum: nam Victor dictum de Auguſto ſcribit, *Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur.* alij de Iulio Cæſare idem.

34. *Qui vxorem Iuliam famoſam adulteriis tenuit.*] Aurelius Victor: *Huic tanto domi foriſque, vxoris probra ſummam gloriæ demſere: quam adeo famoſè amplexus eſt, vti cognita libidine ac ream coniurationis retentarit. Quod cum infimo turpe, tum potentibus; & illi magis, cui non priuati neque*

ſinguli, aut flagitioſi, verum imperia, & exercitus, atque ipſa vitia conceßere. nimium tribuit ſuo populari Victor, cum ait *ipſa vitia illi conceßiſſe.* Ego putabam aliquando ſcribendum eſſe, *ipſa vita* ὅλος ὁ βίος: omnes mortales. nam ita βίος & vita accipiuntur, vt dicebamus ad ſcriptorem cœnarum. ſed præſtat nihil mutare. nam palàm eſt fauere Afrum Afri gloriæ: & magnus re vera princeps Seuerus: quique ſeueritate ſua reformauit multa in melius, teſte imprimis Tertulliano in libello De Pallio. quare etiam FVNDATOR IMPERII, in quadam inſcriptione nominatur.

35. *Idem cum pedibus æger bellum moraretur.*] Victor, *Nam* (forte, *iam*, vel, *idem*) *cum pedibus æger bellum moraretur*, &c. Dio, τοὺς ταρσοὺς ὑποτετμηκώς. *articulis pedum præciſis.* non autem *plantis.*

Pag. 105. verſ. 4. *Præter filium.*] etiam de huius ſupplicio conſilia agitaſſe patrem ſcribit auctor in eius vita.

6. *Tandem ſentitis caput imperare non pedes.*] Victor, *ſentitiſne*, inquit, *pulſans manu, caput potius quàm pedes imperare?* ſententia ſcribi poſtulat, *pulſans manu caput, caput pot.* quod noſter, *caput manu contingens.* Lege Vopiſcum in Tacito.

9. *Omnia, inquit, fui, & nihil expedit.*] Caue mutare hanc ſcripturam: nam viri docti falluntur, qui mendam hic ſuſpectant. Aurelius Victor: digna enim ſunt illius verba, quæ heic aſcribantur: *Ortus Lepti, humili patre, primo literis, deinde imbutus foro: quo parum commodante, vbi rebus arctis ſolet, dum tentat aut exquirit varia melioraque, conſcendit imperium. Ibi grauiora expertus, laborem, curas, metum, & incerta prorſus omnia: quaſi teſtis vitæ mortalium,* CVNCTA, *inquit*, FVI. CONDVCIT NIHIL. Quatuor verbis complexus eſt Seuerus integri libelli eius (finem ſolum excipimus) ſummam, qui à ſapientiſſimo regum Salomone, ſuper humanarum rerum vanitate, diuinitus planè & θεοπνεύστως eſt compoſitus. Sic Auguſtus, ſic Marcus cum morerentur, res humanas riſerunt, & vanas mortaliũ curas, votaq; inania, atque in contrariũ ſæpe vertentia.

ib. *Periit Eboraci in Br.*] pridie nonas Februarij, Coſs. Gentiano & Baſſo. ætatis anno LXV. menſe VII. die XVIII. cum imperaſſet annos XVII. menſes VIII. & paucos dies.

11. *Morbo grauißimo.*] arthritide: ſed genus mortis miſerum. Victor alter: *is dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimæ carnis auidius inuaſit: quem cum conficere non poſſet, cruditate preſſus exſpirauit.*

19. *Opera publica præcipuè eius extant.*] Lege vt in regio: *Opera publica eius, præcipuè Romæ extant.* Opera Seueri tangit & Dio, ſed alia. nam certum eſt, Seuerum & in Vrbe & in prouinciis multa opera reliquiſſe.

20. *Septizonium.*] Erat etiam ante Seuerum celebris Romæ locus, Septizonium vt ait Ammianus libro XV. vbi operis ambitioſi nympheum

pheum Marcus cõdiderat,teste eodẽ. Fortasse à columnationis genere operi nomen impositũ, & tæniis quibus columnarum diuersi ordines distinguebantur. Sed videtur Seuerus opus vetustum ita instaurasse vt plane faceret nouum: quare in antiqua Vrbis descriptione leguntur hæc verba: *Septizonium vetus, alias Seueri*. plura de hoc Spart. libro extremo, & iterum in vita Getæ. discimus ex illo loco ea fine Septizonium Seuero exstructum, qua Augusto Mausoleum. sed vide inferius.

ib. *Thermæ Seuerianæ*.] nõ procul à Capena Porta regione Vrbis prima.

21. *Ianuæ in Transberina regione*.] Scribe cum eruditis viris, *iani in Tr.* & mox, *quorum f.* Erant Romæ multi iani siue transitiones peruiæ, quò homines conueniebant. Marcellinus lib. XXVIII. *per ianos & fora clamitant sæpe*. In descriptionibus Vrbis Romæ plures ianos inuenies recensitos: sed in his Septimianum vnum tantum.

ib. *Ad portam nominis sui*.] Septimianam, tertiam & vltimam trans Tiberim: quam prius Fontinalem fuisse appellatam putat Onuphrius.

22. *Quorum forma intercidens*.] accipit *formam*, pro fornice iani, vel pro tota ædificij mole. apud auctores iuris ciuilis, & eos qui de aquæductibus scripserunt, forma interdum est tubus quo defertur aqua: interdum arcus ipsi sic dicuntur, deuehendis aquis humilioribus in locis soliti exstrui. vt cum dicuntur *aquæ formarum constructionibus aduectæ*. hinc apud Cassiodorum *aqua formarum*. & apud Iosippum quoque Gorionis filium, ממי פורמה *aquæ formæ* Historiarum libro primo, capite secundo.

23. *Iudicium de ea post mortem magnum omnium fuit*.] *iudicium* in bonam partem accipe: nam sequitur: *post mortem multum amatus vel inuidia deposita, vel crudelitatis metu*. Vopiscus in Aureliano: *Valeriano in thermis egit gratias, dicens, magnum de se iudicium habitum, quod eidem vicarium Aurelianum dedisset*.

26. *Hic tam exiguis vestibus vsus est*.] quid appellat vestes exiguas? viles equidem ac λιτὰς accipio, & hominis Latinitatem miror.

27. *Hirta chlamyde humeros velaret*.] Lampridius in Alexandro, *Chlamydes hirtas Seueri, & tunicas asemas, vel macrocheras, ex purpura non magna ad vsum reuocauit suum*.

28. *Leguminis patrij auidus*.] non certam leguminis speciem, vt cicer Punicum, sed diuersas intelligo: quæ soliti Seuero mittere quot annis Leptitani, & alij Tripolitani cum oleo & fumento, de cuius præbitione ante diximus.

35. *Moderatißimè cum moreretur lætatum*.] Regius & Puteani, *immoderatißimè*.

Pag. 106. vers. 7. *Sanctúmq; illud nomen in nullo diu hæsit*.] *in nullo*, pro, in neutro. de duobus enim tantũ loquitur Antoninis, Bassiano & Geta.

ib. *Et reputante mihi, Diocletiane Aug*.] Παρέκβασις eximia, quales in his scriptoribus habentur aliquot, sane luculentæ, & lectu dignissimæ. in

eandem ſententiam ſunt iſta apud Aurelium Victorem in Caligula: *Præterea prudentiſsimus quiſque similẽ fore ſuis credebat: quod longe ſecus, quaſi naturali lege, quæ crebro tãquam ex induſtria malos è bonis, agreſteis è doctioribus, & cæteros huiuſcemodi ſeu contra gignit. Quo demum exemplo ſapientium plures caruiſſe liberis vtilius duxere.* Ex eo natum eſt Hebræorum elegantiſſimum prouerbium חוֹמֶץ בֶּן־יַיִן *Acetum filius vini.* quod ſimplicius Græci, ἡρώων παῖδες λῶβαι. iidem Græci de bona ſobole mali patris dicunt, ῥόδον ἐξ ἀκανθῶν.

10. *Denique aut ſine liberis viri interierunt.*] Legendum, *ſine liberis ſuis int.* ſuos opponit adoptatis.

36. * *Qui quidem diuinam Saluſtij orationem.*] Non video cur hic opus ſit aſteriſco: non enim deeſt quicquam. oratio Saluſtij eſt in Iugurthino bello.

37. *Ingrauatus morbo miſiſſe filio dicitur maiori.*] Erat hic mos veterum, vt dicebamus ad Suetonij librum ſecundum, capite LXXXIX. Lege epiſtolam ſextam Senecæ.

Pag. 107. verſ. 1. * *idque fruſtra & hominem tantum valetudine. Vixit d.*] non eo loci collocandus fuerat aſteriſcus. ſed poſt vocabulum *fruſtra.* nam hactenus nihil vitij: ſequentia corruptiſſima ſunt: etſi non variãt membranæ: niſi quod aliter interpungunt. ita enim regius & Puteani vterque. *idque fruſtra. & hominem tantum valetudine vixit. Denique in odio populi diu fuit Ant.*

6. *Seueri porticus geſta eius exprimens.*] Herodianus libro tertio, de Seuero, τὰς μάχας τε καὶ τὰς νίκας δημοσίαις ἀνέθηκε γραφαῖς. videtur iis aſſentiri, qui porticum Seueri vbi erant geſta eius depicta, ab ipſo non filio fuiſſe ſtructam. de hoc more libro ſequenti.

7. *A filio quantum plurimi docent, ſtructa.*] Regius, venuſtè: à filio, *quàm plurimo decore ſtructa.*

10. *Octoginta & nouem numeros explicuiſſe: vltra quot annos, ne vnum quidem annum vixit.*] Error in numero. vt fere ſemper in his auctoribus. Scribendum erat, *ſexaginta quinque.* ſed auctoris peccatum eſſe non librarij, euincit alter in Nigri vita locus, neque aliter Robertus Bon.

16. *Cum tres Victoriæ.*] Regius, *Victoriolæ.* Victoriarum ſimulacra vt & cæterorum deorum in Circum ſolita inferri ad ſpectacula, notum ex Ouidio & Tertulliano. Tria autem tunc poſita, quia totidem imperatores.

28. *Quem cum ille iratus remoueri ab oculis præcepiſſet.*] omini auertendo, ſi forte Aethiopi aliquis occurriſſet, non ſolum remouebant illum ab oculis: ſed etiam tollebant de medio, vt in auctoris caput omen malum recideret. exemplum eſt in Bruto Plutarchi. cupreſſum feralem fuiſſe arborem nemo neſcit.

30. *Totum fuiſti, totum viciſti.*] *Totum*, pro omnia. vt paullo antè, *Omnia fui.* ſed amauit poſterior ætas *totum* dicere potius quàm omnia.

Zeno

Zeno Veronensis in psalmum cxxx. *propheta modestus, totum potest: à toto dissimulat.* in sermone De auaritia: *Totum possidet: & de inopia queritur semper.* idem in grauissimo sermone De patientia: *Tu paupertati præstas, vt habeat totum sui contenta, cum sustinet totum.* & in eo De pudicitia, *Totum prorsus tentat, vt sibi vindicet totum.* Ambrosius de obitu Theodosij imperatoris, *De filiis nihil habebat nouum quod conderet, quibus totum dederat.* Paulinus de funere Ambrosij, *Erat exequiarum turba innumerabilis, totius dignitatis, totiusque sexus, omnium pœne ætatum.*

31. *Iam deus esto victor.*] omen malum in voce *deus.* nam imperatores non fiebant diui nisi mortui. Vespasiani morientis vox fuit: *vt puto deus fio.*

36. *Magnum vero illud in ciuitate eius.*] Reg. *in ciu. est.* ὁ τοῦ illud eius magnum est in ciuitate.

Pag. 108. vers. 4. *Ita vt septuaginta quinque millia modiorum expendi possent.*] Scribendum, *septuagena quina millia modiûm.* In numero consentiunt omnes veteres, etiam Robertus Bonon. Et est singularis in Romana historia locus hic: ex quo de multitudine turbæ frumentariæ, coniecturam facere possumus. Constat in modio Romano chœnices fuisse octo: quæ legitima mensura est homini in diem alendo necessaria. quare nemo negauerit esse admodum simile veri, quod ponit vir maximus Guilielmus Budæus: tesseras frumentarias quæ singulis diuiderentur, chœnicarias fuisse. neque interest quicquam siue confectus panis donaretur, siue ad panem farina. Hac igitur ratione colligimus, turbam frumentantẽ, quæ quotidianum demẽsum de publico accipiebat, ad sexies centena millia accessisse. Quanta igitur vniuersorum ciuium multitudo? nam frumento publico plebs tantum & milites alebantur; certe ciuium tenuissimi quique solùm. Quid hodie Sol videt cum hac veteris Romæ amplitudine comparandum? Ipsa Lutetia, quæ hominum frequentia omnes Europæ, Asiæ, Africæ vrbes hodie longo interuallo superat, quindena millia modiûm in dies non expẽdit. Nam ante annos quindecim, cum esset tũ vrbs frequentissima, centeni deni modij Parisini, aut non multo amplius in rationem præfecti annonæ cottidie veniebant. hoc est Romanorum modiorum paullo minus quàm sena dena millia.

11. *Quia Pertinax quando in imperium adscitus est, signum dederat Militemus.*] Vide ἀκριβείαν optimi scriptoris. nam quare huius rei caussam petemus ab exemplo Pertinacis, potius quàm à natura & ingenio Seueri? quem virum constat fuisse, vehementem, rebus agendis intentũm, & semper serium. inde est quod & morti propinquus signum dat, LABOREMVS. Dio sic narrat aliter paullo, & melius: τὸ σύμπαν οὕτως ἐνεργὸς ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀποψύχων ἀναφθέγξασθαι, ΑΓΕΤΕ, ΔΟΤΕ ΕΙ ΤΙ ΠΡΑΞΑΙ ΕΧΟΜΕΝ.

12. *Fortunam deinde regiam.*] de hac Capitolinus in Antonino Pio,

& Marco Antonino.

20. *Quamuis aliqui vrnulam auream tantum fuiſſe dicant.*] certum hoc, ſi quid in hiſtoria certum. nam cur Dioni qui vidiſſe potuit, imò vt ſenator, debuit, fidem non habeamus? ille ſic narrat: corpus Seueri, ibi fuiſſe incenſum, vbi erat mortuus, filiis pyram accendentibus: poſt oſſilegium reliquias in vrnam fuiſſe coniectas quæ eſſet è marmore porphyrite: ita Romam aduectas, & monumento Antoninorum eſſe illatas. in re conſentit Herodianus Dioni: ſed vrnam ex alabaſtro, non è porphyrite, neque vt Spartianus auream.

21. *Eandemque Antoninorum ſepulcro illatam.*] iam diximus ex Dione, εἰς τὸ Ἀντωνινεῖον ἀπετέθη. Herodianus minus apertè: εἰς τὰ βασίλεια ἱερὰ μνήματα. Spartianus in Geta: *illatus eſt maiorum ſepulcro, hoc eſt, Seueri: quod eſt in Appia via euntibus ad portam dextrum ſpecie Septizonij exſtructum, quod ſibi ille viuus ornauerat.* vt conſtet ſibi Spartianus, neceſſario dicendum, & Antoninorum ſepulcrum & Seueri Septizonium eiuſdem mauſolei partes fuiſſe: quod Herodianus communi & generali appellatione Monumenta imperatoria nominauit.

25. *Vt ex Africa venientibus ſuum opus occurreret.*] Veteres quidam, *v. e. A. venientes ſuum opus cernerent.* ſententia manet eadem: ſed malo quod eſt editum.

26. *Per Præfectum Vrbis medium ſimulacrum eius eſſet locatum.*] ſemel enim dedicatum ſimulacrum religio erat mouere: quare mutari forma huius ædificij non potuit: cum manente ſimulacro eodem loci, manere & forma ædis eadem neceſſario deberet. *medium* ſeruant omnes libri: nec video quare mutent nonnulli in *Modium.*

ISAACI

oſſilegio

ISAACI CASAVBONI
IN AELII SPARTIANI PESCENNIVM NIGRVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

AELII SPARTIANI] Non abest ſuſpicio, & hanc Nigri, & eam quæ ſequitur Albini vitam, ab eodem auctore ſcriptam, ſicut ibi dicturi ſumus. illa tamen Capitolino, hæc conſtanter in omnibus libris Spartiano tribuitur. Non eſſe ab alio ſcriptam, quam ab eo qui ſuperiorem Seueri compoſuit, colligi inde poteſt, quod ingens ille error de vita Seueri ad annum vſque octuageſimum nonum producta, quem in ſuperiore libro notauimus, heic inuenitur repetitus.

Pag.109.verſ.8. *Quos tyrannos aliorum victoria fecerit.*] nam ſemper in huiuſmodi bellis ducum Romanorum, is princeps legitimus habitus, qui aliorum victor extitiſſet: & vt eleganter ait Spartianus, non ſua facta iſtos, ſed aliena victoria efficiebat tyrannos. Procopius veriſſimè: πᾶσα πρᾶξις πέφυκεν ἀεὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐκ τῆς καταστροφῆς ὀνομάζεσθαι.

12. *Primum enim quæ magna ſ.*] Diſtinguendum fuit, *P.en.quæ magna ſunt in eorum honorem, ab ſcriptoribus deprauantur.*

19. *Ex qua familia originem ducebat.*] Oratio eſt hiulca. Lego, *ex equeſtri fam.o.d.* Dio, Ἰταλὸς ἦν ἐξ ἱππέων.

24. *Athletæ qui Commodum ſtrangulauit.*] Narciſſi.

31. *Ita Romæ fautum eſt.*] reſpicit illas populi Romani in circo acclamationes, quibus Peſcennium vindicem Pertinacis optare ſe ſignificabant. Lege Dionem in Iuliano. *Fauere* verbum theatrorum & Circi.

33. *A ſenatoribus duntaxat qui & Seuerum oderant.*] qui & Iulianum & Seuerum oderant. nam & Seuerus habuit qui ſibi fauerent.

Pag.110.verſ.9. *Cum Seuero ex interdicto de imperio egiſſe fertur.*] Ordinarij iuris apud Romanos remedia erant duo, Actiones, & Interdicta. Iulianus imperij poſſeſſionem voluit tueri ex interdicto Vti poſſidetis. De interdictis doctè Iacobus Cuiacius Obſeruationum libro quinto, capite XVII.

16. *Cui quidem Iulianus dixisse fertur.*] Scribe, *cum quidem.* ὅτι &c. sic sæpe.

26. *Nunquam sub eo miles prouinciali lignum, ol.*] Malim, *prouinciali sal, lignum, ol.* Vopiscus in Aureliano, *oleum, sal, lignum nemo exigat: annona sua contentus sit.*

29. *Tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse.*] non à prouincialibus, sed à militibus exigebant tribuni stellaturas. Lampridius in Alexandro: *Annonam militum diligenter inspexit: tribunos qui per stellaturas aliquid tulissent, capitali pœna affecit.* Ex lege tricesima Codicis Theod. De erogatione militaris annonæ, & lege XII. Cod. Iustin. eodem titulo, constat, solitos tribunos in exercitus sui transitu emolumenti aliquid facere per occasionem erogationis annonæ. quod cum adeo improbarint Pescennius & Alexander Seuerus, vt stellaturas exigentes tribunos capitali pœna affecerint: posteriores tamen imperatores non tulerunt solùm, sed palam etiam probarunt. Id autem lucellum *stellaturam* vulgo fuisse vocitatum declarant superiores loci. Rationem nominis teneremus, si paullo plenius genus hoc exactionis aperuissent nobis veteres. nam quod ait Iacobus Cuiacius, rem nos tenere, sed nominis rationem nescire: mihi videtur aliter: facilem fore nominis interpretationem & originem, si rem satis cognitam haberemus. omnino vel à stellare, verbo Latino, vel à στίλη Græcorum deducitur vox stellatura.

34. *Pro cubiculis meritoria.*] Vopiscus in Tacito, *Meritoria intra vrbem stare vetuit.* vbi de hac voce nonnihil.

35. *Et mensuris conuiuiorum vacant.*] Ambrosius sermone sexto, de margaritis: *Vnum scio: quod si quis illa die honoratus aut diues ob natalem filij sui ad decimum vsque miliarium ad prandium rogauisset, propter accuratas epulas, & inæquales mensuras absque dubio vos ituros fuisse.* Nescio an huc referam Marcellini locum libro XXVIII. *Poscuntur etiam in conuiuiis aliquoties trutinæ, vt adpositi, pisces & volucres ponderentur & glires.* sed aliud est.

36. *Hæc si vlla vena paternæ disciplinæ in nobis viueret, fierent?*] Persius.

Hæc fierent si testiculi vena vlla paterni
Viueret in nobis?

Pag. III. vers. I. *Quem quandiu timebis, tamdiu non timeberis.*] Vulcatius in Cassio, *meruitque timeri quia non timuit.* ex Lucano, vt diximus.

3. *Hæc de Pescennio Seuerus Augustus adhuc milite.*] Ridicula lectio: nam Seuerus post mortem Pescennij hæc scripsit: deest sine dubio aliquid. scribendum enim est, H. d. P. S. *Augustus. De eodem adhuc milite Marcus etiam Ant.*

13. *Ducatum mox dabo.*] ducatus ordinum, via est ad tribunatum. Vopiscus in Probo: *cum ordines honestissimè duxisset, tribunatum est adeptus.* & passim alibi tribunatus est infra ducatum. & supra tribunum dux: legionis nempe, vel limitis. Sic epistola Valeriani Posthumio patri de-

fertur

fertur ducatus limitis Transrhenani: filio, tribunatus Vocontiorum. ita vbique.

14. *Aelius Corduenus.*] Scripti, *Aelius Cordianus.* Condianorum ſupra mentio habita:ſed nihil mutandum.

21. *Niger Peſcennius eidem.*] pro ſibi.ita ſæpe orationem concipit.

28. *Et octuageſimo nono perierit.*] Falſum: vide ad librum ſuperiorem.

30. *Ad obtinendam Bithyniam.*] vel *Britanniam.* vt libro ſuperiore legitur.

31. *Fuluium autem.*] Fuluium Plautianum.

Pag.112.verſ.1. *Difficili licet itinere ac nauigatione.*] Hæreo in hac periodo. Videtur ſententia poſtulare vt legatur, *difficilia faciens itinera ac nauigationes.* ſed cogitandum amplius.

11. *Huius caput cirumlatum pilo Romam miſſum.*] imò Byzantium non Romam. Dio, τὴν κεφαλὴν ὁ Σεβῆρος ἐς τὸ Βυζάντιον πέμψας, ἀνεσταύρωσεν, ἵν' ἰδόντες αὐτὸν οἱ Βυζάντιοι προσχωρήσωσι.vel igitur fallit nos librarius:vel ipſe auctor eò hallucinatus eſt, quod meminiſſet caput Albini Romam miſſum.

15. *Sed exárſit ſecundo ciuili bello, imo etiam tertio.*] primum bellum contra Iulianum, alterum contra Peſcennium, tertium contra Albinum: ſed multi non tria,verùm duo ſolum bella ciuilia à Seuero geſta ſcripſerunt:quia bellum primum,nihil habuit bellici:cum vt ſuperius dictum eſt,nutu factus ſit victor Seuerus.

21. *Oris verecundi & ſemper rubidi.*] Suetonius in Domititiano, *vultu modeſto ruboriſque pleno.*

25. *Rei Venereæ niſi ad procreandos liberos prorſus ignarus.*] Trebellius Pollio de Zenobia: *cuius ea caſtitas fuiſſe dicitur, vt ne virum quidem ſuum ſciret niſi tentatis conceptionibus.*

26. *Denique ſacra quædam in Gallia quæ caſtiſſimis decernuntur.*] Hæc eſt omnium librorum lectio:quod eò teſtatum voluimus, quia ſcimus viros doctiſſimos nodum hic in ſirpo quæſiiſſe. initio libri dictum eſt, Peſcennium à Commodo in Galliam aliquando miſſum.

28. *Nunc in Commodianis hortis.*] neque in antiquis Vrbis deſcriptionibus,neque vſquam alibi hos inuenio.

ib. *Pictum de muſiuo inter Commodi amiciſſimos videmus, ſacra Iſidis ferentem.*] Cum alias Romæ,tum illo potiſſimum ſeculo multus picturæ vſus fuit,ad propagãdam rerum memoriam.libro ſuperiore de porticu dictum, in qua res bello geſtæ à Seuero fuerant depictæ. Capitolinus de Maximino: *Iuſſit tabulas pingi, ita vt erat bellum geſtum, & ante curiam proponi,vt facta eius pictura loqueretur.* Sic ludorum magnificentiam in porticibus depingebant,ne memoria intercideret, vt ſcribit Vopiſcus in Carino.quinetiam,vt antè dicebamus, ſi cuius principis memoriæ faueret ſenatus, ſæpe decreto patrũ iuſſi omnes illum habere pictum.

Ergo etiam Isiaci sacerdotes cum Anubin portarant, eius diei & pompæ, vel vt ipsi loquebantur, eius humilitatis memoriam pictura conseruabant. Tertullianus in carmine ad senatorem.

Teque domo propria pictum cum fascibus ante,
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.
Hæc non humilitas, sed humilitatis imago.
Aedibus illa tuis semper monumenta manebunt.

quid sit *pingere de musiuo*, Iosephus Scaliger ad Manilium, nos ad Suetonium fuse docuimus. Anastasius De vitis pontificum in Leone tertio, *ædificauit ecclesiam cum apsida amplissima, & cacumina mirifica de musiuo.* ibidem, *fecit in triclinio maiori miræ pulchritudinis decoratam absidam, de musiuo ornatam.* sic & alibi. Leges etiã apud eundẽ, *decorare ex musiuo*, vt in Leone quarto: vel, *pictura musiui decorare*, vt in Benedicto tertio. item, *musiuo & pictura ornare*, vt in S. Zacharia. & *ornare ex musiuo*, vt in S. Hilaro. alibi, *musiuo depingere*. Sic apud Gregorium Turonensem & Aimoinum: recentiores Græci μουσιοῦν, & διὰ μουσίων καλλωπίζειν. apud Codinum ὑποδήματα μουζάκια, vt apud Trebellium Pollionem in Tetrico iuniore, *corona picturata de museo.*

36, *Qui filias suas eius filiis despondens.*] Regius, *qui filiis suis eius filias despondens*. sed filiorum Pescennij sæpius mentio habetur in hac & Seueri vita.

Pag. 113. vers. 3. *Prouincias facili administrationum mutatione subuerti.*] ipsos qui prouincias administrarent vocat *administrationes*, vt coniuges passim dicuntur *matrimonia*. Quin autem vtile sit prouinciis non facile administrationem mutare ambigit nemo. Ideo iure laudatus imperator Pius, qui bonos præsides septenis & nouenis annis detineret, vt scribit Capitolinus. sed vt sunt res humanæ huic commodo ingens periculum adnexum: multos enim diuturnioris imperij consuetudo corrupit, & ad rerum nouarum consilia impulit. quam ob caussam Iulius Cæsar tempus regendarum prouinciarum, lege arctauit: qua de re plura ad eius vitam, capite xxx.

8. *Intimauit etiam, vt assessores in quibus prouinciis assedissent, in his administrarent.*] *intimare* est γνώμην εἰσφέρειν, auctor esse principi vel senatui vt aliquid decernatur. Capitolinus in Pertinace, *vt stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat.* Assessores & vrbanis & prouincialibus magistratibus erant communes. itaque *prouinciæ* hîc non sunt ἐπαρχίαι, sed ἀρχαί.

10. *Pauli & Vlpiani præfecturæ.*] prætorianæ.

12. *Vnus ad memoriam paruisset.*] *Parere ad memoriam* quod Herodianus προεστῆναι τῆς μνήμης τοῦ βασιλέως.

13, *Vt nemo assideret in sua prouincia.*] Vide legem tertiam Dig. De officio assessorum, & titulum Codicis XLI. libri primi.

14. *Nisi Romanus, hoc est oriundus Vrbe.*] non natus solum in Vrbe

sed

ſed cuius pater & maiores, ciues fuiſſent Romani. Nam illis temporibus cum omnes facti eſſent ciues lege Antonini, diſcrimen ſtatuebatur inter veteres & nouos. Quamobrem quod modo dictum eſt, intimaſſe Peſcennium, *ne noui ad regendam remp. accederent*, bifariam accipi poteſt: vel de iis qui lege Antonini ciues facti fuerant, ſiue ipſi, ſiue eorum patres: vel de iis quorum fides & induſtria leuioribus adminiſtrationibus non fuiſſet probata. multi enim per ſaltum à malis principibus fuerant promoti.

15 *Addidit præterea conſiliariis ſalaria.*] Nam Auguſtus qui primus præſidibus prouinciarum ſalaria inſtituit, de aſſeſſoribus & conſiliariis cauerat nihil. Dio libro LIII. Lege titulum Codicis De annonis & capitu adminiſtrantium vel aſſeſſorum.

19. *Nilum habetis & vinum quæritis.*] Simili voce querentem populum de inopia & caritate vini coercet Auguſtus apud Suet. cap. XLII.

20. *Tanta illius fluminis dulcedo.*] τὸ τοῦ Νείλου ὕδωρ πολυγονώτατον καὶ γλυκύτατον. Athenæus. idem Strabo, Galenus, alij.

23. *Illi qui uos vincunt aquam bibunt.*] Et hodie Sarraceni hydropotæ ſunt: etſi non voluntate, ſed præcepto religionis, quod à pſeudopropheta ſuo acceperunt. olim verò inopia faciebat abſtemios, & rei ruſticæ inſcitia pariter ac neglectus. Ammianus Marcellinus, libro XIIII. *nec Sarracenorum quiſquam aliquando ſtiuam apprehendit vel arborem colit, aut arua ſubigendo quæritat: ſed errant ſemper per ſpatia longè latéque diſtenta, ſine lare, ſine ſedibus fixis aut legibus.* poſtea: *Victus vniuerſis caro ferina eſt, lactisque abundans copia, qua ſuſtentantur: & herbæ multiplices, etſi quæ alites capi per aucupium poßint: & pleroſque nos vidimus frumenti vſum & vini penitus ignorantes.*

24. *Idem Palæſtinis rogantibus.*] non aſſentior viris magnis, qui interpretantur de Iudæis: quos ſcimus Flauiorum legibus & Hadriani à terra ſua iuſſos abſtinere, vt & Tertullianus ſcribit: ſed illi intelliguntur, qui iis expulſis Palæſtinam incoluerunt. de his plura Spartianus in Seuero.

26. *Etiam aërem veſtrum cenſere vellem.*] id verò etiam auaritia principum tandem eſt factum: impoſito non Iudæis ſolum, ſed in vniuerſum omnibus, tributi genere, quod ἀέρικον de aëris cenſitione dictum eſt. Ita exponere memini doctorum doctorem Iacobum Cuiacium Obſeruationum libro decimo, capite ſeptimo.

32. *Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peßimus Albus.*]
Ἄριστος ὁ Φαιός, Ἄφρος δ' ἐσθλός, Λευκὸς δὲ κάκιστος.

37. *Fundetur ſanguis Albi, Nigrique minantis.*
Imperium mundi Pœna reget Vrbe profectus.]
Ῥεύσεται αἷμα χύδην Λευκοῦ, Μέλανός τε ἀπειλοῦντος·
Ὃς δὲ Λίβυς γένος ἐστὶν ἀνήρ, κεῖνος βασιλεύσει· vel,
Ὃς Λιβυκῆς πόλεως ἐξ ἄστος πέλει, οὗτος ἀνάξει.

Pag.114.verſ.1. *Cui dederint ſuperi nomen habere Pij.*]

ὧι θεοὶ Εὐσεβέος τοὔνομα δοῖεν ἔχειν.

6. *Quod verum ſignum Pij fuit*] nam ille primus Auguſtorum Antonini cognomen habuit: ab eo ceu fonte primario, deriuatum eſt in alios omnes. vide ad Marcum.

9. *Bis denis Italûm conſcendet nauibus æquor.*
Si tamen vna ratis tranſiliet pelagus.]

Εἴκοσι νῆας ἔχων Ἰταλῶν ἀναβήσεται ἅλα·
Εἴγε μία πόντον νηῦς ὀλοὸν περάσᾳ.

17. *Inde quod latet Vindex, quod Piſo neſcitur.*] ambo in Neronem conſpirarunt: noti ambo ex Tacito & Suetonio: ſed leuiter, nec propriis libris deſcripti. De Antonio, Suetonius libro VIII. capite ſexto.

21. *Ac ne quid ex iis quæ ad P.*] Quæ ante hæc verba leguntur in vulgatis editionibus, ea nos auctore codice regio in ſuum locum, hoc eſt, librum extremum reiecimus. Sic etiam aliter Puteaneorum.

25. *Ipſum Seuerum de matheſi quam callebat, dixiſſe.*] Lego, *didiciſſe*: quod & Iacobo Lectio placitum.

28. *In caueo argenteo.*] Valerianus imperator in epiſtola ad Zoſimionem procuratorem Syriæ: *Claudio dabis argenti in caueos & ſcyphos pondo vndecim.* erant & lignei. Marcellus empiricus, capite XXV. *Vermis terrenus exfoditur, & in ligneo cauco ponitur, ſi fieri poteſt, fiſſo & ferro illigato.* ſcribendum *caueo.* ſtatim vocat poculũ. Eſt igitur caueus genus poculi. ſed Ioſephus Scaliger damnata voce *caueus* legit heic *cauco*, & ita vbiq;.

33. *Ne ſe barbaræ n.*] ante *ne*, deeſt ex vſu loquendi Græcorum & Romanorum, cauendum eſt, δεῖ φυλάττειν. præſtantiſſimi Puteani codices ſcribunt, *nec ſe.* ipſe corrigebat, *& ſe b.*

36. *Aceto eſſe contentos.*] acetum enim loco vini apud veteres habebatur, vt docent Iuriſconſulti, & alij auctorum loci: ex quibus etiam conſtat aceto aqua diluto milites manipulares & ordinarios fuiſſe potatos. ſic ſerui, captiui, vincti, & omnes miſeri. Georgius Monachus de Manaſſe rege Iudæorum: καὶ δήσαντες αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς ἀπήγαγον εἰς Βαβυλῶνα. καὶ ἦν δεδεμένος ἐν οἴκῳ φυλακῆς καὶ ἐδίδοτο ἐκ πιτύρων ἄρτος βραχύς. καὶ ὕδωρ ὀλίγον σὺν ὄξει ἐν μέτρῳ πρὸς τὸ ζῆν αὐτὸν μόνον.

Pag.115.verſ.4. *Prope vſque ad metum ſeditionis.*] Placet quod habet regius, *vſque ad motum ſ.*

5. *Iuſsit vt denorum gallinaceorum pretia prouinciali redderent decem.*] ita fiebat vt res furtiua cum centuplo rependeretur.

12. *Sed publice commendarent.*] Notus mos Romanæ militiæ: vt prælium adituri milites recuſas ſuas, & quicquid haberent in zonula, apud ſigna in caſtris deponerent. quod non primus inſtituit, ſed ex veteri militia repetit nunc Peſcennius. *Commendare* eſt deponere, vt explicat Vlpianus, & ſæpe in iure.

13. *Et heredibus certe reddendum qui veniſſent.*] Scribo, *h. cæteris r.* τὸ ve-

venissent diu mihi fuit suspectum.

18. *Ad pernitiem illi magis ista fuere quàm mortuo * vbi & inu.*] Lege & distingue: *ad pernitiem illi magis ista fuêre: quum mortuo eo vbi & inuidia odium deposita erant, tal. exempla valuerint.* vel scribe, *quo tamen mort.* aut, *quanquam m.*

25. *Nam viuentes laudare irrisio est.*] Lampridius in Alexandro Seuero: *Oratores & poetas non sibi panegyricos dicentes, quod exemplo Nigri Pescennij stultum dicebat, sed aut orationes recitantes, aut facta veterum, quos ante retuli libenter audiuit.*

Pag. 116. vers. 3. *Reliquos fœmineos vel venenatos vocans.*] Haut dubie locus corruptus. Ingeniosè coniiciebat eruditissimus Lectius, *vel penninatos v.* nos tamen hoc modo: *vel venena orbis v.* aut *venena p. Ro.* sic Augustus vomicas suas & carcinomata appellabat filias. Marcellinus lib. XXVIII. *Quidam detestantes vt venena doctrinas, Iuuenalem & Marium curatiore studio legunt.*

8. *Quæ in vtroque nimis fuisse.*] φιλοκάλους enim Scipiones fuisse, vt etiam Græcanicum habitum aliquando assumserint in prouinciis, antiquæ historiæ produnt. alius est Fabius Scipio, de quo in Alagabalo.

13. *In campo Iouis.*] in descriptionibus Vrbis Romæ prætermittitur hic locus, aut aliter nominatur.

14. *In qua simulacrum eius in Trichoro constituit statim post annum ex Th.*] non dicit quis ille fuerit, qui hoc simulacrum in Pescenniana domo constituit. nam Pescennium ipsum non fuisse, satis docet cum dicit, *simulacrum eius*, non autem suum. illa autem *statim post annum*, nullam interpretationem admittunt. hisce tot incommodis quo medicinam faciamus, scribimus, *s. e. in t. constituit Statius Postumius.* non longè recedimus à vulgata, quam & in membranis offendimus, scriptura. sententia autem planissima. Statius hic Postumius domus Pescennianæ, eo extincto cum liberis & vniuerso nomine, fuit dominus: qui non in gratiam Pescennij: sed vt ædes suas ornaret, illius simulacrum nactus, in sua domo illud posuit. Dici etiam potest, viuo Pescennio positam in eius domo hanc statuam, cum eo absente negotia illius gereret Statius Postumius amicus & fautor ipsius. Scribendum etiam minore litera initiante *trichoro*. dixit autem Spartianus *in trichoro*, pro, in vno è trichoris. Magnatum ædes & palatia tribus distinctis partibus constare solent: quarum vna ingredienti aduersa occurrit, duæ sunt ad latera. has tripertitas domos architecti vocabant trichora, τρίχωρα. Statius Papinius in Tiburtino Manlij Vopisci:

> —— *quid nunc ingentia mirer,*
> *Aut quid partitis distantia tecta trichoris?*

Architecti nostri vocant hodie papiliones: quia harum partium (ædificij corpora vulgo dicimus) diuersa tecta sic consurgunt, vt in metatura castrorum separata totidem papilionum fastigia.

15. *Ex Thebaico marmore.*] Fuere diuersi generis & coloris, quod ex Plinij libro XXXVI. apparet. istud fuisse Nigrum demonstrat postremum distichum sequentis epigrammatis.

16. *A rege Thebæorum.*] Habuere Aegyptiæ Thebæ proprium dynastam quem regem vocabant: sed Romano imperio subditum: nam prouinciæ Aegypti pars Thebais fuit, iam inde à temporibus Augusti.

17. *Extat etiam epigramma Græcum.*] quod basi fuerat adscriptum eius simulacri de quo dictum est modò.

ib. *Quod Latine hanc habet sententiam.*] Inueneritne Spartianus Græcum hoc epigramma in Latinum versum, an ipse verterit, ex eius verbis cognosci non potest. non recte enim ex his colligas, auctorem ipsum esse huius interpretationis. nam & Capitolinus in Macrino, cum facta mentione Græci epigrammatis simillimè dixisset, *quod Latinè hac sententia continetur*, quasi esset ipse interpretationis auctor, quam subiicit: postea tamen alij adscribit, quem merito ineptum pronuntiat. Lampridius quoque in Diadumeno fatetur, versionem versuum Græcorum, quam libro suo inserit, à malo poeta profectam. Idem & de hoc epigrammate censemus: neque ita male de Spartiano iudicamus, vt tam ineptam versionem velimus illi ascribere. Illud vix excusamus, quod Lectorum eruditas aureis Latinis hisce verbis offendere præoptarit, quàm Græcis ipsis vti: quos non dubitamus paullo saltem meliores & lectu digniores fuisse. Nos malos Latinos Græcis mutauimus nihilo deterioribus.

Αἰγυπτίης αἴης ὁ Μῆγας μέγα δεῖμα, πάρεστι,
Θηβαΐδος πρόμαχος, χρύσεα πᾶσι νοῶν·
Τὸν βασιλεῖς κ᾽ ἔθνη φιλέουσιν, καὶ σύγε Ῥώμη·
Τὸν κ᾽ Ἀντωνίνοις παντοκράτορσι φίλον.
Οὔνομά οἱ Μῆγας ἐστι, λίθου μήδινος δὲ καὶ εἰκὼν
Ἥδε· συνῳδὸς ὕλη ὄφρα γένοιτο φυῇ.

in primo versu pro *militis* legimus *limitis*, cum Iohanne Sauarone.

19. *Terror Aegyptiaci N.*] Scribendum *Egyptiaci*. nam ea ætate neq; scribebant diphthōgos, neque earum ratione in pangendis versibus habebant. cuius licentiæ exempla scimus extare aliquot, non solum apud Christianos poetas, qui metricam non admodum curarunt, sed etiam apud castigatissimum poetam Ausonium, vt in eruditissimis illis Lectionibus suis obseruat Scaliger. in antiquissimis membranis & lapidibus sæpe Egyptum offendes scriptum: vt in Neapolitano quodam: PROCVR. LVDI. FAMIL. GLAD. CAESARIS. ALEXANDREAE. AD. EGYPTVM. ADLECTVS. Sic *premium* scribebant pro præmio, & in versu corripiebant. vt in epitaphio Maximi Olibij. NE. PREMIVM. TANTI. DEPEREAT. LATICIS. alibi occurret SEVIENTE prima breui, & similia his. Hanc igitur vsurpationem hoc modo excusare, & seculo imputare possumus: cætera peccata hominum

minum propria ſunt non ſeculi. vt quod verſu tertio poſteriorem vocis *gentes* facit breuem. Similia peccata iſtorum poetarum in aliis vitis.

23. *Nigrum formauimus ipſi.*] Scribe, *nigrum.* in regio eſt *nigram* : vt ſit figura, πρὸς τὸ σημαινόμενον, & referatur ad vocem ſtatuam, ἔξωθεν ſupplendam. quod tamen minus probo.

24. *Vt conſentirent forma metalla tibi.*] Regius, *Vt conſentiret forma metalla ſibi.* nullo ſenſu. mens haut dubie eſt illa, quam antè expreſſimus. quod de marmore nigro facta eſſet ſtatua Nigri, hanc affert rationem, vt cõcolor eſſet formæ ipſius. ergo legendũ, *Vt conſentirent forma, metalla ſibi. forma metalla* ἀσυνδέτως, pro forma & metalla. appellat *metalla* marmor Thebaicum ex quo factum ſimulacrum dixit antè Spartianus. Sic Vlpianus & iuris auctores alij metallorum appellatione lapides, cretas, arenas, ſulpura, & cætera hoc genus complexi ſunt. Si retinere velis vocem *tibi*, potes ſcribere, *Vt conſentirent furua metalla tibi.* & fortaſſe vera hæc ſcriptura eſt. *furua metalla* interpretor marmor illud, vel ei ſimile aliud, quod Plinius in Aegypto ſcribit reperiri (etſi alibi natũ) ferrei coloris & duritiæ : baſaltẽ vocãt, inquit ille. eſt autẽ leuiter corruptũ nomen, pro *barſalten*, vel *barzalten*. nam בַּרְזֶל vel בַּרְזְלָא ferrum ſignificat.

31. *De quo ipſo neque ſatis clara extant.*] deeſt aliquid explendæ ſententiæ. vel ſcribendum *nec*, pro non.

ISAACI CASAVBONI
IN IVLII CAPITOLINI CLODIVM ALBINVM,
EMENDATIONES ET NOTÆ.

IVLII CAPITOLINI.] Ita & libri ſcripti: quorum niſi auctoritas obſtaret, vix putem ab alio ſcriptam hanc vitam: quam ab eo qui ſuperiorem Peſcennij.

13. *Et Claudium quidem Herodianus dicit seueri Cæſarem fuiſſe.*] Scrib. *Clodium.* reſpicit illa Herodiani de Seuero & Albino: Καίσαρα δὲ αὐτὸν ἀποδεικνύει, φθάσας αὐτοῦ τὴν ἐλπίδα, τῇ τῆς ἐξουσίας κοινωνίᾳ. neque Dio aliter.

17. *Vndique cuncta turbata ſunt.*] Dio in eadem re, συγκινουμένης διὰ παντὸς τῆς οἰκουμένης.

21. *Nolens intelligi, peßimus albus.*] Non ſolum ſortis eiuſdem meminit, cuius in Peſcennio fecit mentionem: de qua tamen nihil Dio, neque Herodianus: ſed etiam verſionem eandem Græci verſus affert, quam & libri ſuperioris auctor vſurpauit: nam ibi Græcus verſus ita vertitur: *Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peßimus Albus.*

30. *Ad milites prodeas.*] hoc quam vim habeat diximus ad Verum Auguſtum.

32. *Nonium Marcum.*] ita regius: alij *Murcum.*

33. *Vt tibi parent ſtationis auguſtæ procurationem.*] Scribendum, *ſibi.* atque ita etiam regius.

Pag. 118. verſ. 4. *Proauus meus Verus, qui puer vita functus eſt.*] quis iſte Commodi proauus? Si proprie loqui volumus, non alium Commodus proauum habuit, quam Annium Verum, Marci auum, iterum Cos. & præfectum Vrbi, vt auctor eſt Capitolinus. ac ſcimus viros doctiſſimos de illo hæc accepiſſe. quod tamen videtur nobis non poſſe. nam certum eſt eum de quo ſentit Commodus, Hadriani Cæſarem fuiſſe. Quare Aelium Verum neceſſariò intelligendum non ambigimus. ſed cur hunc Commodus proauum ſuum appellet, difficilis quæſtio. nam ſiue

na-

naturæ, siue adoptionis iura spectes, falsum hoc. an adeo fuit ille insanus stemmatis sui incuriosus, vt Pium auum suum putaret ab Aelio Vero, non ab Hadriano adoptatum? Scimus quidem non ita factum: sed potuit hic error in illius furiosi mentem cadere. An id potius dicemus: quod & vix dubitamus esse verum? non Commodum heic peccasse, sed librarium: qui *proauus* perperam scripserit, cum inuenisset *propatruus*. omnino sic est: neque aliter legi potest. Illud non potest ratione vlla excusari, quod Verum Cæsarem puerum vita functum ait: nam vnde puero liberi? Præterea qui bis Cos. fuerit, prouinciam administrarit, resque in ea feliciter gesserit, quomodo puer dici hic potest? Viri doctissimi censebant legendum, *qui nuper v.f.e.* de Annio enim Vero accipiebant: de cuius morte nihil à veteribus memoriæ proditum. sed cum vt iam diximus, de Vero Cæsare necessario Commodi verba sint intelligenda, mutandum nihil censemus: & *puerum* παχυμερῶς καὶ καταχρηστικῶς dictum arbitramur eum qui non παῖς, verùm βούπαις, & adolescens adhuc esset.

5. *His literis acceptis, omnino id quod iubebat facere noluit.*] Hæc regia lectio & Puteani vtriusque. nam alij habent, *H. l. a. à Nonio*: præcedit quidem Nonij mentio: sed de eo accipi verba hæc non possunt. sequor regium: nisi quod *iubebatur* malim, quàm *iubebat*. non dubium est. cum has literas Albinus accepisset, quin fuerint multi qui illum impellerent, vt Cæsaris nomen sibi delatum arriperet: at ille *omnino noluit*, id est, adduci eò nulla ratione potuit.

10. *Et quidem Seueri, vt quidam, voluntate firmatum.*] Tollenda sunt illa, *vt quidam*, quod vidit acute Iacobus Lectius. cum fuissent temere repetitæ voculæ præcedentes, *& quidem*, postea emendarunt *vt quidam*. sed nullum esse huic dubitationi locum ex ipsis quæ subiiciuntur Iuliani verbis constat planissime.

19. *Et Albini amori inuidentem.*] *Albini amori*, hoc est, amori senatorum in Albinum: siue Albino circa quem maior erat senatus voluntas, vt ipse auctor infra se explicans loquitur. vide & sub libri finem.

32. *Contra consuetudinem puerorum qui nascuntur & solent rubere.*] διὰ τὸ ἀφ' αἵματος τὸ βρέφος ἀποβεβλῆσθαι, inquit Artemidorus, capite xv. libri primi. Iuuenalis, ——*modò primos incipientem*
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem. ideo orti infantes, inquit Hieronymus lib. IV. in Ezechielem, ad eluendum sanguinem lauantur aqua. atque hos propterea Iurisconsulti sanguinolentos nominant: extatque in Codice Titulus De iis qui sanguinolentos acceperint: quod Constantinus imperator dixit, *à sanguine comparare*, lege prima eius tituli in Cod. Theod.

Pag. 119. vers. 1. *Linteamen quo exceptus est.*] Hieronymus in capite XVI. Ezechielis: *Tenera infantium corpora pannis inuoluuntur, duplicem ob caussam: vt & sale siccetur corpus, quod pannis ne defluat seruatur & stringi-*

tur: & membra tenerrima ne facile deprauentur. vnde & corpora Barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt: vsque ad secundum enim & tertium annum, semper pannis inuoluuntur.

11. *Purpureis ad plenum colorem cornibus.*] poterat omitti vox *colorem*. in regio est, *colore*. quod & ferri potest.

29. *Septima eius diei hora conuiuij quod c.*] oratio non est Latina. sed dubio procul scribendum, *septima eius die, hora conuiuij q.* loquitur de solennitate diei lustrici, quo celebrata sunt infantis nominalia. septimo autem die suis liberis nomina plerique imponebant Græci Latinique. Aristoteles Historiarum libro septimo: τὰ πλεῖστα βρέφη ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται. plura de hoc more notauimus alibi.

30. *Quum ei fierent nomina.*] Lego, *Nominalia*. neque aliter Latinam fore orationem iudico.

31. *Quasi ad iocum circa cunas pueri constitutæ.*] ita fuit moris. Plautus: *patriciis pueris aut monedulæ, Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitet.*

34. *Purpurea matris illigatus est fascia.*] Color purpureus quoquomodo infanti admotus spem faciebat regiæ fortunæ: quia purpura erat ἀρχῆς σύμβολον, & propria imperatorum, vt notum ex historia & Codice. quinetiam institutum postea est ab Imperatoribus Constantinopolitanis, vt Augustæ liberos non parerent nisi ἐν Πορφύρᾳ: quem morem Nicetas Choniates aperit lib. v. & Luithprandus lib. I. cap. I. Inde est quod inter omina imperij quibus scatent hi libri, semper fere inuenies purpureum aliquid. vide in Diadumeno. Sic Aureliano, omen imperij faciunt crepundia purpurea. Apud Hieremiam prophetam Lamentationum capite quarto, οἱ τιθηνούμενοι ἐπὶ κόκκων, non de regiis infantibus dicitur, sed de iis qui in summis deliciis educantur. vetus tamen interpres vertit, *qui nutriebantur in croceis*: quod potest referri ad exquisitiorem ciborum paratum: nam & à colore cibus commendatur, vt apud Aristophanem ἔτνος εὔχρων, in Equitibus. sed refellit Hebraïca veritas. Sic in epigrammate Antipatri:

Ἡ καὶ ἔτ' ἐκ βρέφεος κοιμωμένη Ἀντιοδημὶς,
Πορφυρέων Παφίης νοσσὶς ἐπὶ κροκίδων.

Fuit etiam moris infantibus appendere κόκκινον στήμονα, vt narrat Chrysostomus homilia XIII. in priorem ad Corinthios: sed eius rei præter ornatum alia caussa fuit, quam lege apud sanctissimum illum virum.

37. *Super huiusmodi omnibus.*] Scribendum, *ominibus*.

Pag. 120. vers. 11. *Et pallij coccini vtendi.*] *coccinei*.

23. *Claudium Albinum.*] *Clodium*.

26. *Per quosdam summi ordinis ac summæ affectionis misit.*] Herodianus aliter, μεταπεμψάμενος τοὺς πιστοτάτους τῶν εἰωθότων τὰ βασιλικὰ γράμματα διακομίζειν.

33. *Infantulo tuo Pescennio Prineo.*] Regius, *Princo*. ego satis miror infanti Clodij Albini hæc nomina esse imposita: & caussam eius rei quæ-

ro.

ro. Prineus autem quid ſit neſcio , neque Princus. Perineus fuerit nomen Græcum: περίνεως.

37. *Quibus præcepit vt epiſtolam publicè darent.*] Herodianus, τὰ μὲν γράμματα δημοσίᾳ ἀποδοῦναι.

Pag.121.verſ.3. *Atque aulicam fidem.*] Lego *ſedem.* alibi vocat ſtationem imperatoriam.

21. *Quum ſollicitus augures conſuleret.*] Pannonios. vide in Seuero. vbi pleraque omnia eorum quæ in hac vita.

31. *Cuius nece à Seuero gratiam requirebant.*] Scribe, *qui eius nec.*

Pag.122.verſ.14. *Abſurdum non fuit.*] Melius *fuerit.*

19. *Huic ſalarium duplex decreui, veſtem militarem ſimplicem, ſed loci ſui ſtipendium quadruplum.*] Voces annona, ſalarium & ſtipendium, etſi ſeparantur ſæpe à ſcriptoribus, vt quæ proprias ſignificationes habeant, inter ſe diuerſas: ſæpe tamẽ confunduntur. ſic hoc loco *ſalariũ* & *ſtipendium* non differũt. nam *ſalariũ duplex* intelligit Marcus, quod merebat Albinus priusquàm in altiorẽ gradũ promoueretur, & quod promoto debebatur pro ratione muneris quod illi imponebatur. qui mutãt militiã, ſalariũ quoq; mutant, ſiue maiore ſiue minore, pro ſtatione in qua collocantur. Marcus Albino vtrumq; pendi iuſſit: atque hoc duplex eſt ſalariũ. At *ſui loci ſtipendiũ quadruplũ* eſt quadruplum illius ſtipẽdij ſiue ſalarij, quod vulgo omnibus exhiberi ſolitum, qui locũ illum obtinerent, in quem vocatus erat Albinus. Ordinarium illud fuit, vt cuique militantium ſalaria ſui ordinis decernerentur, vt loquitur Vopiſcus: illud honoris cauſſa fieri ſolitum, vt viris fortibus ſui loci ſtipendium multiplicaretur. Sic alibi leges in his libris tribuno omnia præſtari quaſi duci. Hinc appellati duplares, qui ſtipendium ſiue ſalarium duplum acciperent.

36. *Quingentas ficus paſſarias, quas Græci calliſtruthias vocant.*] etiam veteres Latini calliſtruthias appellabant, non paſſarias. de his Plinius libro xv. & Athenæus in tertio.

Pag.123.verſ.1. *Centum Perſica Campana.*] quæ magnitudine alibi nata ſuperarent.

ib. *Et melones Hoſtienſes decem.*] cucumeris genus ætate Plinij in Campania primo natum, poſtea latius propagatum, & diligenter cultum. melopepones initio dicti, & Græcis quoque μηλοπέπονες. poſtea contracta voce melones, vt hic & apud Palladium. Nihil melones iſti ad hodiernos: quos omnis vetuſtas ignorauit. Etſi fuiſſe & veterum melones à cupediariis expetitos, ex hoc loco & alio in Gallieni vita poſſis colligere. meminit & Vopiſcus in Carino.

8. *Ordinarios centuriones.*] Feſtus, *Sunt quidem qui manipularium eum qui infimi ordinis ſit, appellatum credant ordinarium.* Vopiſcus in Bonoſo, *Militauit primum inter ordinarios, deinde inter equites.* horum centuriones, dicti, centuriones ordinarij. Extraordinariorum equitum meminit

Spartianus in Caracalla.

27. *Extat epistola Seueri, quæ ostendit animum suum.*] Scribendum, *qua*. nisi *suum* dixit pro ipsius.

28. *Nihil mihi gratius potest euenire.*] εἰρωνικῶς hoc dicit, aut scribendum, N. *mihi ingratius p.e.* & *poterat* malim quàm *potest*. In altero Puteani cod. *grauius* scriptum non *gratius*.

34. *Vnum ex Afris, & quidem Adrumetinis.*] Mirum est ita contemtim de Afris locutum Seuerum, hominem Afrum, & sui nequaquam contemnentem. Fortasse non ipsius hæc epistola est, verùm Marij Maximi, aut alius cuiusdam, qui pro eo iure quod sibi historiarum conditores vsurpant, sub nomine Seueri istam epistolam composuit. etsi temere hoc nõ credam: spirat enim tota hæc scriptio genuinum aliquid, & Seuero non indignum. Hadrumetum vero oppidum ea tempestate nec magnæ nec nimium bonæ famæ fuisse hinc colligas. Puto Seuerũ cum hæc scriberet, allusisse ad nominis Hadrumeti veriloquium. norat enim, lingua Pœnorum parum honorificum & insuper infaustum esse id nomen, quasi dicas Ἔπαυλις Πλούτωνος, vel Acherontis ostium. Lege Iosephi Scaligeri Notas in Berosi & aliorum veterum fragmenta. Tertullianus De pallio: *Sic & in proximo soror ciuitas vestiebat, & sicubi alibi in Africa Tyros*. postremis verbis Hadrumetum designat. antiquam Tyriorum coloniam, non minus quam Carthaginem, aut Vticam: sed Tertullianus non fecit tanti, vt expressius eam indicaret.

Pag. 124. vers. 7. *Statilius Corfulenus.*] Membranæ, *Corsulenus*. quomodo & alibi, nisi fallor, hoc cognomen memini scriptum.

9 *Homo nobilis ad triumphum.*] εἰρωνικῶς & venustè. *homo nobilis ad triumphum*. hoc est, ea nobilitate vt vel inter triumphales propterea mereatur censeri. aut, cui ad summum decus nihil desit, nisi vt breui triumphus illi decernatur. Sic in Caracallo, *libri ad doctrinam*, παιδείας ἥκοντες, vel πρὸς παιδείαν συντείνοντες.

11. *Inter Milesias Punicas Apuleij sui.*] Abest à regio vox *Punicas*. non rectè. nam ita Apuleij librum vocat Seuerus per contemtum.

22. *Armorum strenuus, vt n.*] Malim ita distinguere: *Armorum strenuus: prorsus vt non m.*

36. *Tam auarum principem.*] Dignum obseruatu, quod Crassum qui in expeditione Parthica periit, principem appellat Albinus: cum ne senatus quidem princeps fuerit, nedum Reip. qui tempore Crassi nullus dum fuit. sed imperatorem hoc est στρατηγὸν voluit dicere Albinus.

Pag. 125. vers. 6. *Cæsareum nomen.*] Regius, *Cæsareanum*.

14. *Et viuo Commodo, & deinceps interempto.*] Non est simile veri senatum viuo Commodo ausum Albino palam fauere, vt & adclamationibus eum ornaret. Quare auctoris verba in hanc potius sententiam interpretare, vt dicat, orationem Albini placuisse senatui, &

viuo

viuo Commodo: ſed adclamationes, eo demum interempto factas.

16. *Apud Iulianum.*] Scrib. *& apud Iul.*

20. *Aurelius Commodus Seuerus.*] vnde hoc *Seueri* cognomen? nam inter plurima, quæ aſſumſit Commodus, quæque in nummis & lapidibus extant hodieque, iſtud inuenies nuſquam. Fortean ſcribendum, *A. C. ſuis præt. præfectis ſalutem.* præcedentia verba ſuadent: *epiſtolam Commodi ad præfectos prætorij ſuos datam inſerui.* Vocem quidem *ſuis* firmat inſcriptio ſimilis poſita non multo antè, quæ hæc eſt: *M. Aurelius Antoninus præfectis ſuis ſalutem.*

28. *Vobis militibus populoque vitandum.*] Regius, *vobis inutilem, populoque vit.*

ISAACI CASAVBONI

IN AELII SPARTIANI ANTONINVM CARACALLVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

ANTONINVS CARACALLVS.] Alij, CARACALLA. vtrumque dicunt Latini: Græci ſemper Καράκαλλος. Manſit in vſu apud illos hoc nomen: nam apud Himerium in libello Περὶ θεαμάτων inuenio Ἀμαστριδινὸν Καράκαλλον περιπόσιον.

8. *Quorum vnum exercitus, alterum pater dixit.*] Mira locutio, & cuius exemplum quærere ſit quàm inuenire facilius: *dixit*, pro dixit Cæſarem, vel Antoninum, vel Auguſtum. nam tot modis exponi poteſt. Idem Spartianus in Seuero: *Ob hoc etiam filium eius Baſſianum Antoninum, qui Cæſar appellatus iam fuerat, annum decimumtertium agentem, participem imperij dixerunt milites. Getam quoque minorem filium Cæſarem dixerunt: eundem Antoninum, vt plerique in literas tradunt, appellantes.* ex his apparet multifariam exponi poſſe illud *dixit*. Prӕterea non ſibi cõſtat Spart. qui alterũ à patre, alterum ab exercitu Cæſareum nomen aut imperiũ dicat accepiſſe. nam in Seueri vita

milites ſunt,qui vtrumque Cæſarem dicunt, ac mox Auguſtum: in libro vero ſequēti pater:heic alterum pater,alterum filius. Fortaſſe ante verbum *dixit*,deeſt vox *Cæſarem*, vel *Auguſtum*. iudicent periti lectores.

13. *Fruſtra putamus iterandum.*] hoc eſt,iteratum iri.alioqui *fruſtra*, poſitum erit,pro non.

14. *Parentibus affabilis.*] Robertus Bon.*p.delectabilis.*

16. *Non ille in literis tardus.*] Et Græcas literas didiciſſe, & valuiſſe etiam memoria indicat, quod Dio narrat de recitatis ab illo quinque verſiculis Euripidis, cum illum ipſe poſtremum vidit.

17. *Non lentus in clementia.*] Regius corruptè,*in elemoſina*.idem mendum apud Robertum.

18. *Sed ſub parentibus.*] ſic ſtatim,*Sed hæc puer.*

20. *Septennis puer.*] Capitolinus de Gordiano puero: *bonitatis inſignis:adeo vt ſemper in ſcholis ſi quis puerorum verberaretur,ille lachrymaret.*

21. *Ob Iudaicam religionem.*] quam poſtea edicto prohibuit pater Seuerus & Chriſtianam ſimul, vt in eius vita dictum. Iudaicæ autem appellatione & Chriſtianam intelligi,notum omnibus. Ipſum Antoninum lacte Chriſtiano fuiſſe educatum ſcribit diſerte Tertullianus ad Scapulam.

Antoninus lacte Christiano educatus ex Tertulliano

23. *Vel auctores verberum.*] Scribe,*velut auctores verb.* διά τε αἰτίους ὄντας τῶν πληγῶν.

26. *Crudelitatis cauſſa.*] quam in omnes exercuiſſe Plautianum affatim docet Dio. tangit & Spartianus in Seuero ac Geta.

ib. *Quæ à parentibus gratia ſigillariorum acceperat.*] Viri docti,*ſigillaritiorum*.vt dicimus,dare nomine xeniorum.tamen & *ſigillariorum* ferri poteſt: quomodo apud Suetonium, *quadraginta aureos in Saturnalia & Sigillaria ſe miſiſſe ei.*

Sigillaria vel sigillaritia

31. *Vt eum quem puerum ſcirent.*] id eſt, quem, qualis puer fuiſſet, ſcirent. Regius,*ſcierant*.ſcire pro cognoſcere. ſic alibi, *qui Remp.ſciret*, id eſt,probe cognitam haberet.in Gordianis:&,*niſi quem ipſe bene ſciſſet.* in Hadriano.

33. *Alexandrum Magnum eiuſque geſta in ore ſemper habuit.*] Dio, περὶ τὸν Ἀλέξανδρον ἐπτόητο. lege cætera.

34. *Patre ſuperbior fuit.*] infra, *patre duro crudelior.*

35. *Fratrem magna eius humilitate deſpexit.*] id eſt, cum frater magna humilitate aduerſus ipſum vteretur.

36. *Poſt patris mortem in caſtra prætoria pergens.*] omittit reditum è Britannia in Italiam, & Vrbem. ſed & hiſtoriam narrat perturbate: nam Antoninus non ante cædem, verùm ea admiſſa ſtatim in caſtra prætoria perrexit.

Pag.127.verſ.1. *Eius corpus ſtatim cremari præcepit.*] ſic Nero Britānicū à ſe occiſum *raptim inter maximos imbres tranſlatitio extulit funere.*

5. *Pars militum apud Albam.*] præter caſtra quæ in Vrbe, erant alia ad

ad Albani montis radices. Capitolinus in Maximinis. *Quare timentes milites quorum affectus in Albano monte erant.* hoc ita Herodianus historia octaua, ἔδοξε τοῖς στρατιώταις, οἳ πρὸς τῇ Ῥωμαίων πόλει στρατόπεδον εἶχον ὑπὸ τὸ καλούμενον ὄρος Ἀλβανὸν, ἔνθα παῖδας καὶ γυναῖκας καταλελοίπεσαν, φονεῦσαι τὸν Μαξιμῖνον. horum castrorũ meminit sæpius Dio in Theodosij Excerptis.

10. *Enormitate stipendij militibus vt solet placatis.*] Herodianus promissos scribit militibus viritim denarios bis millenos quingenos: diurnum etiam frumenti modum dimidio auctum eius quod prius accipiebant.

11. *Atque inde Romam rediit.*] Regius, *atque inde Romam contendens rediit.*

ib. *Tunc sub veste senatoria loricam habens, cum arm.*] In Geta, *Ipse Baßianus tantum timuit, vt loricam sub lato habens clauo, etiam Curiam sit ingressus, atque ita rationem facti sui & necis Geticæ reddiderit.*

17. *Fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidiis liberasse.*] Horum nihil est in ea oratione Commodi quam refert Herodianus, vt ab illo tum in senatu habitam.

19. *Post hoc relegatis deportatisque reditum in patriam restituit.*] *post hoc*, id est, statim post habitam superiorem orationem, cum inibi esset, vt Curia egrederetur, & iam ad fores accessisset. impetu enim factum, non consilio.

21. *Eos quos occidere parabat affabiliter est alloquutus.*] In Geta: *Fuit eius immanitatis Antoninus, vt iis præcipuè blandiretur, quos ad necem destinabat.*

23. *Et Chiloni.*] Dio *Cilonem* nominat. τὸν Κίλωνα τὸν τροφέα, τὸν εὐεργέτην, τὸν ἐπὶ τοῦ πατρὸς πεπολιαρχηκότα. Vlpianus lege prima, De officio Præfecti Vrbi. *epistula Diui Seueri ad Fauium Cilonem Præfectum Vrbi missa declaratur.*

25. *Mulieres occidere conatus est.*] Regius, *multas occ.*

ib. *Sed ob hoc retentus ne augeretur fratris occisi crudelitas.*] Regius, *ne videretur ac augeretur fratris crud.* qua retenta lectione, deest aliquid explendæ sententię, hoc modo: *ne videretur furere ac aug.* placet magis vulgata. *crudelitas* dixit, pro inuidia ex crudelitate. Sed quod ait retentum à cæde mulierum, de nonnullis verum est, non de omnibus: nam & harum multæ occisæ: sed à matris cæde quam cogitauerat est retentus, vt narrat Spartianus in extrema vita Getæ.

29. *Ipse mortem eius sæpißimè fleuit.*] in Geta: *Mirum sanè omnibus videbatur, quod mortem Getæ toties ipse etiam fleret, quoties nominis eius mentio fieret, quoties imago videretur aut statua.*

31. *Fratrem patruelem Afrum.*] Explica ex Dione, τόν τε ἀνεψιὸν αὐτοῦ, Σεουήρῳ τε ὁμώνυμον.

34. *Per ludibrium à percussoribus deprehensus est & occisus*] Distingue, *per ludibrium, à p. deprehensus, est occisus.* inepta est, quam vulgata continet, sententia.

Pag.128.verſ.2. *Et ita quidem vt videretur à latronibus interemtus.*] Lampridius in Commodo: *Occiſus eſt eo tempore etiam Claudius quaſi à latronibus.* loquitur Lampridius de Claudio Pompeiano patre Pompeiani, cuius heic cædes narratur. Sed erroris manifeſtiſſimi arguit Lampridiũ, omni exceptione maior teſtis Dio, cui viſus poſt necem Commodi Pompeianus ille quem Lampridius à Commodo ſcribit occiſum. ipſe adeo Lampridius refellit ſe in Iuliani vita ſcribens, Claudiũ Pompeianum è ſeceſſu Tarracinenſi à Iuliano ad participatum imperij fuiſſe euocatum, quod gener imperatoris fuiſſet. quid igitur cogitabat, cum illa in Commodi vita ſcriberet? Ego non dubito Lampridium cum Marium Maximum legeret, ſiue alium quemcunque, vnde hæc verba tranſcripſit Spartianus, incogitantiâ & ἀπροσεξίᾳ male cepiſſe auctoris mentem, male expreſſiſſe. Suadet imprimis modus ipſe cędis: quē vtrobique vides eſſe eundem. hic ait, *vt videretur à latronibus interemtus*: ille, *quaſi à latronibus.*

4. *Quo facto, percuſſori dixit, Gladio te exequi opportuit meum iuſſum.*] Dio, τῷ δὲ τὸν Παπινιανὸν φονεύσαντι ἐπετίμησεν, ὅτι ἀξίνῃ αὐτὸν, καὶ οὐ ξίφει διεχρήσατο. Vlpianus lege octaua Dig. De pœnis: *Vita adimitur, vt puta ſi damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertatur. ſed animaduerti gladio oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel quo alio modo.* plura ad Suetonium libro ſecundo, capite xv.

9. *Iiſdem diebus occiſi ſunt innumeri, qui fratris eius partibus fauerant.*] Non ſine ſtupore lego apud Dionem, ex amicis, fautoribus aut miniſtris Getæ cæſa tum fuiſſe, nullo ſexus diſcrimine, quà in Palatio, quà in Vrbe, millia hominum viginti.

13. *Sammonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant.*] Regius, *Samonicus.* vnico *m.* in Geta. *Sereni Sãmonici libros familiariſsimos habuit, quos ille ad Antoninum ſcripſit.* Vide etiam Lampridium in Alexandro. Fuit & Serenus alter Samonicus huius filius, Gordiani iunioris præceptor, vt ſcribit Capitolinus in eius vita: qui moriens acceptam à patre bibliothecam, in qua erant ad LX. duo millia librorum, chariſſimo diſcipulo reliquit.

17. *Nudis pedibus ab vrbanicianis raptus eſſet.*] de ſoleato dixit, *nudis pedibus.* nam Dio ait, βλαύτας ὑποδεδεμένον. & rationem adiicit, quia erat in balneis. plura de his alibi.

26. *His geſtis Galliam petiit.*] Herodianus, ἀπάρας τῆς Ἰταλίας ἐπὶ ταῖς ὄχθαις τοῦ Ἴστρου γενόμενος, διῴκει δὴ τὰ ἀρκτῷα τῆς ἀρχῆς μέρη. omittit profectionem in Galliam, & de aduentu in Daciam loquitur: de quo mox auctor.

28. *Qui in Gallia res regebant.*] Scribe, *gerebant.*

36. *Morbo implicitus.*] Recte: & *implicari morbo,* & *implicari in morbum* ſæpe apud Liuium, & Cornelium Nepotem atque alios.

Pag.129. verſ.2. *Germanicum ſe appellauit.*] vel potius cognomen

viuo

viuo patre delatum vſurpauit: aut noua de Germanis parta victoria, iterum meruit. ita exponendum: quia ſtatim ſequitur, *Germanici nomen patre viuo fuerat conſecutus.* Sed videtur cum in Dacia res gereret, aliquam de Germanis victoriam reportaſſe: cuius gratia denuo GERMANICVS ſit ſalutatus. geminabant enim huiuſmodi cognomina, vt & appellationem IMPERATORIS. Erat vero res ridicula, Germanicum dici velle eum qui fratrem ſuum occidiſſet. debuit enim homo ſceleratus cogitare, multos ſic cognomen interpretaturos, quaſi de ſublato fratre germano gloriaretur, non de victis Germaniæ populis. Infra dicitur partam Caracallæ de Alemannis victoriam: quò poſſumus & hanc hiſtoriam referre, vt ibi dicturi ſumus. Ne aſſentiamur ergo viris doctiſſimis, qui mendum heic ſubeſſe diſputant.

3. *Aſſerens, ſi Lucanos viciſſet, Lucanicum ſe appellandum.*] cum conarentur amici Antonini, illi perſuadere, vt à cognomine GERMANICI abſtineret, propter eam rationem, quam modò diximus, & τὸ ἀμφίβολον duarum vocum *Germanus* ac *germanus*: ille contra pertendere, ac dicere, nullum adeo βλάσφημον aut ridiculum populi nomen poſſe inueniri, vt cognomen ab eo ductum velit refugere, ſi eum populum viciſſet. deinde afferebat exempla, cuiuſmodi hoc eſt: aiebat enim ſi victi à ſe eſſent Lucani cognomen LVCANICI non aſpernaturum. quid inſit ridiculi in hoc cognomine obſcurum non eſt: nam inter edulia, genus quoddam fuit inteſtini farti, quod *lucanicam* vocabant. ideo Romani, homines ventri atque abdomini natos, Lucanicos ſoliti vocitare, vt auctor eſt Ammianus Marcellinus libro XXVIII. quaſi Græcè dicas ἀλλαντοφάγος, vel ἀλλαντοπώλης: cuius nominis vilitatem & dedecus norunt qui comici Attici Equites legerunt. Quanto ſapientior Aurelianus, qui victa Carporum gente, CARPICI cognomen à ſenatu ſibi delatum reiecit, ob vicinitatem vocabuli *carpiſculus*, quo calceorum genus quoddam illa ætas nominabat? auctor Vopiſcus.

4. *Damnati ſunt eo tempore.*] Reg. *deſignati*: nempe ad cædem. ſed malo *damnati*: videlicet legibus maieſtatis. Similium calumniarum exempla apud Tacitum & Suetonium: de non facienda vrina in locis ſacris, habes apud Ariſtophanem, Perſium, atque alios. quæ inde petant ſtudioſi. Nos enim alio pergimus.

7. *Damnati ſunt & qui remedia quartanis tertianiſque collo annexa geſtarent.*] Plena ſunt monumenta Græcorum & Latinorum huiuſmodi remediis. Græci περίαπτα & περιάμματα, interdum & ἐξαρτήματα nominant. fere autem cum magicorum verborum ſuſurro iſta amuleta adhibebantur: quam vanitatem omnium ſeculorum ſapientes damnarunt. Mirum verò adeo ſeuere in eos qui talia remedia geſtarent, ab eo principe, omnium, niſi fallor, primo, fuiſſe animaduerſum: quem curioſis artibus fuiſſe deditiſſimum, teſtibus Dione & Herodiano conſtat nobis. ita nempe videas libidinoſiſſimum quemque principum legem Iu-

liam de adulteriis plurimum ſæpe vſiſſe. Hæſit diu in animis veterum Chriſtianorum approbatio & ſtudium horum remediorum. Quare Iohannes Chryſoſtomus & alij pij ſanctique viri, multis locis ſcriptorum ſuorum grauiſſime in eos ſunt inuecti qui more paganico περίαπτα annecterent: extantque de horum pœnis canones multi in antiquis patrum Conciliis. in octaua autem homilia ſuper ea ad Coloſſenſes, non dubitat Chryſoſtomus, comparare aliquatenus martyrio contemptum huius vanitatis. ἐνόσησε τὸ παιδίον, inquit: οὐκ ἐποίησε περίαπτα· μαρτύριον αὐτῇ λογίζεται. adeo tum erat in plebis Chriſtianæ animis δυσαπότριπτος hic morbus. Et tamen vigebant principum Chriſtianorum leges quibus cum hoc genus, tum aliæ omnes ſpecies vetitarum artium coercebantur: qua de re multa Ammianus Marcellinus libro XXIX. in rebus Valentiniani & Valentis. libro autem XIX. ſcribit idem de Conſtantij temporibus: *ſi qui remedia quartanæ vel doloris alterius collo geſtaret, ſiue per monumentum tranſiſſe veſpere maleuolorum argueretur indiciis, vt veneficus pronuntiatus reus capitis interibat.* Sed ne errent tirones, & in animum inducant, quæcunque appenſa legent huius generis debere cenſeri. Nam apud ſcriptores etiam valde pios, vt Piſidem & recentiores medicos Græcos reperiuntur periapta è lapidibus multa, ſimiliaque alia ἐξαρτήματα, quæ naturalia potius quàm magica remedia ſint cenſenda. Multa talia habes in Pſelli libello De lapidibus.

11. *Cum protectoribus.*] mox *inter protectores ſuos.* τοὺς σωματοφύλακας: quos alia ætas aliter vocitauit. frequens vox Ammiano.

12. *Excepit apros frequenter, contra leonem etiam ſtetit.*] Herodianus, γυμνάσια τοῦ σώματος ποιούμενος, ὑοκτονίας, καὶ θηρίων παντοδαπῶν συστάδην ἀναιρέσεις.

18. *Eumque obiurgauit.*] offenſus eorum iocis & dicteriis. Fuſe narrant triſtiſſimum vrbis illius caſum & Dio & Herodianus. & ait hic: tantum ea laniena ſanguinis effuſum, vt Nili oſtia, quà patent latiſſimè, colorem mutarent: totumque illud littus cruore inficeretur.

24. *Cum Parthorum Satrapis manum contulit.*] ipſum regem Artabanum fraude inſignita prope cepit viuum.

28. *Hibernare Edeſſæ.*] in Oſroena, quàm paullo ante in prouinciæ formam redegerat, amico rege Abgaro non victo, ſed vincto perfidiſſimè.

ib. *Atque inde Carras Luni dei gratia veniſſet.*] Herodianus: συνέβη τὸν Ἀντωνῖνον διατρίβοντα ἐν Κάῤῥαις τῆς Μεσοποταμίας, προελθεῖν τῆς βασιλείας, ἀπελθεῖν τε εἰς τὸν νεὼν τῆς Σελήνης ἣν μάλιστα οἱ ἐπιχώριοι σέβουσι. ἀφέστηκε δὲ τῆς πόλεως, ὁ νεὼς πολὺ, ὡς ὁδοιπορείας χρῄζειν. paullo aliter Dio: qui occiſum ſcribit, cum Edeſſa profectus Carras peteret.

29. *VIII. Idus Aprilis.*] Dio ait, octauo die Aprilis: hoc eſt, ſexto Idus.

30. *Ipſis Megalenſibus.*] diem nullum certum deſignat hæc nota. Megalenſia enim plurium dierum erant. in veteri Kalendario continui

nui dies ſeptem ludis attribuuntur, quorum primus eſt, pridie Nonas.

34. *Legionis ſecundæ Parthicæ.*] hanc Seuerus inſtituerat, cum aliis duabus Parthicis, prima & tertia. Dio libro LV. lapis antiquus vbi legiones deſcriptæ, II. PARTH.

37. *Impulſu Martialis.*] centurionis: de quo multa Dio & Herodianus.

Pag. 130. verſ. 7. *Atque ita tunc quoque.*] *nunc.*

8. *Vt qui Lunam fœmineo nomine ac ſexu putauerit nuncupandam.*] Omiſſis friuolis, putamus nos cur hoc numen alij pro deo, alij pro dea habuerint, eiuſque nomen quidam maſculino, quidam fœminino genere extulerint, cauſſam eius varietatis eſſe, quòd Lunæ nomina & virilis & fœminei generis in linguis Orientis habeantur. nam in antiquiſſima omnium lingua Iudaica, לְבָנָה θηλυκόν; at יָרֵחַ eſt ἀρσενικόν. Chaldæorum סהרא fœmineum. Arabibus Luna vulgo dicitur قمر quod nomen formam præ ſe fert maſculinã: ſed iidem aliter quoq; nominant: Nã in peruetuſto Gloſſario Latino Arabico quod laudat Ioſephus Scaliger, habentur hæc verba: هلالة *Lunula*: & هلال *Noctiluca.* quæ duæ voces Latinis reſpondent *Luna* & *Lunus.* Strabo verò homo Cappadox maſculum hunc deum aliter Græcè extulit: non enim dixit ϹΕΛΗΝΗΝ, verùm ΜΗΝΑ: commemorans libro duodecimo varia loca, vbi eſſent MENIS huius templa. ſciebat Strabo vocem quam vertebat vtrumque ſignificare, & σελήνην & μῆνα. ſic Hebræis יָרֵחַ & luna eſt & menſis. Menem alium non eſſe à Luna, declarat Strabo cum ait, ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερόν. Eandem generis varietatem obſeruabamus & in Cœleſti Carthaginenſium aliorumque Afrorum: nam cum pro dea plerique omnes Cœleſtem haberent: vt ex Herodoto, Tertulliano, Euſebio, aliiſque multis conſtat: quidam tamen deum fecerunt, non deam: quos & Saluianus ſequitur in octauo libro De prouidentia Dei. Cœleſtis autem eadem cum Luna dea: etſi alij Venerem ſunt interpretati.

15. *Vt cædis non ſciuerint cauſſam.*] Ita regius & Puteani: non *aſciuerint* vt vulgo.

16. *Ego malui veritatem opinionum edere.*] Auctor ſcripſerat *varietatem*, ſine dubio.

21. *Eumque cum Seuero profeſſum, ſub Scæuola & Seuero in aduocatione fiſci ſucceßiſſe.*] Diſtingue cum antiquioribus editis, *profeſſum ſub Scæuola: & Seuero in adu. f. ſ.* Seuerum iuuenem fiſci aduocatum fuiſſe, docet Spartianus in Geta, nec prætermittit Victor. Scæuola ſub quo profeſſos ait Seuerum & Papinianum, eſt Q. Ceruidius Scæuola: ex cuius ſcriptis de iure ciuili multa fragmenta habentur in Pandectis.

34. *Nam neque præfectus poterat dictare orationem.*]. Verum eſt non

ſolitos imperatores præfectorum prætorij ingenio formare aut epiſtolas aut orationes: nam vel quæſtores ipſorum & qui ſcrinia curabant, eas componebant, vel qui erant ab epiſtolis, vel interdum dicendi magiſtri. ſæpe etiam ipſi ſuopte ingenio ſcribebant: vt de Alexandro ſcribit Lampridius. Hæc ita vulgo: ſed cur non potuerit extra ordinem mandari Papiniano vt orationem hanc dictaret, nullam cauſſam affert Spartianus. Victor ita narrat: adſcribam enim eius verba, vt nobis videntur legenda: nam in vulgatis editionibus ſunt deprauatiſſima. *ferunt* Papinianum *illo tempore Baßiani ſcrinia curauiſſe: monitumque, vti mos eſt, deſtinanda Romam quàm celerrimè componeret, dolore Getæ dixiſſe: Haudquaquam pari facilitate velari parricidium, quà fieret: iccirco morte affectum. Sed hæc improbe abſurda ſunt: cum conſtet ſatis, præfecturam prætorio geßiſſe: neque non inconditè illum virũ tantam contumeliã imponere potuiſſe ei, qui amori ac magiſterio Getæ erat.* Videtur exiſtimaſſe Victor: patratam cædem Getæ, prius quàm ex Britannia Romam ambo fratres reuerterentur. hoc illa indicãt *deſtinanda Romam*: non enim ſcribendum aliter cenſemus: quia & paullo ante dixit, eos à patris obitu confeſtim ſeceſſiſſe. certum tamen occiſum Getam Romæ in palatio: nec confeſtim, ſed cum multos menſes imperium cum fratre obtinuiſſet. Sed fuere qui aliter traderent hiſtoriam eius cædis: quos etiam ſequitur auctor libelli de vita Getæ. Vocem *incondite* Spartianus quoque libri huius initio vſurpauit: & iterum mox, *furor inconditus* dicit idem. vnde colligimus, Marium Maximum quem ambo plurimum ſequuntur, eam vocem ſæpius vſurpaſſe.

Pag. 131. verſ. 7. *Vixit autem Baßianus annis* XLIII.] Dio Caſſius ait annos nouem & viginti. & conſentit alter Victor: *Vixit annis ferme triginta.* vt merito videatur vel hallucinatus heic Spartianus: vel eius ſcriptura à librariis eſſe deprauata. Sed mendæ ſuſpicionem depellit membranarum conſenſus: à quibus ſtant & Robertus Bonon. & alij minorum gentium χρονογράφοι qui à Spartiano ſunt mutuati. Accedit Eutropij auctoritas in eodem numero conſentientis: & Euſebij, cuius verba ſunt in Chronico: *Antoninus interficitur inter Aedeſſam & Carras anno ætatis* XLIII. vulgata editio annum male adiicit: nam in codice vetuſtiſſimo clariſſimi Petauij, XLIII. ſcriptum eſt, non XLIIII. Conſtat ex his non poſſe librariorum fidem heic eſſe ſuſpectam. An igitur ipſe errauit Spartianus, qui idem cum Dione non dixerit? Scimus ita pronuntiaſſe magnos viros: qui non viderunt Spartianum, ſi eum numerum quem ait Dio poſuiſſet, magnæ inconſtantię ſe obligaturum: quod paucis hoc loco nobis eſt aperiendum. Sciant igitur ſtudioſi, diuerſas veterum ſententias ſuper Baſſiani matre extitiſſe: alios enim ex priore Seueri vxore Martia natum illum exiſtimaſſe, atque ita in literas retuliſſe: alios Iuliæ, quæ poſterior vxor, non priuignum, ſed verè filium crediddiſſe: hoc Dio Caſſius atque Herodianus ſentiunt: illud prius probatum

batum Spartiano, Aurelio Victori, & Eutropio. Ex hac autem varietate ſententiarum ſuper matre, & hæc de annis vitæ tanta diuerſitas manauit. Qui Iuliæ filium credebant, iidem vitæ tempora contrahebant, quod faciunt Dio, & qui cum illo conſentiunt: qui prioris coniugis, vitam Baſſiani neceſſario producebant. Viderimus vtra ſententia ſit verior: illud nunc dico, his qui annos XLIII. aſſignant, rationem conſtare probe. nam totidem ferme annos inuenias à morte prioris Seueri vxoris, ad Caracalli necem. Scribit enim Dio, Fauſtinam Marci cum Seuerus Iuliam in vxorem duceret, thalamum illi in palatina æde Veneris adornaſſe. ab exceſſu autem Fauſtinæ ad Baſſiani necem ſunt anni circiter quadraginta. Adiice nunc illud tempus quod amiſſa vxore impendit Seuerus in genituris ſponſarum requirendis, ſicut ſcribit Spartianus. Adiice etiam Baſſiani ætatem, qua ille tum fuit, cum mater moreretur: non enim dicitur obiiſſe ex partu. Hæ rationes ſunt eorum qui annos Baſſiano tribuunt XLIII. Baſis vero cui innititur hæc demõſtratio eſt illa: Baſſianum non Iulia, ſed Martia genitum. quam fuiſſe ſententiam ſuam cum tot locis ſignificet Spartianus, faciunt illi inſignitam iniuriam, qui cum illo expoſtulant, quod de XXIX. annis vitæ Caracalli non dicat idem cum Dione. ἀσύστατα enim loqueretur. Porrò vnde ortæ ſint adeo diſcrepãtes παραδόσεις ſuper matre tam inluſtris capitis, & vtra verior ſit ſententia, omitto nunc pluribus explicare. Equidem vix adducor, vt Dioni, qui ſæpe Baſſianum vidit, & propius ac familiarius cum eo locutus eſt, eius ætatem, fuiſſe credam ignotam. Iuuat quod fatetur Spartianus, cum Seuerus ad imperiũ acceſſit, & Baſſianum & Getam teneræ ætatis fuiſſe: nam puerulos vocat in vita Seueri.

16. *Thermas nominis ſui.*] Antoninianas. de quibus in Alexandro Lampridius.

17. *Negant poſſe vlla imitatione qua facta eſt fieri.*] Reg. voces ſolum tranſponit: *fieri qua facta eſt.* melius, *quà.* ᾗ ἐποιήθη. pro qua arte aut ratione.

18. *Ex ære vel cupro.*] id eſt, ex ære Cyprio, vel ex alio ære.

19. *Cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur.*] poſſet intelligi aliquid ſimile loricis illis, quibus tecta ſua munire iubebantur lege diuina Iudæi. ſed regius & Puteani ſcribunt, *ſuppoſiti.* probo. niſi malis *ſubterpoſiti.* nam error ex affinitate illorum vocum.

20. *Vt id ipſum fieri negent potuiſſe d.*] hoc eſt, negant ſe videre qua ratione id fieri potuerit. alioquin ineptum eſt negare fieri potuiſſe, quod videat factum.

21. *Geſta illius contineret.*] picta in parietibus. vide ſuperius ad Seuerum.

23. *A veſtimento quod populo dederat.*] Erat igitur hæc veſtis vrbanæ multitudini communis cum militibus. nam iuſſos milites ea vti ſcri-

bit Dio. qui pænulæ ſimilem fuiſſe verbo indicat, cum μανδύην nominat. ſic enim pęnulam vertit, vt dicebamus ad Hadrianum. Lampridius quoque in Diadumeno pænulam appellat genus hoc indumenti. Alibi docemus pleraſque omnes veterum veſtes textura ſolùm confici ſolitas ſine opera ſutoris vlla, & vt loquuntur Euangeliſtæ ὑφαντὸς δι' ὅλου. at pænulæ iſtæ diuerſi generis fuerunt: conficiebantur enim more hodiernarum veſtium a pluribus pannis ſciſſis primo, deinde conſutis. propterea Dio, καί τινα ἰδίαν ἔνδυσιν βαρβαρικῶς πως κατακόπτων καὶ συρράπτων ἐς μανδύης τρόπον, προσεξεῦρε.

25. *Vnde hodieque Antoninianæ dicuntur caracallæ huiuſmodi.*] Aurelius Victor: *Antoninus incognita munerum ſpecie vrbem Romanam alliciens, quod indumenta in talos dimiſſa largiretur Caracalla dictus: cum pari modo veſti Antoninianæ nomen è ſuo daret.* ſic ſcribendus hic locus. eadem fere in Euſebij Chronico. *caracallæ* nomen ſimul cum veſte excogitauit Baſſianus: vel ex ea prouincia venit vnde miſſæ veſtes iſtæ Romam. Victor alter: *cum è Gallia veſtem plurimam deuexiſſet, talareſque caracallas feciſſet, coegiſſetque plebem ad ſe ſalutandum indutam talibus introire, de nomine huius veſtis* CARACALLA *cognominatus eſt.* Gallica igitur hæc veſtis: putabam tamen verbis Dionis inductus, ex Oriente non è Gallia Romam à Baſſiano miſſas.

26. *In vſu maximè Romanæ plebis frequentatæ.*] Regius, *in vſum.* Non damno: fortaſſe tamen ſcribendum, *in vſu maximo Romanæ plebi frequentatæ.* putem ita verius.

27. *Sub eius thermis, Antoninianis ſcilicet.*] Dele voces duas poſteriores: ſunt enim è gloſſa certiſſimè.

32. *In quo mihi mirum videtur quemadmodum ſacra Iſidis primum, per hunc Romam veniſſe dicantur.*] Cum bona fide recitaſſet Spartianus, quod apud Marium Maximum, vel alium hiſtoricum legerat, de ſacris Iſidis Romam per Baſſianum illatis: venit illi in mentem eius quod in vita Commodi ſuper iiſdem ſacris legerat, &, vt videtur, ſcripſerat etiam ipſe, cum res illius in literas mandaret. Non extant hodie neque Marij Maximi, neque Spartiani ſcripta de Commodo: ſed in ea quæ ſupereſt eius principis vita, cuius auctor Lampridius, leguntur hæc verba, ex eodem, vt coniicio non temere, Mario Maximo. *Sacra Iſidis coluit, vt & caput raderet, & Anubin portaret.* refellunt hæc quod modo dicebatur de Caracallo, *Sacra Iſidis Romam deportauit.* hanc igitur ſententiarum contrarietatem ſibi quoque animaduerſam his verbis teſtatum voluit Spartianus: ſed hanc obiectionem diluere ipſe mox conatur cum ait, *niſi forte iſte addidit celebritati, non eam primus inuexit.* neque video quicquam melius poſſe afferri: niſi fateri volumus aut Marium Maximum, (vel quicumque is fuerit, qui hoc primus ſcripſit) eſſe hallucinatũ. aut Spartianũ cum ex illo ſuperiora verba deſcriberet, mendoſo vſum codice: vbi perperam ſcripſiſſet librarius, *Sacra Iſidis*

Ro-

Romam deportauit: pro, *sacra Isidis Romæ portauit.* qua lectione admissa nullus superest scrupulus. Nō dubitamus ita hæc esse accipienda: neq; assentimur amplissimo viro Petro Fabro, qui in tertio Semestriū de toto hoc loco aliter pronuntiat. Atqui retinent omnes mēbranæ verba illa, vel potius periodos, quas putat ipse induci debere, vt alienas. Sed manifestò refellunt eius sententiam Aurelij Victoris verba ista: *Aegypti sacra per eum deportata Romam.* Vides transcribere Victorem eundem auctorem cum Spartiano. quare de fide codicum hoc loco ne dubitari quidem potest.

35. *Vt & Anubin portaret, & pausâ sederet.*] De ritu portandi Anubin satis ad Commodum. Pro *pausa sederet*, placet viris eruditis scribi *pausas ederet.* Siue hoc, siue illo modo legas, ab antecedenti consequens intelligi debet. nam hoc vult auctor: Bassianum etsi imperatorem, omnia tamen egisse quoties Anubin portaret, quasi vnum ex Isiacis. Erat moris cum simulacra deorum portarent, certis locis interiungere. Philostratus in Apollonio Atheniensi sophista: ἐτάφη ἐν τῷ προαστείῳ τῆς ἐν Ἐλευσῖνι λεωφόρου· ὄνομα τῷ προαστείῳ Ἱρὰ συκῆ· τὰ δὲ Ἐλευσινόθεν ἱερά, ἐπειδὰν ἐς ἄστυ ἄγωσιν, ἐκεῖ ἀναπαύουσιν. videntur Isiaci cum portandi simulacrum pausam facerent, deæ hymnos cecinisse, aut nescio quid aliud egisse. hoc totum voluit significare Spartianus cum scriberet, Caracallum solitum, *pausâ sedere*, vel, *pausas edere.*

ib. *Nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus inuexit.*] Regius & Puteani pluribus verbis idem dicunt. *nisi quod iste addidit solennitati seu celebritati: non quod eam pr. in.*

36. *Corpus eius Antoninorum sepulcro illatum est.*] Aurelius Victor: *Corporis reliqua luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata sunt.* vide ad Seuerum.

Pag. 132. vers. 3. *Et quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset.*] Victor, *cum illa factiosior, aspectui adolescentis, præsentiæ quasi ignara, semet dedisset, intecto corpore.*

8. *Quas si sciret se leges dare, vere solus prohibere debuisset.*] Mutanda distinctio, sic: *q. s. sc. se leges dare vere, s. p. d.* nam τὸ *vere* iungendum cum verbo sciret. ita erit optima sententia.

9. *Non alio dicenda erat nomine.*] hoc ideo adiicit, quia re vera non mater, sed nouerca fuit.

14. *Nam Alemannorum gentem deuicerat.*] Hæc est antiquissima Alemannorum in historia Rom. mentio: nam id nomen ante hæc tempora obscurum, aut penitus ignotum, ne tum quidem in magna celebritate versabatur: quare scribit Flauius Vopiscus in Proculo tyranno: *Nonnihil tamen Gallis profuit: nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit.* putauit Vopiscus non innotuisse Alemannorum gentem, siue potius nomen, ante Probi tempora: in quo etsi lapsus est memoria Vopiscus, vt hæc historia demonstrat:

ex eo tamen colligas rectè quod modò dicebamus. ipſius Vopiſci æuo notiſſimi erant Alemanni: de quibus multa Ammianus Marcellinus in Conſtantij rebus, & ſequentium Auguſtorum. De victoria Caracalli ſic Aurelius Victor: *Alamannos gentem populoſam, ex eo mirificè pugnantem, prope Mœnum amnem deuicit.*

Pag. 133. verſ. 1. *Templum quod ei ſub Tauri radicibus fundauerat olim maritus.*] Narrat hiſtoriam Capitolinus in Marco.

3. *Ioui Syrio vel Soli.*] Vide ad Heliogabalum.

ISAACI CASAVBONI

IN AELII SPARTIANI ANTONINVM GETAM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

AELII SPARTIANI.] Non aliter & membranæ. Nos tamen dubitamus nec ſine cauſſa. Nam etſi auctor libelli huius, quòd in rebus Caracalli necem Getæ expoſuiſſet pluribus, ita breuiter eam hiſtoriam ſtringit, vt pœne prætermiſiſſe poſſit videri: duos tamen heic locos obſeruamus, ex quibus coniicimus, de tota illa hiſtoria diuerſa eum ſcripſiſſe alibi, ab iis quæ libro ſuperiore continentur. Neque enim defuerunt, qui tempus & locum cædis Getæ aliter longè narrarent, quàm Dio & Herodianus: quorum conſentiens & certiſſima narratio impedire non potuit, quominus παράκουσμα iſtud ἰταλικὸν velut ἕρμαιον à nonnullis arriperetur. Scribit igitur hic auctor ſtatim initio: *Neque enim multa in eius vita dici poſſunt, qui prius rebus humanis exemptus eſt, quam cum fratre teneret imperium.* falſum eſt vt ex Dione conſtat & Herodiano prius periiſſe Getam, quam cum fratre imperaret: nam multos menſes amiſſo patre ambo vixerunt, & nomine tenus ſaltem imperarunt ambo. ſed auctor eos ſequitur, qui confeſtim poſt obitum patris ante reditum in Vrbem è Britannia occiſum Getam à Caracallo memoriæ

moriæ prodiderunt. quare ſcribit idem inferius. *Denique niſi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam ſtipendiis datis, Romam Baßianus redire non potuit.* certum eſt Romæ in ipſo palatio necatum Getam, cum in eodem palatio, imo etiam cubiculo eodem, præſens Caſſianus adeſſet. quomodo igitur Romam rediret? verùm hic ſcriptor de reditu è Britannia loquitur. Similia his apud Aurelium Victorem, vt ad ſuperiorem librum admonebamus. Quare non poteſt iſtius libelli auctor idem eſſe, qui vitam Caracalli compoſuit: nam illi cum Dione & Herodiano conuenit.

14. *Quæſtionem mouere poſſe, cur et.*] Expectabam vt ad quæſtionem hanc, quam ait auctor moueri poſſe, reſponſio ſubiiceretur. fruſtra fui: nam proxima periodus ad rem nihil facit. Sed non eſt dubium mihi, quin corrupti heic ſint libri noſtri: nam ad id quod diximus illud etiã accedit, quod ſequentes periodi duæ nullo modo cohærent ſibi inuicem. Poteſt fieri vt deſiderentur hodie nonnulla, quorum iactura orationem hiulcam reddit &, vt videtur, mutilam. Quia tamen manifeſtiſſimum, tertiam periodum alieno loco eſſe poſitam, ea reſtituta in ſedem ſuam, totum hoc principium ita concipimus.

SCIO *Conſtantine Auguſte, & multos & clementiam tuam quæſtionem mouere poſſe, cur etiam* GETA ANTONINVS *à me tradatur. Neque enim multa in eius vita dici poſſunt, qui prius rebus humanis exemtus eſt, quàm cum fratre teneret imperium. De cuius priuſquam vel vita, vel nece dicam, diſſeram cur & ipſi* ANTONINI *à Seuero patre ſit nomen appoſitum. Septim.*

33. *Sed nihil valuit patris matrisve cautio.*] Capitolinus in Gordiano tertio: *Sed publicum votum nihil valuit.*

36. *Vel à patrui nomine, vel aui paterni.*] de vtroque habetur mentio in vita Seueri. ab auo autem potius quàm à patruo Getam nomen habuiſſe, Victori aſſentior. nam ita erat moris.

Pag. 134. verſ. 4. *Amore Marci, quem fuiſſe vel fratrem ſuum dicebat.*] hoc eſt, in cuius familiam tranſire volebat Seuerus, & videri Marci frater. ſed falſum eſt de fratre: nam Seuerus, ait Dio, Μάρκου υἱὸν, καὶ τοῦ Κομμόδου ἀδελφὸν ἑαυτὸν ἔλεγε. ſcribendum igitur, *vel patrem, vel fratrem ſuum d.*

10. *Ad fiſci aduocationem delegerat ex formulario forenſi.*] ex corpore aduocatorum qui in diuerſis foris poſtulabant, elegebatur aduocatus fiſci. ſed Seuero cauſidicinam exercenti, parum commodauit forum, vt ait Victor. ideo auctor hic vocat formularium forenſem.

12. *Primi gradus vel honoris auſpicium.*] Aurelius Victor: *quod ex illo poſt multos dubioſque euentus, auſpicia honorum cepiſſet, patrocinio fiſci,* ſed de Marco ille, non de Pio, loquitur.

25. *Natus eſt Geta Seuero & Vitellio Coſſ.*] ſuffectis, nempe. vt quærendum ſit quibus conſulibus iſti fuerint Coſſ.

29. *Nuntiatum eſt ouum gallinam in aula peperiſſe purpureum.*] Lampri-

dius in Alexandro: *Omen fuit, quod ouum purpurei coloris eadem die natum, qua ille natus est, palumbinum.* ἀρχαϊσμὸς est *in aula*, pro in olla. vt apud Plautum. nam sic omnes codices.

33. *Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti.*] *Maledictus* pro ἐπικατάρατος quomodo heic accipitur, proprium est scriptorum Christianorum verbum. Sed gliscente Christianismo, ceperant pridem & locutiones illorum ab aliis quoque vsurpari: qua de plura alibi, si Deus voluerit.

Pag. 135. vers. 4. *Tale fati timeret indicium.*] Scribo, *talis fati.*

8. *Natalem Seuerus commendare vellet.*] Vide ad vitam Hadriani.

12. *Tractator.*] locutuleius & ἀδόλεσχος. nam tractare dicebantur philosophi cum scholam haberent ac docerent. Seruius, *Xenocrates primus philosophiæ scholam aperuit: cum antea in porticibus philosophi tractarent.* inde apud veteres patres *tractatores* passim dicuntur, qui Dei verbum vel voce vel scriptis exponerent.

25. *Et diceret quasi ioco, quasi serio.*] Fortean, *quà ioco, quà serio.* sed potest vulgata ferri.

27. *Quod dictum eius, tunc nihil.*] nempe ominis visum habere. Capitolinus in Maximo & Balbino: *Id eo tẽpore nihil visum est ominis habere: sed non sine caussa factũ probauit imperium.* sic scribit Dio Cassius visum sibi Caracallum παραχρῆμα μὲν ἄλλως ἀποληρηκέναι versiculos Euripidis quos recitat: sed mox καὶ πάνυ κεχρησμῳδηκέναι τρόπον τινὰ τὰ συμβησόμενα. idem accidit in plerisque ominibus quæ narrantur ab historicis.

30. *Matri amabilior.*] An *patri*? nam de matre nihil mirum: cum illa huic verè mater, Bassiano nouerca esset. nisi tamen hic auctor aliter sensit, diuersus etiam in hoc à Spartiano.

ib. *Subalbe can.*] *subbalbe.*

37. *Singula animalia quomodo vocem emitterent.*] Illustrauimus hunc locum in diatriba, quam scripsimus de vocibus animalium. vbi etiam caput totum Aristotelis eiusdem argumenti quod libro quarto Historiarum habetur, diligenter excussimus. opes Græciæ in huius generis vocibus cum paupertate sermonis Latini ea lucubratiuncula non segniter comparauimus.

Pag. 136. vers. 7. *Prandia per singulas literas iuberet.*] *iubere prandia* pro imperare, & parari iubere, recentioris est Latinitatis.

8. *Scientibus seruis.*] id est, literas saltem leuiter doctis. Erant enim de re culinaria multi libri editi: quos oportuit istos seruos probe callere, vt ex omni copia edulium quæcunque ab eadem litera inchoarent, possent eligere. Veteres cocos habuisse eruditos ex Athenæo notissimum est.

17. *Romam Baßianus redire non potuit.*] Iam diximus loqui auctorem de reditu ex Britannia. Ego aliquando accipiebam hæc de reditu Caracalli ab exercitu qui erat in castris Albanis, de quibus dictum in eius vita. Sed non puto id rectum, & refellunt Dio atque Herodianus.

20. Et

20. *Et in balneo cœnantes.*] Emendabamus ſupra, *& in balneo & cœnantes.* confirmant verba Spartiani in Caracallo: *Cædes deinde in omnibus locis, & in balneis factæ: occiſique etiam nonnulli cœnantes.* ibidem exemplum eſt occiſi inter epulas Seuerus Sammonicus: in balneis vero appetiti, Cilo, vt ex Dione obſeruamus. atque eam hiſtoriam videtur alludere mox auctor, cum de motu vrbanicianorum loquitur.

25. *Non leui auctoritate.*] quam alibi vocat cenſuram, hic *auctoritatem*: nam pro ſeueritate ponitur iſto loco.

ib. *Tribuno eorum vt alij dicunt interfecto.*] ita Dio: ὁ δὲ δὴ χιλίαρχος ὁ κελευσθεὶς αὐτὸν φονεῦσαι, καὶ οἱ στρατιῶται οἱ συμπεμφθέντες αὐτῷ ἀνῃρέθησαν.

33. *Quaſi Gotticus.*] nam Getæ dicebantur tum, qui poſtea Gothi vel Gotti. vt eſt in Caracallo.

Pag. 137. verſ. 3. *Illatusq; eſt maiorum ſepulcro, hoc eſt Seueri.*] Non eſt adſcititia gloſſa: ſed neceſſaria explicatio. Maiorum appellatione ſolét venire pater, auus & qui ſupta hunc aſcendunt. heic ſolus pater Getæ poteſt intelligi: ideo interpretatio eſt adiecta. *maiorum* autem *ſepulcrum* dixit, ex communi adulantium vſu loquendi, qui ad maiorem honorificentiam ſic potius dicebant, quàm patris ſepulcrum. Adde quod Seuerus in Antoninorum familiam quorum ibi monumenta erant, ſe inſerebat: qua ratione potuit dici recte de Geta eum illatum eſſe ſepulcro maiorum. de hoc monumento ad Seuerum diximus.

7. *Quas poſt reditum de Curia.*] cum ſub veſperam occiſus fuiſſet Geta, (περὶ δείλην ait Herodianus) confeſtim delatus parricida in prætoriana caſtra, ibi pernoctauit: mane diei ſequentis venit in Curiam: inde redit in Palatium. de hoc reditu nunc auctor loquitur. oblitus nempe prioris ſententię iis conſentit, qui parricidium in Vrbe tradunt admiſſum.

9. *Vt iis præcipuè blandiretur, quos ad necem deſtinabat.*] in vita: *eos quos occidere parabat, affabiliter eſt locutus.* ibidem & de luctu ob necem Getæ.

ISAACI CASAVBONI

IN IVLII CAPITOLINI OPILIVM MACRINVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

VITAE *illorum principum ſeu tyrannorum ſ.*] Confer cum principio vitæ Peſcennij. Similia & in Auidio Caſſio, & in Albino, & aliis locis horum librorum.

30. *Ex diuerſis hiſtoriis eruta in lucem proferemus.*] Erat in omnibus, *erutam lucem prof.* ineptè. emendauimus & hæc & alia multa è libro regio, & altero Puteaneorum. Similia his in fine vitæ.

32. *Non enim eſt quiſquam in vita qui non ad diem quodcunque fecerit.*] Nihil cenſeo mutandum. *ad diem*, eſt cottidie. *quodcunque facere*, ſaltem aliquid, qualecunque illud ſit. Nemo eſt mortalium, ait, qui tantiſper dum viuit, non quotidie aliquid agat: ſed non quicquid agitur eſt ἀξιαπήγητον & hiſtoria dignum.

34. *Qui vitas aliorum ſcribere orditur.*] *aliorum* dixit, pro aliquorum: niſi ita ſcribendum.

35. *Et Iunio quidē Cordo ſtudium fuit.*] paſſim in his libris reprehēditur Aelius Iunius Cordus, tanquam λεπτολόγος, & ſcriptor minutiarum. vt in Clodio Albino à Iulio Capitolino: & in Gordianis itemque Maximo & Balbino, quæ vitæ ab eodem Capitolino ſunt ſcriptæ.

Pag. 138. verſ. 3. *Quando cibos variauerit.*] Scribe, *quomodo*. error ex compendio ſcripturæ *quōdo*.

4. *Quæ ille omnia exequendo libros mythiſtoriis repleuit talia ſcribendo.*] Poterant ita abeſſe, *talia ſcribendo*. nam affine βαττολογία eſt, *quæ ille omnia exequendo*, & *talia ſcribendo*. Hiſtoriam veram ſed fabulis falſis mixtam, & in qua multa friuola, vocat μυθιστορίαν. aliud eſt apud Suetonium in Tiberio *hiſtoria fabularis*, παλαιῶν καὶ ποιητικῶν μύθων ἱστορία. Vopiſcus in Firmo tyranno: *Marius Maximus homo omnium verboſiſsimus, qui & mythiſtoricis ſe voluminibus implicauit.*

7. *Si tamen ex his mores poſsint animaduerti.*] quaſi dicat: & illa quoque

que tum demum digna ſcriptione ſunt iudicanda, cum ex his mores poſſunt animaduerti. eandem ſententiam in Plutarchi vitis non ſemel legas.

8. *Sed ex parte, vt ex ea cætera colligantur.*] Malim: *ſed ex parte: vt ex eo cætera coll.*

9. OPILIVS MACRINVS.] Conſtanter in libris OPILIVS. non OPELIVS, vt in antiquo lapide apud Onuphrium: cui conſentiunt nummi omnes, in quibus eſt OPEL. & Græce, ΟΠΕΛ. Fuit autem Macrinus natione Maurus, domo ἀπὸ Σικελίας Καισαρείας. ita Dio apud Xiphilinum in vulgatis codicibus. ſed nulla eius nominis vrbs in Mauritania fuiſſe proditur. ideo ſcribebat vir optimus Fridericus Sylburgius noſter, ἀπὸ τῆς ἐν Σιτιφείᾳ Καισαρείας. ego non memini legere apud Ptolemæum aut alium veterum Græcorum Σιτιφείαν pro nomine prouinciæ. ſemper enim Cæſarenſem eam partem Mauritaniæ cognominant, non Sitifenſem, vt quidam Latinorum. Malim igitur apud Dionem, ἀπὸ Ιουλίας Καισαρείας. nota vrbs quæ in Ptolemæi libris, modò Ιουλία Καισαρεία dicitur, modò Ἰὼλ Καισαρεία. vt in antiquo nummo, COL. IOL. CAESAREA. IVBÆ. REG. de hac puto accipiendos Macrini eos nũmos in quibus hæc ſũt ſculpta: ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΚΑΙϹΑΡΙΑϹ. Locus Dionis ante multa ſecula varie cepit corrumpi: nam in Excerptis è Dione quæ in vetuſto quodam codice regiæ biblothecæ inuenimus, non aliter ſcriptum erat, quàm vt apud Zonaram, τὸ γένος Μαῦρος ἀπὸ Σικελίας: omiſſa voce Καισαρείας. Cedrenus aut is à quo ſumit Cedrenus, aliter videtur legiſſe, qui dicat fuiſſe Macrinum Μαῦρον Καππαδόκην. nimirum quia & in Cappadocia oppidum fuit Cæſarea. ſed hoc ridiculum.

10. *Quia antea priuatas curabat.*] Melius, *curarat*. De priuatarum rerum procuratore dictum ad Seuerum. Peritiam legum & rerum forenſium vſum tribuunt Macrino veteres.

11. *Humili natus loco.*] Fatetur ipſe in epiſtola quam ſcribit ad ſenatum, apud Herodianum, ſe ex equeſtri ordine ad imperium aſcendiſſe. ſed origo illi ne equeſtris quidem: nam ſero tandem iure aureorum anulorum donatus eſt, vt paullo mox ex Aurelio Victore narratur.

12. *Nunc Seuerum nunc Antoninum.*] nondum inuenimus vllum monumentum vbi vocaretur Antoninus. nam in nummis quos aut ipſi vidimus, aut viri docti deſcripſerunt, SEVERVS, ſemper nuncupatur, nunquã ANTONINVS. in antiquo lapide nominatur AVRELIVS. quod mirum eſt ſilere hiſtoricos.

14. *Statimque ad bellum Parthicum prouectus.*] aduerſus Artabanum qui iam imminebat, ſine mora ductus eſt exercitus. Nugatur Zoſimus inſigniter qui Macrinum à prætorianis Romæ imperium ſcribit accepiſſe.

ib. *Et vindicandi ſe de militibus.*] Dele τὸ *de*, quæ vocula in hanc edi-

tionem è ſcriptis neſcio quomodo irrepſit. Herodianus aliis verbis idem dixit: οἱ στρατιῶται τὴν ἀνάγκην τοῦ πράγματος ὁρῶντες παρετάττοντο. verſuto prorſus conſilio Macrinus ſtatim poſt occupatum imperium militem contra hoſtem duxit: vt antè nouo imperio aſſueſcerent, quàm otium haberent inquirendi in originem ſuam aut mores, & capita conferendi, quò ſe ab illegitimo principe vindicarent: de quo ſiniſtri iam rumores totis caſtris inſuſurrabantur. ſed hos rumuſculos Macrinus hoc facto extinxit, adhuc naſcentes necdum confirmatos. In regio offendimus, *& iudicandi de ſe militibus.*

16. *Quanuis ſenatus eum imperatorem odio Antonini Baßiani libenter acceperit.*] Herodianus, οὐχ οὕτω δὲ εὔφραινε πάντας, (loquitur de ſenatu) ἡ Μακρίνου διαδοχὴ, ὡς ὑπερήδοντό τε καὶ πανδημεὶ ἑώρταζον ἐπὶ τῇ Ἀντωνίνου ἀπαλλαγῇ.

18. *Quamuis magis quàm parricidam.*] hæc deſumta ſunt ex acclamationibus ſenatus, cum in curia recitatæ ſunt literæ Macrini. Herodianus poſt deſcriptam Macrini epiſtolam ſiue orationem, vt paullo poſt vocatur à Capitolino, ἀναγνωσθείσης δὲ τῆς τοιαύτης ἐπιστολῆς εὐφήμει αὐτὸν ἡ σύγκλητος. id eſt, ſenatus Macrinum fauſtis acclamationibus eſt proſecutus.

21. *Cur Diadumenus filius Macrini Antoninus voluerit nuncupari.*] Quid? vt Diadumenus filius Macrini ipſe nomen Antonini non patris voluntate, ſed ſua ſponte aſſumſerit? hoc abſurdum eſt: cum puer eſſet nouẽ annorũ: & certum ſit nihil aliud illum in hoc toto negotio, niſi patris voluntati eſſe obſecutum. ſed longe abſurdiſſimum quod ſubiicitur: *quum auctor necis Antoninianæ fuiſſe dicatur.* nemo dubitabit hæc de filio Macrini tam falſo dici, quam dicuntur verè de patre. Lego igitur, *cur Diadumenum filium Macrinus Antoninum voluerit nuncup.* ſic ſtatim, & infra ſæpius.

24. *Quæ deo repleta ſolebat vera canere.*] Regius. *ſolet.* neque dubitamus Iulium Capitolinum, etſi temporibus Conſtantini vixit, fuiſſe gentium erroribus implicitum. de his vaticinationibus iterum idem in Pertinace. Dio quoque in Macrino meminit vaticinij in Africa editi: ſed locum non addit.

31. *Et ille tranſcendit hunc an.*] Planior ſententia, ſi legas: *vbi ille tranſcendit hunc annorum numerum conſtitit a.*

32. *Conſtitit apud credentes.*] id eſt apud eos qui oraculis fidem habere ſolent: non enim omnes habebant. Sed fuit aliquando nobis ſuſpicio, è nota quam aliquis lector Chriſtianus appoſuerat, orta illa, *apud credentes.* Dicuntur *conſtare* quæ euidentem probationem habent, & quorum certa fides. pius lector quem offendebat id verbum falſis vaticiniis attributum, ad vocem *conſtitit* notam appoſuerat, *apud credentes.*

ib. *Vel tunc vel poſtea.*] ita loquitur, quia vt ſupra dicebamus de ominibus, ſic & oracula fidem ex euentu capiebant. nemo igitur, aut admodum pauci fidem illis habebat, cum ederentur: ſed poſtquam res euenerant.

Pag.

Pag.139.verſ.2. *Aut prænomen tantum.*] non autem verum nomen. expoſuimus ad Marcum Antoninum.vide infra in Diadumeno.

3. *Antonij dicti ſunt,non Antonini.*] de hoc ad librum eiuſdem Capitolini de Gordianis.

12. *Imperatorium non putarent.*] Lege vt in regio, *imperium n.p.*

14. *Quum iam Cæſarem Alexandrum ſenatus dixiſſet.*] dictus eſt enim à ſenatu Cæſar mortuo Macrino.

16. *Aurelio Victori cui Primo cognomen erat.*] Liber regius, *cui Pinio.* quæ ſcriptio fortean ex vſitato ſcripturæ compendio nata.alius hic ab Aurelio Victore cuius opuſculum de vitis Auguſtorum elegantiſſimũ publicauit vir eruditiſſimus Andreas Schottus.Fuiſſe Aurelios Victores multos, antiquæ inſcriptiones fidem faciunt: in quibus minimum quatuor nomine &cognomine eodem eſt inuenire. iccirco huic etiam agnomen eſt adiectũm.

23. *Aduocatum fiſci factum,ſub Vero Antonino.*] Fortaſſe, *ſub Seuero, vel Antonino.* malim tamen, *ſub Ant.* inducta voce *Vero*: quam conſtat eſſe mendoſam.

29. *Cum eſſet præf. præt. collega ablegato.*] collega hic eſt Ecdecianus Aduentus,cuius mentio in lege prima Cod. De ſententiam paſſis. Herodiani codices Αὔδεντον malè nominant. Hunc autem quomodo ablegarit Macrinus, non dicunt veteres:ſed ipſe auctor ſe explicat mox de miſſo Romam corpore Caracallæ loquens. auctor eſt Herodianus delatum huic imperium prius quàm Macrino,verùm illum propter ætatem recuſaſſe.quod videtur aſtu Macrini factum: hæc certe cauſſa cur dicatur ſibi ab eo timuiſſe.cæterum Dio heic aliter.

31. *Tanta fictione, vt ab eo non videretur occiſus.*] Omnes membranæ *factione.*ego non poſſum damnare alteram lectionem:quæ auctoris menti videtur heic conuenientior. nam quod mox ſequitur in oratione Macrini ad ſenatum:*cui & ipſe vtique vindicandam factionem mandaſſet,*aliam habet ſententiam.Capitolinus enim de diſſimulatione loquitur,qua vſus Macrinus in hoc negotio. optime rem indicat Herodianus,vt cum ait:καὶ πρῶτος ὁ Μακρῖνος ἐπιστὰς τῷ σώματι, ὀλοφύρεσθαί τε καὶ θρηνεῖν προσεποιεῖτο.nec moueor verbis Lampridij initio Heliogabali, *occiſo Macrini factione Antonino.*nam vt dixi alia ſententia huius loci.

34 *Statim denique arripuit imperium.*] non plane ſtatim:ſed quarto demũ die,vt Dio:vel ſecundo,vt Herodianus. ἔμειναν ἡμέρας δύο ἀβασίλευτοι.

37. *Deinde corpus Antonini Romam remiſit.*] Herod. nec corpus miſſum,ſed reliquias in vrna:nec Romam,ſed ad Iuliam matrem quæ erat Antiochiæ.

Pag.140.verſ.11. *Neque ille recuſaret.*] nam,vt modò diximus ex Herodiano,recuſabat Aduentus, prætextu ætatis vſus. ſed mirum in tota hac narratione, imo toto hoc libro eius viri nomen ne ſemel quidem eſſe poſitum.

13. *Cum omnes superiores nobiles fuissent imperatores.*] Potest obiici de Pertinace & Seuero: sed & hi, & si qui alij ante Macrinum ex humili loco orti ad imperium venerant, magnis rebus gestis domi & militiæ maioribus suis præluxerant. quod de Macrino dici minus potest.

14. *Insulsit præterea nomen Seueri.*] Reg. *in nomen.* sed siue *nomen* scribatur, siue *in nomen*, verbum *insulsit* parum conueniet. an igitur mutandum & scribendum *inuasit*? Græci dicunt ἐπιβατεύειν.

21. *Homo vitiorum omnium.*] Græca locutio. vt apud Ioh. Chrysostomum, τῆς πλεονεξίας ἑσμὸν καὶ τῆς ἀπονοίας. & similia passim. Sic apud Tertullianum, *homo nullius boni*, initio libelli de patientia. apud Seruium de stoïcis: *homines nimiæ virtutis.*

24. *A quo incipere decuit hominem improbum, cum ad senatum scriberet. Int.*] Muta distinctionem & scribe, *à q. i. d. h. improbum. Cum ad senatum scriberet, interest scire c.*

36. *Cum exercitus vltorem cædis Baßiani neminem digniorem præfecto eius putauit.*] Refert & Herodianus capita quædam huius orationis: sed alia quàm quę heic sunt descripta. quare nemo miretur hanc diuersitatem. sunt enim, vt diximus, eiusdem orationis diuersa capita. hanc sane sententiam totam de dignitate præf. præt. & quod eius sit vindicare factionem aduersus imperatorem, non prætermittit Herodianus, sed aliis verbis effert: Nam ait ibi Macrinus, notam esse omnibus morum suorum probitatem, & τὸ πρᾶον τῆς διοικηθείσης πρότερον πράξεως· οὐ πολύ τι ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδεούσης. ὅπου γε καὶ αὐτὸς ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐπάρχοις τῶν στρατοπέδων πεπίστευται.

Pag. 141. vers. 9. *Antonino diuinos honores miles decreuit.*] Vide initium vitæ sequentis,

15. *Mortem Antonini senatus gratanter accepit.*] Regius, *grauiter.* mendosè: nam vt ante dixit, odio Bassiani senatus imperatorem Macrinum libenter accepit. sic autem accipitur sæpe τὸ *gratanter*, pro κεχαρισμένως. Pollio in Gallienis, *quod & senatus, & vrbs & omnis ætas gratáter accepit.* in Posthumio tyranno, *ab omnibus Galliis Posthumius gratanter acceptus.*

19. *Cum scriba Pontificum esset.*] hoc eò spectat, vt doceat quam ex humili loco Macrinus ad imperium peruenerit. Scribarum Romæ ingens numerus, in certas decurias tributus: qui cum operam suam diuersis magistratibus locarent, cognominibus ex eo diuersis distinguebantur: vt quæstorij, ædilitij, prætorij, alij. in his & pontificum scribæ: vetus lapis Romæ: LIVIVS. THEONA. AB. EPISTVLIS. GRAECIS. SCRIBA. A. LIBRIS. PONTIFICALIBVS. Olim non nimis honestus ille ordo Romæ habitus: in quo plerique libertini qui pecunia locum illum emebant, vt in Verrinis auctor est Cicero. Cornelius nepos in Eumene: *apud Romanos re vera sicut sunt mercenarij scribæ existimantur: & apud Græcos è contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, fide & industria cognita: quod necesse omnium consiliorum*

eum esse participem.

20. *Quos hodie pontifices minores vocant.*] In antiquis inscriptionibus,& maiorum & minorum pontificum non semel fit mentio.

21. *Pij nomine decreto.*] sed non recepit,vt postea subiicietur:ideo in nummis hoc nomen non inuenitur.vt nec *Felicis*, quod tamen mox auctor dicit illum recepisse.

Pag.142.vers.6. *Defectu legionum.*] *defectu*, pro defectione. vide ad Heliogabalum.

7. *Sed anno amplius imperauit.*] annum integrum & menses duos, tribus diebus minus.

9. *Artabane grauiter necem suorum vindicante.*] ita & scripti, alij Artabanum dicunt, & Græci Ἀρτάβανος. historia quæ hic tangitur est apud Dionem & Herodianum in Caracallo.

16. *Fuit quædam mulier Mœsa, siue Varia.*] Scribe semper *Mæsa* per *æ* non *œ*. Ad verbum transfert Herodianum,nisi quod illa adiicit,*siue Varia*. Μαισὰ ἦν τις ὄνομα, τὸ γένος Φοίνισσα, ἀπὸ Ἐμέσου καλουμένης οὕτω πόλεως ἐν Φοινίκῃ. ἀδελφὴ δὲ ἐγεγόνει Ἰουλίας τῆς Σεβήρου γυναικὸς, Ἀντωνίνου δὲ μητρός. omittit postrema verba:quia &Capitolinus & Spartianus & alij Latini Iuliam crediderunt, non matrem Antonini, sed nouercam: vt diximus ad superiores libros. De VARIAE nomine infra ad Heliogabalum. in nummis semper IVLIA. MAESA. & quidem cum titulo AVG. Emissenæ vrbis nomen Græcos varie extulisse,obseruat etiam Stephanus in Vrbibus.Ptolem.Ἔμισσα.

18. *Quæ post mortem Antonini Baßiani ex Aulica domo fuerat expulsa per Macrini superbiam.*] Herodianus, τὴν δὴ Μαισὰν ταύτην ὁ Μακρῖνος μετὰ τὴν τῆς ἀδελφῆς τελευτὴν, Ἀντωνίνου δὲ ἀναίρεσιν, προσέταξεν εἰς τὴν πατρίδα ἐπανελθοῦσαν, ἐν τοῖς οἰκείοις καταβιῶναι, πάντα ἔχουσαν τὰ ἑαυτῆς.

20. *Quæ diu illa collegerat.*] Herodianus,πλείστων δὲ ἦν χρημάτων ἀνάπλεως, ἅτε μακρῷ χρόνῳ βασιλικῇ ἐξουσίᾳ ἐντεθραμμένη. & paullo ante dixerat, ἐν τῇ βασιλείῳ διέτριψεν αὐλῇ χρόνου πολυετοῦς, παρ᾽ ὃν Σεβῆρός τε καὶ Ἀντωνῖνος ἐβασίλευσαν. explicant ista illud Capitolini *diu*.& quod sequitur,erat præterea Mæsa ipsa ditissima.

21. *Huic erant duæ filiæ,Semiamira & Mammæa.*] ἦσαν δὲ αὐτῇ θυγατέρες δύο. Σοαιμὶς μὲν ἡ πρεσβυτέρα ἐκαλεῖτο, ἡ δὲ ἑτέρα Μαμμαία. filiarum Mæsæ maiori duplex fuit nomen, *Soæmis* & *Semiamira*. alterum Herodianus vsurpat, alterum Capitolinus. In nummis IVLIA. SOAEMIAS. AVG.sed Semiamira appellatur etiam Lampridio in vita Alagabali.

23. *Nam Heliogabalum Phœnices vocant solem.*] Herodianus, ἱερῶντο δὲ αὐτοὶ θεῷ Ἡλίῳ. τοῦτον γὰρ οἱ ἐπιχώριοι σέβουσι τῇ Φοινίκων φωνῇ Ἐλαιαγάβαλον καλοῦντες. aliter flectit vocem barbaram quam Herodianus: sed de his,& de scriptione huius nominis,vide ad Heliogabali vitam.

24. *Sed Heliogabalus pulchritudine ac statura & sacerdotio conspicuus erat.*] ἦν δὲ τὴν ἡλικίαν ἀκμαῖος, καὶ τὴν ὄψιν τῶν καθ᾽ αὐτὸν ὡραιότατος μειρακίων πάντων.

25. *Ac notus omnibus hominibus, qui ad templum veniebant, militibus præcipuè.*] & hæc de Græca ad verbum expreſſa, omiſſis quibuſdam: ἰδουργοῦντα δὴ τοῦτον περιεργότερον ἐπέβλεπον οἵ τε ἄλλοι ἄνθρωποι, καὶ μάλιστα οἱ στρατιῶται.

28. *Quod paullatim omnibus militibus innotuit.*] τοῖς στρατιώταις κατ᾽ ὀλίγον ἀπαγγέλλοντες.

31. *Suſcepta enim illa noctu in oppidum cum ſuis, nepos eius Antoninus eſt app.*] συνέθεντο, νύκτωρ εἰ κατέλθοιεν, λαθόντες ἀνοίξειν τὰς πύλας, καὶ δέξασθαι πᾶν τὸ γένος ἔνδον, βασιλέα τε καὶ υἱὸν ἀποδείξειν Ἀντωνίνου.

32. *Imperij delatus inſignibus.*] τῇ πορφυρέᾳ χλαμύδι περιβαλόντες.

33. *Hæc vbi ſunt Macrino apud Antiochiam poſito nunciata.*] non poterant magis ad verbum verti Græca verba: ὡς δὴ ταῦτα ἀπηγγέλη τῷ Μακρίνῳ ἐν Ἀντιοχείᾳ διατρίβοντι. conferant reliqua quibus vtriuſque linguæ amor & ſtudium.

Pag.143.verſ.3. *Commiſſoque prælio.*] in finibus Phœnices & Syriæ pugnatum eſt. ait Herod. Dio explicat, ἐν κώμῃ τινὶ τῶν Ἀντιοχέων, ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα τῆς πόλεως σταδίους ἀπεχούσῃ.

5. *In vico quodam Bithyniæ occiſus eſt cum Diadumeno.*] captus eſt Calchedone, quod erat Bithyniæ non ignobile oppidum. Dio ibi cæſum negat, & de Diadumeno longe aliter idem Dio: ſed Capitolinus iſta Herodiani ante oculos habebat: συναναιρεθέντος αὐτῷ καὶ τοῦ παιδὸς, ὃν ἦν ποιήσας Καίσαρα, Διαδουμενιανὸν καλούμενον. Vicus Bithyniæ quem heic intelligit Capit. quemque infra ſuburbanum vocat, Archelais Euſebio & Georgio Monacho nominatur. Dioni in Excerptis eſt Eribolus.

7. *Sciendum præterea quod Cæſar fuiſſe dicatur, non Aug.*] hoc addit, propter Herodiani verba, quæ modo attulimus, vbi Diadumenianus vocatur non Auguſtus, ſed Cæſar. vide ſequentem librum.

12. *Quod Antoninorum nomini eſt velut nothus appoſitus.*] Regius, *notus*. Lego, *velut nota*. eleganti tranſlatione ſignificat Diadumenum nomen Antoninorum maculaſſe, cum nihil eſſet in eo Antoninis dignum. tranſlatio eſt à criticis, qui malis verſibus culpæ notam apponunt. vel à cenſorum potius notis, de quibus multa apud M. Tullium, & Titum Liuium. Suetonius de Claudio cenſorem agente: *cum orantibus familiaribus demſiſſet cuidam appoſitam notam. Litura tamen, inquit, extet.* ſic in Alagabalo: *nomen Antonini polluit in quod inuaſerat.*

19. *Vnde in eum epigramma illatum Græci cuiuſdam poetæ videtur extare q.*] *inferre epigramma in aliquem*, pro facere vel componere, ridicula eſt Latinitas: etſi dicimus iacere in aliquem conuitia, & Græci βάλλειν ὀνείδη εἴς τινα: vel ὀνείδεσι βάλλειν τινά: vnde poetis ἐπεσβολίαι. Quare voce *illatum* quid heic faciam neſcio. putabam inducendam, niſi retinerent omnia exemplaria. Fortaſſe ſignificat illatum epigramma in forum, atque ibi propoſitum, vt ſtatim ſubiicitur. *videtur extare* dixit, pro extat. vide ad Maximinos.

21. *Quod Latine hac ſententia continetur.*] Sciremus melius an Græcorum

corum verſuum ſententia rectè Latinis ſit expreſſa, ſi illos haberemus. ego verò puto ineptū illum hominem qui hoc epigrāma Latinum fecit, ne aſſecutum quidem eſſe Græci poetæ mentem: nam poſtremum certè verſum, in quo videtur acumen aliquod fuiſſe, ſic vertit, vt Oedipo ſit opus. Qui igitur non aſſequeremur ex verbis Latinis quid iſte ſibi vellet: ex re ipſa Græci poetæ ſententiam coniectauimus, & ita luſimus.

Ἐν θυμέλῃσι βιοὺς ὁ γέρων, ὀλοώτατος ἀνδρῶν,
Δυσσεβίῃ συζῶν ᾤετο εὐτυχέειν.
Καί ῥ᾽ ὄνομ᾽ ΕΥϹΕΒΕΟϹ *μὲν ἀνήνατο,* ΕΥΤΥΧΕΟϹ *δ᾽ οὔ.*
Συγχωρεῖ δ᾽ αὐτῷ οὐ φύσις, οὐδὲ λόγος.
Τὴν δὴ ἐπ᾽ εὐσεβίῃ εὐδαιμονίην σε ἀπώσας,
Καὐτὸς ὀλεῖ, ἄρχων ἀρχομένων ὀλοῶς.

Totius epigrammatis argumentum continent, vt & Capitolinus innuit, illa verba: *cum illum ſenatus* PIVM *ac* FELICEM *nuncupaſſet,* FELICIS *nomen recepit,* PII *habere noluit.* Hiſtrionem cur Macrinum vocet ex iis quæ de eo ſunt prodita non poſſumus cauſſam reddere: niſi eò alluſit, quòd fuere qui gladiatoriam pugnam eum exhibuiſſe dicerent: qua de re ſupra Capitolinus.

Vt nolit pius eſſe, velit tamen eſſe beatus.] Scribe maiuſcula litera, *Pius*, & *Beatus*. clarum ex argumento.

27. *Cui imperium infelix eſt, erit ille ſibi.*] Regius, *Imperium infelix eſt, erit ille tibi.* diuinauimus hanc eſſe mentem: non poſſe tandem infortunium euadere principem, qui multos ſubditorum reddit infortunatos. atque vt illius imperium ſubditis infauſtum, ſic futurum & ipſi quandoque. hoc videtur ſibi velle auctor epigrammatis: ſed verſum eſt ineptiſſimè. Accipiebamus aliquando aliter, & vertebamus:

Ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἐπ᾽ εὐσεβίῃ μὲν ἐνόσφατο, νήπιος, ὄλβον·
Ἐς δ᾽ θεοὺς ἀσεβῶν δυστυχέα θεόθεν.

31. *Si talem Graij retuliſſent fata poetam.*] Et hi verſus ridiculi ſunt, & vix digni qui legantur. Puto autem vſurpaſſe Macrinum ἀρχαϊσμόν, & *tetuliſſent* ſcripſiſſe non *tuliſſent*.

32. *Qualis Latinus Gabalus ille fuit.*] crucem vocabant gabalum, vt eſt apud Nonium. heic *gabalus*, homo cruce dignus: ſicut apud Lucilium *carcer*, qui propter ſcelera habitat in carcere.

33. *Nil populus noſſet, nil noſſet curia, magno* N.] Sic habent omnes membranæ. *magno mihi* hoc eſt, imperatori. dignus verſus tortore Macrino.

Pag. 144. verſ. 5. *Duos boues miræ magnitudinis viuos ſubito aperiri iuſſit, atque his ſingulos milites inſeri.*] in Maximinis: *Audiebat alios in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos.* deſcribitur Valerio Maximo, libro nono, capite ſecundo. & hoc ſupplicium & affine huic quod σκαφισμὸς dicitur Eunapio, σκάφευσις Plutarcho. Perſarum ſunt inuenta. mentio horum in hiſtoriis martyrum & aliis.

28. *Egregius forma iuuenis, cui pater haud Mezentius esset.*] non est versus, sed diuersa frusta versuum in vnam sententiã, at non in metrum vnum conflata. Ante *cui pater*, deest vox *dignus*. quam ex poeta necessario infulciri postulat sententiam. videntur sustulisse qui centonem hunc in metri legem cogere laborarunt.

32. *Delatores si non probarunt, capite affecit.*] vel in insulam deportauit: vt illum coryphæum Corycæorũ Lucium Priscillianum, de quo Dio.

35. *Vt iure non rescriptis ageretur.*] vt vim legum haberent antiquæ leges, & prudentium responsa: at non principum rescripta, neque subscriptiones.

Pag. 145. vers. 1. *Ne ad alias caussas facta præferrentur.*] Melius, *proferrentur.*

3. *In vernaculis.*] Scribe cum Scaligero, *In vernulis.* manifestum ex sequentibus.

16. *Quod in somnis Antoninus fuisset.*] ὅτι Ἀντωνῖνος οὐχ ὕπαρ ἐγένετο ἀλλ' ὄναρ. Sic venuste scribit Dio de Cassio, ὁ μὲν οὕτω μῆνάς τε τρεῖς καὶ ἡμέρας ἓξ ὀνειρώξας, ἐσφάγη.

22. *Ipse etiam caluus mœchus fuit, inde maritus.*] quasi Nonia Celsa mater Diadumeni stupro prius cognita Macrino fuerit, quàm in vxorem duceretur. Etiam in vita Diadumeni aliquid legitur vnde colligas suspicione adulterij hanc non caruisse. Caluum fuisse Opellium Macrinum, etiam ex antiquis aliquot nummis potest colligi.

23. *En Pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.*] arguta conclusio: ludit enim in voce *Verus*. Age, inquit, Antoninus esto, vel Pius si lubet vel Marcus: certe Antoninus Verus nunquam. hoc est, nunquam eris Antoninus verè & ὕπαρ, sed ὄναρ tantum. imperatotem Verum non aliter fere appellant Græci quam Οὖηρον, siue Βῆρον: qui tamen Pium non Πίον, sed Εὐσεβῆ nominant. in hoc quoque versu quin Ἀληθὴς non Βῆρος posuerit Græcus poeta, non potest esse dubium. nos quoque ita fecimus, vel potius muginati sumus.

Εἰ ἐτεόν γε, πολῖται, ὄναρ καὶ τοῦτο φάανθη.
Οὔνομα παῖς φορέεσκεν ἀγάκλυτον ΑΝΤΩΝΙΝΩΝ.
Πατρὸς ἀγωνήτου γεγονὼς, μητρὸς δ' ἄρα σεμνῆς.
Ἧς γ' ἑκατὸν μοιχοὶ, μοιχοὺς δίζησε δὲ κ' ἄλλους.
Χ' ὡ φαλακρὸς δὲ τὰ νῦν μὲν ἀνὴρ, προπάροιθε δὲ μοιχός.
ΜΑΡΚΟΝ ἰδοὺ, ἠδ' ΕΥCΕΒΕ'· οὐ γὰρ ἔην ὅγ' ΑΛΗΘΗC.

Existimamus poetam horum versuum stimulatum vt ista luderet, cum orationem Diadumeni legeret, quam habuit apud milites, cum illis pro nomine ANTONINI gratias ageret. nam ibi sunt hæc verba: *ego elaborabo ne desim nomini Antoninorum: scio enim me Pij, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est.*

ISAACI CASAVBONI

IN AELII LAMPRIDII ANTONINVM DIADVMENVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

AELII LAMPRIDII.] Et membranæ omnes auctorem huius vitæ faciunt Lampridium: cum tamen Macrini patris vitam ex historia Capitolini desumsissent corporis huius contextores. Sed dubitari potest, an peculiari libro res Diadumeniani Capitolinus fuisset persecutus: nam in superiore libro de filio quoque multa inspersa: mors quoque relata, & quidem non semel. vbi etiam scribit diserte, nihil esse in istius vita dignum quod dicatur. quare non putamus aliud quidquam de Diadumeno fuisse à Capitolino scriptum.

20. *Ingens mœror obsedit omnium pectora, quod Antoninum in Rep. non haberent.*] Aurelius Victor, *eo quòd ingens legionibus amißi principis desiderium erat, adolescentem Antoninum vocauere.*

24. *Ex affinibus Antonini Pij.*] *Adfines* vocabant omnes qui aliqua cognatione se inuicem contingerent: quem vocis huius abusum iam ante notauimus.

34. *Antoninum diuum omnes rogamus.*] quod fieri solitum in senatu, vt in dicenda sententia senatores aliud quoq. proponerent: sic m ilits hoc loco. in medias enim adclamationes, quibus Diadumeno cognomen ANTONINI deferunt, hæc inserunt, vt desiderium suum consecrandi Caracallæ ostendant. quod & auctoribus illis statim factum. ideo scribit Macrinus in oratione ad senatum: *Antonino diuinos honores & miles decreuit, & nos decreuimus.*

37. *Antoninum habemus omnia habemus.*] in fragmentis ex Dione leguntur hæc verba sententiæ eiusdem: Τοῦτον ἔχοντες πάντα ἔχομεν. sed locus ille mutilus.

Pag.147.vers.1. *Antoninum nobis dij dederunt patrem.*] Vocem vltimam de menda suspectam habeo.

3. *Et solitas promotiones, sed geminatas.*] Mox, *honoribus, vt venerandus*

Macrinus pater præſens promiſit, duplicatis.

5. *Per cuncta quinquennia.*] nam ita moris erat, vt quinquennia imperij ſui celebrarent imperatores, & decennia ac vicennia.

16. *Diadumenum tantum Cæſarem dicit puerum à militibus nuncupatum & cum patre occiſum.*] Herodianus, τέλος μὲν δὴ τοιούτῳ ὁ Μακρῖνος ἐχρήσατο, συναναιρεθέντος αὐτῷ καὶ τοῦ παιδὸς, ὃν ἦν ποιήσας Καίσαρα, Διαδουμενιανὸν καλούμενον. at Lampridius ita vertit, quaſi legiſſet, ὃν ἦσαν οἱ στρατιῶται ποιήσαντες Καίσαρα, Διαδούμενον καλούμενον. ſed de nomine intereſt nihil, ſiue Diadumenum dicas, ſiue Diadumenianum. nam illud vſurpauit prius quàm in Aureliam Antoninorum gentem eſſet tranſcriptus: poſtea non Diadumenus dici cepit, ſed Diadumenianus. verùm vtrumque ſcriptores vſurparunt ſicut & Octauius dicunt iidem, & Octauianus.

25. *Vt caracallæ Baßiani.*] hoc eſt, vt ſicut caracallæ quas Baſſianus dederat, dictæ ſunt Antoninianæ. hoc verum eſſe conſtat ex vita Baſſiani. Minus probo doctiſſimorum virorum emendationem ſcribentium *Baßianæ.*

28. *Congiarium etiam per edictum Antoninianum promiſit.*] Non ex ingenio, ſed ex conſentientibus membranis ita emendauimus veriſſimè.

31. *Et pueros Antoninianos & puellas Antoninianas.*] exempla imitatur Pij & Marci: quaſi vellet per omnia eos principes referre.

36. *Puer fuit om.*] erat decem annorum cum occiſus eſt. Dio,

Pag. 148. verſ. 1. *Ore ad oſculum parato.*] hoc eſt, prominulo. Græcis, προύστομος.

8. *Pater eius purpureas tum forte procurator iam ærarij maioris inſpexit.*] Scimus quid ſit ærarium ſanctius: at maius ærarium alibi legere non memini. ſed puto legendum heic eſſe aliter: nam certiſſimum eſt, probationem purpurarum, non pertinuiſſe ad procuratores ærarij, ſed ad alios quibus cura peculiaris veſtium principalium. quis autem ille, niſi veſtiarij procurator, aut gynęcij vel baphij? Noli dubitare ſcripſiſſe auctorem, vel *pr. iam veſtiarij maioris.* vel, *procurator gynæcei maioris.* Ex variis locis Codicis, maximè autem ex lege ſecunda Cod. De murilegulis & gynæciariis &c. ſatis probatur hæc coniectura: cuius & Ioſepho Scaligero ſcimus veniſſe dudum in mentem.

9. *Quas claras probauit.*] probe nitentes, & veri luminis, vt alibi dicitur. Græci λαμπρὰς, & magis proprie ὀξεῖς. plura infra ad Claudium.

11. *Solent deinde pueri pileo inſigniri naturali.*] Præter diuerſas χορίου membranas quibus in vtero inuoluitur embryo: reperitur quorundam infantium cum naſcuntur obtectum caput alia pellicula, quam heic Lampridius vocat *pileum.* ſic carnem illam quæ in pullorum equinorum capite naſcitur, Ariſtoteles in Hiſtoriis χορίον, Latini *pileum* nominarunt. vetus Iuuenalis interpres ad hunc locum,

Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli Infundit.

ita

ita ſcribit: *mox ſcilicet nati pulli equini: Cui in fronte pileum, vt pellicula, ereptum præſtat amorem.* noſtrates quoque obſtetrices *coeffe* nuncupant, quaſi pileum dicas, vel calanticam. eadem ratione Belgicum vulgus, vt audio, vocat *galeas*. Balſamo voce generaliſſima, ἔνδυμα νεογνοῦς παιδός.

12. *Quod obſtetrices rapiunt, & aduocatis credulis vendunt.*] Erat hoc vnum è plurimis amuletorum ac phylacteriorum generibus, quæ olim à curioſarum artium peritis ſolita vſurpari legimus. Obſeruauit Fridericus Lindembruchius, fieri mentionem huius ſuperſtitionis apud Balſamonem in commentariis ſuper Canones: quod verum eſt: nanctus enim nuper Græcum eius auctoris codicem, inueni narratam ab eo hiſtoriam de Proto quodam è clero, qui accuſatus quod his artibus eſſet deditus, poſtea deprehenſus eſt habere in ſinu pileum huiuſmodi, à muliere quadam acceptum, quæ hanc illi vim ineſſe affirmauerat, vt omnium ora, qui aduerſus geſtantem dicere parati eſſent, obturaret. Verba illius ſunt hæc ad canonem LXI. concilij in Trullo: Εἴπερ εἶχον καιρὸν ἀφηγήσασθαι ὅσα εἶδον τοιαῦτα συνοδικῶς ἐκδικηθέντα, μεγάλην τὴν περὶ τούτων ἐποιησάμην ἀφήγησιν. ῥηθήσεται δὲ ὀλίγα· Αὐτίκα, Πρῶτός τις τοῦ Ὁσίου περὶ τοιούτων τινῶν κατηγορηθεὶς, εὑρέθη ὑπ' αὐτοφώρῳ ἐγκόλπιον ἔχων ἔνδυμα νεογνοῦς παιδός. καὶ εἶπε τοῦτο δοθῆναι παρά τινος γυναικὸς εἰς ἀποτροπὴν καὶ ἐπιστομισμὸν τῶν ἐπιχειρούντων κατ' αὐτοῦ λέγειν· διὸ καὶ καθοσιώσεως ὑπέπεσεν. non dubito quin mulier illa quæ hoc Proto perſuaſerat, obſtetrix eſſet: nam & Iohannes Chryſoſtomus non ſemel in ſermonibus ſuis, obſtetrices obiurgat propter hoc genus præſtigias & magicas impoſturas. Noſtrorum quoque maiorum animos eadem ſuperſtitio tanquam ſidus peſtilens afflauerat. nam hodieque reperiuntur obſtetrices, quæ pilea hæc præripiant & ad maleficia ſeruent ac vendant. Eſt etiam illa vulgi opinio, raræ cuiuſdam felicitatis indicium facere hoc pileum: quod & vetus Gallicum prouerbium teſtatur: dicimus enim de eo quem appellauit ſatyricus, gallinæ albæ filium, Natus eſt pileatus.

14. *Pileum non habuit, ſed diadema tenue.*] Licinius imperator ſiue tyrannus, Theodorum ducem, inter Chriſti milites clarum, venientem ad ſe his verbis excepit. Δεῦρο ἡλιόμορφε, θεσμοσυλλῆπτορ, στεφόκομε, αὐτοφυές σου τὸ διάδημα. δεῖ γάρ σε βασιλέα μεθ' ἐμοῦ καθεσθῆναι. videtur alluſum ad eos qui naſcuntur diademate naturali inſigniti. nam inter legendum veteres multos meminimus obſeruare qui Diadumeni nominarentur: cuius appellationis hæc videtur eſſe cauſſa. in volumine antiquarum inſcriptionum quatuor aut quinque inuenies.

15. *Venis intercedentibus ſpecie nerui ſagittarij.*] impropriè *venas* nominat quæ ſunt potius ἶνες, fibræ aut villi. Sed aliter præit regius, vbi ſic, *viris* .... *interſedentibus*. potes ſcribere, *fibris plurimis intercedentibus*.

16. *Ferunt denique Diadematum puerum appellatum.*] Ait filium Macrini puerum quidem appellatum eſſe DIADEMATVM: poſtea verò vbi adoleuit, DIADVMENVM. & tanquam magna eſſet inter hæc

nomina differentia, subiungit hæc: *quanuis non multum abhorruerit ab illo signo diadematis nomen* Diadumeni. hæc ita in vulgatis codicibus, à quibus nihil variant scripti. Atqui negari non potest ineptissima ista esse. separat enim duo nomina, inter quæ discrimen nullum in significatione. formatio solum diuersa, Græca altera, altera Latina. quid enim est *diadematus*, nisi διαδούμενος? prorsus literarum Græcarum fuit rudis qui ista scripsit: quod tamen de Aelio Lampridio ne credamus, Alexandri Seueri vita scripta eidem impedit. Itaque hæreo hoc loco, nec quî excusem tantas ineptias inuenio.

22. *Palumbum regium paruulum attulisse.*] Neque palumbi regij, neque pantagathorum de quibus auctor, mentionem vllam faciunt Aristoteles, Plinius, aut quicunque alij è veteribus historiam animalium descripserunt. Nos ex Hesychio, & aliis antiquis grammaticis didicimus, in augurali disciplina, & omnibus ἱερατικοῖς libris, rebus quamplurimis alia fuisse nomina, quàm quibus vulgò dicerentur. Fortasse inde sunt & hæc vocabula, ex ipsa re imposita: nam regius palunbus illis dictus, qui omen faceret regiæ fortunæ: pantagathi, quod amplas diuitias, aut perfectam felicitatem sponderent.

28. *Hinc eidem aquila pil.*] Scrib. *Huic eidem.* de aquila pileum tollente simillima historia in vita Tarquinij Prisci.

32. *Et morti accommodum.*] θανατώδης, vel εἰς θάνατον φέρον· caussa in promtu: propter periculum ex suspicione affectatæ tyrannidis.

33. *Natus est præterea natali Antonini.*] XIII. Kal. Octobreis.

34. *signis prope continentibus.*] Scribe, *concinentibus.*

Pag. 149. vers. 13. *Esse videantur.*] Regius, *videntur.*

27. *Atque ita in publicum edidit diem natalis sui.*] Lego, *in publicum edidit die natalis eius.* neque enim Commodus ipse nomen suum professus est recens natus: sed pater Marcus, more cæterorum patrum: qua de re superius.

Pag. 150. vers. 2. *Qui esset secundus imperij.*] præfectus nempe prætorio. quam dignitatem potentia parum cedere imperatoriæ maiestati ait ipse Macrinus in oratione ad senatum missa, quam refert Herodianus historia quinta. Eunapius, imperiũ sine purpura nominat in Proæresio: ἡ δὲ ἀρχὴ, ait, βασιλεία ἐστὶν ἀπόρφυρος. Zosimo, ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα. Euagrio, ἡ κορυφαία τῶν ἀρχῶν. libro III.

4. *Quo clarius illis temporibus non fuerat vel deorum.*] *fuerat* pro erat. imo ita scribendum videtur: aliter tamen libri. notamus alio loco, *fuisset, dixisset, scripsisset*, frequentasse id seculum, pro esset, diceret, scriberet.

16. *Commodus Herculeum nomen habere cupit.*]

Κληθῆναι γλίχεται Κόμμοδος Ἡρακλῆς·
Οὐδ' Ἀντωνίνων στέργει ἔχων ὄνομα·
Μήτε βροτῶν εἰδὼς τέθμια, μήτ' ἀλάκχον.

Μᾶλλον

Μᾶλλον δ' αἱρεῖται κλῆσιν ἔχειν θεϊκὴν,
Ἢ κρατερός τε κλύειν παμβασιλεύς τ' ἀγαθός.
Ἔσται δ' οὐδέτερόν γ', οὐ θεὸς, οὐδὲ ἀνήρ.

27. *Dij faxint & bona Iuno.*] Lege Seruium in illum versum, *Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.*

28. *Et ego qui sum pater Antonini, dignus videar*] Legebam, *& ego, qui sum pater, patre Antonini dig. vid.* sed malo, *& ego, qui sim pater Ant. d. v.* Traiecta sunt verba: pro, & ego dignus videar, qui sim pater Ant.

30. XIIII. *mense imperij.*] rectè: imperarunt enim annum vnum menses duos, demtis, (alij dicunt additis, nescio quo auctore,) diebus tribus.

31. *Ob inciuilem atque asperum principatum.*] Aurelius Victor, *Horum nihil præter sæuos atque inciuiles animos interim reperio.*

32. *Interfectus est cum patre non suo nomine.*] apertius Pollio de Salonino Gallieno, *occisus est, non sua, sed patris caussa.*

Pag. 151. vers. 1. *Legatos Asiæ atque Arabiæ.*] Regius & Puteani, *atque Achaiæ.*

3. *Paribus missis etiam ad matrem.*] nihil refert, siue pares literas accipias, siue paria literarum. sic Græci ἴσα, id est, *paria* appellant diuersa eiusdem scripti exempla.

8. *Quod nec debuit fieri, nec potuit.*] dictum ἐκ παραλλήλου. nam sane potuit fieri quod constat factum. sed ita vulgo negamus fieri posse, quæ volumus intelligi nullo modo debuisse fieri.

18. *Magistri eius Cæliani.*] Et regius liber & quantum est veterum membranarum magistrum hunc Diadumeni Cælianum nominant: non vt disputat vir eruditissimus Cæcilium. Quare esse hunc illum rhetorem qui apud Minutium Felicem gentium errores propugnat, per antiquos libros assentiri illi non possumus. sed nec rationes aliæ desunt, quæ eam sententiam reddant minus probabilem.

ISAACI CASAVBONI
IN AELII LAMPRIDII ANTONINVM HELIOGABALVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

ANTONINVS HELIOGABALVS.] Syrus homo de Syriaci idoli nomine ita dictus. ei deo fictitio nomen אלה גבל *Alah Gabal.* quaſi dicas *Deus montis.* אלה Syris vt & Arabibus الله generale dei vocabulum eſt. ideo dubitatum à Capitolino & Lampridio de hoc Syrorum idolo, Sólne eſſet an Iupiter. ſed tollunt omnem dubitationem lapides, in quibus coniunctim SOL. ALAGABALVS nominatur. extant & nũmi quorum hæc inſcriptio: SACERD. SOLIS. DEI. ELAGAB. præterea Dio & Herodianus Ἥλιον ſine dubitatione vlla interpretantur. Pleraſque gentes Orientis præcipuo cultu Solem veneratas eſſe, cum alia multa teſtantur, tum etiam ex hoc nomine poteſt colligi: vt enim Athenienſes τὴν θεὸν ſimpliciter cum dicerent, Mineruam intelligebant: ſic iſti Solem communi nomine אלה DEVM dixerunt. nam quod videntur Dio & Herodianus exiſtimaſſe, lingua Syrorum vel Phœnicum hac appellatione communiter ſolem dici, hoc niſi commode accipiatur ſcimus eſſe falſum: aliter enim Hebræi, Syri, & Arabes ſolem nominant. hoc tantum eſt verum, locum fuiſſe quendam in Syria vbi ſub eo nomine deus Sol coleretur. Porro in monte poſitum fuiſſe iſtud ſimulacrum, altera pars nominis huius declarat: nam Syris גבל, & Arabibus quoq; جبل montem ſignificat. Ex hiſtoria ſacra & prophetarum vaticiniis notũ eſt, ſolitos veteres populos Orientis ſuorum deorũ ſimulacra in locis excelſis dedicare. Sic fere DEVS CARMELVS dicebatur illud idolum, quod in monte Carmelo ædem ſuam habebat. meminit illius Suetonius in Veſpaſiano. Fueritne HALAGABAL peculiaris eorum Gabalitarum deus, quorum in ſacris literis habetur mentio, quærit

Orientis populi soliti in locis excelsis, suorum Deorum simul[acra] collocare

quærit explicatque illuſtriſſimus Scaliger in opere diuino obſeruationum ſuarum ad Euſebij Chronicon. & Herodianus quidem & Dio, quorum vterque Syriaci huius dei mentionem facit multam, (Herodianus præſertim: qui etiam lapidem illum cum cura deſcribit, quem pro ſimulacro ait fuiſſe in hoc templo:) de loco aliud nihil nos docēt: niſi quod afuiſſe non multum ab Emiſſena vrbe, ex Herodiani verbis videtur poſſe intelligi. Ammianus libro XXVI. *Antiochiæ imperatore Macrino agente ab Emeſa Heliogabalus exiuit Antoninus.* Ex Spartiano in extremo Caracalla aliud pronunties: ſcribit enim dei huius templum in eo vico radicibus Tauri ſubiecto, fuiſſe, vbi Marcus olim Fauſtinæ ſuæ in Aſia defunctæ ædem poſuerat. Halalem Capitolinus eum vicum nominat. videtur ergo is locus eſſe qui Ἀλάλις in Ptolemæi libris dicitur, ad Euphratem in Palmyrena ſitus. Et fortaſſe ſicut idolum in montis vertice conſecratum *Halagabal* è re dictum fuit, ita vicus ad radices eiuſdem montis ſitus ALALA eſt appellatus, quaſi dicas vicus *Dei* dialecto Arabum, quibus erant finitimi Palmyreni. Cæterum in efferendo peregrino hoc nomine, magna apud Græcos & Latinos ſcriptores eſt varietas. In Epitoma Dionis Ἐλιογάβαλος locis diuerſis ſcribitur: regia ex eodem Dione Excerpta præferunt Ἐλεαγάβαλος quomodo & Zonaras apud Photium ex Dione, Ἐλαγάβαλος. apud Herodianum eſt Ἐλαιογάβαλος. cæteri, opinor, & Græci omnes Ἡλιογάβαλος, & Latini HELIOGABALVS. quam tamen ſcripturam viri doctiſſimi non ferunt in his libris, & iubent vbique mutari. Scimus quidem aliter in literatis ſaxis, & nummis antiquis reperiri hoc nomen expreſſum: nam in illis eſt ALAGABALVS, in his ſemper, ELAGABALVS, & cum dei nomen eſt, & cum imperatoris huius. Sed opponimus his conſenſum non dico membranarum: quæ apud hoſce auctores nunquam aliter ſcribunt. verùm etiam tot auctorum, Græcæ Latinæque linguæ, qui ita conſtanter barbarum hoc nomen efferunt. Opponimus etiam conſuetudinem ſcriptorum vtriuſque linguæ, qui peregrina huiuſmodi nomina ita amant enuntiare, vt ſuæ linguæ quàm maximè fieri poteſt illa accommodent: putabant enim corrumpi orationis ſuæ puritatem ſi nomina barbara non emollirent, prius quàm ſuis ſcriptis illa inſererēt. ridet hanc ſuperſtitionem Lucianus in quodam inepto hiſtorico: quem ait, deſcribentem bella Romanorum cum Parthis, Saturninum Græce appellaſſe Κρόνιον, Frontonem Φρόντιν, Titianum, Τιτάνιον, & ſimili modo cætera nomina deprauaſſe. iure quidem hoc nomine Lucianus illum ineptulum exagitat: ſed rectiſſimo eius conſilio non vſos conſtat neque Græcos neque Latinos hiſtoricos: qui vt notum eſt eruditis, aliena nomina deflectentes quàm fieri poteſt proximè ad ſonum ſuę linguæ, magnas ſæpe hiſtoriæ tenebras offundunt. Noli dubitare idem & in iſto nomine eſſe factum: vocatumque iam olim à Græcis, quos & Latini ſunt ſecuti, ΗΛΙΟΓΑΒΑΛΟΝ, qui in Epitoma Dionis eſt

ΕΛΙΟΓΑΒΑΛΟϹ. Falluntur igitur, neque iudicant rectè qui nummorum aut ſaxorum ſcripturam in his libris cenſent reſtituendam. nam certum eſt Spartianum, Capitolinum, Lampridium, Victorem vtrumque, Eutropium, Ammianum Marcellinum, alioſque è Latinis, cum vniuerſa Græcorum cohorte, aliter hanc dictionem ſcripſiſſe. Docet hoc & Seruius, cum ad ſeptimam Aeneidem ſcribit, *Gabalus Romanus imperator ſolem ſe dici voluit: nam Heliogabalus eſt dictus.* hæc nota Seruij plana eſt, ſi retineas ſcripturam omnium librorum, Heliogabalus: anceps & obſcura Latine diſcentibus, quibus ille ſcribit, ſi, vt quibuſdam placet, ibi quoque aliter ſcribas. Sed obſerua obiter eruditiſſimi grammatici *ἀνιστορησίαν.* nam falſum eſt quod ait de Gabali appellatione.

16. *Simul intelliget Romanorum iudicia.*] Victor alter in Caligula: *De quo neſcio an decuerit memoriæ prodi: niſi forte, quia iuuat de principibus noſſe omnia, vt improbi ſaltem famæ metu talia declinent.*

28. *Et hic quidem prius dictus eſt Varius.*] cauſſam prætermittit: quam ex Dione accipe, quia Soæmis mater eius nupſerat Οὐάρῳ Μαρκέλλῳ Σύρῳ ἀνδρί. melius Οὐαρίῳ. obſcurior cauſſa eſt, cur eius auia Iulia Mæſa à Lampridio Varia appelletur. ab hoc Varianæ thermæ Romæ nomen inuenerunt. earum & in inſcriptionibus mentio.

29. *Poſt Heliogabalus, à ſacerdotio dei Heliogabali.*] nouo exemplo hic fanaticus de nomine eius dei cuius ſacerdos fuit, ſe quoq; dici voluit. quod non minus inſolens quàm ſi Iouis ſacerdos aut dialis flamen ipſam Iouis appellationem ſibi vindicaſſet.

33. *Atque ipſe in Romano imperio vltimus Antoninorum fuit.*] hoc eſt, octauus. vide Capitolinum in Opellio Macrino.

36. *Antonino autem Caracallo ſtupro cognita.*] iactatum hoc pro tempore: ſed falſum eſſe creditum à pleriſque. Dio πλάσμα vocat. Herodianus in medio relinquit ſitne πλάσμα, an ἀλήθεια.

Pag. 153. verſ. 2. *Quòd vario ſemine.*] ex iis quæ modo diximus ex Dione falſum hoc paret. & notum eſt huius auiam fuiſſe Variam dictam. vide inferius.

8. *Quod tu Conſtantine ſacratiſſime ita venerаris.*] Similis Capitolini adulatio in Marco: *deus vſque etiam nunc habetur, vt vobis ipſis ſacratiſſime imperator Diocletiane, & ſemper viſum eſt, & videtur.* Reg. *q. t. ſacrat. Conſt.* vocibus tranſpoſitis.

11. *Adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas charaſque.*] Regius, *eorum*, pro *veterum*. non diſpliceat *maioribus* pro *moribus*. quod non damno tamen. venuſte autem verbum *adoptare* vſurpatum. cum de maioribus in cognationē adſcitis à Conſtantino loquatur: cum non ſoleant adoptari, niſi liberi aut nepotes.

13. *Nactus imperium Romam nuntios miſit.*] miſit & imaginem ſuam, eo habitu quo vt ſacerdos Alagabali vtebatur: ipſamque in ſanctiſſimo Curiæ

Curiæ loco iuſſit poni. lege Herodianum.

16. *Sed etiam in ſanguine.*] dele *in*, vt probat præcedens periodi membrum.

19. *Rumor qui nouis poſt tyrannos ſolet donari principibus.*] Appellat *rumorem* nouè, fauorem ac ſtudium quo ferri vulgo ſolent homines in eos principes, qui tyrannis ſuccedunt. fere enim ſolet de iis ſpes quædam ingens concipi : cui tamen ſpei, vt recte ait Lampridius, pauci reſponderunt.

25. *Cum quod optant verum eſſe deſiderant.*] Error manifeſtus: nam vt docuit pridem Petrus Faber, pro *deſiderant.* aliud quid ſententia deſiderat : puta, *exiſtimant* vel, *credunt.* aut vt arbitrabatur Ioſephus Scaliger, *aſſeuerant.* eadem ſententia apud Galenum pene iiſdem verbis: ὃ γὰρ ἕκαστος βούλεται, δηλονότι τοῦτο καὶ οἴεται γενήσεσθαι. in libro Περὶ τοῦ προγινώσκειν. pluribus idem dicit Procopius poſtremo libro poſterioris tetradis. οἱ ἄνθρωποι τὴν διάνοιαν ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον πρὸς τὴν τοῦ βουλήματος ἁρμόζονται χρείαν, καὶ λόγῳ τῷ ἀρέσκοντι αὐτοὺς ἀεὶ προσχωροῦσι, καὶ προσοίεσθαι τὰ ἐξ αὐτοῦ πάντα, οὐ διασκοπούμενοι μὴ ψευδὴς εἴη.

31. *Et matris typum.*] διοπετὲς illud ἄγαλμα, quod deſcribit Herodianus libro primo prolixè. meminerunt & alij multi.

34. *Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Chriſtianam deuotionem.*] Reg. *Chriſtianorum.* Sic alibi hæc tria nomina iunguntur. vt in epiſtola Hadriani de Aegypto & Alexandria: *nemo illic archiſynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum presbyter.* Græca formatio *Samarites* Σαμαρείτης. qua veteres potius vtuntur. & fortaſſe heic quoque *Samaritarum* auctor ſcripſerat. Quid & quantum inter Iudæos ac Samaritas ſit diſcriminis, explicatum eſt à Scaligero in ſeptimo De emendatione. etiam ab imperatoribus in diuerſis conſtitutionibus ſeparantur à Iudæis Samaritæ. Photius in Nomocanone titulo ſexto, capite VII. Samaritas agricolas a reliqua illa gente diſtinguit, & fuiſſe hos meliore conditione quàm cæteros oſtendit. Σαμαρείτας Γεωργοὺς ipſe nominat. in decimo autem titulo, τοὺς τὰ γήδια γεωργοῦντας Σαμαρείτας. At Iudæi terram poſſidere ſimul & colere à multis ſeculis deſierunt : etſi in Beniamini Iudæi itinerario leges aliquot locis Iudæos γεωργούς. ſed vt plurimùm tã Iudæi quàm Samaritæ negotiatoribus operas locabant. vnde factum, vt Conſtantinopoli *Samaritæ* vocarentur miniſtri menſariorum qui rationes conficientibus aderant, & iis ſubſcribebant. Iuſtinianus in edicto Περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων. εἰ γράμματα φέροι αὐτοῦ τοῦ τῆς τραπέζης προεστηκότος, τοῦ γε ὑπογραφέως αὐτοῦ, οὓς Σαμαρείτας καλοῦσι. & fortaſſe alluſum à primis auctoribus eius nominis, ad vocis notionẽ. eſt enim Σαμαρείτης, vt ſi dicas φυλακήσιος: à verbo quod cuſtodire & obſeruare ſignificat.

Pag. 154. verſ. 1. *Scribendo affuit, id eſt ſenatusconſulti conficiendi teſtis.*] quid ſit *ſcribendo adeſſet*, notiſſimum ex epiſtolis Marci Tullij, & antiquis ſenatusconſultis. non arbitror auctoris eſſe quod heic aſſutum eſt

interpretamentum: & inducenda illa censeo, *id est, senatusconsulti conficiendi testis*. Eadem formula in Græco Senatusconsulto, quod publicatum nuper ab eruditissimo & clarissimo viro Iano Grutero, ΓΡΑΦΟΜΕΝΩι ΠΑΡΗΣΑΝ ΠΕΤΡΩΝΙΟΣ ΣΚΑΠΛΑΣ ΜΑΝΝΕΙΟΣ.

2. *Solusque omnium imperatorum fuit*] hoc verum est: nam Liuia, quæ vna inter omnes Augustas, plurimum in Rep. potuit, à Curia tamen abstinuit, eo audaciæ progredi nunquam ausa. Dio libro LVII. obseruat, quem lege.

3. *Sub quo mulier quasi clarißima loco viri senatum ingressa est.*] quia nolebat feminino genere vocem senator vsurpare, neque senatrix dicere, coactus est circumlocutione vti. Sunt autem *fœminæ clarißimæ*, senatorum coniuges, vt apud Tertullianum ad Scapulam, & Augustinum De ciuitate Dei lib. XXII. cap. VIII. & in multis legibus Codicis. Iam olim senatus appellabatur *ordo clarißimus*: sed postea *clarißimus* poni cepit ἁπλῶς pro senator, & ita passim apud Ammianum Marcell. aliosque historicos, & in vtroque Codice. sic etiam *clarißimas* nominarunt. Paulinus in vita Ambrosij: *Per idem tempus trans Tiberim apud quandam clarißimam inuitatur, vt sacrificium in domo offerret.*

4. *Fecit & in colle Quirinali senatulum, id est, mulierum senatum.*] Scribe, *senaculum mulierum*. & dele illa, *id est, senatum*. est enim glossema ineptum. neque enim senaculum est senatus: sed locus quo conueniebatur ad senatum velut in curiam. erant iam olim senacula tria Romæ, quo patres conueniebant, vt scribit Festus. sed istud & erat & dicebatur Senaculum mulierum. meminit illius & Victor in Vrbis descriptione, regione sexta. extincto Alagabalo, ademtum ius hoc matronis: quod tamen Aurelianus voluit ipsis restituere. de eo Vopiscus: *Senatum siue senaculum matronis reddi voluerat; ita vt primæ illic quæ sacerdotia senatu auctore meruissent.*

6. *Si vnquam aliqua matrona consularis coniugij ornamentis esset donata.*] Locus singularis, & quantum nunc memini, in Romana historia vnicus. Equidem exemplum matronæ cui ornamenta consularis coniugij fuerint donata, succurrit impræsentiarum mihi nullum. de iis autem honoribus quos matronis, affinibus suis & cognatis soliti imperatores deferre, multa leges apud Herodianum & Dionem.

13. *Quæ pilento.*] Separat pilentum à carpento: nam illud fuit honoratius. Liuius in anno Vrbis CCCLIX. *honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum: vt pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque vterentur.* Trebellius Pollio de Zenobia: *Vsa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius.* Sed & vocabula hæc, & eorum vsus, varie mutarunt in Rep. sæpeque ab auctoribus confunduntur. Alibi genera vehiculorum omnia recensemus diligenter, & totam illam rem sedulò exponimus.

ib. *Quæ equo sagmario.*] Græcæ vocis formatio Latina, vt in multis.

re

recens Hellenifmus retinuit, & dixit *τζαγμάριος*. at *ſagma* eſt *σάγμα*, vel *σαγή*. quod iumento imponitur vt mollius vehat, & ſine noxa ſua. differt ſagma à ſella: nam ſagma proprie eſt quod iumentis onera baiulantibus imponitur: ſella equorum eſt, vel aliorum animalium quibus homo vehitur. Vegetius rei veterinariæ libro ſecundo, capite LIX. *Exceptis his qui deputati ſunt circo, reliquum mulorum, equorum, aſinorumque genus, ſub ſellis aut ſagmis ſolo tergo præſtat officium.* deinde: *tunc ſagmarum vel ſellarum menſura conueniens, & apta qualitas debet adhiberi.* inde equi ſellares & ſagmarij. ſellaris Græcis eſt ἵππος φορεὺς Plutarcho, vel κέλης: nam Euſtathius, κέλης explicat ἵππος σελλάριος. ſagmarius eſt καβάλλης. & propterea ſaparatur à ſellari, qui ἁπλῶς equus nominatur: vt in vita B. Hilarij: *quod vbi vir comperit, protinus & ipſe pedibus iter ingreſſus, vrbem Romam ſine equo, ſine ſagmario intrauit.* ſed hæc diſtinctio non ſeruatur hoc loco: neque inferius in epiſtola Aureliani ad vicarium ſuum: *equum ſagmarium ſuum defricet.* Sagma poſtea appellata eſt ſalma. Iſidorus libro xx. *Sagma, quæ corrupte vulgo dicitur ſalma, à ſtratu ſagorum vocatur: vnde & caballus ſagmarius, mula ſagmaria.* ineptè quidem Iſidorus *ſagmam* deducit à ſago: cum vox Græca ſit neque de eo poſſit eſſe vllum dubium: ſed recte vſurpat vocem ſagum. nam omne opertorium, vt voce Hieronymi vtar, iumenti, ſagum vocabant, vt ante probauimus. à *ſalma* manauit appellatio aſinarum, qua vtuntur Narbonenſes & Prouinciales: *ſalmas* enim vocant, propter eius pecoris τὸ ταλαίπωρον. ſed illi τὸ *l* vertunt in *u*: ſicut & *ſaumarius* pro ſagmarius legas apud Latinos recentiores, vt in libello de miraculis S. Vdalrici, nec ineleganti & ſatis antiquo: *obtulerunt de cera quantum vnus fortis ſaumarius portare potuit.*

ib. *Quæ aſino veheretur.*] Apud veteres aſino vehebantur, tantum humiliores. ideo temporibus Chryſoſtomi, patriarcha Conſtantinopolitanus aſino vehi ſolitus: tanta erat illorum temporum moderatio: & tamen id quoque multis inuidioſum fuiſſe, teſtatur idem homilia prima, in eam ad Titum: vbi voces inconditi vulgi profert iſtas. ἀλλὰ καὶ οἰκέτας ἔχει, φησί, τοὺς διακονουμένους αὐτῷ, καὶ ἐπὶ ὄνου ὀχεῖται. τίνος ἕνεκεν ἐμοῦ προέστηκεν; ipſe vero Chryſoſtomus nona ad Philippenſes homilia, inter conditiones in epiſcopo non ferendas, ponit iſtas quoque: ἐπεὶ πλῆθος ἀκολούθων ἔχων σοβεῖ κατὰ τὴν ἀγοράν. & ἐπὶ ἵππου φέρεται. Erat etiã moris, vt aſino imponerent, quos vellent ignominiæ cauſſa traducere: cuius rei exemplum apud Procopium in tertio Perſicorum, & alibi.

ib. *Quæ carpento mulari quæ boum.*] ſecundùm pilentum erat honeſtiſſimum vehiculi genus carpentum. ſed poſteriores è Latinis laxè hanc vocem vſurparunt. interdum enim vehiculum eſt honorificum, vt cum loquuntur de magiſtratuum carpentis, de quibus & in Codice fit mentio: Vopiſcus initio Aureliani *iudiciale carpentum* appellat. interdum pro quouis curru accipiunt. vt Ammianus libro XXXI. *carpenta hoſtium*, id eſt currus vel carri. Paulinus in vita Ambroſij: *domum para-*

rat, atque in eadem carrum constituerat, quo facilius raptum ad exilium perduceret. mox: *eidem carpento impositus de eadem domo ipse ad exilium destinatus est.* carpentis autem matronarum videntur successisse basternę: quarum frequens apud scriptores mentio. Ad huiusmodi vehicula non solum equi aut mulæ iungebantur, sed & boues. Augustinus libro XXII. De ciuitate Dei, cap. VIII. *Puerum quendam paruulum, cum in area luderet, exorbitantes boues qui vehiculum trahebant, rota obtriuerunt.* non enim ἅλωνα hic *aream* interpretor: sed subdiual domus, vt in vita Diadumeni. Eginhartus in vita Caroli magni: *Quocunque eundum erat, carpento ibat: quod bubus iunctis, & bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conuentum, qui annuatim ob regni vtilitatem celebrabatur ire, sic domum redire solebat.* Erunt qui cum ad nostros mores oculos referent, hoc mirentur: at ego illud potius, quod inter animalia cursui publico destinata, & boues olim fuerunt: testes sunt lex prima, & LIII. Cod. Theodos. De cursu publico. sed Iulianus hac necessitate boues, asinos, mulos exemit. Socrates libro tertio capite primo, περιεῖλε δὲ καὶ τὸν δημόσιον τῶν χρειῶν δρόμον. δηλονότι, ἡμιόνων, βοῶν καὶ ὄνων. μόνον δὲ τοὺς ἵππους ταῖς δημοσίαις χρείαις συνεχώρησεν ὑπουργεῖν.

basternae

Inter animalia cursui publico olim destinata et boues fuere

14. *Quæ sella veheretur.*] aut lectica: quod membrum auctorne prætermiserit an librarius nondum constitui.

15. *Quæ aurum vel gemmas in calciamentis haberent.*] nam & χρυσῷ κατάστικτα, & χρυσᾶ, & λιθοκόλλητα habuerant: quæ omnia nobis alibi curiosè pertractata. Vetantur huiusmodi calcei lege Alexandri de qua Lampridius.

16. *Ergo cum hibernasset Nicomediæ.*] Herodianus, ὁ Ἀντωνῖνος ἀπάρας τῆς Συρίας, ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν Νικομήδειαν ἐκεῖ ἐχείμαζε, τῆς ὥρας τοῦ ἔτους οὕτω ἀπαιτούσης.

22. *Per cuncta caua corporis libidinem recipientem.*] idem auctor in Commodo: *omni parte corporis, atque ore, in sexum vtrumque pollutus.*

25. *Vt emissarios haberet, qui ei bene vasatos perquirerent.*] Dio, διερευνητὰς συχνοὺς εἶχε, δι' ὧν ἐπολυπραγμόνει τοὺς μάλιστα αὐτῷ ἀρέσαι τῇ ἀκαθαρσίᾳ δυναμένους. bene *vasatos* & maioris peculij viros dialectus Chaldaica vnica voce exprimit, & vocat משועבּרין Egnatij ridiculus error pridem viris eruditissimis exagitatus. sic Græci suum σκεῦος vsurpant, Plautus *vasa*.

34. *Eum fructum vitæ præcipuum existimans.*] Opponamus furori huius prodigij veram viri sapientis sententiam. Marcus Antoninus libro sexto: Αἰδοῦ θεούς, σῷζε ἀνθρώπους, βραχὺς ὁ βίος· ΕΙΣ ΚΑΡΠΟΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΕΙΟΥ ΖΩΗΣ ΔΙΑΘΕΣΙΣ ΟΣΙΑ ΚΑΙ ΠΡΑΞΕΙΣ ΚΟΙΝΩΝΙΚΑΙ. *Deum reuerere, mortalium salutem cura, vita breuis: vnus fructus est vitæ quàm in terris agimus, animus sanctus, actiones societati hominum conducibiles.* appellat autem Lampridius *fructum vitæ*, quas Iuuenalis *caussas vitæ* illo versu:

Et propter vitam viuendi perdere cauſſas. Sic Plinius epiſtola quinta libri quinti viuendi cauſſas appellat, qui heic dicitur *fructus vitæ.* ait ibi: *qui voluptatibus dediti quaſi in diem viuunt, viuendi cauſſas quotidie finiunt.* at libro primo epiſtola XII. viuendi cauſſas ſtatuit idem, bonam conſcientiam & bonam famam, cum auctoritate. philoſophi vocant finem: vt & Diodorus in ſimili ſententia iſti Lampridij, libro primo: ἀπολαμβάνων βασιλείας εὐδαίμονος εἶναι τέλος τὸ πάσης χρῆσθαι ταῖς ἡδοναῖς ἀπολαύσεις, Sic eleganter Tertullianus voluptatem appellat *fructum ſeculi.* De ſpectaculis capite ſecundo: *Quam ſapiens,* ait, *argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cum aliquid eiuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſeculi metuit amittere?*

Pag.155.verſ.1. *Militaribus etiam præpoſituris.*] idem auctor in Seuero: *dabat præpoſituras locorum ciuilium, non militum.*

3. *Et Gordium.*] paullo poſt *Gordus* dicitur. vulgo Romani *Gurdos* vocabant ſtultos, voce Hiſpanica, vt ait Quintilianus. fere autem hiſtrionibus & aurigis ridiculum aliquod nomen impoſitum.

5. *Quorum corpora placuerant.*] Herodianus. ἐπ' ἄλλῳ τινὶ εὐδοκιμήσαντες.

7. *Herodem verò ſic amauit*] Reg. *Hierodem.* Scribe & heic & paullo poſt, *Hieroclem*, ex Dione.

10. *Sublatis penetralibus.*] ſimulacris, vel cæteris rebus quæ pro ſimulacris colebantur. hæc penetralia & inſpexit, & tractauit, & loco etiam mouit, in dei Heliogabali templum omnia conferens.

16. *Et penetrale ſacrum.*] palladium, quod fatale pignus imperij Rom. vocat Liuius lib. XXVI. plura de eo Herodianus.

17. *Quamuis virgo maxima falſam monſtrauerat.*] Scribe, *quam ei virgo m.* de virgine maxima, Suetonius, Aulus Gellius, & alij.

25. *Iactauit autem caput inter præciſos fanaticos.*] Vlpianus lege prima De ædilitio edicto. *Si ſeruus inter fanaticos non ſemper caput iactaret, & aliqua profatus eſſet.* Iſidorus lib. VIII. de ceremoniis ſacrorum Matris deûm: *Quod ſe apud eam iactant, præcipitur, inquiunt, vt qui terram colunt ne ſedeant: ſemper enim eſſe quod agant.* hoc Lucianus dicit σείειν τὴν κόμην αὐτῶν. erant enim capillati. vetus lapis CAPILLATVS A MATRE MAGNA. Varro: *Tibi nunc ſemiuiri teretem comam volantem Iactant tibi galli.* Sic etiam leones quibus vehebatur iubam iactare aſſuefiebant, vt in epigrammate Alcæi: ἐκ δ' ἐπινόντων ἔνθεος ῥομβητὴν ἐστροφάλιζε φόβην. *præciſi* ſunt ἐκτομίαι, galli.

26. *Et omnia fecit, quæ Galli facere ſolent.*] Perperam vulgò per maiuſculam literam nomen gallorum ſcribitur, cum Matris deûm ſacerdotes ſignificat. Aſiatica enim vox eſt, quæ τὸν ἀπόκοπον denotat, neque à Galliæ pôpulis ea nôtio manauit. gallis iſtis præerat, qui dicebatur archigallus: cuius ſæpe apud veteres mentio. Tertullianus De reſurrectione carnis cap. XVI. *Et tamen calicem non dico venenarium, in quem mors*

aliqua ructarit, sed frictricis, vel archigalli, vel gladiatoris aut carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes, quàm oscula ipsorum? non possum satis mirari nuperam eius loci interpretationem ab eruditissimis viris profectam: nam quid est aliud nodum in sirpo, si hoc non est? atqui nulla hîc plane difficultas: aperta enim mens Tertulliani, quam illi subtilitatibus suis obscurant. Ait ille, ita natura comparatum esse, vt impurissimos quosque adeo abominemur, vt non solum eos contingere horreamus, aut osculo applicare: sed etiam omnia à nobis reiiciamus quibus illi plurimum fuerint vsi, vt calices è quibus soliti bibere. inter exempla personarum obscœnissimę impuritatis ponit *archigallos* & *frictrices*: id est τριβάδας: vel vt alij libri habent *fictrices*. hoc est aniculas piatrices & μαγευτείας.

27. *Omnia fecit quæ Galli facere solent.*] Victor alter, *abscißis genitalibus, Matri se magnæ sacrauit.*

ib. *Ablatũque sanctum nomen.*] Scribe *numen.* sic vocat typum Matris deûm. & illud διοπετὲς ἄγαλμα. Sed Regius vt & Puteani vocem *nomen* non agnoscunt. & potest omitti.

28. *Salambonem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit.*] Hesychius, Σαλαμβὼ ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Λασυείοις. sed non omnino quadrat huic loco Hesychij interpretatio: nam dubium nullum est, quin appellatione Salambonis hoc loco vel Adonis, vel Venus Adonim plangens intelligatur. Notum vel ex sacra pagina, & Hieronymi Commentariis in octauum Ezechielis caput, Adonia, mense Iunio solita in Syria celebrari. latissimè enim propagata est ea superstitio, quam nescias studio maiore sint amplexi Græci an Syri & Alexandrini, aliique Orientis populi. multa de his apud patres, & Lucianum, Macrobium, Marcellinum, poetarum interpretes, atque alios, quæ omittimus. hæc igitur Adonia sacra & solennes planctus Venerearum cultricum intelligit Lampridius.

29. *Omen sibi faciens imminentis exitij.*] Ammianus Marcellinus libro XXII. de Iuliani aduentu Antiochiã. *Euenerat iisdem diebus annuo cursu completo, Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, vt fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum. Et visum est triste, quod amplam vrbem principum domicilium introeunte imperatore tum primum, vlulabiles vndique planctus, & lugubres sonitus audiebantur.*

31. *Alios seruos.*] Suspicabar de mendo, & scribebam, *alios seruos atrienses*: sed non fauent membranæ. acutus lector cogitet, & statuat ex præcedentibus sequentibusque verbis.

32. *Lapides qui diui dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ.*] *Lapides diuos* appellat famosissimum illud simulacrum, ab Oreste & Iphigenia è Taurica ablatum, quod apud se conditum esse tot ciuitates Asiæ Europæque olim contendebant. harum vrbium è numero fuit Laodicæa: quæ ξόανον istud à Medis Susa translatum è pago Atheniensium Brau-

Braurone Seleuci munere in vrbem suam receperat, vt narrat Pausanias in Laconicis. à quo tamen dissentit Lampridius, cum subiicit, *ex adyto suo in quo id Orestes posuerat* Cum autem plures eodem nomine vrbes olim fuerint, de qua Laodicea Pausaniæ & Lampridij verba accipi debeant, quæri potest. sed videtur cum sine adiectione Laodicea nominatur, illa intelligi, quam ex illustribus Asiæ vrbibus fuisse ætate sua scribit Tacitus XIV. Annalium.

34. *Afferre voluit.*] Scribe, *efferre.* vel *auferre.*

37. *Se apud tria flumina circa Hebrum ex responso purificauit.*] Scribe *Tria fl.* loci nomen est Τρεῖς ποταμοί. vt *Tres tabernæ*, & alia multa. sic dictus, quod ad ripam Hebri esset situs, eo loci vbi duos fluuios alios Hebrus suscipiebat. Alter horum fortasse Arisbus fuit, de quo Strabo libro XIII. Ibi autem Orestem λουθέντα ποταμοῖς ἰαθῆναι τῆς μανίας, Græci quoque grammatici scribunt.

Pag. 156. vers. 1. *Etiam Orestam condidit ciuitatem.*] Græcis vocatur Ὀρέστη, & Ὀρεστιάς.

2. *Et Orestam quidem vrbem Hadrianus suo nomine vindicari iussit.*] Scribe, *suo nomini.* hoc est, Hadrianopolim vocari iussit. Inuenio in Thracia Hadrianopoles diuersas. nam apud Ptolemæum ita scriptum in descriptione Thraciæ: Φιλιππούπολις, ἡ καὶ Τειμόντιον, ἡ καὶ Ἀδριανούπολις. Ammianus verò libro XXVII. in Thraciæ descriptione ita refert: *Post hanc Hæmimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Vscudama.* videtur alia esse hæc vrbs à Philippopoli: quod si verum est, diuersæ vrbes fuerunt Hadrianopolis de qua Ptolemæus, & illa de qua Ammianus. apud alios lego antiquam Thracum vrbem Odrysum ad flumen Hebrum, postea Hadrianopolin esse dictam. Extat in regia bibliotheca breue fragmentum libelli cuiusdam, cum hac inscriptione, Ὅσαι τῶν πόλεων μετωνομάσθησαν ἐς ὕστερον: ibi inueni hæc verba: Ὀδρυσσὸς, ἡ δὲ Ὀρεστιάς, ἡ νῦν Ἀδριανούπολις. quod non vno loco confirmat Metaphrastes in Martyrologio suo. verùm hæc accuratiore iudicio sunt expendenda.

6. *Nam ex eo emolitam insaniam.*] Scribe, *emollitam.* & ita scripti.

7. *Maioris peculij.*] Plautus Pseudolo, *Mea quidem hercle habeo omnia, Meo peculio emta.*

9. *Cædit & humanas hostias.*] Scrib. *cecidit.*

11. *Credo vt maior esset vtrique parenti dolor.*] hæc possent abesse, nisi extarent in omnibus codicibus. malim autem, *vtriusque parentis.* vt occisorum puerorum dolor esset maior: siue perueniret ad plures: nam si alter parens obiisset, minore luctu periissent.

14. *Quod amicos eorum inuenisset.*] nam veram magiam Persarum, Plato pronuntiat θεῶν θεραπείαν.

16. *Cum collatum misisset in populum.*] Regius, *iniisset.* quod firmat priorum editionum χαρακτὴρ, *iniisset.* vnde emendabat Hadrianus Turnebus, *cum consulatum iniisset.* sane quã probabili cõiectura. nam largitates

huiusmodi tum maximè exhibitæ. cum iniretur consulatus: qua de re præter historicos, lege Iustiniani Nouellam cv. quæ est de consulibus. meminit & Imperator Leo constitutione xciv. vbi obseruabamus mirum verbum καθυπατεύειν: imo locutionem miram: ait enim: ὅσοι ἐς τὸ ὑπατεύειν κατέστησαν, τὴν ἐκ τοῦ ἀξιώματος αὐτοὶ προσέλαβον φιλοτιμίαν, ἀντιδωρεῖσθαι τῇ πολιτείᾳ ἀξιοῦντες, φιλοτίμους δωρεὰς τοῖς πλήθεσιν καθυπάτευον. id est, munera magnifica populo pro consulatu suo rependebant. καθυπατεύειν idem ac δοῦναι ὑπατείαν: quod loquendi genus apud Cedrenum & alios recentiores notauit & Cuiacius. sportulas & missilia, aliasque omnes largitiones quas consulatum adepti populo donabant, dixerunt ὑπατείαν. non multo aliter *consulatum edere in Circo* Vopiscus in Aureliano: hoc est, pro consulatu ludos solennes. Sed tibicine opus habet hæc lectio: claudicat enim oratio. Legendum igitur, *cum consulatum inisset, misit,* vel *iecit in populum non nummos v.* sic apud Iustinianum ἐπιρρίπτειν τὰς δόσεις τοῖς πλήθεσι. quod Græci recentiores dixerunt ῥίπτειν τοὺς συνήθεις ἀποδέσμους, vel ἐπιρρίπτειν ἐπικόμβια, vt apud Pachymerium, Codinum & alios. Atq; hæc de lectione quæ Turnebo placita: quæ tamen an vera sit addubito: nam omnes libri retinent vocem *collatus*, nec displicet, pro collatio: Censorinus De die natali: *cum tuo collatu scirem me plura didicisse.* sic *sancitus* pro sanctio apud Tertullianum: *festinatus* apud Zenonem Veronensem, *intentus* & *deceptus*, pro intentio & deceptio apud Anastasium De vitis pontificum: & similia multa. Erit ergo *collatus*, sparsio facta in populum, διάδοσις, vel πάσκαρπος: qua de voce plura alibi dicenda. Firmat hanc lectionem non mediocriter Herodianus, qui genus hoc totum largitionum Heliogabali fuse describens, non occasione initi consulatus hæc donata scribit: sed in honorem dei Alagabali, cum illum quot annis stato die ex vrbe in suburbanam ædem ingenti pompa deduceret.

17. *Vel bellaria.*] vt nuces & frictum cicer, aliaque id genus spargi antiquo more solita.

ib. *Sed boues opimos &c.*] omne genus animantium quà ferorum, quà cicurum, porcis exceptis. Herodianus. vide in vita Gordiani & Probi.

19. *Insectatus est famam Macrini crudeliter.*] Dio in Excerptis, ἐς τὴν Ῥώμην ἐπέστειλε πολλὰ τὸν Μακρῖνον διαβάλλων.

25. *Nefanda imo potius non ferenda eius dicta de luxuria disputare, in vita eius.*] Veteres editi, *de nefanda.* scribebam: *de nefanda i.p.n.f. eius luxuria d.* sed regius & Puteani codices eam lectionem præferunt, quam affert Vrsinus. Quare scribendum: *nefanda imo potius impia dictu de eiusdem luxuria disputare in vita eius.*

29. *Ex nauticis monobelos.*] nauticarum conditionum & in Marco est mentio. de voce *belum* pro telo, antè admonuimus. Scripti præferunt *monoboles.* Si quid mutandum, placeat nobis quod eruditissimo

Iusto

Iusto Lipsio, *onobelos*. caussam exposuimus ad Commodum.

33. *Per Chaldæos & magos Antoninum id egisse vt Marcomanni* P.R. *semper deuoti essent.*] qui hoc dicebant, fabulam spectabant de Arnuphi mago Aegyptio quam refert ex Dione Xiphilinus in Marco.

37. *Ob hoc consecrationem quærere, vt eam dißiparet spe belli concitandi.*] *consecrationem* appellat ipsam formulam qua vtebantur in defixionibus magicis: at *dißipare consecrationem* est contraria formula necessitatem magicæ defixionis soluere. Similis est in aliis sacris resecrandi ritus: quem primus aperuit nobis ad Festum suum vir ingeniosissimus.

Pag. 157. vers. 1. *Et idcirco maximè quod audierat respõsum fuisse, ab Ant.*] Sensus est ni fallor: tanto cupidius conatum esse Alagabalum consecrationem quæ Marcomannos compescebat, dissipare, quod id putaret esse in procliui: cum sors olim edita de eius belli fine hoc diserte diceret, bellum cum Marcomannis ab Antonino finiendum: ipse autem sciebat nullo modo competere id nomen sibi. sperabat igitur posse, quod cupiebat, concitari bellum Marcomannicum. Non video quî exponam aliter istum locum. sed mihi hæc videntur & ἀπίθανα & inepta. dices non esse tanti. Pergamus igitur.

12. *Qui iam Cæsar erat à senatu dictus eo tempore quo Macrinus, consobrinus huius* A.] Dele illa omnia, *eo tempore quo Macrinus*. irrepserunt enim ex ora libri. glossa est sed imperfecta, quam apposuerat aliquis ad illa verba, *à senatu dictus est.* hoc modo: *eo tempore quo Macrinus est occisus*, vel *periit*. rectè, & vt videtur ex initio vitæ Alexandri.

13. *Nam Varia vna his erat auia.*] τὸ *vna*. in menda cubat. & fortasse delendum.

14. *Zoticus sub eo tantum valuit.*] Aurelius Zoticus Smyrnæus, qui & Magirus de artificio quod pater exercuerat, dictus. lege Dionem.

16. *Quasi domini maritus esset.*] Lego *dominæ*. Zoticus maritus, Alagalus domina, id est vxor. disertè apud Dionem ipse Alagabalus iubet Zoticum haberi κύριον, se κυρίαν. idem postea: καὶ τέλος, καὶ ἐγήματο, γυνή τε καὶ δέσποινα, βασιλίς τε ὠνομάζετο. Romanæ matres familias vulgò cum ab aliis cum ab ipsis maritis vocabantur Dominæ, vt in aliquot Pandectarum locis. Epictetus in Enchiridio: αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται.

ib. *Erat præterea idem Zoticus.*] Scribe, *Erat præterea is idem Z.*

25. *Infami rumigeratione.*] λογοποιΐα. sed aliter accipe quam apud Theophrastum. nam rumigerator Theophrasti fingit rumores & rerum nouarum nuntios, nullo aut alio fine, ingenij tantum vitio vsus: hic omnia refert ad lucrum suum.

27. *Concide magire.*] Scribe, *Magire.* modo probauimus ex Dione. *percidere & concidere* obscenæ notionis sunt verba.

ib. *Et eo quidem tempore quo Zoticus ægrotus.*] vocat ægrotum qui potionatus à riuali laboraret ἀστυσίᾳ, vt ait Dio: qui totam historiam refert.

29. *An & ipsi in adolescentia perpeßi essent quæ ipse pateretur.*] hoc ideo, quia probrosissimo huic Tractitio persuasum erat, quod ait Suetonius se comperisse ex nonnullis Neronem persuasissimum habuisse, neminem hominem esse pudicum. vide locum, libro sexto, capite XXIX.

30. *Digitis impudicitiam ostentaret.*] digitis in obscenum modum formatis, vt de Caligula Suetonius.

36. *Et ad corbes sedisset.*] Vuas electas ad edendum. Varro Rei rusticæ libro primo, cap. LIIII. *In vindemiam diligentius vua non solum legitur ad bibendum, sed eligitur ad edendum: itaque lectæ ius defertur in forum vinarium, vnde in dolium inane veniat: electa in secretam corbulam, vnde in ollulas addatur.*

Pag. 158. vers. 7. *Vere liberam vindemiam esse.*] *liberam* siue *Liberam*, hoc est, Βακχικὴν & conuenientem Libero patri.

15. *Vt illi fierent vitiorum imitatione clariores.*] Nemo non cæcus dubitabit legendum esse *chariores*.

18. *Præfectum annonæ Claudium censorem.*] Melius *Censorem* vt sit cognomen istius. Fuêre inter cognomina Romana, Rex, Augur, Auspex, Memor, Cursor, Fullo, & Censor, vnde Censorinus. Ita autem membranæ, non vt viri docti emendabant *mensor*: vel vt liber Cuiacij, *tonsor*. certum tamen, horum alterutrum esse verum.

20. *Ad vicesimam hereditatium mulionem curare iußit.*] hoc est, destinauit procuratorem ad vicesimam hereditatium. Sic in antiqua inscriptione, *procurator ad prædia Gallicana.*

29. *Nec quisquam ei magis poculum cum bibisset dabat.*] cur non dixit, vno verbo ei propinabat?

36. *Cum ideo displiceret patri.*] Alagabalo, qui contra quam legibus R. sit constitutum filium adoptauerat annorum XII. cum esset ipse XVI. natus.

Pag. 159. vers. 2. *Nam ei percussores immisit.*] vel, *summisit.*

4. Ad *hortos Spei veteris.*] in Vrbis descriptione antiqua apud Onuphrium, *Spes vetus* nominatur regione quinta Esquilina. videntur ad ædem hanc isti horti fuisse. Spem deam coluisse Romanos, iam inde à Collatino consecratam in foro olitorio constat ex Liuio & M. Tullio; deinde plures eidem ædes positæ.

8. *Statuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri solet de tyrannis.*] cur non hoc potius iubet, vt statuæ detrahantur franganturque? Vtrumq; in tyrannorum statuis & omnium quorum dānaretur memoria solitum vsurpari. vt & detraherentur siue imagines, siue statuæ, & luto oblinerentur, aut nigro colore deformarentur, vt de Maxentij imaginibus scribit Eusebius lib. IX. in extremo. cum erant fusiles statuæ, iis cōflatis, vasa ad obscenos vsus interdū inde conficiebant: vt Athenienses olim matulas è statuis Demetrij Phalerei teste Laertio. Mos luto inqui-

inquinandi antiquiſſimus eſt, & qui ſi credimus Græcis grammaticis ab Athenienſium inſtitutis habet originem: nam ſcribunt illi, ſolitos Athenienſes dãnatos alicuius criminis lutulare, & ita traducere: quod προπηλακίζειν dixerunt.

23. *Sollicita filio.*] Sic & membranæ pro, de filio. ita dixerunt *dolere alicui* pro vicem alicuius. Lucifer Caralitanus. *Doleo tibi imperator.*

27. *Veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi.*] Aſſentior ferme Petro Fabro, qui illa *quod in introitu erat cubiculi*, cenſebat inducenda.

Pag. 160. verſ. 3. *Herodes.*] Iam diximus ſcribendum eſſe *Hierocles.* & ſtatim, *Hieroclem.* atque heic rectè erat in regio.

4. *Cordus & Muriſſimus.*] de Gordo antè dictum. regius præfert, *Miniciſſimus.* nomen ſiue cognomen æquè inſolens. ſed, vt ſuperius monebamus, ſolebant aurigis & hiſtrionibus ridicula & peregrina ac noua imponere nomina. ſi regium ſequimur, ſcribam, *Minaciſſimus.* quod non male agitatori conuenit magna minanti. Extat lapis Lugduni in baſilica Irenæi, vbi leguntur hæc inter alia: C. VAI. MIRISMVS. non abludit vulgata lectio ab hoc cognomine. ſed puto male ſcriptum pro *Miriſſimus.* quod agitatori multarum palmarum quadrat optime. ſimilia multa nomina occurrunt vt Veriſſimus, Feliciſſimus, & alia. Probam vocem eſſe *Miriſſimus.* docet Feſtus, qui auctor eſt voce *mirior* vſos veteres.

12. *Noluit cum conſobrino procedere.*] quid ſit πρόοδος Conſulis nemo explicat ita vbertim ac Iuſtinianus Nouella CV. ſed loquitur hîc de proceſſu primo Kalendis Ianuarij in Curiam & in Capitolium: qua de re Plinius in panegyrico, & alij multi.

24. *Per baiulos.*] lecticariorum aut διφροφόρων vice ſubcollantes.

25. *Sabinum conſularem virum.*] de hoc in extrema vita Alexandri Seueri.

26. *Ad quem libros ſcripſit.*] Scripſit Vlpianus ad Sabinum libros vnum & quinquaginta.

27. *Vocato centurione mollioribus verbis.*] Diſtingue, *vocato centurione, mollioribus verbis iuſſit occidi.* hoc eſt, voce ſubmiſſiore, & vultu magis tranquillo quàm vt cædem videretur imperare.

28. *Sic vitium centurionis Sabino ſaluti fuit.*] Ridiculum eſt, quod quidam legunt *concionis.* ſurdiginem vocat *vitium cent.*

30. *Et Siluinum rhetorem.*] Membranæ ſemper *Saluinum.*

33. *Vel ſcientes quæ mala in Heliogabalum pararent.*] Inepta lectio: regius, *parauerant.* Scribe, *in eos Heliogabalus pararet.* ſic ante non ſemel *in eos* pro, in ſe.

34. *Vel quod ſibi viderent inuidiam facta conſpiratione ad liberandam Remp.*] Multis modis male accepta hæc periodus à librorum iſtis tortoribus. nam duæ minimum voces deſiderantur vt fulciatur lapſans ſententia. Potes ita concinnare: *vel quod ſibi viderent inuidiam iam con-*

flatam, facta conspiratione ad liberandam Remp. *primum in conscios sæuierunt vario genere mortis.* nolim asseuerare ita prorsus scripsisse auctorem: de sententia quidem non dubito. loquitur de prætorianis illis qui vim principi suo iam intulerant: cum ex illius manibus Alexandrum eripuerunt cædi ab Alagabalo destinatum. qui igitur huius facti inuidiam semel subiissent, decreuerunt callidè fidei in totum renunciare, & imminentes pœnas anteuertere.

Pag. 161. vers. 4. *Sed cum non cepisset cloacula fortuito.*] Victor alter: *nouissimè cum foramen cloacæ corpus minime reciperet, vsque ad* Tiberim *ductum, adiecto pondere ne vnquam emergeret, in fluuium proiectum est.*

12. *Et multa.*] inter ista multa nomina quæ per ludibrium indita Alagabalo postquam periisset, fortasse & *Gabalus* dictus est. quod erat scelerati hominis & cruce digni conuitium vt ad Diadumenum dicebamus. Atq; hinc error Seruij videtur manasse, de quo superius initio huius libri.

13. *Solusque omnium principum tractus est.*] quid Vitellius? nonne & ipse tractus, & in Tiberim præcipitatus? sed in cloacam missus non est. hoc vnum dici potest, vt ne dicamus lapsum memoria auctorem.

18. *Et amphitheatri instauratio.*] Scribendum *instaurationem*. probant præcedentia.

20, *Et lauacrum quod Antoninus* Caracallus *dedicauerat.*] Ridicula lectio: facit enim duo lauacra Antoniniana Romæ, quæ ab eodem principe Antonino Caracallo essent exstructa. nos scimus vnas fuisse Antoninianas thermas, quarum conditor Caracallus. In regio & altero Puteani, *Et lauacrum quidem Antonini Caracalli dedicauerat.* optima & non parui ad historiam momenti lectio: tantum corrige *Caracallus* pro *Caracalli*. non igitur de alio lauacro sentit quàm eo, cuius modò fecit mētionem. lauacrum Antonini, inquit, siue Antoninianas thermas Caracallus quidem velut perfectum opus dedicauerat, & in iis cum lauabat ipse, tum populum admittebat. opus tamen imperfectum reliquerat Caracallus: deficientibus porticibus, quas Alagabalus inchoauit, Alexāder perfecit. Omittit Lāpridius dicere de Varianis thermis: quas ab hoc principe & exstructas puto, & nominatas. mentio eius operis & in Vrbis descriptionibus, & in antiquis inscriptionibus. Sed Antoniniarum tantus fuit splendor, vt ad illarum ornatum aliquid attulisse, maius visum fuerit, quam opus nouum fecisse. Olympiodorus in Excerptis apud Photium: ἦσαν δὲ καὶ λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη. αἱ δὲ Ἀντωνινιαναὶ οὕτω καλούμεναι, εἰς χρείαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον παρακειμένας χιλίας ἑξακοσίας, ἐκ μαρμάρου κατεσκευασμένας ξεστοῦ. cedo quanta operis huius vastitas quod caperet lauantium sellas CIϽIϽC?

23. *Quæ postea ob hoc sub* Decio Antonino *extructæ sunt.*] Scribendum erat ex regio, *sub dicto* Antonino. nempe Heliogabalo.

28. *Ita odibilis.*] non male auctor Glossarij Latinoarabici, *exoticus*

&c.

& odibilis pro dictionibus eiusdẽ notionis accipit: nam ita ſolent quæ fiunt contra morem patrium eſſe odio. & Græci quæ nouitate diſplicent, ξένα vocant. Nomen *odibilis* ſæpe vſurpat vetus ſacrorum librorum interpres, & ex eo multi ſcriptores: vt Lucifer Caralitanus frequenter, Gregorius Turonenſis, alij. ſic *decibilis* apud Iſidorum. & paullo ante Lampridius, *pudibilia membra.* apud Anaſtaſium, *placibilis.*

Pag 162. verſ. 3. *Nam primus omnium priuatorum toros aureis toralibus texit.*] In apparatu lectorum ὑποβλήματα ſunt, & ἐπιβλήματα, ac περιβλήματα, de quibus omnibus exquiſita diligentia alibi. Torale eſt τῶν περιβλημάτων, rectéq; in Gloſſario vertitur περίκλινον. nam male accipiunt etiam doctiſſimi viri Horatij verſum,

Ten' Tyrias dare circum illota toralia veſteis? Et ſtragula autem quibus tori ſternebantur, & toralia quæ circumiiciebantur, pretioſiſſima in vſu veteribus fuerunt: at non aurea tamen ſaltem priuatis, vt apparet ex hoc loco. Erãt verò & ſtromata & periſtromata priuatorum non aurea, ſed auro clauata, vel conchyliata, vel Babylonica, aut ſimili artificio ornata.

6. *Aeſtiua conuiuia coloribus exhibuit.*] *coloribus,* διὰ χρωμάτων. vel κατὰ χρώματα. id eſt, diſtincta coloribus. ita dictum, vt *fumis vendere dicta principis.* quod paſſim occurrit in his ſcriptoribus.

7. *Vt hodie praſinum vitreum.*] Malim, *praſinum aut vitreum.* ſi quis malit, *praſinum vitrum.* inde colligemus, hanc colorum varietatem in ſola ſupellectile vitrea fuiſſe ſeruatam. Et ſcimus diuerſiſſimorum colorum vitrea vaſa Alexandriæ ac Romæ fieri ſolita, quibus magnates ſæpe vtebantur. non tamen probo hanc lectionem: putóque in toto inſtrumento tricliniari colorum cuiuſque diei rationem habitam.

ib. *Alia die venetum.*] Fallitur vir doctus, qui ideo hanc lectionem mutat, quia & vitreus & venetus ſint eiuſdem coloris diuerſa nomina. ſunt quidem adfines, ſed diuerſi tamen ὁ βενετὸς & ὁ ὑαλοειδής. verùm hæc non ſunt iſtius loci.

8. *Et ſic deinceps.*] an vt per omnes colores iretur, aut eorum præcipuos? an quatuor ſolum Circi factionum coloribus fuit locus.

9. *Primus deinde menſas & capſas argenteas habuit: primus cacabos.*] Niſi de priuato Alagabalo hæc dicta intelligantur, ſine dubio falſa ſunt. quanquam vereor vt vel ſic conſtet dicto fides. nam cum lectos plane argenteos atque aureos apud veteres Græcos Latinoſque, etiam in Pandectis inueniam, ægrè adducor vt inuẽtum Alagabali credam eſſe, menſas ex argento conficere, aut cacabos. De menſis ſane argenteis apud Romanos refellit Plinius libro XXXIII. cap. XI. qui & vaſa coquinaria iam inde à Caluo oratore fieri ex argento cepiſſe, ibidem obſeruat: cacabi autem inter iſta. Vlpianus lege XIX. De auro, argento, mundo, &c. tractans de legato argento eſcario: *Si cacabos*, inquit, *argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel ſartaginem, vel aliud vas ad coquen-*

dum, dubitari poterit an escario contineatur. & hæc magis cocinatorij instrumenti sunt. Erat & pistorum vas: nam inde dicti *panes cacabacei*, qui saporem malum ex aqua in cacabo calefacta retinerent. Zeno Veronensis in sexto sermone ad neophytos post baptismum: *non illos panes aura corrupit: non fumus amarus infecit: non frigus elisit: quod plus est sine fermento leuati sunt: certe cacabacei non sunt: non vetusti, non vsti, non crudi, non mucidi.* in extremo illo sermone *hædinam* corruptissime editum est, pro *agina n.* & *homines* pro *omnes*. locum adscribam, qui mellitissimus est: sic igitur legendum: *Denique & vos retinetis pondus antiquum: habetis aginam: exagium facite quemadmodum vultis: singulos ponderate: inuenietis nullum habere minus. Tripondes sunt omnes, numismatis sacri vna libra signati, qui mensæ deseruiunt.* ἀλληγορικῶς significat se acceptam fidem de sacrosancta trinitate in omnibus suis sermonibus integram seruasse. voce *cacabaceus*, vsus & Tertullianus.

10. *Vasa deinde centenaria argentea.*] Plinius: *Quæ omnia expiauit bellum ciuile Sullanum: paullo enim ante hæc facta sunt: lancesque è centenis libris argenti, quas tunc super quingentas numero Romæ fuisse constat.* Sed legunt hic veteres, V. *dena centenaria.*

12. *Et masticatum & puleiatum.*] Et mastichatum & puleiatum siue vt in regio & Puteani, *pulueratum* & rosatum, quod statim nominatur, genera fuisse poculorum auctor ipse manifesto indicat. nam ait: *denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur.* Pocula appellamus & vasa ipsa vnde bibimus: & liquorem quem è calyce aut scypho bibimus. quomodo heic accipere eam vocem oporteat, iure potest quæri. proxima verba in quibus de escariis vasis egit, suadent interpretari de veris poculis: vt intelligamus noua genera potoriorũ vasorum ab Heliogabalo fuisse excogitata, quæ etiam odore oblectarent, aut ad Venerem fortasse stimularent. Sed hæc pocula vitreariíne facerent, an fictilium operum artifices, coniiciendum auctor nobis reliquit. Verum placet magis, vt *poculorum genera* accipiamus de potionibus diuersis è vino variè condito: sicut in Geta dixit Spartianus, eum fuisse cupidum vini variè conditi. Sequitur non longè: *condito piscinas & solia temperauit, & rosato atque absinthiato.* Meminit mastichati & rosati, & absinthiati simul etiam Capitolinus in Gordianis. *Fuit vini cupidior*, inquit, *semper tamen vndecunque conditi, nunc rosa, nunc mastiche, nunc absinthio cæterisque rebus, quibus gula maxime delectatur.* Veteres Latini Græca formatione dixissent, *mastichiten* vinum, *glechoniten, roditen*, & *absinthiten.*

14. *Pinearum etiam attritione odoratius reddidit.*] ad alias species odoratas quæ in pila tritæ rosato condiendo adhibebantur, adiecit & pineas. *attritio* est περιόντευψις.

17. *Primus fecit de piscibus isitia, primus de ostreis, & leiostreis.*] Apitius rei culinariæ libro secundo: *Isitiorum varia sunt genera. marina fiunt de scylla, seu càmaris, & astacis de loligine, de sepia, de locusta, de pectine, de ostrea.*

Aut

Aut igitur falſo heic Lampridius marinorum iſitiorum auctorem primum facit Lampridium: aut illorum librorum auctor falſo exiſtimatur Apitius eſſe vnus è tribus eiuſdem nominis gulæ proceribus, de quibus notamus ad Athenæum. Vetus ſane Iuuenalis interpres opus Apitianum, & re & titulo diuerſum fuiſſe docet, à libris iſtis: nam ad hæc poetæ è ſatira IV. —— *multa videmus*

Quæ miſer & frugi non fecit Apitius, notat ſic: *Auctor præcipiendarum cœnarum, qui ſcripſit de iuſcellis: fuit enim exemplum gulæ.* Porrò ita frequenter fiebant iſitia de piſcibus, vt inde hariolati ſint nonnulli & nominis illius etymum. Iſidorus libro XX. *Iſocem piſcem quendam vocant, ex quo primum iſicia facta ſunt: & quamuis ex alio genere piſcium fiant, initium tamen piſcis hic & vocabulum dedit.* Eſt apud Heſychium ἴσοξ piſcis, & apud Plinium eſox in Rheno. ſed neuter appellationi iſiciorum originem potuit dediſſe: & melius de hac voce Macrobius. Pro *leioſtreis*, regius & Puteani membranæ præferunt *lithoſtreis*. atqui omnia oſtrea ſilicea teſta includuntur. λιθοστρέων propriam appellationem apud Græcos non inueni. ſed eſſe oſtrea quædam ac chamas λείας conſtat & læues.

20. *Hic nonniſi vnguento nobili aut croco piſcinis infectis natauit.*] imò verò interdum condito piſcinas & ſolia temperabat, & roſato atque abſinthiato, vt mox dicitur. ſed ibi loquitur Lampr. de vino in piſcinas aut ſolia infuſo: heic de aquæ inficiendæ ratione, cum non adhiberetur vinum.

22. *Nec cubuit in accubitis, niſi quæ pilum leporinum haberent.*] Accubita vocabant quæ lectis tricliniaribus ſuperiorum temporum ſucceſſerunt. Iuuenalis vetus interpres, ad ſatyram quartam: *Apud veteres accubitorum vſus non erat: ſed in lectulis diſcumbentes manducabant.* ita loquitur hic grāmaticus, quaſi penitus diuerſæ res eſſent, veterū lecti tricliniares, & poſteriorum accubita: quia ipſius ætate accubitorum forma longius receſſerat à lectis conuiuialibus priorum. adeo vt Iſidorus accubita dicta à cibo harioletur. ſed initio accubita à lectis vetuſtiorum nihil admodum differebant. Lampridius paullo poſt: *vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eoſque reflabat prandentibus illis.* Hieronymus Ezechielis capite XLVI. *accubita* vertit, *quæ Aquila*, inquit, *ςιβάδας interpretatus eſt.* locum autem ſic explicat: *hæc quatuor atriola propinqua habebant accubita, vt vbi cibi, ibi & menſarum præparatio.* ſunt igitur diſcubitorij lecti *accubita*: ſed viliores & leuioris operæ, quales erant militum in caſtris. Suidas, Στιβάδες Φορμίωνος ἐπὶ τῶν εὐτελῶν. στρατηγὸς δὲ ἦν Φορμίων. στιβάδες δὲ ἐπεὶ οἱ στρατιῶται χαμευνοῦσι. λιτὸς δὲ ἦν καὶ πολεμικός· καὶ στιβὰς χαμαικοίτιον ΑΚΟΥΒΙΤΟΝ ἀπὸ ῥάβδων. Atqui etiam delicatiores lectos ad diſcumbendum ſic fuiſſe dictos nec Latinis tantum, ſed etiam Græcis ſcriptoribus, conſtat liquido ex canone LXXIV. concilij in Trullo, & obſeruatione patrum ad illum canonem. Ait canon: οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς ἢ ἐν

ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν, καὶ ἔνδον ἐν τῷ οἴκῳ ἐσθίειν, καὶ ἀκούβιτα στρωννύειν. hæc ita exponuntur in Pandectis iuris canonici Græcorum: ἀκούβιτον λέγεται ἅπαν στρωμνῆς κατασκεύασμα εἰς ὕψος ἠρμένον, καὶ μαλακόν· ἀκούμβω γὰρ παρὰ Λατίνοις τὸ ἀνακλίνω. in epistola Valeriani Aug. ad Zozimianū procuratorem Syriæ, *accubitalia Cypria*, sunt quibus insternebantur & instruebantur accubita. & videntur etiam mantelia venire eo nomine: quod valde suadet mihi similis locus alius epistolæ eiusdem imperatoris atque argumenti, vbi mantelia Cypria nominantur. vide Probum in Aureliano. Quemadmodum autem olim cœnationes à numero lectorum distinguebant, erantque œci alij τρίκλινοι, alij πεντάκλινοι, ἑξάκλινοι & ita deinceps: sic postea fuere πεντακούβιτα, ἑξακούβιτα & ita alia. Luithprādus libro sexto Historiarum: *Est domus iuxta Hippodromum, Aquilonem versus, miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ decaenneacubita vocatur: quod nomen non ab re, sed ex apparentibus caußis sortita est: δέκα enim Græcè, Latinè decem: ἐννέα nouem: cubita aut* (malim, *accubita autē*) *à cubando inclinata, vel curuata possumus dicere.* sed & cœnationes ipsas dixerunt accubita. Anastasius De vitis Pontificum, *in Gregorio III. accubita quæ sunt ad B. Petrum in ruinis posita à fundāmentis nouiter restaurauit atque depinxit.* sic iterum in Leone III. & Leone IV. Transiit & ad alios quàm ad Græcos, Latinum hoc verbum: nam in Rabbinorum scriptis, אקובטין sunt *accubita.* Atque hæc satis isto loco: nam in commentario nostro De lectis & stragula veterum veste, quem breui edituri sumus, faciente Deo, affatim de istis omnibus: ibi etiam de pilo leporino, & plumarum ad lectos variis generibus.

24. *Subalares sæpe culcitras mutans.*] Scribe, *culcitas. subalares culcitæ* sunt puluini quibus vndiq; fulciebantur delicatiores cum accūberent. non obseruaui horū apud Græcos peculiarem appellationem: ὑπαυχένια enim nominant: vt Lucianus in Somnio, siue Gallo: ἐπειδὴ κατακλίνεσθαι καιρὸς ἦν, πρῶτον ἀεὶ ἐμοὶ ἀνέθεσαν τὸν Θεσμόπολιν, οὐκ ἀπραγμόνως, νὴ Δία, πέντε, οἶμαι, νεανίσκοι εὐμεγέθεις, ὑπαυχένια περιβύσαντες αὐτῷ πανταχόθεν ὡς διαμένοι ἐν τῷ σχήματι, καὶ ἐπὶ πολὺ καρτερεῖν δύναιτο. Non prætermittā Iacobi Lectij coniecturam super hoc loco: nam ille hęc verba mutata distinctione ita censet concipienda. *nisi in iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares, sæpe culc. mut.* videntur sane in omni auium genere, plumæ sub alis esse delicatissimæ.

29. *Ita vt si recusarent, magistri horum eos cogerent.*] Dele vocem *horum.* nam alia emēdatione nulla est opus, vt rectè iudicat Lipsius. referendū enim omnino ad conuiuiorū magisteria. mos notus iam & tironibus.

30. *Voluit & per singulas vrbes lenones præfectos Vrbi facere.*] Locus corruptissimus. Sed scribendum absque dubio: *Voluit & per singulas Vrbis regiones lenones Præfectos Vrbi facere: vt essent in Vrbe* XIIII. Quod dicitur voluisse Alagabalus, id Alexander Seuerus & voluit & fecit: instituit enim curatores Vrbis XIV. quot & regiones erant. at non lenones

nes vt ille impurus, præfecit Alexander: verùm consulares viros, vt in eius vita narratur Lampridio. Vetus lapis non curatores vocat, sed vt heic præfectos. sic enim ille, PRAEF. VRB. REG. XIII. Ita fere emendat hunc locum amplissimus & humanitate, cum viueret, politissimus Petrus Faber, in Semestrium primo.

33. *Hic solido argento factos habuit lectos.*] non primus vt iam diximus, & fusè probauimus alibi.

35. *Calcanea camelorum.*] Camelis vesci non commune olim omnium populorum, sed paucorum proprium, vt Arabum & Saracenorum, & omnis barbariæ eremi, inquit Hieronymus altero libro aduersus Iouinianum. populi septentrionis abhorrebant. Alagabalum multa de Sarracenis & Arabibus traxisse instituta, propter locorum vbi natus & educatus viciniam, mirum non est. Calcanea camelorum cupediariis fuisse expetita, non multo magis miror quàm de cristis gallorum gallinaceorum: quas hodiéque ab iis qui palatum eruditum habent, cupidissimè constat expeti. Camelorum calcanea sunt natura sua tenera. Herodianus libro quarto: αἱ κάμηλοι μάλιστα ἔχουσιν ἁπαλὰ τὰ πέλματα.

36. *Quod qui ederet.*] Scribe, *quod qui ea ed.* In regio longe aliter: *quia dote tali pestilentia tutus diceretur.* en licentiam imperitorum hominum.

Pag. 163. vers. 1. *Et cerebellis phœnicopterorum.*] Similia de Vitellio Suetonius capite XIII.

3. *Barbas sanè mullorum tantas iubebat exhiberi.*] *tantas* pro tot numero, vel tanta copia. quod sane mirum est, & vt iure addit auctor, præcipuè stupendum. quam ingenti enim mullorum copia fuit opus, vt de illorum barbis disci, atque ij capacissimi implerentur? cum præsertim non omnes mulli binos illos cirros habeant, quos barbam vocat Lampridius, vt & Græci πώγων. Sophron apud Athenæum libro septimo: τρίγλαι αἱ τὸ πώγων ἔχουσαι ἡδίονές εἰσι μᾶλλον τῶν ἄλλων.

4. *Vt pro nasturtiis.*] Nondum comperi quis huius lectionis primus assertor: quæ nisi libros habet auctores, magnæ temeritatis facinus admiserunt, qui illam primi in contextum receperunt. Regius sic habet: *vt* .... *& fascelaribus.* ita sæpe librarius ille locis conclamatis defecti codicis indicium apponere maluit, quàm voces ignotas & corruptas describere. in omnibus antiquis editionibus est, *vt pro nascentis apiasteris & facelaribus.* emendabat Iosephus Scaliger, *vt pro antecenis.* antecena, siue antecenia dicuntur, qui Martiali gustus: Græcis προπόματα vt dicebamus ad Athenæū. Ego non damnauerim quod heic editum, si accederet alicuius codicis auctoritas. nam & in libris medicorum iungi sæpius memini nasturtium cum fœno Græco.

ib. *Apiastris & facelaribus & fenogræco.*] fenumgræcum & quæcunque heic nominantur primis mensis apponebantur inter ea quæ irritandæ fami assumuntur. Galenus De facultatibus alimentorum

libro secundo, οὐ μὴν οὐδ᾽ ἀγνοεῖν μοι δοκοῦσι παντάπασιν οἱ ἄνθρωποι τὴν τάξιν τῶν ἐσθιομένων αὐτοῖς. θεώμεθα γὰρ αὐτοὺς ἐπὶ τῶν πλείστων ἐδεσμάτων φυλάττοντας αὐτήν. προσλαμβάνουσι μέντοι γε ῥαφανίδας ἐλαίας τε καὶ τῆλιν ἐν γάρου· καὶ μετὰ ταῦτα μαλάχας τε καὶ τεῦτλα καὶ ἄλλα τοιαῦτα λάχανα μετ᾽ ἐλαίου καὶ γάρου. diserte in istis nominatur τῆλις siue fenumgræcũ: & habes apud Apitiũ quomodo pararetur. videamus de cæteris: & apiastrum quidem notissimum. μελισσόφυλλον enim est Græcorum, siue μελίταινα, vt ab aliis nominari scribit Dioscorides: facelaria vero suspicamur esse ciborum ἀναστομωτικῶν genus & acetariorum è facela, garo atque oleo. facelæ siue facellæ meminit incertus poeta versuum, quibus menses depinguntur. nam ait ille,

Augustum penitus torret Phaethontius ardor:
Quem recreat fessum, gillo, facella, melo.

extant hi versus inter Catalecta Virgiliana quæ olim collegit, primusque edidit, illustrissimus Scaliger.

5. *Plenus fabatarius.*] ex ipso nomine, & mẽte auctoris apparet amplissima vasa fuisse, quę fabataria dicerẽtur. quod in iis fabatia, de qua Apitius, vel puls fabata soleret apponi. & ita olim acutiss. Turneb. exposuit.

11. *Misit & vuas appamenas in præsepia equis suis.*] Capitolinus de Vero Augusto eadem. Vuæ Apamenæ, quæ hodie Damascenæ.

14. *Cum suis bulbis.*] *b* pro *v*, vt sæpe. nam scribendum *vuluis*, facile doctis viris assentior.

ib. *Pisum cum aureis.*] nempe granis vt hodieque vocamus. *Aurea* sine adiectione pro globulis vel sphærulis aureis ita dictum vt mox *albæ* pro gemmis albis. hæc vero aurea pisis assimilabantur & æquabantur: quo facilius possent fallere. in quo est operæ pretium spectare insanissimi iuuenculi insaniam.

ib. *Lentem cum cerauniis.*] multa quidem Plinius de cerauniis: sed ex quibus non potest colligi cur propter figuræ similitudinem lenti heic copuletur.

15. *Fabam cum electris.*] ita libri, nec caussa mutandi est. videtur Alagabalus artem adhibuisse, vt ad similitudinem fabarum secarentur electra.

ib. *Oryzam cum albis.*] iam diximus *albas* nominari gemmas albas: Tertullianus nominat, *rubentis maris grana candentia.* in libro De resurrectione carnis: Hieronymus in Marcellæ epitaphio, *rubri maris pretiosissima grana.* Ita aliquoties ponitur hoc nomen in istis libris ἁπλῶς. Anastasius in vitis pontificum in Gregorio IV. *albas modicas habens circum capitis coronam, diuersè filo pares*, vel *filopares.* nam ita scribitur in Leone IV. & multæ in eodem scriptore sunt similis compositiones. idem auctor sæpe mentionem facit coniunctim gemmarum prasinorum, hyacinthorum, & albarum.

17. *Oppreßit in tricliniis versatilibus.*] Seneca epistola XC. *qui versatilia cœnationum laquearia ita coagmentat, vt subinde alia facies atque alia succedat,*

&

& toties tecta quoties fercula mutentur. iunge his Suetonium in Nerone, capite XXXI. & si lubet quæ scribimus ad Athenæum libro quarto, capite secundo.

18. *Cum eripi ad summum non possent.*] Regius, *eripere.* quare scribendum *erepere.* tamen & vulgatam interpretari est commodè.

20. *Condito piscinas & solia temperauit.*] quoties aquam piscinæ aut balnei nō iuberet infici vnguentis aut croco, vt antè dictū, temperari præcipiebat vino varie condito: vt sunt rosatum, absinthiatum, quæ subiiciuntur, & quod propriè condîtum dixerunt. ea vox, vt de multis sæpe notauimus, latius modò patet ceu genus, modò angustius, tanquā peculiaris species, vini conditi, quæ id ipsum dicebatur, *conditum.* Est autem conditū idē, aut pene idem, ac mulsum. Cælius Aurelianus Tardarum passionum, libro quinto, capite primo, *Diocles probat conditum bibendum, quod plerique Latini mulsum vocant.* differunt tamen, si rem spectes, diligentius tria hæc, conditum, melitites vinum, & œnomeli, siue mulsum. Sed veteres Latini appellationem conditi cum re ignorarunt: ac videntur medici qui Romæ faciebant medicinam id nomen excogitasse: nam in medicorum Græcorū libris frequens κονδίτου mentio: estque in eorum libris multiplex conditi compositio ad diuersas morborum species, vt libro tertio Aetij, & in sect. XXVII. Nicolai Myrepsi, & apud Auicennam, qui sumsit à Græcis, vt fere omnia. sed in Arabica eius editione ita scriptum hoc nomen quasi legisset apud Græcos, χόνδικον pro κόνδιτον. duplici errore. quorū prior ipsius est Auicennæ, qui solens talia passim peccata admittit. alter error non est auctoris, sed librarij, qui ق pro ت perperam scripsit: prono lapsu, & quē sæpe deprehendere licet in libris Arabicis, Romæ nuper magno Reip. literariæ bono, editis. hæc apud medicos. vulgò autem Latinis & Græcis conditæ potionis appellatio est conditum. notum est epigramma Palladæ versificatorum insulsissimi, cuius initium Κονδίτου μοι δεῖ. Etiam apud Hebræos qui ἐν τῇ διασπορᾷ scripserunt inter Græcos & Romanos, קנדיטון *conditū,* delicatissimæ potionis species est. citat enim Nathā Iustus ex antiquo magistro vel paraphraste, דברי תורה נמשלו כקונדיטון *verba Legis similia sunt condito.* quæ sic ipse interpretatur, מה קונדיטון יש בו דבש יין ופילפלין *quid est conditum? quod fit ex melle, vino, & pipere.* rectè: nam & in octauo Γεωπονικῶν conficitur simillime ex pipere, melle Attico, & vetere vino atque albo.

20. *Et rosato atque absinthiato.*] Pone τελείαν στιγμὴν post hæc verba: pertinent enim ad præcedentia. in regio est *absinthio*, sed alterum est verum: in libris medicorum Græcorum, vt in tertio Aetij ἀψινθᾶτος scribitur: quasi Latinè diceretur *absinthatum.* sic ῥοσᾶτος iisdem ex Latino: cum tamen & ῥοδίτην & ἀψινθίτην potuissent dicere cum aliis Græcis.

ib. *Vulgus ad bibendum inuitauit.*] Erat moris vt cum exiissent è solio

biberent aliquantulum reficiendis viribus. ſed hoc fere diuites & qui delicatius ſe curabant. at hic cum ad balneas ſuas populum promiſcuè admitteret, eundem quoque ad bibendum inuitabat.

22. *Viſo quod vnus bibiſſet.*] Regius ſeparat hæc à præcedentibus puncto perfecto. ego pedem meum ex hoc loco vix poſſum extricare. nam deeſſe aliquid videtur.

23. *Eunuchos pro apophoretis dedit.*] Placebat eruditis viris, mutata diſtinctione, ita hunc locum ſcribi: *Viſo quod vnus bibiſſet, elenchos pro apophoretis dedit.* non aſſentior: & profecto rectum eſt, *eunuchos*: ſicut de Veri imperatoris conuiuiis ſcribit Capitolinus: *donatos pueros decoros qui miniſtrabant ſingulis: donatos etiam ſtructores & lances ſingulis quibuſque.* ſimilia apud Athenæum, quarti initio, & alibi.

25. *Sortes ſane conuiuales.*] Suetonius ſimile quid de Augusto, capite LXXVI.

29. *Vt veræ ſortes eſſent, & fata tentarentur.*] Sortes conuiuiales ita dictæ, quod ſortito diuiderentur: in quo non magna erat alea. res enim in ſortem mittebantur, quas ſiue adeptus eſſes, diues propterea futurus non eras: ſiue non accepiſſes, vel etiam dare de tuo damnas fuiſſes, (erant enim harum ſortium varij modi) tamen ideo pauper futurus non eras: & omnino propter has ſortes nemo prius nomen mutabat aut conditionem: ſed manebat qualis ante, diues aut pauper. At ſortes Alagabali erant *veræ* (regius *verè*) *ſortes*, id eſt κλῆροι, & hereditates luculentæ. Quare ſortem abſtuliſſe erat, de paupere factum eſſe diuitem: victum eſſe, erat idem ac bonis ſuis excidiſſe. tantæ rei enim, ſortes iſtæ fuerunt, vt ex euentu huius aleæ ſortientes cenſeri poſſent vel diuites vel pauperes. hoc eſt quod eleganter Lampridius dixit, *veras ſortes fuiſſe, & quæ fata tentarent.*

31. *Et decem gryllos.*] Regius, *decem grues.* grylli Græcis porcelli grunnientes. poſſis legere & *glires*

36. *Centum folles æris.*] etſi ita obtinuit vſus & antiqua conſuetudo, vt cum geminis *ll* ſcribatur hoc nomen *follis*, & Græce quoque apud pleroſque φόλλις, rectius tamen alij ſcribunt φολὶς: vt in Euſebij hiſt. lib. x. cap. VI. verbum eſt enim purum putum originis Hebraicæ: פלס illis idem ac שקל ponderare: atque vt ab hoc fit *ſiclus* vel *ſicel*, vox πολύσημος, ſic ab illo φολὶς, *folis*, vox item latiſſimæ ſignificationis. Sed pro minutæ pecuniæ genere, non Latini ſolum & Græci accipiunt: verum & Hebræi vt docent critici Iudæi: & Arabes etiam: nam qui in Græco euangelio κοδράντης nominatur, Arabice vertitur فلس *folis.* Eſt ſane folis, ſiue follis, vt ex hoc loco apparet & multis, cum vtriuſque Codicis teſtimoniis, tum aliorum quà Græcorum quà Latinorum ſcriptorum, minimæ æſtimationis nummus, vt ſi ὀβολὸν ἢ χαλκοῦν Græcè, Latinè teruntium aut quadrantem dicas. de follibus æris loquimur, quorum heic

heic Lampridius meminit. verùm & argentei folles facti sunt, vt docet doctissimus scriptor Epiphanius: cuius locum sine caussa eruditissimis iurisconsultis exagitatum, alibi exponimus, ne heic prolixiores simus. Atque hinc illa diuersitas in æstimatione follium, quam mirantur iidem apud scriptores. De follibus argenti sensisse arbitror antiquissimos Iudæorum magistros, qui vocem Thalmudicam אסימון exposuerunt פילסא siue פלסא *follem*. refert illorum hanc notam Rabbi Nathan Iustus: sed fallitur, cum putat Chaldaicæ originis esse verbum אסימון Græcum est enim ἄσημον, vt obseruauit nuper Iohannes Drusius vir doctissimus, & harum literarum callentissimus. Ἄσημον recentioribus Græcis est argentum, vt exponit Hesychius: & ita verti obseruauimus in historia miscella, cuius pars maxima est è Cedreno. exemplum vnum afferemus. enumerans Cedrenus prædam ingentem, quam victo regi Persarum ademerat Heraclius, ponit inter cætera, ἄσημον, ὁλοσηρικά τε ἱμάτια. id est, *argentum & holoserica vestimenta*. atque ita versum inuenies. sic accipe in veteri epigrammate incerti poetæ, libro secundo, titulo εἰς φειδωλούς. irridet ibi poeta conuiuatorem sordidum simul & ambitiosum: qui conuiuiis suis discos argenteos apponeret, magni pretij, sed vacuos: quasi ad spectaculum, non ad conuiuium essent vocati: ergo claudit epigramma:

Ζήτει νηστεύοντας ἐς ἀργυρέην ἐπίδειξιν.
Καὶ τότε θαυμάσῃ κοῦφον ἄσημον ἔχων.

in priore versu male editum ἀργαλέην. Quæ re, ait, eos qui in casto sunt, & ieiunant, vt illis argenteam supellectilē tuam ostentes. illis poterit admirationi esse, quæ nobis bilem ciet copia hæc argenteorū vasorum læuium, nec, vt par erat, cibis onustorum. ἄσημον appellat argentum, vel τὰ ἀργυρώματα. Et mirum sane male sensisse Nathanem de vocis אסימון origine: cum recte scribat idem eo loco lingua Græcorum vocari & argentum & vasa argenti ἄσημον. hodie Græci vocant ἄσιμον.

37. *Vt eum postea imperare gratularetur.*] Reg. *gratularentur*. πρὸς τὸ σημαινόμενον. est autem subobscura mens: quia omisit necessarium casum huius verbi. cui enim gratulabantur? sibine inuicem, an ipsi Alagabalo?

Pag. 164. vers. 1. *Fertur in euripis vino plenis nauales circenses exhibuisse.*] Lacum defodi solitum ad naumachiæ spectaculum, vocat euripum: quia longior erat quàm latior. erant & in circis euripi: sed isti ab illis sunt diuersi. etiam in priuatorum ædificiis euripi erant & nili. ita enim ductus aquarum vocabant, vt ait M. Tullius. Naumachiarum lacus implebant vel fluuiatili, vel marina aqua: iste insanus vino.

2. *Pallia de œnanthio fudisse.*] Scribe *œnanthino*. œnanthinum oleum notum est ex Athenæo & Græcorum commentariis. sed quid est, *pallia de œnanthino fundere?* nemo est qui hæc possit interpretari. si *fundere* accipias pro perfundere, poterit fortasse referri ad κροκοῤῥαντούς, & sparsiones theatrorum: de quibus multa viri docti. sed assentior Iosepho Sca-

ligero, qui legit, *Balnea de œnanthino f.* nugas Egnatij nugacissimas omittimus.

ib. *Et elephantorum quatuor quadrigas.*] nam & elephantos ad currum iunxerunt. in quinto Athenæi habes ἐλεφάντων ἅρματα.

3. *In Vaticano agitasse, dirutis sepulchris, quæ obsistebant.*] sepulcra intelligo, equorum. nobiles enim equos curules in Vaticano sepeliebant. vide supra ad Capitolini Verum Augustum.

4. *Iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo.*] Suetonius in Nerone, *Circensibus commisit etiam camelorum quadrigas.*

5. *Priuato spectaculo.*] id est, Iuuenalibus ludis. ita exponunt eruditissimi viri: ego putabam intelligi ludos, quos nulla ex caussa publica, sed ad libidinem solum suam quoties venisset in mentem, sibi exhibebat. habuere autem imperatores proprios histriones, gladiatores, & agitatores. hi igitur ludi quòd à priuatis aurigis Alagabali peragerentur, priuati dicuntur: neq; obstat quod in publico loco, circo nempe Vaticano, celebrarentur.

ib. *Per Marsicæ gentis sacerdotes.*] Reg. vocem *sacerdotes* non agnoscit: & *gentes* non *gentis*. Sane alij scriptores qui de Marsis locuti sunt, non sacerdotibus Marsicæ gentis hanc contra serpentes vim tribuunt: sed Marsos simpliciter nominant.

13. *Voluit vt & diademate gemmato.*] quod primus post Iulium tentauit Caligula. Suetonius cap. XXII. perfecit primus Diocletianus: vt in eius rebus tradunt historici.

16. *Vel pro ea libras auri m.*] constanter *ea*, non *eo* omnes libri. & & statim *eas*.

ib. *Vt in prætorio eas dimitteret.*] Scrib. *dimitterent.* Sensus lectionis huius erit: promisisse daturum singulis conuiuis vel phœnicem, vel, si pro sua humanitate mallent liberos dimittere, auri libras mille. non possumus aliter mentem extricare: sed quid sibi illa volunt *in prætorio?* plane hoc nos non assequimur: itaque scribimus, *vt imperatori eas dimitterent.* si quis ea verecundia erga principem futurus esset, vt phœnicem nollet accipere, tanquam donum fortuna priuati hominis maius, propter raritatem, ei spondebat Alagabalus se daturum auri libras CIↃ.

22. *Murænarum lactibus & luporum.*] meminit Suetonius in Vitellio, capite XIII.

23. *Pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura Veneta comedit.*] Regius, *quasi marina aq.* sine *in*. His verbis singulare quoddam artificium denotatur eorum cocorum, qui Alagabalo ministrabant: pisces enim ita parasse, vt non alio colore mensis inferrentur, quàm quo essent viui, cùm in aquis maris versarentur. atque hanc vocat Lampridius condituram venetam: sic dictam à colore veneto qui idem est: vel adfinis admodum colori maris, siue τὸ θαλασσοειδεῖ. Cibos etiam à colore solitos commendari antè dicebamus.

25. Mo-

25. *Momentarias de rosato & rosis piscinas exhibuit.*] Sic membranæ: neque necessarium est, quod aliquando existimauimus, esse illa inducenda, *& rosis.*

ib. *Et bibit cum omnibus suis.*] paullo antè, *ipse cum populo bibit in piscina.*

26. *Caldaria de nardo exhibens.*] cellam caldariam in balneis nardiuo temperans. Alij libri *caldarias.* de balnearum cellis tribus alibi diximus, & dixerunt alij.

ib. *in lucernis balsamum exhibuit.*] oleum balsaminum, rem rarissimam iam tum, & carissimam.

29. *Nunquam minus* C.HS. *cœnauit, hoc est, argenti libris triginta.*] Ridicula lectio: sed ex emendatione præstantissimi Budæi, quam multi postea sibi vindicarunt, scribendum *arg. libris* CCL. tot enim efficiunt HS. centum millia. quo modo illa sunt accipienda, C.HS. id est, centum sestertiûm, nẽpe millibus. nummis sestertiis libram argenti quadringenis solitam æstimari notum est. Quia tamen hæc emendatio longius abit à vestigiis lectionis vulgatæ: non displicet eorum sententia, qui putant Lampridium peculiari quadam ratione, & minus accurato calculo, vt fit in talibus, *trecentas* scripsisse non ducẽtas quinquaginta. siue notis designes, siue literis perscribas, facilis & frequens deprauatio duorum numerorum XXX. & CCC.

30. *Aliquando autem tribus millibus* HS. *cœnauit.*] Mendosum esse numerum istum & præcedentia & subsequentia, si attendimus, palàm faciunt. ex antecedentibus colligimus, desiderari hîc numerum, qui C. sestertium millia superet, sed certo modo & vt nõ nimis exorbitet, quod iste facit. nam cum efficiant C.HS. millia aureos nostros, ex Budæi æstimatione, bis mille quingentos: tria hæc millia maiorum sestertiûm, vel quod idem est, tricies HS. minorum, efficient millia septuaginta quinque aureorum: quod & fidem omnem superat, & superiori summæ nullo modo quadrat. minus verò iis quæ sequũtur. nam addit: *cœnas Vitellij & Apicij vicit.* quis credat Apicium in cœnas singulas septuagena quina aureorũ millia impendisse, aut non multo minus? Atqui hoc cõparatio ista suadet. Vitellius quidẽ, etsi opibus imperij cõuiuia sua instruebat, ad eã profusionem non accessit. scribit enim Suetonius de sumtu in Vitellianas cœnas, quadringenis millibus nummûm eas constitisse: quæ sunt æstimatione eâdem, aureorum millia decem. quæ igitur proportio inter Apicij aut Vitellij & Alagabali cœnas? Liquidò ex istis constare arbitramur, vix ferri vulgatam loci huius lectionem posse. quo autem modo vera lectio restitui debeat, sine meliorum librorum ope nemo potest diuinare.

32. *Pisces ex viuariis suis bubus traxit.*] Boum protelo trahi solita è mari plena piscium retia, aut grandiora cete. Extat vetus epigramma, quo de hac iniuria boues queruntur his verbis.

Ταῦροι πρηϋτένοντες ἀροτρευτῆρες ἀρούρης,
Εἰν ἁλὶ τοὺς γαίης ἀντεχόμεσθα καμάτους.
Αὔλακα τὴν ἀσίδηρον ἐν ὕδασιν ἕλκομεν ἄμφω,
Μακροτέρων σχοίνων ἅμμα σαγηνόδετοι.
Ἴχθυσι δ' ἐκ σταχύων λατρευόμεθ' οἱ πελαργοί.
Ἤδη κἂν πελάγει καρπὸν ἀροῦσι βόες.

34. *Ad rotam aquariam.*] rotarum aquariarum ſiue aquilegarum, vt vocat Tertullianus, mentio apud Vitruuium, rei ruſticæ ſcriptores & ſæpius apud iuriſconſultos. in eundem vſum, ſed figura diuerſa, parantur & puteorum tollenones, ſiue κηλώνια, quæ deſcribit philoſophus in Mechanicis.

ib. *Et cum vertigine ſub aquas mittebat.*] exemplum eſt à rotatione petauriſtarum: de quibus Manilius libro quinto:

——elatus & ille
Nunc iacet, atque huius caſu ſuſpenditur ille.

Pag. 165. verſ. 4. *Ad quam aſcenderetur intrinſecus.*] vt in columna Traiani, & aliis cochlidibus columnis.

11. *Folles pro accubitis ſternebat.*] Fit hodieque, & nos vidimus in Heluetia, vt puluilli qui ſedentibus ſubiiciuntur non tomento aut pluma inferciantur, ſed vento inflentur: qui ſi non diſtenduntur nimis, molliſſimam ſeſſionem præbent.

13. *Sigma in terra ſternere, non in lectulis.*] Aliquando non vndique ad menſam conuiuæ accumbebant, ſed ab altera tantum parte: cum quidem ſedentes conuiuæ, lunatæ figuræ, vel hemicycli ſpeciem exhibebant. & cœnationes igitur huius generis hemicyclia, & accubita ita ſtrata Sigmata dixerunt, à Græcæ literæ ſimilitudine, vt notum omnibus. obſerua loquendi genus *ſternere ſigma in lectis*, vel *in terra*, pro accubita ſternere literam C referentia, ſiue in lectis ſublimia, ſiue humi, more στιβάδων. nam ita fere humi ſternebãtur ſtibades, ex tortis herbis, qui proprie ſunt tori, vel è fœno. quo alluſũ paullo poſt, cum ait Lampridius. *de croco ſigma ſtrauit, cum ſummos viros rogaſſet ad prandium: pro eorum dignitate dicens ſe fœnum exhibere.*

14. *Vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum ſpiritum ſoluerentur.*] Legebam, *vt vtres per pueros à pedibus ad refl. ſp. ſolu.* & verum quidem eſt, iſtos qui vtres ſoluebant, fuiſſe pueros à pedibus, qui de more pone conuiuantes, vel ad pedes eorum ſtabant. ſed nihil mutandum: nam pedes quorum heic mentio, ſunt vtrium pedes, quà implentur vel deplẽtur vtres. Latini os, luram, amicinum, & pedem aut pediculum dixerunt: Græci ſimiliter, στόμα ἀσκοῦ, & πόδα, ſiue ποδεῶνα.

15. *Mimicis adulteris ea quæ ſolent ſimulatò fieri, effici ad verum iuſſit.*] Similis crudelitatis exempla in Commodo ſunt notata: cuiuſmodi hoc eſt: *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit; cum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleat.* à mimicis autem adulteris ſimulatò pœnæ exa-

exactæ,quę vere ab adulteris veris:vt raphanus eos intraret,vel mugil, & h s similia.

20. *Gladiatores ante conuiuium pugnantes.*] hi ſunt qui gladiatores cubicularij dicuntur in Commodo. vide & in Vero imper. Capitolinum. Sed hinc vox excidit, ex regio ſupplenda: Lege igitur, *Gl. a c. pugnantes, & pyctas ſibi fr. ex.* ſic ſæpe gladiatoribus iungi pyctas ſiue pyctomachos, ſciunt qui non verſantur hoſpites in literis.

Strauit ſibi triclinium in ſummo luſorio.] ludorum ſedes luſoria dixerunt. Caſſiodorus ſæpius, Saluianus De prouidentia Dei, libro ſexto, & ſcholiaſtes Iuuenalis antiquus.

ib. *Et dum pranderet.*] Si cum præcedentibus hæc uelis connectere, mutata diſtinctione ante *& d.* ſcribendum in fine periodi, *& venationes ibi exhibuit.* nempe in luſorio, vbi triclinium ſibi ſtrauerat. Vulgata lectio de cubiculariis gladiatoribus loquitur, quos *noxios* vocat, & de venationibus in priuato ſpectaculo exhibitis intra Palatium. idem mox de priuatis circenſibus inter epulas.

24. *Sæpe ceream cænam.*] Caue audias virum doctum, qui *cœnationem* heic emendat pro *cœnam.* atqui etiam pueri videant nullo modo ferri poſſe eam lectionem. Sic olim Ptolemæus Sphæro philoſopho, vt illi veternum excuteret diſciplinæ Stoicorum, qui ſapientem falſa opinaturum negabant, in ſecunda menſa ceream cœnam appoſuit: κηρίνας nempe ῥοάς, vt refert Diogenes Laertius libro ſeptimo.

ib. *Sæpe eburneam.*] adde interdum & pictam, vt aliquanto poſt ſubiicitur: nam iungi hi duo loci debent.

26. *Ita vt omnia illis exhiberentur videnda.*] Doctiſſimus Petrus Faber, ſcribendum cenſebat, non *omnia* ſed *obſonia.* quod mihi minus placet.

28. *Primus Romanorum holoſerica veſte vſus fertur.*] Viri antè non vſi: at fœminæ pridem vſæ. Varro Coſmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου. *mulieres aliam cerneres cum ſtola holoſerica.* poſtea etiam viris receptæ. ſed non ſine cenſura grauiorum. quare de Aureliano ſcribit Vopiſcus: *Veſtem holoſericam neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neque alteri vtendam dedit.* Tacitus verò, qui Aureliano ſucceſſit, *holoſericam veſtem viris omnibus interdixit*, teſte eodem Vopiſco.

30. *Cum iam ſubſerica in vſu eſſent.*] de veſte ſubſerica vide ad Claudium Trebellij Pollionis.

32. *Dalmaticatus in publico p.*] idem Lampridius in Commodo: *Dalmaticatus in publico proceßit.*

34. *Cum qua Fabius Cornelius.*] Scribe, *Fabius & Cornelius.* de Fabij Gurgitis luxu Macrobius libro ſecundo Saturnaliorum, capite nono. hiſtoriam quæ heic tangitur de productis in publicum Fabio Gurgite & Cornelio Scipione in dalmaticis, alibi non memini legere.

36. *Et omnibus locis.*] omnibus locis ædilem metuentibus: qui Ro-

mæ erant multi: nam vt ſcribit Dio Chryſoſtomus in Euboïco, in pleriſque vrbibus ſedebant proſtibula, ἐπ' οἰκημάτων ῥυπαρῶν πανταχοῦ τῆς πόλεως ἀποδεδειγμένων, ἔντε παρόδοις ἀρχόντων, καὶ ἀγοραῖς· πλησίον ἀρχείων τε καὶ ἱερῶν, μεταξὺ τῶν ὁσιωτάτων.

Pag.166. verſ.6. *Papilla eiecta.*] Eleganter *eiicere papillam*, pro exerere & nudare. Iuuenalis, ——*tum nuda papillis*

Conſtitit auratis. —— & alibi, —— *Mœnia Tuſcum*

Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.

ib. *Exoletos, habitu puerorum qui proſtituuntur.*] Male ſentiunt, qui ſcapellum huic loco admonent. reſtitue ſolùm *&* voculam ante *exoletos*. ſenſus eſt planiſſimus. duplex heic Alagabali proceſſio: ad meretrices papilla eiecta: ad exoletos, habitu puerorum meritoriorum.

13. *Per cellarios.*] hoc eſt, cum annona quam diuidebant cellarij.

16. *Apes manſuetas.*] nam apes inter fera animalia cenſentur etiam à iuris conditoribus.

18. *Nonnullos honoratos iam imperatori.*] Suſpecta mihi illa, *iam imperatori*. quæ ſi abſint non deſiderem. mendoſe in regio, *nonnullos iam imperator honoratos.*

23. *Illi modo de dulciis.*] Scrib. *de dulcibus*: neque aliter in regio. *dulciis* tamen iterum infra omnes libri.

28. *Ita vt quaſi omnia illis exhiberentur.*] Sententia ſcribi poſtulat, *ita vt quaſi vera omnia illis exhiberentur*. niſi malis cum Petro Fabro, pro *omnia*, ſcribere *opſonia.*

33. *Iuxta prouiſionem Seueri.*] Spartianus in Seuero, *Moriens ſeptem annorum canonem reliquit.*

Pag.167. verſ.3. *Aegyptios dracunculos Romæ habuit.*] nam & dracones delitiarum cauſſa, aut ſuperſtitionis domi alebant: qua de re multa nobis notata in altera Suetonij editione ad librum eius tertium.

4. *Quos illi agathodæmonas vocant.*] non Aegyptij ſed Phœnices ita vocarunt. Philo Byblienſis apud Euſebium, poſtquam docuit & Phœnices & Aegyptios auctore Taauto diuini aliquid attribuiſſe draconũ & ſerpentum naturæ, οὐ γὰρ, ait, θνήσκει ἰδίῳ θανάτῳ, εἰ μὴ βίᾳ τινι πληγῇ, τοῦτο τὸ ζῶον. Φοίνικες δὲ αὐτὸ ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν· ὁμοίως δὲ καὶ Αἰγύπτιοι κνὴφ ἐπονομάζουσι.

8. *Dicens præceptum Iudæis vt ederent.*] Falſum eſt quod affirmat heic Alagabalus: nam diſerte vtriuſque animalis eſus Iudæis interdictus Lege Moſaïca. ſed de ſtruthione quidem minus liquet, propter interpretationes diuerſas vocis Hebraicæ: nam vlulam multi iam olim putauerunt intelligi. de camelo idem dici non poteſt: cum in prohibitorum animalium albo omnium primum recenſeatur הַגָּמָל camelus. Pro, *ſtruthiones & camelos*. ſuſpicati ſunt nõnulli *ſtruthocamelos* ſcribi debere: quorum ſententiæ omnes ſcripti editique repugnant.

12. *Exiſtimans hoc inter inſtrumenta luxuriæ.*] ea multorum iam olim ſententia. Seneca epiſtola CXXII. *Sunt qui officia lucis noctiſque peruertunt,*

nec

nec ante diducunt oculos hesterna graues crapula, quàm appetere nox cœpit. vide plura ibi, & quæ notamus ad Athenæũ lib. ſexto, capite XXI. Cornelius Tacitus Annalium lib. XVI. *C. Petronio dies per ſomnum, nox officiis & oblectamentis vitæ tranſigebatur.*

14. *Amicis quotidie, nec quenquam facile indonatum relinquebat.*] Deeſt aliquid, quod nemo non videt. nam vel ſcribendum, *Amicis quotidie aliquid dabat: nec q.* aut ſimili modo in eandem ſententiam.

23. *Cum capi non poſſent vno ſigmate.*] ſingulæ nempe ogdoades: nam ſeptenos capiebant ſigmata, non octonos. Martialis: *ſeptem ſigma capit.* interdum tamen & octo capiebantur vno ſigmate: vt auctor eſt idem poeta alibi.

26. *Hydrogarum Romanorum ducum primus publicè exhibuit.*] Gari, ſiue liquaminis multiplex in vſu fuit compoſitio: quod nomina declarant hydrogari, elæogari (quod & garelæum,) œnogari, oxygari & his ſimilia, vt de garo ſociorum nihil dicam. inter veterum cupedias hæc fuiſſe ſciunt omnes, qui Græcos & Romanos ſcriptores non ignorant. vt minime ſit mirum Romanos in publicis epulis ab iſtis lautitiis abſtinuiſſe. Ait autem Lampridius, *Rom. ducum*: quia non ſoli principes populum Ro. epulis exceperunt: ſed & libera Rep. imperatores & bellorũ duces poſtquam triumphaſſent.

28. *Cum antea militaris menſa eſſet.*] parca & caſtrenſibus tantum cibis inſtructa: de quibus ad Hadriani vitam aliquid. nec diſſimile eſt quod ſcribit Trebellius Pollio in Saturnino ſolitum imperatorem ducibus & militibus ſuis militare prandium exhibere.

30. *Proponebat præterea his quaſi themata.*] Habes ſimilia de regibus Perſarum apud Xenophontem, Athenæum, alios.

37. *Orexin conuiuio hanc eſſe aſſerens.*] Iuuenalis ſatira XI.

Interea guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obſtantibus: interius ſi
Attendas, magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.

hinc illa Senecæ querela, delicatis diuitibuſque niſi placere niſi carum: Natural. quæſt. libro IV. cap. vlt.

Pag. 168. verſ. 1. *Vt ſeplaſiarium.*] Gloſſæ, *ſeplaſiarius*, παντοπώλης. melius dixiſſet μυροπώλης: vt ex Plinio notum, & ruderibus Feſti.

2. *Idque totum domi exercuit.*] *totum*, vt antè monebamus, pro omnia. id eſt, omnes illas artes.

3. *Vna cœna multis exhibuit.*] Reg. *vna cœna multis cœnis exh.* an pro, *multis conuiuiis.* an hoc verius? *vna cœna non multis exh.* qua lectione auget non parum facti inuidia. puto ſic, aut potius ſuſpicor.

5. *Viginti & duo fercula ingentium epularum.*] hæc fercula per literas erant diſtincta: de quo genere inſaniæ in Geta antè dictum.

19. *De zetis.*] erat ſcribendum *zætis.* nam zeta eſt diæta, vt primus docuit Hadrianus Turnebus: ſed ita ſcripſerunt. vt *dieta* quoq; ſcribe-

bant. Glossarium, διαῖτα, τὸ ὑπερῷον, *dieta, cenaculum.*

ib. *Sed & hæc nonnulla fidem transeuntia.*] Scrib. *Sed & hæc, & nonnulla alia f.t.*

26. *A multis dimissas gratia patris.*] *dimittere* nouè pro relinquere testamento vel donare.

27. *Odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas iubebat incendi.*] Cœnationes suas antiqui velis ac specularibus muniebant, & igne multo hiemem domabant, vt scribit Seneca in quarto Naturalium. ignis autem hic fuit ἀνθρακιᾶς, & prunarum quas in foculis vel batillis inferebant cœnationibus. At hic ganeo loco carbonum thus, cinamomum, casiam, costum, & alia odorata iubebat accendi. *vaporare* pro calefacere priscæ Latinitatis verbum est.

Vaporare

32. *Neronem quingentis carrucis iter iniisse.*] Suetonium iste non legerat: cuius sunt de Nerone verba: *nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur.*

Pag. 169. vers. 1. *Eodem quo mulieres accurabantur, & eadem hora.*] Attende diligenter: non negabis deesse aliquid explendæ sententiæ. quid enim adeo detestandum, si psilothro hoc potius quàm alio accuraretur? Lego, *eodem quo mulieres accurabantur loco, & eadem hora.*

6. *Vt fit hodie de aurosa harena.*] nam quacunq; pedibus iter faciebat imperator sternebatur via aurosâ harenâ. morem hunc & sumtus impensos in eam rem fieri solitos aperit Synesius planissime in oratione De regno: ὑμῖν, ait, οὐδὲ τοὔδαφός ἐστιν ἀνεκτὸν, οὐδ᾽ ἂν ἐμπεριπατήσητε κατὰ φύσιν ἐχούσῃ τῇ γῇ· ἀλλὰ δεῖ τὴν χρυσῖτιν ἐπιφορεῖν, ἣν ἐκ τῆς πέραν ἠπείρων ὑμῖν ἀπῆναί τε καὶ ὁλκάδες διακομίζουσι. καὶ στρατιά τις ἐστὶν οὐ φαύλη τῶν τὸ χῶμα ῥαινόντων. Sed & Alagabalo via aliquando fuit aurosa harena consperſa: vt cum deo suo tensam ducens, retro ambulabat. Herodianus: πᾶσαν τὴν ὁδὸν ἤνυε τρέχων ἔμπαλιν ἑαυτοῦ, ἀφορῶν τε εἰς τὸ πρόσθεν τοῦ θεοῦ· πρός τε τὸ μὴ πταίσαι αὐτὸν ἢ διολισθαίνειν, οὐχ ὁρῶντα ὅπου βαίνει, γῆ ἡ χρυσίζουσα παμπλείστη ὑπέστρωτο.

16. *Alia de porcis.*] Dubito: nam porcis abstinuisse auctor est Herodianus. χοίρων ἀπείχετο Φοινίκων νόμῳ.

22. *Et tunc, vt pote ante Philippum, licebat.*] in vita Alexandri: *Habuit in animo, vt exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit.*

15. *Ad tibias dixit.*] πρὸς αὐλοὺς ῥῆσιν εἶπε. nisi *dicere* vsurpauit pro canere.

ib. *Pandurizauit.*] ignotum antiquis Græcis organum, aut nomen certe. nam Polluce auctore idem est cum eo quod τρίχορδον vocabant: quod neruiis tribus constaret. Chaldaicum esse inuentum scribit idem Pollux. nomen igitur est Barbarum: cuius tamen vestigium in lingua Chaldæorum aut Syrorum nullum agnosco. at Græci Latiniq; grammatici aliam etymologiam commenti sunt, more suo. Vetus interpres Horatij: *à Pane & fistula & τὸ πανδήελον inuentum celebratur: cõtentio illa de canendi gloria inter pastores: vt Pan primus calamos cera coniungere plureis*

Pandora

In-

Instituit. ergo his auctoribus πάνδουρα, vel πάνδωρα, vel πάνδορος, aut πανδουρὶς (tot enim modis dicitur) ita nominata, quasi πανδηεὶς. quod & Isidorus innuit. panduræ Varro meminit, & post illum Græci ac Latini multi.

ib. *Organo modulatus est.*] Refer ad hydraulica: de quibus Vitruuius, Athenæus, alij. refer eodem & Tertulliani hunc elegantissimũ locum magnis viris nuper male acceptum, è cap. VIII. lib. De baptismo: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum Sanctum. Sane humano ingenio licebit spiritum* (scribe, *spiritus*) *in aquam arcessere, & concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantæ claritatis animare: Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas, sublimitatem modulari spiritalem.* nihil potest aptius aut venustius hac comparatione fingi. quomodo *spiritus in aquas arcessantur* declarant ista Vitruuij, inter cætera quæ in descriptione hydraulici organi apud illum leguntur: *motione vectium vehementiore, spiritus frequens compressus epistomiorum aperturis influit, & replet anima canales.* vocat autem *concorporationem* canales qui iungi plures soliti: modo quatuor, modo sex, modo octo, ait Vitruuius. quod ait, *accommodatis desuper manibus organum animari.* idem paullo aliis verbis & Vitruuius: *cum pinnæ,* inquit, *manibus tactæ propellunt & reducunt continenter regulas, multiplicibus modulorum varietatibus sonantes excitant voces.*

29. *Tectus cucullione mulionico.*] & galericulo. nam ait Dio, περιθετοῖς κόμαις χρώμενος.

33. *Et omnes apparatus Tiberij & Caligulæ & Neronis norat. Et pr.*] Scribe cum membranis, *notaret. Præd.* Videtur iste malorum principum historias legisse, vt fœdissima quæque illorum flagitia notaret, & sibi ad exemplum proponeret.

35. *Biothanatum se futurum.*] Vox est magicæ vanitatis, vt ostendit Tertullianus De anima, cap. LVII. vel curiositatis genethliacorum: nam apud Firmicum leges *mortem biothanatam*, miro loquendi genere. dicunt autem Græci & βιοθάνατος, & βαιοθάνατος. legi etiam βιοθανὴς in Martyrologiis.

36. *Funes blatta & serico & cocco intortos.*] id est, funes sericeos purpurei & coccini coloris. Tales illi quos in aliũ vsum Nero habuit paratos, purpura coccoque nexos, vt ait Suetonius. de blatta & blatteo colore duo lumina literarum Turnebus, & Cuiacius.

Pag. 170. vers. 6. *Occisus est per scurras.*] certissimum est occisum Alagabalum per milites prætorianos: quos quare Lampridius scurras vocet, caussam non capio.

11. *Hæc clades quam retuli.*] libro sequente, *populi inclinatio post illam cladem.* & in fine, *posteaquam intellexisti, quid mali istæ clades habeant.* sic alibi. ita etiam vsurpatur vox *labes,* & *pestis,* more Græcorum: qui ita dicunt, ὁ φθόρος, ὁ λοιμὸς, ὁ ὄλεθρος.

20. *Illud quod clementia tua ſolet dicere credidiſſe reficiendum.*] Vitij compertus locus. Lego, *credidi eſſe referendum.* vel, vt amiciſſimus meus, Iacobus Lectius, *cr. eſſe reſpiciendum.*

Pag. 171. verſ. 1. *Auctor tui generis Claudius.*] Conſtantius pater Conſtantini per filiam Claudij nepos fuit: nam Claudia eius mater patrem habuit M. Aurelium Criſpum Claudij fratrem.

4. *Cum apud alios clarum eſſe perſpexerim.*] Et heic vitium certum: emendatio ſilentibus libris incerta. minima mutatione ſcribi poteſt: *cum ap. al. cl. eſſe perſpexerint.* nempe illud omne, quod de Claudio ſum dicturus. ſed puto verius deeſſe hic aliquid, & corrigendum ſi non in hæc verba, certè in hanc ſententiam. *cum id tantum ſcribam, quod apud alios clarum eſſe perſpexerim.*

9. *Licinius, Seuerus Alexander, Maxentius.*] quis iſte Seuerus Alexander? nam duo reliqui notiſſimi. non poteſt dubium eſſe Seuerum intelligi, qui à Galerio Conſtantij in imperio collega, Cæſar creatus. atqui non Seuerus Alexander hic dicebatur: ſed Marcus Aurelius Seuerus. delenda igitur heic vox *Alexander*: quam imperiti homines inſeruerunt, cum putarent eum intelligi, cuius vita ſequitur.

10. *Quorum omnium ius in ditionem tuam deuenit.*] Ait, *ius*: nec mutandum: quia etſi perierunt iſti, pro tyrannis tamen habiti non ſunt: qui Cæſares fuerant, & imperium habebant legitimum: ſecus quam Caſſius, Niger, Albinus, Macrinus & alij, quos aliorum victoria fecit tyrannos, vt in Peſcennio loquitur Spartianus. tamen & iſtos interdum ſcriptores vocant tyrannos: at non Lampridius, priuatim, vt hinc apparet, erga iſtos bene affectus.

ISAACI CASAVBONI
IN AELII LAMPRIDII ALEXANDRVM SEVERVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

AELII LAMPRIDII.] Liber regiæ bibliothecæ auctorem huius vitæ facit non Aelium Lampridium, sed Aelium Spartianum. in quo astipulatorem habet Robertum Bononiensem: qui libri huius summam quinque capitibus complexus, initio cuiusque illorum Aelij Spartiani nomen semper præscripsit. Puteani vterque cum vulgatis Aelio Lampridio adscribit.

26. AVRELIVS ALEXANDER *vrbe Arcena genitus, Varij filius, Variæ nepos, & consobrinus ipsius Heliogabali.*] Patrem Alexandri non VARIVM nominat Dio, vt Lampridius: sed Genesium Marcianum. ipsa adscribam eius verba in vita Macrini: ἡ Μαῖσα ἡ τῆς Ἰουλίας τῆς βασιλίδος ἀδελφὴ, δύο θυγατέρας Σοαιμίδα καὶ Μαμμαίαν, καὶ δύο ἐγγόνους ἄρσενας ἔχουσα ἦν. ὧν ἡ μὲν Οὐάρῳ Μαρκέλλῳ Σύρῳ ἀνδρὶ, ἡ δὲ Γενεσίῳ Μαρκιανῷ Σύρῳ καὶ αὐτῷ ὄντι συνῴκησε. quia solent à Græcis hæ particulæ ὁ μὲν, ὁ δὲ, sic plerunque accipi, vt ὁ μὲν ad membrum referant proximius, putabam aliter accipienda Dionis verba: vt Soæmidis maritus esset Genesius Marcianus: Mammææ verò Varus siue Varius Marcellus. iuuabat hanc interpretationem & alter huius vitæ locus, vbi dicitur Alexander genus suum ad Metellos retulisse: admodum enim probabile est, vel *Marcellos* auctorem hunc scripsisse: vel apud Dionem legendum esse Μετέλλῳ pro Μαρκέλλῳ. Sane quod Lampridius Alexandri patrem Varium nominat, non leue argumentum sit, Dionis verba non aliter debere accipi. repugnat tamen huic interpretationi manifestò alter locus qui in, eius Excerptis habetur: nam ibi diserte natus dicitur Alagabalus ἐκ τῆς Σοαιμίδος Οὐαρίου τε Μαρκέλλου ἀνδρὸς ὁμοεθνοῦς. sed vereor ne auctor illorum Excerptorum vsum communem Græcè loquentium secutus illa scripserit, potius quàm historiam certam. ARCENA VRBS, inferius nominatur ARCA CAESAREA. quia, vt scribit Victor, huic loco duplex

nomē *Arca*, & *Cæſarea*. Ptolemæo inter Phœnices mediterraneas vrbes nominatur Ἄρκα, ſiue Ἄρκη aut Ἄρκαι. vt & Georgius Monachus *Arcas* numero multitudinis nominat. nam ait Alexandrum ἐν Ἄρκαις τῆς Φοινίκης τεχθῆναι. rectè. Stephanus in Vrbibus: Ἄρκη, πόλις Φοινίκης, ἡ νῦν Ἄρκαι καλουμένη. Caue confundas cum eruditis viris vrbem hanc cum alia, quam Xiphilinus ex Dione nominat Ἀρχὼ in Seueri hiſtoria. nam hæc quidem Alexandri patria, Phœniciæ in Syria fuit: illa verò Aſſyriæ, vbi Ἀρχαιτιῶν collocat Strabo, & Moſes quoque *Arec* in terra Senaar Babyloni vicinam facit, Geneſeos capite decimo. Diuerſa etiam eſt, etſi non longo interuallo diſſita vrbs *Arcis*, ſiue קְרִית אַרְכִּי cuius mentio apud Chaldæum paraphraſten librorum ſacrorum. Iudææ enim hoc oppidum fuit, quondam Kiriath-ſepher poſtea Dabir dictum. Nominatur & Arcæa in Palæſtina Ioſepho: de qua multa alibi.

27. *Et conſobrinus ipſius Heliogabali.*] hæc cōſtans ſentētia fuit multorum: at non tamen omnium. ſcribit infra Lampridius: *Dicit Dexippus fuiſſe patruum Antoninum Heliogabalum Alexandri, non vxoris ſororis eiuſdem filium.* oſtendit his verbis Lampridius duplicem fuiſſe veterum traditionem de cognatione Heliogabali & Alexandri. non enim defuiſſe qui Alagabalum huius patruum facerent: contra quàm vulgo aliis eſſet proditum. quid autem vulgo creditum ſcriptumue? nempe quod heic dicitur: conſobrinos inuicem fuiſſe, duarum ſororum filios, Soæmidis & Mammææ, filiarum Mæſæ. omnino dubium nullum eſt, quin pauciſſimis exceptis, ita omnes prodiderint. Quid igitur ſibi vult Lampridius illis verbis? *non vxoris ſororis eiuſdem filium.* profectò ne ipſe quidem Lampridius hæc ita ſcripta intelligat. neque enim νοητὰ ſunt. Lego, *non ſororis eiuſdem matris filium.* hoc vulgo perſuaſum omnibus, vt diximus: hoc igitur & Lampridius ſcripſerat.

31. *Mortuo ſcilicet Macrino.*] in Heliogabalo, *Alexandrum* CAESAREM *ſenatus Macrino interemto appellauerat.* idem in vita Macrini.

34. *Iſta honorum continuatio.*] non vulgaris Latinitas, *continuare honores*, pro continenter & ſimul omnes largiri. de iſtis autem honoribus antè dictum nobis.

36. *Et ille perpeti.*] & hoc nouum, *perpeti*, pro pati vt aliquid fiat.

Pag. 172. verſ. 6. *Lucium Vindicem.*] Iulium Vindicem aut C. Iuliū Vindicem nominatum hunc ſemper reperies. prænomen LVCII alibi non legas. & fortaſſe *Iulium* ſcripſerat Lampridius.

Ib. *Et L. Antonium.*] Suetonius in Domitiano, capite ſexto.

9. *Militem contra hoſtem paratum, parricidialiter perire.*] neque hoc vulgaris elegantiæ: nam vulgo hoſtis dicitur quicunque infeſto animo in alium fertur: heic de exteris tantum hoſtibus accipitur, qui Romani ciues non ſint. antiquiſſima hæc notio eſt eius vocis: nam veteribus Latinis, *hoſtis* idem ac peregrinus & ἀλλοδαπός. bellum autem ciuile vocat parricidiū. aliter exponunt hęc viri doctiſſimi: quibus non aſſentimur.

16 *Pri-*

16. *Primus denique omnium cuncta insignia & honorificentiæ genera simul recepit.*] Hoc falsum: nam idem factum & in Pertinace, vt in eius vita dictum est.

21. *Nec potuit & militib.*] Scribe, *nec potuisset, militibus repug. & s.*

22. *Atque hæc parua, nisi quod dignum se exhibuit, quem senatus seruaret.*] ita loquitur & Iulius Capitolinus in Marco Antonino: *Et parum sane fuit, quod illi honores diuinos omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas dedit: nisi quod etiam sacrilegus iudicatus est, qui eius imaginem in sua domo non habuit.* Sic accipe illa *nisi quod* & apud alios scriptores: etiam cum non præcedit *parum hoc*, vt in duobus præcedentibus exemplis. Solinus Polyhistore, capite XI. *Quicquid Sicilia gignit, siue soli siue hominis ingenio, proximum est iis quæ optima iudicantur: nisi quod fœtus terræ Centuripino croco vincitur. nisi quod* isto loco & similibus significat, τὸ δὲ μέγιστον, & quod præcipua dignum prædicatione.

25. *Nam & ita dicitur à plerisque.*] nempe Alexander Mammææ: melius Græci ὁ Μαμαίας, vel Μαμμαίας: nam vtroque modo scribitur hoc nomen. Latini interdum etiam *Mammæum* nominant, vt Euthymius in Panoplia, loquens de librorum sacrorum versionibus. inciderat enim in deprauatos iam tum Theodoreti codices Græcos, vbi hodieque τοῦ Μαμμαίου perperam scriptum pro τοῦ Μαμμαίας.

29. *Et Lucium Veturium.*] Scribe, *Titum Vet.* ex scripta lectione, & quibusdam editis.

31. *Grammaticum in patria Græcum Nebonem.*] professione Græcum, sed ortu Syrum: quod nomen arguit. Nebo enim proprium apud Syros viri nomen. erat & deus Babyloniorum Nebo, vel Nabo, de quo Isaias propheta, cap. XLVI. etsi eam vocẽ aliter ibi quidam sunt interpretati.

ib. *Philosophum Stilionem.*] non aliter membranæ hoc nomen scribunt. quod tamen si Græcum est, *Stylionem* scribam, aut *Stilponem.*

33. *Romæ grammaticos Scaurinum Scaurini filium.*] an isti orti ab illis antiquis nobilissimis grammaticis Scauro patre & eiusdem nominis filio, quorum meminit Capitolinus in Vero imperatore?

35. *Orationes declamatæ.*] declamationes ita nominat καιρῶς.

Pag. 173. vers. 4. *Denique eos dignos adesse iubebat.*] Fortean *binos adesse.* quæ Petri Fabri coniectura est.

5. *Singula quæque quæ p.*] Malim hanc periodum ita concipi: *singulaque quæ publicè priuatimque agebat, se ipso docente, volebat eos discere, si forte ipsi non affuissent.*

8. *Epistolas ad se quasi ad priuatum scribi iussit.*] non onustas titulis qui vulgo imperatoribus, etiam in epistolis familiaribus, nedum publicis, tribui solebant: sed hoc solum, ALEXANDRO IMPERATORI. Dio in Macrino eam partem epistolæ vocat, τὸ τῆς ἐπιστολῆς προοίμιον. idem in Commodo fastum illius, moderationi & ciuilitati Alexandri plane contrarium, fuse describit.

13. *Vt communis esset ei sæpe consessus.*] infra, *Salutatus consessum obtulit omnibus senatoribus.*

15. *Salutaretur verò quasi vnus de senatoribus.*] iunge his quæ inferius scripta: *Salutabatur nomine, hoc est, Aue Alexander: si quis caput. flexisset, aut quid blandius aliquid dixisset, vti adulator, vel abiiciebatur, vel ridebatur ingenti cachinno.* In salutationibus vel maximè morum suorum specimen dare soliti principes Romani: inde est quod de eo more tam frequens apud auctores mentio.

17. *Cum antea salutare principem non liceret.*] de superbis tantum principibus accipiendum, non in vniuersum de omnibus.

ib. *Quod eos videre non poterat.*] Scrib, *quod e.v.nemo poterat.*

19. *Fuit & statura militaris.*] Vegetius libro primo, capite quinto, & nos alibi plura notauimus.

23. *Huic sors in templo Prænestinæ talis extitit.*] Fortasse *exiit*: vt dicebamus ad Hadrianum. & *Prænestino*. de sortibus Fortunæ Prænestinæ M. Tullius, & alij multi.

27. *Alexandri nomen accepit.*] Longe aliter huius nominis caussam explicat Dio, quem vide. initio vocabatur non Alexander sed Alexianus, auctore Herodiano.

31. *Eadem die natalem habet hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus excessit è vita.*] Malim, *eandem diem.* etsi alterum ferri potest. Vtinam vero diem quam intelligit, charactere certo designasset: nam tempus mortis Alexandri, parum perspicuè veteribus indicatum, scimus quàm varie doctissimi viri hodie prodant. Ex iis quæ infra de spatio vitæ scribuntur, possis cum Onuphrio dicere, natum esse IIII. Kal. Iulij. sed non nimis huic ἐπιλογισμῷ fidendum.

33. *Cum hic magis affinitate Caracalli iungeretur, quàm ille Heliogabalus subdititius.*] censeo inducendam vocem *Heliogabalus*, vt è glossemate profectam. Cæterum nisi aliquid afferatur hodie incognitum, ex quo possit colligi, patrem Alexandri aliqua cognatione Seuerum aut Caracallum attigisse; caussa dici non potest, quin isto loco nugas agat Lampridius. Nam eodem plane modo ad Caracallum pertinebant Alagabalus & Alexander: per Mæsam nempe auiam, sororem Iuliæ vxoris Seueri. Sed non vno loco prodit hic scriptor, quàm securus de Alexandri stemmate, ad vitam hanc scribendam accesserit. abusum vocis *affinitas*, sæpe notauimus.

Pag. 174. vers. 7. *Ex Actis Vrbis ad pridie Nonas Martias.*] Scribendum, *a.d. pridie N.M.* ante diem pridie N. nam *ad* ineptum est.

8. *Cum senatus frequens in Curiam, hoc est, in ædem Concordiæ, templum inauguratum, conuenisset.*] Erant Romæ Concordiæ plures ædes: sed non omnes ædes & templa erant inaugurata: hæc in Liuiæ fuit porticu. quare non abs re est, quod hoc obiter monet Lampridius. qui glossemate inquinatum censent hunc locum, si ad A. Gellium adierint, libro

XIV.

xiv.capite vii. facile errorem ſuum agnoſcent. Reg.*templumque in aug.*

10. *Vt concineret.*] Scribe,*conueniret.*tamen in membranis *contineret.* æquè mendosè.

16. *Et tu videre doluiſti.*] Non male quidam libri,*viuere dol.*

20. *Iudicia deorum hinc apparent.*] Stratonici vox eſt,cum trabis caſu homo ſceleratus periiſſet:Ἄνδρες, δοκῶ, θεοὶ εἰσί· εἰ δὲ μὴ εἰσί, δοκῶ, θεοὶ εἰσί. quod in octauo libro Athenæi expoſuimus. Tertullianus De patientia,eleganter & verè:*Deus ſua ſibi patientia detrahit:plures enim dominum idcirco non credunt,quia ſeculo iratum tamdiu neſciunt.*

28. *Iniuriam Baßiani tu vindica.*] Baſſianum igitur ſenatus amauit, & eius iniurias vindicatum iuit? nequaquam. in Macrino relatæ ſunt acclamationes grauiſſimæ in mortuum parricidam à ſenatu habitæ. ſed gratificatur ſenatus Alexandro qui Baſſiani memoriam colebat: qui etiam paullo poſt eius fortitudinem prædicat.

30. *Antoninorum Alexandro vitam, v.*] Scribe ſic hanc periodum: *Antonino Alexandro vitam: vt viuere delectet, Antoninus vocetur:* aut ſi mauis,*vocator.*

34. *Antonini nomen, Antoninorum nomen. Dij conſeruent.*] Totam hanc & ſequentem periodum ex libro Puteani emendauimus, cum inepte ſcriberetur in aliis. ſed malè notatę ſunt maiores pro minoribus diſtinctionibus.

35. *In te omnia, per te omnia Antonine habemus.*] Sic recte. ſimiles acclamationes antè vidimus: vbi afferebamus ex Dione, σὲ τὸν ἔχοντες πάντα ἔχομεν. alluſum ad prouerbium Græcorum, ἐν τῷ τὰ πάντα τινί.

Pag.175.verſ.2. *Quæ omnia nouo exemplo vno die in me contuliſtis.*] Iam diximus hoc non exactè verum eſſe. ſed Alexandro facile ignoſcimus: cuius intererat,beneficium ſenatusquam maximè attollere.adde quod per ætatem iuuenis,Syrus præſertim,& in literis Latinis hoſpes,ſi Pertinacis hiſtoriam ignorauit,inuidia nulla. Lampridium qui res Pertinacis in literas miſerat non excuſo.

4. *Antonini nomen ſuſcipi mereatur.*] Scribe,*Antonini nomen tu ſuſcipe: mereatur ſenatus:mereantur Antonini.*ita liber Puteani.

8. *Ne me ad hanc certaminis neceßitatem vocetis.*] Dele vocem *certaminis.* auctoribus ſcriptis omnibus.

9. *Cum etiam hoc ipſum nomen,licet peregrinum,tamen grauare videatur.*] Alexandri nomen intelligit: quod ſibi ait eſſe oneri: ſic paullo poſt, *grauari me credo.*

12. *Quis impium Metellum?*] alludit ad Q. Cæcilium Metellum Numidici F.qui PII cognomen inuenit,quod patrem ſuum ab exilio lachrymis & precibus aſſiduis reuocaſſet.

13. *Quis non æquantem nomina ferat digerentem in clarißimam ſpem dignitatum.*] Hæc corruptiſſima ſunt etiam in ſcriptis manu. emendatio in qua acquieſcam penitus nondum occurrit. erit tamen commoda ſen-

tentia si scribas, *quis non æquantem nomina ferat, inserentem se in clarißimam speciem dignitatum?* vel sic potius: *inserentem se in clarißimam stirpem indigniter?* alij sic: *degentem in clarißima specie dignitatum.*

23. *Ille omnium non solum bipedum, sed etiam quadrupedum spurcißimus.*] Infra Alexander idem de Alagabalo: *neque enim sub nobis facienda sunt, quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt.* & iterum, *Terras neglectas ab impura illa bellua recepimus.* & in vita Maximini, *ad me confugit, qui sub impura illa bellua militare non potuit.*

Pag.176.vers.10. *Dij te seruent verecundiæ tuæ, p.*] Distinguendum, *Alexander Auguste, dij te seruent. verecundiæ tuæ, pr.* &c. exposuimus ad Vulcatij Gallicani Auidium Cassium.

19. *Tale sit vt ab aliis desideretur.*] quod tamen non accidit: nam post Alexandrum hunc, nemo è Romanis principibus nomen Alexandri assumsit. quanquam merebatur optimi iuuenis virtus, vt eius nomen consecraretur non minus quàm vel Cæsaris, vel Augusti.

ib. *Vt bonis vestræ pietatis iudiciis offeratur.*] Scribe cum libro Puteani, *affectetur.* nos scribebamus, *efferatur.*

32. *Multo clarior visus est, alienis nominibus non r.*] Malim mutata distinctione scribi, *quasi triumphans domum se recepit: multo clarior visus, alienis nominibus non receptis, quam si recepisset.*

Pag.177.vers.5. *Cum eò acceßisset, vt de animi virtute nomen acceperit.*] Scribe, *acciperet.*

6. *Si quidem solus inuentus sit, qui tumultuantes legiones exauctorauerit.*] quomodo solus? cum & Iulium Cæsarem, & alios sæpius legiones integras exauctorasse certissimum sit? an ita loquitur, quod alij principes parcius hoc remedio vsi? nam scribit infra, *Seueritatis tantæ fuit in milites, vt sæpe legiones integras exauctorauerit* QVIRITES *appellant.* non igitur solus hoc ausus est Alexander: sed solus sæpe. nisi hoc est, αὐτισορησίας aut σφάλματος μνημονικοῦ auctorem compertum tenemus.

13. *Ouum purpurei coloris.*] vide in Antonini Getæ vita, & Diadumeni.

18. *Tabula Traiani imperatoris.*] imperator Traianus in tabula pictus.

ib. *Quæ geniali lecto patris imminebat.*] Neque *patris* hic nomen conuenit, neque *matris*, quod visum doctis. sine dubio legendum, *parentis:* αὐτῆς τεκούσης. ipse explicat.

34. *Alis se Romanæ Victoriæ quæ in senatu.*] in penetrali Curiæ parte Victoria erat. Herodianus lib.v. ἐκέλευσεν ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς συγκλήτου τόπῳ ὑψηλοτάτῳ τὴν εἰκόνα ἀνατεθῆναι, ὑπὲρ κεφαλῆς τοῦ ἀγάλματος τῆς Νίκης. huius Victoriæ frequens mentio.

Pag.178.vers.1. *Te manet imperium cœli terræque marisque.*] hæc Græcè edita, in hæc fortasse verba:

Γῆς ἀρχή σε μένει καὶ ὀλύμπου ἠδὲ θαλάσσης.

Hæ

Ἠδ' ἀρχῆς σε μόνῃ παγκρατὲς εὐρὺ κράτος.

vel hoc modo:

Γαιάων, ὑγρᾶς τε καὶ οὐρανοῦ ἔσσεαι ἄρχων·
Ἠδὲ μόνῃ σε κράτος παντὸς ὕπερθε κράτευς.

2. *Intellectum est.*] ex voce *cœli.*

5. *Nam vbi est imperium, nisi apud* Romanos,*quod tenet imperium?*] Traiectio est:erat enim ita planius: *Nam vbi est,nisi apud* Romanos, *imperium quod tenet imperium?* sic autem versum est duriusculè,quod felicius Græcè dictum fuerat,vt opinor,*κράτος ὑπὲρ πᾶν κράτος.*

8. *A Philosophia & musica ad alias artes traduceret.*] Membranæ, *ad philosophiam & musicam, aliasque artes tr.* potest ferri vtrauis lectio: sed vulgata magis arridet.

18. *Nimius ardor oculorum, & diutius intuentibus grauis.*] Lege Suetonium Tranquillum in Augusto, capite LXXIX.

19. *Rerum memoria singularis,quam nemo nisi Acholius ferebat adiutam.*] In regio lacuna est pro illis, *nisi Acholius.* Nescio quid heic legerint viri docti, qui Acholium hunc Alexandri præceptorem fuisse hinc colligunt: quod falsum est: fuit enim tempore multo iunior, magister admissionum Valeriani principis: edideratque ACTORVM libros plureis: nam in Aureliano Vopiscus librum nonum laudat. hunc virum in rebus Alexandri exponendis diuersa ab aliis sæpe tradidisse, & alibi notat Lampridius in hac vita. Legebam heic, *quam nemo,nisi Acholius, scribat adiutam.* sed obseruaui idem loquendi genus & alibi vsurpatum Lampridio:vt paullo post: *Referebat Encolpius,quo ille familiarißimo vsus est illum,*&c. Quare videamus an & heic possit excusari verbum *ferebat* vel *referebat,*

21. *Et cum puer ad imperium peru.*] τὸ *&* initio periodi otiosum est & melius absit.

24. *Remouit iudices omnes.*] id est, magistratus aut procuratores,sic semper inferius.

32. *Iureiurando deinde adstrinxit.*] Deest, *se,* ante verbum *adstrinxit.* reponendum ex libro Puteani.

ib. *Ne quem adscriptum,id est,vacantium haberet.*] Scribe,*adscriptitium, id est,vacantem haberet.* Trebellius Pollio de Balista tyranno. *Est epistola Valeriani qua gratias Balistæ agit: gaudens, quod eius consilio nullum adscriptitium, id est,vacantem haberet, & tribunum nullum stipatorem,qui non verè pugnaret.* Caue confundas ascriptitios istos, cum iis quorum fit multa mentio in Codice & Nouellis: nam illi agricolæ erant, & miseræ quidem conditionis, qui censitis & colonis coniunguntur. isti de quibus Lampridius & Trebellius, supernumerarij quidam milites fuerunt, ad commoda solum participanda in numeros relati. inuentum est Claudij principis:de quo Tranquillus,capite XXV. *Instituit & imaginariæ militiæ genus,quod vocatur* SVPRA NVMERVM: *quo absentes &*

titulo tenus fungerentur. Non dissimiles his supernumerarij illi palatini, quorum meminerunt imperatores in Codice Theodosiano, titulo de palatinis sacrarum largitionum & rerum priuatarum.

34. *Dicens malũ pupillũ esse imperatorem.*] est qui legat *malum pastorẽ*: est qui *malum villicum*: possis etiam, *malum publicũ*: sicuti supra dicebamus malum principem appellari *luem*, *pestem* aut *labem*. Sed cur non retinebimus hanc scripturam cum omnibus antiquis codicibus? *malum pupillum* eleganter appellauit eum qui malo pupillo similis bona dissipat, & male perdit. potest sane ferri hæc lectio, vel propter ætatem Alexandri, cum ad imperium venit: adolescens enim fuit: neque est vero absimile solitum dicere, nolle se in administratione Reip. malos pupillos imitari: qui tutorum negligunt auctoritatem, & pro libidine cæca se gerunt. facit huc quod initio dixit de expetita ab Alexandro sapientum consuetudine, à quibus penderet totus. Robertus tamen à Porta non *pupillum* sed *tutorem* legit heic olim. Lampridius quoq; in gemino huic eiusdem Alexandri dicto, vsus voce *dispensator publicus*.

35. *Homines non necessarios nec Reip. vtiles pasceret.*] Vide in Hadriano & Pio, duobus prudentissimis principibus.

36. *Fures iudicare iußit in ciuitatibus vllis nunquam videri.*] Prorsus digna locutio quę lectorem aduertat. *iußit nunquam videri*, dictum pro vetuit vnquam videri. nec desunt similia exempla: vt apud Cassiodorum, libro IV. formula XIX. *in frumentis vino & oleo dari siliquaticum non iubemus.* id est, vetamus exigi, aut permittimus non dari. Impp. Arcad. & Honor. lege quinta Quibus equorum vsus &c. in Codice Theod. *Pastores Valeriæ prouinciæ, vel Piceni, vti equinis animalibus non iubemus.* pro vetamus. Iam, *videri iudicare*, nihil aliud quàm iudicare. nam sensus est, vetitum lege Alexandri fuisse, ne vlla in ciuitate, furti semel damnati admitterentur ad ius dicendum, siue iudicandum. Erat tum moris, vt & sententiam iudicis passi ex repetundarum, aut simili crimine, & interdum exules ac relegati, ad postulandum ac ius dicendum etiam admitterentur. Aurelius Victor Primus de Macrino qui postea imperauit. *à Seuero remotum etiam à miserrimis officiis, relegatumque in Africam: vbi vt infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse causulas, declamasse, ius postremo dixisse.* potes ex istis intelligere, quò lex Alexandri ista pertineret. Quare non assentimur viris eruditis, qui vocem *iudicare* in hac sententia νοθεύειν censebant. Nam contra, si quid mutandum, sine dubio scribendum, *Fures iudices*, vel *iudiciales*. paullo post sequitur: *si vnquam furem iudicem vidisset, paratum habuit digitum, vt illi oculum erueret.* in Claudio, *Fures iudices palàm aperteque damnauit.* Erit sensus: lege hac iussos fuisse fures iudices abstinere publico: hoc est locis omnibus publicis, cuiusmodi sunt fora & balnea. Fuit hoc pœnæ genus vsitatum vetustissimis Græcis: εἴργεσθαι ἀγορᾶς, καὶ τῶν περιρραντηρίων. sed & Romani Impp. in veteres Christianos, hac sæuierunt ratione, vt vetarent quenquam

quam eorum videri in publico: ſicut de ſe narrant fideles Lugdunenſes in epiſtola ad fideles in Aſia. ὥστε, aiunt, *μὴ μόνον οἰκιῶν καὶ βαλανείων καὶ ἀγορᾶς εἴργεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ καθ' ὅλου φαίνεσθαι ἡμῶν τινὰ αὐτοῖς ἀπειρῆσθαι, ἐν ὁποίῳ δήποτε τόπῳ.* Satis acceptum eſt nobis neque legendum, neque interpretandum aliter eſſe hunc locum.

Pag. 179. verſ. 1. *Annonam militum diligenter inſpexit.*] refer ad condita militaria, de quibus ad Hadrianum. *reſpicere* proprium huic rei verbum: vide ad Auidij Caſſij vitam.

2. *Per ſtellaturas.*] meminit Spartianus in Peſcennio Nigro.

3. *Negotia & cauſſas prius à ſcriniorum principibus & doctiſſimis iuriſp.*] Iungenda ſunt cum iſtis verba inferius poſita: *actibus publicis poſt multam horam operam dabat: idcirco quod & res bellicæ, & res ciuiles, vt ſuperius dictum eſt, per amicos tractabantur, ſed ſanctos & fideles & nunquam venales: & tractatæ firmabantur, niſi quid noui etiam ipſi placeret*, de ſcriniorum magiſtris alio loco diximus. *ſcriniorum principes*, ita dictum, vt ſæpe legitur *officiorum principes*, ſicut ad Marcum monebamus.

10. *Vt non minus in conſilio eſſent ſententiæ, quàm ſenatuſconſultum conficerent.*] Poteſt abeſſe vox *ſententiæ*: temere, vt videtur, conficta ex præcedentis dictionis fine ſæpius repetito. Lego, *vt non minus in conſilio eſſent, quam quot S. C. conficerent.* vel *cum S. C. conf.* certum numerum ſenatorum fuiſſe deſideratum ad conficiendum S. C. docet Suetonius in Auguſto, & nos ad illum locum. ſed variatum in numero videtur: nam ex his verbis colligas, non potuiſſe fieri S. C. minore ſenatorum numero, quam LXX. quod ſcimus aliter olim ſeruatum. extat in Cod. Theod. lex Conſtantini, qua ſancitur, ne minus quinquaginta clariſſimi in ſenatum veniant. Sed mirum eſt, è tanto numero eorum qui Alexandro in conciliis aderant, ſolos fuiſſe XVI. ſenatores. nam ita ſcribit Herodianus: *τῆς συγκλήτου βουλῆς τοὺς δοκοῦντας καὶ ἡλικίᾳ σεμνοτάτους καὶ βίῳ σωφρονεστάτους, ἑκκαίδεκα ἐπελέξαντο, συνέδρους εἶναι καὶ συμβούλους τοῦ βασιλέως· οὐδέ τι ἐλέγετο, ἢ ἐπράττετο, εἰ μὴ κἀκεῖνοι αὐτὸ ἐπικρίναντες σύμψηφοι ἐγένοντο.* ſed mihi hic numerus valde ſuſpectus: vide apud Suetonium de ſemeſtribus Auguſti conſiliis libro II. capite XXXV. & confer cum Dione libro LIII. & libro LVI.

22. *Referebat Encolpius.*] Iam notauimus peculiarem Lampridio modum loquendi: nam ita ſuperius dixit, *ferebat*, vel *referebat Acholius.* quæ cum legas, putes de iis loqui auctorem, quæ accepiſſet in communi ſermone cum Encolpio & Acholio. quod falſum eſt. ambo enim vitæ ſcriptores, vt poſtea dicturus: nec facile patiatur ratio temporum, vt vlla notitia inter Lampridium & iſtos poſſet intercedere. nam à principio imperij Alexandri, ad medium principatum Conſtantini, cui hic liber à Lampr. nuncupatur, anni centum & eo plures inueniuntur.

30. *Commotione animi ſtomachi choleram euomeret.*] Βαττολογία mera, *animi ſtomachi*: quare vel tollendum alterum: vel, quod malo, ſcribendum, *ſtomacho choleram euomeret.* Cholera, vt docent medici: commune

ſtomachi atque inteſtinorum vitium eſt. Eadem erit ſententia & retenta voce *ſtomachi*, modo cum ſequenti dictione connectatur.

35. *Arabinus non ſolum viuit, verum etiam in ſenatum venit.*] imitatur notiſſimum Ciceronis locum in Catilinariis.

Pag. 180. verſ. 1. *Si quis caput flexiſſet.*] vt ſe incuruaret. quod ſuperbi principes paſſi ſunt, vel etiam exegerunt, vt de Valente narrat Ammianus libro XXVII.

5. *Atque adeo niſi honeſtos & bonæ famæ ho.*] Infra: *à mulieribus famoſis matrem & vxorem ſuam ſalutari vetuit.*

6. *iuſſitque quemadmodum i.*] Tota periodus hiat nec cohæret, hoc ſimiliue modo componenda: *ad ſalutationem non admitti iuſſit: & quemadmodum in ſacris Eleuſiniis dicitur*, VT NEMO INGREDIATVR NISI QVI SE INNOCENTEM NOVIT: *ita per præconem edixit, vt nemo ſalutaret pr.*

10. *Adorari regum more Perſarum.*] Pollio de Zenobia: *adorata eſt more regum Perſarum.* res vulgo notiſſima.

13. *De paupertate conqueri.*] Regius, *paupertatis conqueri.* noto helleniſmo.

16. *Quæ Græce talis eſt*, Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται.] Omnia hæc neque veteres editiones agnoſcunt, neque ſunt in regio. ſed omiſſum ibi aliquid apparet.

18. *Præfectum Vrbis à ſenatu accepit.*] Scribe, *è ſenatu.* diuerſiſſimâ ſententiâ.

19. *Alterum præfectum prætorij fecit.*] id eſt, non vnum ſed duos habuit præf. præt. quod iam olim ſcimus fuiſſe receptum vſu. aliter longe regius, qui pro *alterum*, legit *Alexium*.

22. *Ita vt per ſententias omnium crearetur.*] Poteſt exponi, & ferri: ſed in regio eſt ſcriptum *curaretur*: quod deprauatum videtur, cum eſſet prius *curreretur.* φρασεως καινοπρεπής, vt in his ſcriptoribus multa. nam erat potius dicendum, *iretur*: quam vocem Petrus Faber acute coniiciebat heic reſtituendam.

25. *Ciuium condemnatione adhibita, quaſi falſi rei approbati.*] quæ hæc ciuium *condemnatio*? an & publico iudicio fuiſſe falſos ſuffragatores condemnari ſolitos ſignificat? non puto, imo falſum iudico. Suſpicor vocem *ciuium* non eſſe τοῦ ποιητοῦ, nec aliunde ortam quàm ex repetita temere ſyllaba vltima *cum* dictionis præcedentis. nam huius generis mendis nihil frequentius. ſed nolumus indulgere coniecturis noſtris: quare ita potius concinnemus: *in vltimum reiicerentur locum ciuium, condemnatione adhibita, quaſi falſarij approbati.* ſumtum è membranis *falſarij* pro *falſæ rei.* ſenatores, ait, qui pro teſtimonio falſi aliquid dixiſſent, cum aliquem ſuo ſuffragio commendarent, reiiciebat in vltimum locum, non dicam ſenatorum, ſed omnino ciuium. hoc eſt in ceritum tabulas referebat. humanior ſententia longe, ſi voce *ciuium* ſublata, de vlti-

vltimo inter ſenatores loco interpreteris, ad exemplum regradationis militaris: quam in ſenatorum quoque pœnis fuiſſe vſurpatam & alia exempla teſtantur.

26. *Sine vllius indulgentiæ propoſito.*] alius dixiſſet *ſpe propoſita.* hóc eſt, nulla indulgentiæ ſpe facta. fortaſſe ita & Lampridius ſcripſerat.

28. *Idem libertinos nunquam in equeſtrem locum redegit.*] hoc eſt, iure aureorum annulorum non donauit: de quo multa in libris iuriſconſultorum. nam primus Iuſtinianus diſcrimen hoc lege ſuſtulit.

Pag. 181. verſ. 1. *Conſenſum omnibus ſemper offerret.*] imò verò *conſeſſum.* vt paullo antè, *Salutatus conſeſſum obtulit omnibus ſenatoribus.* iterum libri initio, *cum amicis tam familiariter vixit, vt communis eſſet ei ſæpe conſeſſus.*

5. *Vxor Memmia Sulpitij conſularis viri filia.*] Herodianus, ἠγάγετο αὐτῷ δὲ γυναῖκα τῶν εὐπατριδῶν. & plura de huius infelicitate. in nummis & lapidibus de hac Auguſta obſeruaui nihil.

6. *Molliorem tibi poteſtatem & contemtibiliorem imperij feciſti.*] Plinius octauo epiſtolarum: *Abſit ſuperbia, & aſperitas: nec timueris contemtum.* affine eſt quod ſcribit idem libro primo: *mitium dominorum ipſa conſuetudine metum exoleſcere.* Capitolinus in Pio: *Imperatorium faſtigium ad ſummam ciuilitatem deduxit, vnde plus creuit.*

9. *Sed ita vt ærarium non euerteret.*] Sic mox, *cum frumenta Heliogabalus euertiſſet.*

12. *Fœnus publicum trientarium exercuit.*] vide ad Pij vitam.

13. *Ita vt pauperibus pleriſque ſine vſuris pecunias dederit.*] Tale quid inſtituerat Auguſtus, vt narrat Suet. capite XLI.

18. *Succeſſorem præfecto prætorij dare vellet.*] Exemplum eſt in vita Commodi.

ib. *Laticlauiam ei per libertum ſubmitteret.*] Scripti, *laticlauium,* pro latum clauum.

21. *Milites ſuos ſic vbique ſciuit.*] hæc pars erat rationarij imperij, cuius auctor principum maximus Auguſtus. Suetonius capite vltimo.

22. *Vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium.*] Vt ſit plena ſententia vox vna deeſt. Lego, *breues & numerum & tempora militantium indicantes.* aliter oratio non erit perfecta, etiam ſi pro *numerum* legas *numeros.* ſic enim appellarunt τοὺς καταλόγους τῶν στρατιωτῶν.

28. *Et perlegebat cuncta pittacia.*] id eſt breues, vt modo dixit. ſed pittacia dicũtur pice vel maltha illitæ breues tabellæ, in quibus elogia ſcribebãtur, & id genus alia, quæ paucis verbis poſſunt cõprehendi. vt illa Polybiana pittacia de quibus ad Suetoniũ notare aliquid meminimus libro ſecundo. Vox eſt origine Græca. πιττάκιον enim ἀπὸ τῆς πίττας. vſu verò, Romanorum & Syrorum quoque: nam in Targumim פִּיטְקִין πιττάκια poſitum meminimus pro epiſtolis. Iſidorus: *pittacium, epiſtola breuis & modica.*

30. *Commeatum populi Ro. sic adiuuit.*] annonam frumentariam intelligit, quam duæ classes Aegyptia & Africana deuehebant. *commeatus* est καταπλοις, vt exposuimus ad secundum Tranquilli.

35. *Turpißimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo.*] in Alagabalo: fecit præfectum annonæ Claudium cursorem: *ad honores reliquos promouit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum.*

ib. *Vt Romam volentes concurrerent.*] Regius, τὸ *volentes* non habet. retineo tamen. & est eleganter dictum. *volentes*, pro volenter, cupide.

36. *Integrum restituit.*] neque hoc solum: sed & institutæ à Seuero liberalitati cumulum adiecit. paullo post: *Addidit & oleum luminibus thermarum: cum antea non ante auroram paterent, & ante Solis occasum clauderentur.*

ib. *Ius conferendi rationes.*] Nihil est in Alagabali vita, quod hunc locum reddat clariorem. In regio sic: *iußitque conferre rationes.* planissima sententia, modo adiuues minimum: *iußitque conferre rationes: & quod imp. &c.*

Pag. 182. vers. 7. *In itineribus secum semper in vehiculo habuit.*] non leue hoc genus honorificentiæ, vt dictum est in vita Veri imperatoris.

9. *Cum vilitatem P.R. ab eo peteret.*] Legebatur, *edulitatem*: ridicule. sed & hic, & paullo post emendauimus ex regiis & Puteani membranis. Sæpe autem fieri solitum, vt de annonę caritate populus Ro. cum principe, vel præfecto Vrbi expostularet. Lege Tacitum extremo annali secundo, & Capitolinum in Pio, sæpe apud Ammianum Marcellinum.

12. *Tunc ille non quidem vilitatem proposuit.*] Exposuimus iam ad vitam Commodi eiusdem scriptoris. Sed vilitatis proponendæ ratio illa optima, qua vsus Pertinax, de quo Capitolinus, *Exemplo*, inquit, *imperatoris cum ille parcius se ageret, ex omnium continentia vilitas nota est.*

13. *Sed iußit ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem.*] Hæc regij codicis lectio: quam si retinemus, *suminata* idem erit ac saginata: quomodo accepisse vocem *sumen* pro sagina, aut arte quæsita pinguedine recentiores Latinos non negamus. at non ita vetustiores. quare de hoc loco aliter longe censemus. Legendum enim, nisi fallor, *ne quis suem suminatam occideret, ne quis lactentem*: non autem *lactantem.* deesse vocem *suem* ante *suminatam*, non negabant qui de porcina heic agi meminerint, & syllabarum similitudinem considerarint. sumen est fœtæ suis mamma lacte plena. *sus suminata*, nihil aliud nisi sus lactans. *Lactentes* verò sunt porcelli adhuc subrumi: quos non occidi multum intererat, ad vilitatem porcinæ reuocandam: quod studebat Alexander. Sic antiquis legibus Græcorum, ἀρνὸς ἀπέκτου iugulatio aut esus prohibitus. de quo ad Athenæum libro primo, capite octauo. quid differant *lactare* & *lactere*, etiam pueris notum. De hoc igitur loco ita videtur nobis.

14. *Ne quis vaccam ne quis damalionem.*] μή τι βοῶν πελείων, μή τι δάμαλιν. quid sit inter ista discriminis, lege apud Eustathium, & alios Græcos grammaticos.

16. Vt

16. *Vt cum fuiſſet octominutalis libra, ad duos vnumque vtriuſque carnis libra redigeretur.*] ante legem Alexandri vendebatur libra porcinæ aut bubulæ octo minutis: poſtea redacta eſt ad pretium duorum minutorum. magna vilitas ex magna caritate. Conferre hæc cum noſtro vſu non poſſumus: quia minutorum iuſtam æſtimationem parum habemus notam. λεπτῶν quæ ſunt minuta hæc κέρματα, in Euangelio mentio: dicunturque duo efficere quadrantem. Syrus Latinam vocem Græcæ loco poſuit: Arabs vertit φόλλις, quā dictionem antea expoſuimus. Erant præter iſtos æreos minutos nummos & alij argentei: vt illi Philippei minutuli, quorum meminit Vopiſcus in Aureliano. Carnium porro vilitatem Romæ fuiſſe magnam & Plinius docet nos: qui libro XVIII. capite tertio eſt auctor, aſſibus ſingulis carnis pondo XII. aliquando fuiſſe vendita.

20. *Per fideles homines ſuos.*] Membranæ, *per fideles ſeruos ſuos.* alterum eſt ex gloſſa. nam *homo* etiam in Pandectis pro ſeruo. poſterior vero ætas, *fideles* ſubſtantiuè pro eodem vſurpauit.

22. *Seruos ſuos ſemper cum ſeruili veſte habuit.*] Vopiſcus in Aureliano: *ſeruis ſuis veſtes eaſdem imperator quas & priuatus dedit.*

26. *Ad certum numerum eos redegit.*] loquitur de miniſterio aulico. ſed poſtea cum omnium procerum domus eunuchorum eſſent plenæ, perueniſſentq; hanc ob hoc cauſſā eunuchi ad ingentia pretia: lege Aureliani modus conſtitutus habendi eunuchos, pro facultatibus ſenatoriis, inquit Vopiſcus.

35. *Prouincias prætorias, præſ.*] Attigimus hunc locum, ſupra ad Marci vitam. & de balneis mixtis ſatis ad Hadrianum.

Pag. 183. verſ. 1. *Lenonum vectigal & meretricum.*] Adi ad Suetonium in Caligula, cap. XL.

4. *Et ærarij dep.*] Regius, *atrij.* vt de publici atrij alicuius refectione locus intelligatur. In Vrbis deſcriptionibus plura atria nominantur.

7. *Sed veritus eſt ne prohibens publicum dedecus in priuatas cupiditates conuerteret.*] Aurelius Victor in Philippo narrat, cum Pontificum lege hoſtiæ mactarentur, ſuis vtero maris feminarum genitalia apparuiſſe: quod cum dicerent haruſpices futurum portendere, vt παιδεραστῶν ingens eſſet prouentus: *id fruſtratum iri*, ait Victor, *exiſtimans imperator Philippus, tum quia forte præteriens filij ſimilem pro meritorio ephebum conſpexerat, vſum virilis ſcorti remouendum honeſtiſſimè conſultauit: verumtamen manet: quippe conditione loci mutata, peioribus flagitiis agitatur: dum auidius periculoſa, quibuſque mortales prohibentur, petunt.* ita ſcribendus hic Victoris locus. perperam enim *pro merito* eſt editum. ephebi, ſiue pueri meritorij, vt & quæ proſtituebantur virgines, ſolebant προεστάναι τοῦ οἰκήματος, vt loquuntur Græci: hoc eſt, ſtare pro meritorio.

8. *Braccariorum, lint.*] *Braccarij* fuerint, venditores braccarum: ſed emendat Scaliger, me non inuito, *Bractearium*, ſimili errore in Gloſſa-

rio ſcriptum erat *Bracharius* πεταλοποιός, pro *bractearius*: vt etiam ex aliis eiuſdem libri locis poteſt probari.

ib. *Linteonum.*] linteones ſeparantur à lintеariis. Gloſſæ: *Lintearius* ὀθονιακός. alibi, *Lintearius*, ὀθονιοπώλης: *Linteo*, λίνυφος.

9. *Argentariorum.*] non ſunt trapezitæ aut nummularij, ſed fabri argentarij, qui argentea vaſa conficiunt, aut cælatores, vel ſimiles artifices. & ita ſæpe.

14. *Et ante ſolis occaſum clauderentur.*] At per hanc liberalitatem Alexandri mutauit antiquum hoc inſtitutum: quod cum multis malis cauſſam vel occaſionem præbuiſſet, reuocare tandem veterem conſuetudinem inſecuti principes ſunt coacti. Vopiſcus de Tacito: *Thermas omnes ante lucernam claudi iußit, ne quid per noctem ſeditionis oriretur.*

15. *Huius imperium incruentum quidam literis tradiderunt.*] Herodianus & initio libri ſeptimi affirmat, & repetit in eiuſdem extremo, Alexandrum ἄρξαι ἀναιμωτί. οὐδέ τις εἰπεῖν ἔχει, inquit, ὑπ᾽ ἐκείνου φονευθέντα. καίτοι πολλῶν μεγίσταις αἰτίαις ὑποπεσόντων, ὅμως ἐφείσατο ὡς μὴ φονεῦσαι. Sed infra dicturi ſumus, videri Lampridium aliter legiſſe iſtos Herodiani locos.

19. *Thermas nominis ſui.*] Alexandrinas. vide Vrbis deſcriptiones, in regione nona.

24. *Antonini Caracalli thermas additis ſortionibus perfecit, & ornauit.*] Scribendum, *porticibus*. in Alagabalo, de his thermis idem Lampridius: *ſed porticus defuerant, quæ poſtea ob hoc ſub Antonino extructæ ſunt, & ab Alexandro perfectæ.*

25. *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus.*] Marmorationis genus è duobus marmoribus non eſt Alexandri inuentum, vt videtur ſentire Lampridius: ſed iam Claudij & Neronis temporibus Romæ cognitum. Lege Plinium libro xxxv. capite primo, & quæ ad Manilij Sphæram Barbaricam accurate diſputat Ioſephus Scaliger, de variis vermiculationis & muſiui operis generibus. teſtis & Seneca, Alexandrina marmora cruſtis Numidicis ſolita temporibus ſuis diſtingui. Non igitur primus Alexander marmorationem ex duobus marmoribus inſtituit: ſed illius fortaſſe nouum aliquod genus è porphyretico & Lacedæmonio.

28. *Statuas coloſſas.*] Scribe *coloſſeas*, vt ſupra. de re vide paullo poſt.

30. *Et quidem electreos aliquantos.*] Regius, *electro*: pro ex electro.

35. *Carnem populo addidit.*] porcinam vt videtur. Zoſimus libro ſecundo: Λουκιανὸς τοῦ χοιρείου κρεῶν ἦν χορηγὸς, ὃ τῷ δημοσίῳ ἐπεδίδου τῷ Ῥωμαίων δήμῳ. ſed porcinæ diſtribuendæ auctor Aurelianus, teſte Vopiſco.

ib. *Vſuras fœneratorum contraxit ad trientes penſiones.*] Vſurarum varius modus in Republ. Rom. Sed illud tamen video ſemper obſeruatum, vt quo quiſq; honeſtioris loci eſſet, eo ſeuerius fœnerandi licentia illi interdiceretur. Quare & Iuſtiniani lege, vt antiquiora omittam, cum mercatoribus beſſales vſuræ permittantur, cæteris ſaltem ſemiſ-

ſes

ſes:nobilibus tamen trientales tantum conceduntur. Mirum igitur eſt quod legimus heic : redegiſſe Alexandrum vſuras fœneratorum quidem ad trientes:ſenatorum vero ad ſemiſſes. nam plane contrarium oportuit. Quare de hoc loco velim docti viri cogitent. Eſt quidem profectò ridiculum exegiſſe à fœneratoribus, quorum ea profeſſio, is quæſtus vnicus, vt non alia conditione fœnus exercerent, atque imperator ipſe : qui vt ante dictum *fœnus publicum trientarium exercuit.*

Pag.184.verſ.2. *Iuſsit in ſemiſſes acciperent donum, munus tamen ſuſtulit.*] Eſt & alia huius loci lectio : nam antiquitus editi & pars ſcriptorũ, τὸ *in* non agnoſcunt. qua ſublata vocula, tollenda & vox *donum:* aut inſerendus σύνδεσμος aliquis inter hanc & ſequentem vocem. Legendũ igitur cenſeo, *iuſsit ſemiſſes acciperent: donum munusue tamen ſuſtulit.* Ita ſolent in iure hæc duo vocabula iungi. vt cum M. Cincius legem de donis & muneribus tulit, inquit non vno loco M. Tullius. ſic ſæpe in Pandectis. Vulgata lectio diſcrimen ſtatuit inter donum & munus : quod an ſit vllum, aut quale ſit, diſputat Vlpianus lege CXCIIII. De verborum ſignificatione.

3. *Statuas ſummorum virorum.*] erant hæc coniungenda cum iis quæ paullo poſt ſequuntur. Exemplum eſt ab Auguſto: quod non ſolus Alexander eſt imitatus.

12. *Iſium & Serapium decenter ornauit.*] Erant plura iam in Vrbe Iſidis & Serapis fana : vt obſcurum ſit de quibus loquatur. ſed puto illa intelligi quæ ſtruxerat Caracallus.

13. *Et deliacis.*] id eſt vaſis Deliaca ſpecie, aut quæ Deliaca imitarentur, ſicut loquitur Plinius libro XXXIII.

23. *Et omnibus ſeruis, vt in populo poſſent agnosci.*] Seneca De clementia libro primo, capite XXIV. *In ſenatu dicta eſt aliquando ſententia, vt ſeruos à liberis cultus diſtingueret: deinde apparuit, quantum periculum immineret, ſi ſerui noſtri numerare nos cepiſſent.*

28. *Claui qualitate diſcernerentur.*] Videtur qualitatem dixiſſe pro quantitate : vt ὅμοιος pro ἴσος, *ſimilis* pro æquali vſurpaſſe veteres ſciunt eruditi. Erit ſenſus: inſtituiſſe Alexandrum, vt ſenatorum propria eſſet laticlauia tunica : equitum anguſticlauia. Antea etiam equites latum clauum ſumſiſſe certum eſt.

29. *Penulis intra vrbem frigoris cauſſa vt ſenes vterentur.*] Aſſentior Iuſto Lipſio reſcribenti *ſenatores* pro *ſenes.* omnino ita legendum.

36. ὀρνεοσκόπος *magnus.*] mirum quare Græcam vocem potius quàm Latinam augur vſurpauerit. ὀρνεοσκόπον Zeno Veronenſis hac circumlocutione exprimit eleganter : *qui per varios auium volatus coniecturis inanibus ſtatum plumeæ ſalutis inquirit.* in ſermone de Iona.

37. *Pannoniorum augures.*] horum meminit Spartianus in Seuero. Porphyrius auctor eſt, quaſdam gentes olim cognationem habuiſſe quandam cum certis auibus, quarum auſpiciis regerentur, cum illarũ

cantus intelligerent: vt aquilarum Etruſcos, coruorum Arabes, alios aliarum. in tertio Περὶ ἀποχῆς.

Pag. 185. verſ. 5. *Nunquam oſtendit.*] οὐκ ἐπεδείξατο. non fecit palam: neque publicè ſpecimen dedit huius ſuæ peritiæ.

ib. *Palæſtes primus fuit.*] Reg. *palæſtres.* ſcribendum *palæſtrites.* ſed & alterum eſt rectum: nam & Græci vtroque modo παλαιστὴς & παλαιστρίτης.

7. *Ac primo nundino ſibi alios ſemper ſuffecit.*] creationem conſulum veteres Latini dicebant comitia conſularia: poſtea ſublatis comitiis dici cepit ordinatio conſulum, vt apud Suetonium & alios: deinde etiam nundinum conſulum: quod quare ita ſit dictum, non ſatis ſcio: ſed illud ſcio, nihil aliud eſſe nundinum conſulum, niſi ordinationem. Vopiſcus in Tacito: *In eadem oratione fratri ſuo Floriano conſulatum petiit, & non impetrauit: idcirco quod iam ſenatus omnia nundina ſuffectorum conſulum clauſerat.* iterum Lampridius in hoc libro: *Conſules quoſcunque vel ordinarios vel ſuffectos creauit, ex ſenatus ſententia nominauit, ſumtum eorum contrahens: & nundina vetera ex ordine inſtituit.* vbi aſſuta eſt ineptiſſima gloſſema, *vel dies vel tempora.*

12. *Inciſis digitorum neruis.*] Spectarunt hoc ſæpius antiqui legum conditores, vt qua parte quis peccaſſet, eadem puniretur: quod memini probare multis exemplis Iacobum Cuiacium libro ſeptimo Obſeruationum, capite XIII.

13. *Cum quidam ex honoratis.*] quomodo honoratus iſte, ſi homo erat vitæ ſordidæ & aliquando furtorum reus? nec poteſt referri ad loci dignitatem, quem in Rep. occuparet. paret enim omni munere ciuili fuiſſe immunem. an igitur ſcribendum, *ex inhonoratis.* an ad opes ſolum reſpexit, quarum merito, vt fit, inter honoratos iſti locus.

15. *Quod per reges amicos ambierat.*] Videntur in aula Imperatoris tum fuiſſe reges aliqui, aut regum filij. plures enim fuere ſub imperio Ro. etiam tum reges: præſertim populorum Aſiaticorum.

22. *Statuas coloſſas.*] Scrib. *coloſſeas.*

23. *Quod Tranſitorium dicunt.*] item Peruium. Aurelius Victor in Nerua.

29. *Vt ſolent.*] erant enim Antiochenſes dicaciſſimi, vt dictum eſt ad Hadrianum: nec minus Alexandrini, de quibus infra in Saturnino tyranno Vopiſcus.

34. *Id eſt, ſi non cum vxore cubuiſſet.*] de hoc dictum nobis in vita Cõmodi ad illa verba, *aquam geſſit vt lenonum miniſter.*

35. *In larario ſuo.*] ſanctiore: nam & lararium ſecundum habuit: cuius infra fit mentio.

36. *Sed optimos electos.*] Poteſt tolli vox *optimos*: niſi ſcribere malis, *ſed optimo quoque electo.*

37. *Apollonium.*] Thyaneum planum illum ſceleſtiſſimum: cui illa po-

potiſſimum ætas venerationis plurimum detulit. vide Vopiſcum in Aureliano.

ib. *Scriptor ſuorum temporum.*] ita ſæpius, pro eorum temp. vel ſic accipiendum, ſcriptor quidam, qui tempora illa, quibus ipſe viuebat, deſcripſit. In regio eſt *ſcriptores.* vt poſſit inde ſcribi, *quantum ſcriptores eorum temporum dicunt.*

Pag. 186. verſ. 1. CHRISTVM.] cuius notitiam habuit per matrem: quam Chriſtianæ religionis myſteriis initiatam, & ab Origene conſtat informatam.

ib. *Abraham & Orpheum, & huiuſcemodi deos habebat.*] Regius codex, *& huiuſmodi cæteros habebat.* quod non temere reſpuendum: nam neque Abraham, neq; Orpheus pro diis ab Alexandro habiti. de CHRISTO quid crediderit non poteſt dubitari: cum infra ſcribat Lampridius, voluiſſe illi Alexandrum templum facere, & inter deos eum recipere.

2. *Rem diuinam faciebat.*] aut ſacrificando, quod propriè rem diuinam facere dicitur: vel adorando ſolùm & incenſum ponendo: qui fuit mos multorum: vt illius Marcellinæ Carpocratis ſociæ, quæ in larario ſuo imagines IESV, Pauli, & Homeri & Pythagoræ ita colebat ſimul, vt ſcribit B. Auguſtinus.

5. *Actibus publicis poſt multam horam operam dabat.*] hæc ſcripta eſt lectio. vulgati vocem *horam* non habent. vnde prona emendatio, *poſt multa operam d.* ſed ſequor veteres. cur dicat Alexandrum poſt multam horam publicis actibus operam dediſſe, ſequentia docent: nec opus interprete.

10. *Neque vnquam tædiauit.*] Verbum nouum & meo iudicio elegantiſſimum, *tædiare*, pro pertæſum alicuius negotij id deſerere, & vt loquitur Marcus imperator, προαποστῆναι τῆς ἐρεύνης. commendat Lampridius Alexandri in audiendis cauſſis patientiam: quæ pars magna iuſtitæ eſt, & quam primum religioni ſuæ iudex debet.

18. *Egr.ſſus balneas multum lactis & panis ſum.*] Lege auctore Ioſepho Scaligero. *Eg. balneas, haud multum lactis & panis ſumebat, & oua, deinde mulſum.*

24. *Luctaminibus mollioribus.*] Græci κούφους ἀγῶνας nominant.

25. *Caldariis, vel nunquam vel rarò.*] cauſſam diximus ſupra ad Caſſium Gallicani.

36. *Vt ab epiſtolis, & libellis, & à memoria.*] οἱ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ, καὶ τῶν δεήσεων καὶ τῆς μνήμης προεστῶτες.

ib. *Per valetudinem.*] Regius, *præ valetudine.* & pro, *ſcrinium gerebant.* alij, *regebant.* magiſtri ſunt ſcriniorum,

Pag. 187. verſ. 4. *Neque vnquam ſolum quenquam, niſi præfectum ſuum vidit.*] ſolum enim à principe admitti nimis fuit in aliis præter prætorio præf. inuidioſum, vt docet Similis hiſtoria quam refert Xiphilinus in Hadriano. Sed cur ſolum neminem videret Alexander cauſſam

affert magnam paullo post Lamprid.

6. *Ex assessore semper suo.*] id est, quò semper ante vsus assessore, postea eum fecit præf. præt. abest à scriptis τὸ *semper*.

12. *Iniuriam nulli vnquam amicorum comitumue f.*] appellat iniuriam nouè, cum statione sua deiicitur aliquis, siue caussa subsit, siue non. ita enim ἀδικῶς heic accipiendum. probant sequentia.

13. *Nec magistris quidem aut principibus officiorum.*] parum aut nihil inter magistros & principes officiorum fuit discriminis. plura ad Marcum.

24. *Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit.*] de coronario satis alibi, & supra ad Hadrianum: negotiatorium verò aurum esse videtur, qui aurarius canon & auraria pensitatio siue præstatio in Constitutionibus Imperatorum dicitur. Sed onera negotiatoribus imposita non vnius generis fuerunt. nam præter aurariam functionem, fuêre & aliæ exactiones sub diuersis titulis diuersis temporibus inuentæ: cuiusmodi sunt in Codice, præstatio monopolij, & siliquatici, & si quæ sunt hoc genus aliæ.

26. *Sed ex consularibus viris.*] Reg. *ex consularibus*, omissa voce *viris*. primæ editiones hic corruptissimæ. confer cum altero loco Lampridij eiusdem in Heliogabalo.

28. *Corpora omnium constituit, vinariorum.*] Corporis vinariorum meminit inscriptio vetus Romana, cuius initium est hoc.

C. SEN::::O. REGVLIANO. EQ. R. DIFFVS.
OLEARIO. EX. BAETICA. CVRATORI. EIVSDEM.
CORPORIS. NEGOT. VINARIO. LVGDVN.

29. *Lupinariorum.*] etiámne lupinariorum corpus? qui non possunt alij esse quàm negotiatores lupinorum. sed quis veterum lupinariæ negotiationis facit mentionem? Videamus igitur, ne scribendum sit *popinariorum*. meminit eorum & paullo post Lampridius.

32. *Scenicis nunquam aurum nunquam argentum, vix pecuniam donauit.*] Paullo post: *Spectacula frequentauit cum summa donandi parsimonia*. Etiam hæc res specimen habuit morum: quare solent diligenter vitarum scriptores hoc notare. nam dissoluti principes & voluptuarij in hoc genere sumtuum damnosissimi fuerunt, vt de Vero, Commodo, Alagabalo, Carino, aliis est videre. sobrij contra, præmia scenicorum carpserunt, & contraxerunt alius aliter, vt Pius, Marcus, alij. popularitatis potius quàm luxus fuit, quod scribit de Augusto Suetonius, cap. XLV. & de Vespasiano cap. XIX. dabantur autem scenicis pręter certā mercedem lege definitam, aut pacto conuento, & alia præmia: puta coronæ, quas Cicero & alij corollaria appellare solent, propter vilitatem antiquarum coronarum scenicarum. sed postea etiam ex auro & argento coronæ histrionibus datæ, auctore eius moris Crasso Diuite, vt scribit Plinius libro

libro XXI. capite III. has coronas auctor hic intelligit, aurum & argentum vocans, atque à pecunia separans.

34. *Pretiosas vestes.*] Lege Vopiscum in Carino.

35. *Milites quos ostensionales vocant.*] qui ad obsequium principis diebus festis, & solennibus processionibus, vt vocabant, soliti conuenire: cuiusmodi sunt comitatenses, cohortalini, & Palatinæ militiæ pars maxima. *ostensionales* οἱ πρὸς ἐπίδειξιν ἐσκευασμένοι, καὶ παράστασιν τοῦ βασιλέως. Sed ex Lampridij verbis colligas, vulgo vsitatissimam eo seculo hanc vocem fuisse: quam tamen in æqualibus eius scriptoribus legere non memini.

36. *Clarisque vestibus.*] λαμπρεχεῖς ἐσθῆσι. aut fortasse αἰθηρεχεῖς, quod videtur huic loco esse conuenientius.

ib. *Nec multum insignibus aut ad app.*] Titubat hæc oratio, nec iuuant scripti. Distingo, suppleo, & lego: *non pretiosis, sed speciosis clarisque vestibus ornabat, nec multum insignibus. nec multum in earum vestes, aut ad apparatum regium auri & serici deputabat.* geminatas voces etiam heic omiserunt librarij. *vestes insignes* sunt quæ & Græcis ἐπίσημοι. Diogenes Laertius de Aristotele, ἐσθῆτι ἐπισήμῳ χρώμενος. significat Lampridius, non solum ministros alios Alexandri, seruos & libertos, de quorum vestibus supra & paullo post ab eo dictum: sed ne istos quidem ad pompam & scenam καὶ βασιλικὴν φαντασίαν comparatos milites, multum diuersa veste vsos, ab habitu communi militum.

38. *Chlamydes hirtas Seueri.*] non prætermittit Spartianus in eius vita.

Pag. 188. vers. 1. *Et tunicas asemas.*] sine clauo: σημεῖον, clauus vestis: σημειωταὶ, vestes clauatæ. dixerunt & σημάδια. apud Photium tmemate CCXLII. tunica laticlauia dicitur Græcè, χιτὼν πορφυροῖς πλατέσι σημαδίοις κεκοσμημένος. quidam *clauum* ἧλον verterunt: vnde Sosipatro clauus siue clauata vestis, dicitur ἐμπόρφυρος ἢ ἔνηλος. Egnatio nugarum desinere per nos licet.

ib. *Ex purpura non magna.*] Scriptam lectionem, *& purpureas non magnas.* refellit superior in Seuero locus: nam ibi dixit Spartianus pro istis, *vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet.*

2. *In conuiuio aurum nesciit.*] potorium puta vel escarium: vt in antiqua inscriptione: GAMVS. AVG. L. PRAEP. AVRI. ESCARI. FECIT.

3. *Ducentarum librarum argenti pondus ministerium eius nunquam transiit.*] Hoc quis sine admiratione summa legat? nam per antiquissimas Romanorum leges, quæ conuiuiis modum ponebant, centum tamē argenti libras conuiuio licuit inferre. erat enim legis Fanniæ quæ circa annum V.IↃXCI. lata est, caput vnum, quo id ita diserte cautum. quantū autem post illam legem ad Alexandrū vsque, (id spatium est, annorum circiter CCCLXXX.) luxus Quiritium auxerit, periti historiæ non igno-

rant. Adde quod lex Fannia, non Imperatori posita, sed proceribus veteris Reip. *Ministerij* appellatione intelliguntur omnia argentea vasa sternendo triclinio necessaria. Vlpianus lege tertia §. xiv. Dig. Commodati vel contra: *Si de me petisses, vt triclinium tibi sternerem, & argentum ad ministerium præberem.* Glossæ, *Abacus delfica,* Μλωιστειον.

5. *Nanos & nanas, & moriones.*] Bene hæc superioribus connectuntur: nam lautiorum mensis nani, nanæ, scurræ, cinædi & moriones semper inerrabant. non ita Augustus, vt narrat Tranquill.

6. *Et vocales exoletos.*] Melius, *& vocales & exoletos.* qui phonasco dant operam, & vocem erudiunt ad mollitiem vocales dicuntur. Sidonius Apollinaris in simillimo huic loco de Theodorico rege Gottorum: *illic non organa hydraulica sonant, nec sub phonasco vocalium concentus, meditatum acroama simul intonat.*

7. *Singulis ciuitatibus putauit alendos singulos.*] Scrib. *deputauit.* & ita inueni in regio.

11. *Eosdem liceret occidi sine auctoritate iudicij.*] Scribo, *iudicis.* fit autem huius conditionis nominatim mentio: quia seruos à dominis occidi lege Hadriani pridem fuerat vetitum: de quo in eius vita.

12. *Quarum infinitum numerum depreh.*] Reg. *numerum magnum.* est glossema. sed amat Lampridius ita loqui. quare superius cum dicit, *leges de iure fisci moderatas & infinitas sanxit.* nescio an sequendi viri magni qui emendant *finitas.*

13. *Exoletis omnibus deportatis.*] de aulicis exoletis cape: nam in vniuersum de omnibus falsum. vt & antè dictum.

14. *Aliquibus etiam naufragio mersis.*] vt fuit mos in talibus: quod ad Suetonij Caligulam notare meminimus.

21. *Latinos autem poetas lectitabat.*] Fortean melius, *Lat. tamen p.* Latinis literis parum omnino delectabatur; sed poetas tamen Romanos lectitabat: oratores minus: ideo superius dicebat: *nec valde amauit Latinam facundiam.* hic sensus huius lectionis: sed non prætermittam lectionem quam inuenit olim in suis libris Robertus à Porta Bon. quæ hæc est: *Habebat cum priuatim cõuiuaretur, & librum in mensa, & legebat: sed Græca magis: Latinos autem poetas lectitabat in publico conuiuio: vbi ea simpl.* &c. dederit hoc Alexander honori ciuium Rom. conuiuarum suorum.

22. *Quod numerus accubantium crescebat, & multitudo conuiuarum.*] Otiosa verba sunt *& multitudo conuiuarum.* quid enim hoc, nisi *numerus accubantium?*

24. *Dicens se in theatro & Circo manducare.*] Hoc voluit qui primus dixit, *Septem conuiuium: nouem conuitium.* nam *conuitium* est φωνασκία, & vociferatio multorum simul & inconditè clamantium. Archestratus poeta conuiuia plurium quàm quinque conuiuarum, comparabat contuberniis μισθοφόρων ἁρπαξιβίων.

26. *Ab exemplo Nigri Pescennij.*] historiã respicit Aelio Spart. narratã.

27. Aut

27. *Aut facta veterum quos ante retuli.*] poteſt referri ad illa præcedentia verba. *Statuas ſummorum virorum in foro Traiani collocauit.* vel ad illa, *Vitas principum bonorum verſibus ſcripſit.* Sed placet regia lectio, quæ hunc locum ita concipit: *aut facta veterum quæ libenter audiuit.*

33. *Vel apud præfectos vrbis egerant.*] Scrib. *agerent.* aut *agebant.* nam ſcripti, *gerebant.*

34. *Agoni præſedit.*] fuit agonotheta ludorum Græcanicorum.

35. *Solus nunquam aliquos videbat.*] excipe præfectos præt. præſertim verò Vlpianum, vt antè dictum, & repetitur extremo libro. Pro *aliquos* iubent ſcribi homines eruditiſſimi, *aulicos*, vel *amicos*. in regio eſt S. *aliquos non vid.* nihil muto: ſic in fine libri, *In palatio neminem vidit.* & ſupra, *neque vnquam ſolum quenquam vidit.*

Pag. 189. verſ. 15. *Turinuſque ab illo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepiſſet.*] Vide an illa ſatis γνήσια. *fumi venditor*: nam ex ora libri videntur eſſe profecta.

21. *Præcone dicente.*] Infra, *per præconem cum aliquem emendaret, dici iubebat,* QVOD. ſimilia apud Iuriſconſultos & alios ſuperdicta.

ib. *Fumo punitur qui vendidit fumum.*] Reg. F. *pereat.* ſic & in iure incendio conſumitur, qui incendium fecit.

28. *Quaſi ſeruos noſtros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios.*] hæc tria nomina tribus modo poſitis reſpondent: ſed ordo eſt inuerſus. venatores, id eſt domeſticos θηρευτάς, refer ad venatores amphitheatralium venationum: muliones ad aurigas circenſes: ad ſcenicos autem voluptarios, cuiuiuſmodi ſunt, nani, moriones, vocales, exoleti, & omnia acroamata.

30. *Ita tamen vt pura mantilia mitterentur: ſæpius cocco clauata: aurata vero nunquam.*] Mantilia mittere, non aliud quàm ſternere. Pollio in Gallienis, *mantilibus aureis ſemper ſtrauit.* in Petroniano conuiuio dicitur Trimalcio *circa oneratas veſte ceruices laticlauiam miſiſſe mappam.* quod loquendi genus è tricliniis in circos eſt tranſlatum. Pura autem mantilia ſic dicuntur, vt toga pura, id eſt, ἀπόρφυρος: ſic & vexilla pura. Puris opponuntur clauata. Claui non tunicis ſolum adſuebantur: ſed & ſupellectili, præſertim tricliniari. Linteorum purorum & clauatorum poſtea meminit in hoc libro Lampridius. Ammianus quoque libro XVI. linteorum toralium, duos clauos habentium latiſſimos: mappæ laticlauiæ Petronius. mantilium clauatorum heic Lampridius. facitque duo genera cocco vel auro clauatorum. fiebant enim claui, qui acceſſionis loco veſtibus cedebant, vt ſcribit Vlpianus, è cocco vel purpura, vel auro. Hieronymus in Eſaiam libro primo, *tunicam μεσοπόρφυρον, id eſt clauatam purpuram.* Scribe, *purpurâ.* ſic enim loquebantur.

35. *Panis ſequentis.*] ſecundarij, vel ſecundi.

Pag. 190. verſ. 1. *Senili prorſus maturitate.*] quia ſenes ſunt, vt plurimum, præparci.

ib. *Erant decreta & carnis diuersæ p.*] Probè sine dubio: *decreta* id est constituta in sumtum quotidianum. Regius tamen aliter, vbi est, *Erant & coctæ carnis d.*

2. *Erant & gallinæ oua.*] Legebam, *gallinæ & oua.* sed locum aliter constituit regius, qui habet: *erant & gallinacij duo: adhibebatur & anser, & oua, diebus festis.*

4. *Hilariis matris deûm.*] Hilarem diem, siue hilaria, appellarunt omnem siue priuata, siue publica festiuitate solennem diem. Maximus in scholiis ad epistolam octauam Dionysij qui hierarchiam descripsit: ἦσαν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρίας ἐκάλουν· καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἴδιαι καὶ ἱλάριοι, ὡς ὅταν τις ἔγημεν, ἢ υἱὸν ἐκτήσατο· αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ΙΛΑΡΙΑ ἐκαλοῦντο. ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος τὰς δημοσίας ἱλαρείας παρεῖχε· καὶ ὑπὸ πένθημα ἐν ταύταις φορεῖν ἔξεστιν· ἀλλὰ καὶ θέαι, καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν, καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς ὡρισμένας ἡμέρας τῆς τοιαύτης ἱλαρίας. Erant & peculiariter dicta HILARIA, vel potius HILARIA MATRIS DEVM, octauo Kal. Aprilis celebrari solita, vt docet Macrobius, quem lege. Græci à quibus Romani habent, hunc diem vocabant ΑΝΑΒΑΣΙΝ. at præcedentem nominabant ΚΑΤΑΒΑΣΙΝ. erat enim planctus dies & lamentationis. Latini hanc quoque appellationem mutarunt, & dixerunt SANGVINIS DIEM. Trebellius in Claudio: *cum esset nunciatum nono Kal. Aprileis ipso in sacrario Matris*, SANGVINIS DIE *Claudium Imper. factum, neque cogi senatus sacrorum caussa posset.* Postea verò & Græci Anabaseos diem cum Romanis appellarunt Hilaria matris deûm. Photius in Excerptis ex Isidori vita: Λέγει ὁ συγγραφεὺς ὅτι τῇ Ἱεραπόλει ἐγκαθευδήσας, ἐδόκουν ὄναρ ὁ Ἄττης γενέσθαι, καί μοι ἐπιτελεῖσθαι παρὰ τῆς μητρὸς τῶν θεῶν τὴν τῶν ἱλαρίων καλουμένην ἑορτήν· ὅπερ ἐδήλου τὴν ἐξ ἅδου γεγονυῖαν ἡμῶν σωτηρίαν. Dionysius epistola ad Demophilum: ἔλεγε Κάρπος, is erat Cretensis episcopus, ὅτι λελύπηκεν αὐτόν ποτε τῶν ἀπίστων τις. ἡ λύπη δὲ ἦν, ὅτι τῆς ἐκκλησίας ἐκεῖνός τινα πρὸς τὸ ἄθεον ἀπεπλάνησεν, ἔτι τῶν ἱλαρίων ἡμερῶν αὐτῷ τελουμένων. Maximus scholiastes: ἦν δὲ καὶ ΙΛΑΡΙΑ ἑορτὴ ἰδικὴ Ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν αὐτῶν, μᾶλλον δὲ δαιμόνων, ὥς φησι Δημόφιλος ἐν τῷ Περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις θυσιῶν καὶ ἑορτῶν. videtur Maximo parũ constitisse γενικῶς ne an ἰδικῶς acciperet apud Dionysium vocem Ιλαρίων. eidem dubitationi locus quoties Romani scriptores Hilaria simpliciter nominant. vt Vopiscus initio Aureliani: *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus, & dici, impletis solennibus, vehiculo suo me præfectus vrbis accepit.* sed puto Hilaria matris deûm intelligi.

ib. *Et Iouis epulo.*] Lege Festum in *Epulonos.* meminerunt Liuius, Valerius, Maximus, alij.

7. *Venationem frequentem.*] Posterior Latinitas discrimen, quod per analogiam nullum erat, statuit tamen inter *venatum* & *venationem.* vt illud sit θήρα, hoc θήραμα. nam ita propriè hæc Græci. Sidonius in epistola ad Industrium libro IIII. *ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit:*

ita-

itaque occultè delicateque religiosus, venatu vtitur, nec vtitur venatione. sic alij. Græci quoque interdum τῆς θήρας φαγεῖν, pro θηράματος, vesci ferina.

10. *Milij sine pipere.*] Lego *amyli* cum Iosepho Scaligero. de hoc Græci multa, & rei rusticæ scriptores. in regio eius vocis loco lacuna est.

11. *Gargilius Martialis eius temporibus scriptor.*] Leg. *eius temporis*, vel *sui temporis.* vt in Pio, *Marullus sui temporis mimographus.* & supra non longè, *quantum scriptor suorum temporum dicit.* sic statim, *poeta temporum Alexandri.* Gargilium Martialem inter secundæ notæ historicos Vopiscus recenset in Probo. Nescio an hic sit Gargilius Martialis, qui de re hortensi libros ediderat, quorum Seruius in Virgilium, & Palladius meminerunt.

16. *Ad modum & rationem.*] πρὸς μέτρον καὶ σταθμόν.

15. *Vt secunda mensa illius sæpius poneretur.*] Lego, *illi iis sæpius pon.* vel, *ex iis.*

24. *Vt Martialis coci epigramma significat.*] Scribendum, *Coci.* quod Martiali cognomen tribuitur in plerisque antiquis librorum ipsius exemplaribus. & Iohannes Salisberiensis non vno loco. Martialis epigramma habes libro quinto.

32. *Pulchrum quod vides esse nostrum regem.*] Ineptissimè febriculosus hic poeta, posteriorem in *vides* corripit: cuius licentiæ simile exemplum in Pescennio Nigro. & statim in voce *putas* bis posita loco duarum breuium: nisi amphimacron pro dactylo pede putabant genus hoc versuum admittere. nec meliore iure in hendecasyllabo Sapphico siue Phalæcio spondæum posuit iste loco trochæi. qua tamen licentia & interpres versuum Alexandri vtitur.

37. *Græcis versibus in hanc sententiam.*]

Τοῦ κάλλους ὅτι τοῦ σέθεν μέδοντος
Μύθοις, πάγκακε, αἰτίαν προσάπτεις,
Κἂν δόξῃ σοι ἀληθὲς, οὐ μέλει μοι.
Βουλοίμην δέ σε ἐσθίειν λαγωούς·
Ὡς ψυχὴν κακίας καθάρειας, εἴης
Καλὸς, μηδὲ καλοῖς κακὸς φθονοίης.

Pag. 191. vers. 8. *Potandi vsque ad pocula instituerat.*] Volui editum, *vsque ad quinque pocula*: nam ita constanter omnes membranæ nostræ. ita igitur emendandum.

10. *In honorem Alexandri Magni.*] more Græcanico: qui honori deorum & regum ac principum pocula consecrabant, & bibebant.

ib. *Id autem breuius.*] breue pro paruum sæpe apud Latinos recentiores.

14. *Horrea in omnibus regionibus publica fecit.*] Erãt iã olim in Vrbe publica horrea, vt Sulpicia, & quas vocat Dio in Cõmodo ἀποθήκας τῶν τε Αἰγυπτίων καὶ τῶν Ἀρραβίων φορτίων: erãt & alia: sed in singulis Vrbis regionib⁹ certa

horrea instituit Alexander:fitque horum mentio in singularum regionum Vrbis descriptione à Sexto Aurelio Victore. præficiebantur his curatores: qui in antiquis inscriptionibus sæpe nominantur. Sed de horreis & horreariis vide in Pandectis: vbi eorum creberrima mentio.

20. *Tertiam partem auri præstarent.*] Nemo est quin videat, scribendum esse *aurei*, & præcedentia & sequentia probant manifestò, nec aliter scripti libri.

21. *Tuncque primum semisses aureorum formati sunt.*] tunc nempe cum institutum ab Alexandro, vt pro denis aureis perderentur semisses aurei. ita accipiendum: atque ex hoc loco possis colligere vectigalis non modum solùm lege fuisse definitum: sed etiam certum pecuniæ genus præstationi vectigalis destinatum. Hoc vult Hesychius cum scribit: Κίνσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον. vult enim *censum* appellari nummi genus aliquod, in capitationis tributo pendi solitum. Mathæus euangelista appellat τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου, capite XXII. Aureorum porrò *semisses* ἀκύρως quidem, sed seruata tamen analogia dicti sunt. at *tremißium* appellatio inepte ficta contra analogiam ad similitudinem nominis semissis. horum frequens vsus & apud auctores crebra mentio post Alexandrum Seuerum. sed videntur tremisses isti ab aliis *trientes* fuisse nominati. nam trientum aureorum meminit in Claudio Trebellius Pollio.

28. *Tremisses tantum solidosque formari.*] Non ergo formati semisses? atqui hoc paullo antè Lampridius dicebat. sed videntur desiisse formari semisses, posteaquam tremisses sunt facti. hoc nisi est, omnino scribendum hoc loco: & *semisses & tremisses tantum f.* Aureum integrum cuius erant partes semisses & tremisses, dixerunt SOLIDVM. in libris iuris solidus & aureus idem semper sunt.

ib. *Formas binarias.*] nummos binis aureis valentes, vocat formas binarias: ternarias, quæ ternis: & ita in cæteris. *Forma* statuariorum artis verbum est. vt apud Isidorum libro XVI. capite XVII. *In notitiam autem formarum metalla ita venerunt.*

30. *Et centenarias.*] Fuit tamen postea in vsu nummus quidam grandior, quem *centenionalem* appellarunt, siue *maiorinam pecuniam*. meminere huius Impp. in Codice Th. lege sexta, De falsa moneta: & lege prima, Si quis pecuniam conflauerit, &c. sed hic nummus ex ære & argento confiebat. Etsi autem centenariæ auri formæ sublatæ sunt: obtinuit tamen postea auri centenariorum appellatio. nam centenas auri libras centenarium vocarunt. atque horum centenariorum crebra mentio apud Græcos Latinosque scriptores recentiores.

32. *Atque ex eo his materiæ nomen inditum est.*] Suspecta nobis hæc omnia: &, nisi fallor, penitus inducenda.

34. *Dans decem vel amplius vna forma.*] Plane auctoris menti repugnat ista lectio. Sed non dubito quin locus totus ita sit concipiendus

ex

ex emendatione Iosephi Scaligeri : *cum diceret, plus largiendi hanc esse imperatori caussam, cum multos solidos minores dare poßit, dans decem vel amplius : quàm si vna forma triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur.*

Pag.192.vers.4. *Ferramentis rusticis.*] Membranæ, *ferramentis, rastris.*

ib. *In thesauris vestem nunquam nisi annum esse passus est.*] Præceptũ est τῆς οἰκονομικῆς, *vestis noua vestem veterem excludat.* de quo infra ad Vopisci Aurelianum.

10. *Si quæ aut possent, aut vellent, certe ad vendendum grauiß.*] Distingue sic: *si quæ aut possent, aut vellent, certe ad vendendum, grauißimus exactor fuit.* hoc ait : exegisse purpuram clarissimi luminis non ad vsum suum, sed vt matronis donaret si qua fuit quæ purpura vti vellet, aut pro cōditione loci sui, posset. vel si non daret, clarissimam tamē nihilominus exigebat ad vendendum. Solitus Alexander talia multa vendere. infra: *Gemmarum quod fuit vendidit.* iterum : *gemmas sibi oblatas vendidit.* & statim : *cum quidam legatus vniones duos vxori eius obtulisset, vendi eos iußit.* in Pij vita, *Species imperatorias superfluas vendidit.*

12. *Quæ vulgo Probiana dicitur.*] Scribe, *dicebatur.*

17. *Et eam quidem, quam de Iouis templo sumtam alij quoque accipiebant.*] Capitolinus in Gordianis: *Palmatam tunicam & togam pictam, primus Romanorum priuatus suam propriam habuit: cum antè imperatores etiam de Capitolio acciperent vel de palatio.* ideo dicta hæc toga, Capitolina palmata in epistola Taciti ad Probum.

18. *Aut prætores aut Coss.*] Sapiunt glossema. iudicent eruditi.

20. *Et quidem puri.*] non autem clauati, neque purpurâ, neque auro.

21. *Si lintei idcirco sunt.*] Scribe cum membranis, *linea.* loquitur autem de purpurâ clauatis.

22. *In linea autem aurum mitti.*] *Linea* scribas an lintea vt in regio nihil refert. ὀθόνια & omnem è lino vestem vocabant *lintea*, vel *linea*, siue *lineas.* Vopiscus in Carino: *quid lineas petitas Aegypto loquar?* loquitur de auroclauatis linteis : quæ iure damnat ob asperitatem & rigorem. vt valde miratus sim, cum legerem apud Anastasium in vita Benedicti tertij, *camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclauo* : sed hæ non ad vsum comparatæ, verum ad ornatum ædium sacrarum.

23. *Cum asperitati adderetur rigor.*] Non male regius & Puteani, *cum asperitas adderetur & rig.* Zeno Veronensis sermone II. de auaritia : *Ad ecclesiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onusta: vbique delicata, sub mollibus fortis. denique ipso cultus rigore in oratione non flecteris: non manus tendis.*

24. *Braccas albas habuit non coccineas vt prius solebant.*] Caue mutes. Docuimus ad Suetonium Romanos quoque braccas gestasse : non illos quidem veteres Ciceronis vel Augusti æquales : sed eos qui proximo seculo aut altero saltem vixerunt : qua de re tota plura alibi dispu-

tamus. Suidas: Περισκελῆ βρακία φημινάλια· περισκέλια ἃ ἐφόρουν οἱ Ῥωμαῖοι περὶ τὰ σκέλη· ἦσαν δὲ κροκοβαφῆ. ſed loquitur Suidas de braccis aliorum, quæ crocei coloris erant: imperatorum verò, vt heic auctor eſt Lampridius, coccineæ. ſed ex eius verbis colligere poſſimus, honeſtiorum braccas albas fuiſſe, vt & togam. Geſtabant braccas & Romani milites: Suidas alibi: Αὐξέντιος δὲ αὐτίκα τὸ περιηρτημένον ταῖς ἀναξυρίσιν αὐτοῦ μαχαίριον ἀφελόμενος, ἔτεμε τὸν βότρυν. ideo ſcribit Lampridius paullo antè, *Donauit & ocreas, & braccas & calceamenta inter veſtimenta militaria.* quam recte autem faſciæ & braccæ iunctim hic ponantur, ex iis quæ notamus ad Tranquilli ſecundum poteſt intelligi.

27. *Contentas eſſe debere vno reticulo.*] gemmato, videlicet. Capitolinus in Maximinis, *reticulum de praſinis vndecim.*

29. *Cyclade quæ ſex vncias auri plus non haberet.*] Cyclas veſtis muliebris auro texta, vt ſcribit Ambroſius in paſſione Agnetis. auctori Gloſſarum aliud eſt cyclas: ſed hæc alibi à nobis expenduntur. Erat autem certus vnciarum auri numerus, quot quæque veſtis aurea deberet habere. vide ad Claudium.

39. *Prorſus cenſuram ſuis temporibus, de propriis moribus geſſit.*] Plinius in Panegyrico, *Vita principis cenſura eſt, eaque perpetua.* Valeriano adclamatum eſt à ſenatu: *Valeriani vita cenſura eſt: ille de omnibus iudicet, qui eſt omnibus melior.* Aurelius Victor de Veſpaſiano: *quod vehementius eſt vitæ ſpecie vitiorum plura aboleuerat.* Ambroſius de Valentiniano Auguſto: *quis tam aliorum arbiter quàm ille ſuæ cenſor ætatis?*

36. *Omnes caſtrenſes miniſtri.*] Scribe, *omneſque c.* in lapide Romano dicuntur, A. SVPELL. CASTRENSI. ſed hic *caſtrenſes* idem ac Cæſariani, vel aulici: nam *caſtra* dixerunt principis comitatum, & *caſtrenſes* coronas, Cæſarianis datas. vide quæ notauimus ad Pium. nihil hic mutandum libris refragantibus.

37. *Sed annonas ſingulas vix binas.*] Scrib. *& annonas ſingulas, aut vix binas.*

Pag. 193. verſ. 2. *Argentum & miniſtros antè quando poſcebat, accipiebat ab amicis.*] Nullus ſenſus eſt huius lectionis. Nos autem legebamus, *& miniſtros etiam quando res poſcebat.* ſed membranæ omnes habent *paſcebat.* quare ita potius ſcribendum, *quando plureis paſcebat.* ſic vſus Spartianus verbo paſcere cum veteribus Latinis, vt dictum eſt ad vitam Hadriani.

3. *Quod hodieque fit, ſi præſtatur à præfectis abſente imperatore.*] Iterum heic conſentientes inuicem regius & Puteani eandem vocem reponunt. hoc enim modo ſcribunt: *ſi paſcatur præfectus abſ. imper.* ſed in veteri erat adnotata ad oram altera lectio, *à præfectis.* Malim ego, *ſi paſcantur præfecti abſ.* vt ſit hic ſenſus: ex illa conſuetudine Alexandri, manaſſe hunc morem qui adhuc temporibus Lampridij obtineret: vt cum abſente principe cœna imperatoria præfectis pararetur, eſcarium po-

potoriumque argentum Cæſariani mutuo ab amicis Cæſaris poſcerent, non autem ex imperatoris vaſario id ſumerent. Non deerant alia quæ nobis de huius loci ſententia in mentem venirent: ſed quod magis probaremus, aut potius, quod minus improbaremus, nihil erat.

7. *Aut aues paruulæ.*] Regius & Puteani, *glaepta par.* neſcio quid ſit: niſi cui placeat ſcribi, *aut obſeptæ auiculæ.* pro vndique ſeptæ.

14. *Qui eos ex ouis ac pullicenis ac pipionibus alerent.*] id eſt, ex ea pecunia quam cogebant vendentes oua & pullos ac pipiones palumborum. *Seruos vectigales* appellat eos qui hunc reditum curabant, & hoc priuatum quoddam vectigal domus regiæ exercebant.

16. *Balneari veſte ad Palatium reuertens.*] Scrib. *in bal. v.* virum ſobriũ prodire in publicum in veſte non forenſi, id eſt toga, turpe habebatur & indecorum: niſi tamen à conuiuio rediret aut balneis. vide ad Hadrianum Spartiani.

19. *Ingenuum currere niſi in ſacro certamine non debere.*] Plautus, *Seruile eſſe duco feſtinantem currere.* De curſoribus in quatuor Græcorum certaminibus ſacris, Pindarus, Pauſanias, aliique paſſim.

21. *Ita vt ſi quis deeſſet emeret.*] Sic membranæ: nec muto. etſi non diſpliceat *deceßiſſet.* quod eruditiſſimo atque amiciſſimo viro Nicolao Rigaltio videbatur.

22. *Medicus ſub eo vnus Palatinus ſalarium accepit.*] Quod paſſim in libris iuris ciuilis obſeruabis, ſalarij & honeſtius nomen eſt, & commodum maius quàm annonarum. Palatinorum archiatrorum definitum aliquem fuiſſe numerum non inuenio.

24. *Ita vt mundas ſingulas conſequeretur, alias alter.*] Liber Politiani pro *alter* ſcribit *aliter.* rectè: neque alia emendatione opus. *Mundas annonas* appellat quomodo lautam cœnam dixit Horat. *mundam.* ſic *mundus panis* qui opponitur ſordido & furfuraceo: & *mundũ victũ* vt Græci *καθάρειον*, quo vtuntur elegantiores. Cum igitur archiatris iſtis annonæ exhibebantur binæ aut ternæ, ſingulæ tamẽ erant ex illis *mundæ*, id eſt aptæ menſis lautioribus: cæteræ in vſum familiæ. Erat verò minimum quod iſtis præſtabatur. cum tamẽ vel mediocris nominis medici vberrimum quæſtum ex arte ſua olim facerent. quid dico medici? imò verò & tonſorum quiuis non poſtremiſſimus. Teſtis ille qui à Iuliano Cæſare interrogatus, *quid haberet ex arte compendij, Vicenas diurnas reſpondit annonas, totidemque pabula iumentorum, quæ vulgo dictitant capita, & annum ſtipendium graue, abſque fructuoſis petitionibus multis.* Ammianus libro XXII.

25. *Exemplo veterum, vt & Cicero docet.*] ille quidem multis locis: ſed reſpicit, opinor, Lampridius hæc verba Sirenis Romanæ è libro IV. in Verrem. *Videte maiorum diligentiam: neminem qui cum poteſtate aut legatione in prouinciam eſſet profectus, tam amentem fore putarunt, vt emeret argentum: dabatur enim de publico: vt veſtem: præbebatur enim legibus: mancipium*

putauerunt,quo & omnes vtimur,& non præbetur à populo sanxerunt ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum. Vasarij verò meminit idem in L.Pisonem. Augustus veterem morem mutauit. Sueton.capite XXXVI. vbi olim plura.

28. *Mulos binos, equos binos.*] Olim ista præbendorum mancipes exhibebant, sed liberalius.

29. *Cocos singulos.*] Supple ex Puteaneis: *cocos, muliones singulos.* & & firmant quæ subiiciuntur.

31. *Reddituri deposita administratione.*] In epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriæ: Claudio dabis *loricam vnam quam refundat.* & ita sæpius.

34. *Præter condemnationem.*] Distingue, *in quadruplum reddituri si male: præter condemnationem aut peculatus aut repetundarum.*

35. *Carrucas Romæ & rhedas senatoribus omnibus vt argentatas haberent, permisit.*] postea & aliis quàm senatoribus permissum. Vopiscus in Aureliano: *Dedit præterea potestatem, vt argentatas priuati carrucas haberent: cum antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Sed & iam olim argentatæ atque auratæ carrucæ in aliquo erant vsu. Martialis in Quinctum libro tertio: *Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Plinius libro XXXIIII. cap. XI. *At nos carrucas ex argento cælare inuenimus.* & pluribus idem libro XXXIV. cap. XVII. sed hæc alibi accuratè.

Pag.194.vers.3. *Et nundina vetera ex ordine instituit, vel dies vel tempora.*] Iam monuimus esse illa inducenda, *vel dies vel tempora.* Pro *vetera*, potest etiam scribi *veteri.*

6. *Aerarios verò instituit qui de ære fisci ederent munera.*] Scribendum, *arcarios* & *de arca f.* ita omnes veteres. & eam lectionem viri docti pridem exposuerunt.

10. *Capitolium septimo die cum in Vrbe esset, ascendit.*] in Larario suo rem diuinam quotidie fere mane faciebat: in aliis Romæ templis sæpissime: in Capitolio septimo quoque die. ibi Iouem Capitolinum & Imperatorem, Romani, præsertim magistratus præcipuè colebant.

12. *Quod & Hadrianus cogitasse fertur.*] de Tiberio narrant hoc Tertullianus & alij patres Græci ac Latini: de Hadriano verò nemo illorum, si satis memini, simile quicquam. Et mirum profectò tam nobilem historiam, tot fidei Christianæ propugnatores acerrimos, viros vndecunque doctissimos, & quorum intererat hoc scire, potuisse fugere. Sed videtur hæc de Hadriano suspicio multo post eius seculum hominum mentes insedisse: cum neque Iustinus Martyr, neque Athenagoras, neque Tertullianus, neque Cyprianus, aut omnino quisquam ex illa veterum patrum manu, vel tenuissimam eius rei suspicionem fando vnquam accepissent. Vnde autem vulgo multi seculo Lampridij hanc de Hadriano concepissent opinionem, declarat auctor cum sub-

ſubiicit: *qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur.* En fontem & originem huius opinionis. Iuſſerat Hadrianus, tēpla fieri in omnibus ciuitatibus, ſuo nomini, ſine dubio, conſecrāda: quod & Spart. in vita illius teſtatur. ſed mortuo Hadriano prius quàm hæc tēpla abſoluerentur, manſere pleraq; illorū imperfecta, nequevnquā dedicata ſunt. exemplo eſſe poteſt illud quod Tiberiade magnifice inchoatum, mox relictum eſt necdum abſolutum, tandemque in vſum balnearum à ciuibus deſtinatum. Epiphanius contra Ebionæos: ναὸς μέγιστος ἐν τῇ πόλει Τιβεριάδι προϋπῆρχε· τάχα, οἶμαι, Ἀδριάνειον τοῦτο ἐκάλουν· ἀτελὲς δὲ τοῦτο τὸ Ἀδριάνειον διαμένον, οἱ πολῖται εἰς δημόσιον λυτρὸν ἐπειρῶντο ἐπισκευάσαι. Talia ædificia in pleriſque ciuitatibus adhuc Lampridij ætate extabant, inchoata ſolùm, non perfecta, non dedicata: ac proinde, vt ait ipſe, ſine numine & ſimulacro vllo. Eò factum, vt in animum inducerent multi, quibus aſſentitur heic Lampridius, non ſibi Hadrianum illa templa exſtruxiſſe, verùm CHRISTO. Erat quidem Lampridius Ἕλλην religione, & à pietatis Chriſtianæ ſacris, vt eius ſcripta oſtēdunt, alienus: ſed norat ille, quod ignorare tum poterat nemo, & Iudæos olim in Hieroſolymitana æde εἴδους καὶ ἀγάλματος χωρὶς, vt Strabo quoque, ac Dio ſcribunt, DEVM coluiſſe: & ſuis etiam temporibus Chriſtianorum templa eiuſmodi eſſe, qualia adhuc memoria ſua beatiſſimus Auguſtinus cum alibi prodit fuiſſe: tum etiam in pſalmi CIII. enarratione, ſane luculenter. nam cum multa de gentium ſimulacris aureis dixiſſet, *Sed enim, inquit, & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex huiuſmodi materia, vel metallo habemus in vſum celebrandorum ſacramentorum: quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur, in eius honore, cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur. Et ſunt profectò etiam iſta inſtrumenta vel vaſa, quid aliud quam opera manuum hominum? Verumtamen nunquid os habent, & non loquentur? nunquid oculos habent, & non videbunt? nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo? Illa cauſſa eſt maxima impietatis inſanæ, quod plus valet in affectibus miſerorum ſimilis viuenti forma, quàm quod eam manifeſtū eſt non eſſe viuentem, vt debeat à viuente contemni. Plus enim valent ſimulacra ad curuandum infelicem animam, quòd os habent, oculos habēt, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent: quàm ad corrigendum quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt.*

13. *Sine ſimulacris iuſſerat fieri.*] quia videlicet, cogitabat ipſe Hadrianus poſtquam abſoluta eſſent templa quæ fieri imperauerat, ſimulacra eò mittere, aut præſens ipſe conſecrare eo habitu, quo vellet vbique pro loci natura coli. Lege initium Peripli Euxini, quem ad Hadrianum miſit Arrianus. potes ex ea hiſtoria quam deſcribit ibi Arrianus cauſſam verā coniicere, cur iuſſerit Hadrianus templa nomini ſuo cōſecranda ſine ſimulacris fieri. Sed Lampridius aliam cauſſam huius edicti fuiſſe ſibi perſuaſit.

17. *Omnes Christianos futuros si id optatò euenisset.*] Regius, *si fecissent.* Puteani, *si id fecisset.* puto mutatam lectionem vulgatam ab iis qui eam non assequerentur. Et est sane locutio noua, *si id optato euenisset*, id est, vt nos interpretamur, si pro votis multorum, liceat cuique optanti, fieri Christianum. Satis constat iam Hadriani temporibus euigilasse plerorumque hominum mentes, & vanitatem deorum suorum agnouisse: verùm illos vis metus continebat. norant probe hoc consilij istius auctores: si tamen vere hoc aliquando factum.

21. *Sed sine cuiusquam excidio.*] ita auro cogendo operam dabat, vt neminis tamen fortunas per calumniam appeteret. miram dictionem vsurpauit, *excidio.* sed ita locutus Lampridius, quia sciebat, optimum principem dum auaræ matris voluntati obtemperat, integritaté suam nonnihil maculasse. Herodianus, ὃ διέβαλεν ἔσθ᾽ ὅτε τοῦτο τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ ἄκοντός τι καὶ ἀσχάλλοντος οὐσίας τινῶν καὶ κληρονομίας ἐξ ἐπηρείας ὑφαρπασάσης ἐκείνης. vide in extrema vita.

23. *Genus eius à Metellis descendere.*] vel Marcellis fortasse, vt diximus libri huius initio.

29. *Leges in annos firmauit.*] annarias leges, pridem exoletas Romæ.

32. *Quæ post terræ motus deformes erant.*] Sic Suetonius in Vespasiano, *Deformis vrbs veteribus incendiis ac ruinis erat.* Plinius libro decimo, *Placuit locus, in quo fuit aliquando domus, vt audio, pulchra: nunc deformis ruinis.* & ita alij multi.

35. *Auri ne guttulam quidem.*] Nihil mutandum: sed non possum dissimulare quod inueni in regio, *ne reticulam quidem.*

Pag. 195. vers. 7. *Deinde statiuæ.*] Ita omnes libri, non *statiua.*

10. *Et omnes ambulabant ita ne disp.*] Scrib. *& o. ambulabant taciti, ne disp.*

19. *Vel procuratores, id est rationales.*] siue ab auctore, siue ab alio sint illa adiecta *id est rationalis*, interpretamentum est vocis procurator. Nam quos vocabant primi procuratores principum, eos sequens ætas rationales dixit. Commodus in epistola ad Albinum: *super hoc ad procuratores meos literas misi, quas ipse signatas accipies signo Amazoniæ, & cum opus fuerit rationalibus dabis.* pro eodem ponit procurator & rationalis. Capitolinus in Gordiano, *quidam rationalis sibi vltra procurationem omnia vindicans.* quod dixit Spartianus, *procuratores latius euagantes.*

23. *Cum id Christiani & Iudæi facerent, in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt.*] Plena sunt B. Cypriani scripta testimoniis huius moris. vt cum epistola XXXIIII. scribit: *In ordinationibus clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Sed ex plurimis Cypriani locis qui huc faciunt, vnum afferemus, ex quo potest intelligi & *prædicari sacerdotes* quid sit, & quam bene Christianis Iudæi in obseruatione huius moris ab Alexandro coniungantur. Sic igitur ille, postquam retulit quomodo Eleazarus

Aaro

Aaronis filius ſacerdos fuiſſet creatus: *Coram omni ſynagoga*, inquit, *iubet Deus conſtitui ſacerdotem: id eſt inſtruit & oſtendit ordinationes ſacerdotales, nonniſi ſub populi aßiſtentis conſcientia fieri oportere: vt plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita* PRÆDICENTVR: *& ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata.*

16. *Aſſeſſoribus ſalaria inſtituit.*] non tum primum hoc factum: Spartianus in Peſcennio: *Addidit conſiliariis ſalaria, ne eos grauarent quibus aſſidebant.* manſiſſe autem Peſcennij exemplum probant leges quarta & ſexta Dig. De officio aſſeſſorum: quæ quidem leges Papiniani ſunt: quare non primus Alexander, vt videtur exiſtimaſſe Lampridius, ſalaria adſeſſoribus inſtituit.

32. *Cogitabat ſecum & deſcriptum habebat, quid cui præſtitiſſet.*] Rationarium imperij ab Auguſto ſapientiſſimo & maximo principũ fuerat inſtitutũ: cuius pars fuit is qui dicebatur Liber beneficiorum. in eo deſcriptum erat accuratiſſima diligentia, qui agri quibus colonis eſſent diuiſi, & quæ ſubſeciua agrorum ſupereſſent, quæ diuidi aliis poſſent. Hygenus De limitibus conſtituendis: *Libros æris & typum totius perticæ linteis deſcriptum, ſecundum ſuas terminationes adſcriptis affinibus tabulario Cæſaris inferemus: & ſi qua beneficio conceſſa aut aßignata coloniæ fuerint, ſiue in proximo, ſiue inter alias ciuitates, in* LIBRO BENEFICIORVM *adſcribemus.* Sed de agris ſolum Hygenus loquitur: Alexander vero vt indicat Lampridius, non agros tantùm, verum & alia quæ largiri principes ſolent, habuit deſcripta. Alius fuit Reipublicæ temporibus liber ille beneficiorum in quem rectores prouinciarum ſimul ac Romam redierant, tribunos militum, centuriones, contubernaleſque ſuos, & quoſcunq; in prouinciis promouiſſent, deferebant: quod dici ſolitum ad ærarium in beneficiis deferre. meminit M. Tullius multis locis.

Pag. 196. verſ. 2. *Dabat præpoſituras locorum ciuilium non militiæ.*] Melius, *militarium.* vt repetatur, vox *locorum. Locus* & *præpoſitura* parum differunt. Capitolinus in Maximinis, *locos militiæ* appellat, quas heic Lampridius *militares præpoſituras.* ſic in Heliogabalo: *militaribus præpoſituris & tribunatibus & legationibus & ducatibus venditis.*

5. *Eoſque ſi boni eſſent oderat.*] Scribe, *eoſque vel ſi boni eſſ.*

6. *Malum neceſſarium vocans.*] alluſum ad vetus dictum, χακὸν κακὸν ἀναγκαῖον.

9. *Nec portarent cibaria decem & ſeptem, vt ſolent, dierum.*] Bene *ſolent.* Ammianus qui puer vidiſſe potuit Lampridium, libro XVII. *Tutum ex annona decem & ſeptem dierum, quam in expeditionem pergens vehebat ceruicibus miles.* & M. Tullius inter *agminis onera ponit, ferre plus dimidiati menſis cibaria.* Sed modus oneris ex conditione locorum aut conſiliis ducum pendebat, non ex certa lege.

10. *Niſi in barbarico.*] in hoſtico, & πολεμία γῆ. ſic mox, *expeditio Barbarica.*

13. *Milites etiam vltimos.*] caligatos & manipulares munifices. De hoc more imperatorum ad Hadrianum plura.

15. *Patribusfamilias hominibus.*] Ridiculè. Scribendum, *humanioribus.* auctore Claudio Puteano, magni iudicij in literis viro.

30. *Equo sedere iußit.*] *sedere* pro ὀχεῖσθαι vt ad Hadrianum. Imp. Valentinianus Rufino: *excellentia tua ita his sedendorum equorum potestatem datam esse cognoscat.*

36. *Iusso imperatoris occisus est.*] non dicit cuius imperatoris iussu. est autem durum de Alexandro accipere: cuius imperium vere dictum ἀναίμακτον. quanquam inepte & sine caussa nocentis supplicio clementiæ principis inuri notam dixeris.

Pag. 197. vers. 3. *Qui omnem eius vitam.*] Non male scribas, *qui omnes.*

8. *Honores iuris gladij.*] vt sunt prouinciarum præsidatus. nam his adnexum ius gladij: interdum & legationibus, vt apud Capitolinum in Gordianis. Sed de istis adi ad iurisconsultos.

9. *Nunquam vendi passus est.*] Imperator Iustinianus Nouella octaua. ΑΡΓΥΡΟΛΟΓΕΙΝ ΤΑΣ ΑΡΧΑΣ, ΠΑΣΗΣ ΕΣΤΙ ΠΟΝΗΡΙΑΣ ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ ΤΕ ΚΑΙ ΠΕΡΑΣ.

12. *Pontificatus & quindecimuiratus & auguratus codicillares fecit,*] beneficij sui fecit, vt sacerdotia missis codicillis deferret pro arbitrio. & iudicio suo olim sacerdotia donabat populus: deinde senatus. idque ius sæpe variauit.

13. *Ita vt in senatu allegerentur.*] *senatum.*

14. *Dexippus dicit.*] Atheniensis dux strenuus idemque rhetor, & historiarũ scriptor: cuius ductu victos Gotthos cum vastarent Achaiã, & Athenas petissent, narrat Pollio in Gallienis. descripserat historiam suorum temporum: orsus ab Alexandro Seuero ad finem Claudij & initia Aureliani. dictus est Erennius Dexippus, auctore Suida. eius sæpe meminit Georgius Monachus. Vidimus olim Excerpta quædam ex illius historiis in altero tomo Πρεσβειῶν, quem à Fuluio Vrsino non editum, edit nunc Augustæ Vindelicorum Dauid Hœschelius, vir optimus, & bono Reip. natus.

15. *Verum cum vellet per insidias occidere Alexandrum M.*] Tu verò lege Herodianum: qui inuidia huius facti atrocissimi Mammæam onerat.

17. *Et vxorem abiectam.*] in Africam relegatam.

18. *Idem dicit fuisse patruum.*] Scimus hoc falsum: sed vellem extarent Græca Dexippi verba: nam fortasse illa quasi præteriens aut aliud agens legit Lampridius.

19. *Non vxoris sororis eiusdem filium.*] Emendauimus initio huius libri.

24. *Iniit Parthicam expeditionem.*] anno imperij XIV. inquit Herodianus

dianus: cum annos XIII. rexisset imperium in alta quiete. sed error est in numeris: aut nimis hallucinatur Herodianus. incidit autem expeditio hæc Parthica, vel potius Persica, vt infra dicetur, in annum XII. & XIII. mirus hic error in Eusebij Chronico.

25. *Vt non milites sed senatores transire viderentur.*] Coniunge his quæ paullo post sequuntur de eorum pœnis qui de via in alicuius possessionem deflexissent. qua de re multa in libris iuris ciuilis leguntur. extatque Iustiniani integra Nouella περὶ παρόδου στρατιωτῶν, CXXX.

37. *Fecerat denique sibi argyroaspidas & chrysoaspidas.*] imitatione Alexandri. Athenæus, & qui res illius descripserunt. notat & Iulius Pollux, χρυσάσπιδας & ἀργυράσπιδας Macedonica esse nomina vel τάγματα.

Pag. 198. vers. 1. *Fecerat & Phalangem.*] & hoc imitatione Alexandri. præter Græcos Suetonius libro VI. capite XIX. & supra in Caracallo.

2. *Cum quibus multum fecit in Perside.*] Eruditissimus vir Petrus Faber *multum fecit* interpretabatur hoc loco, multum temporis consumsit. nam apud Iurisconsultos τὸ *facere*, pro morari & habitare sæpe accipitur. & ita Græcos quoque recentiores ποιεῖν χρόνον, pro διατελεῖν ἐνιαυτὸν sæpe dicere, olim monebamus. Sed aliter heic τὸ *facere* accipiendum. sicut paullo post: *cum Alexander sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret.* Plinius epist. XIX. libri quinti: *ars eius & quasi inscriptio comœdus, in qua plurimum facit.* sic accipiendum libro VI. ep. XVII. *equidem omnes qui aliquid in studiis faciunt, venerari etiam mirarique soleo.*

13. *Quem sæpe à militum ira obiectu purpuræ summæ defendit.*] Sic apud Suetonium libro primo, capite XIV. *toga obiecta protegitur Cæsar.* apud Ammianum libro XXI. Iulianus Nebridium militum gladiis appetitũ, paludamento protegit. apud Dionem Caracallus Cilonem χλαμύδι περιβαλών, id est, obiectu paludamenti simili periculo eximit. *Purpura summa* heic dicitur, quæ in summa siue extrema veste fuit prætexta. vel pro lacinia togæ extrema accipitur. Sæpe autem Vlpianum ab ira militum obiectu purpuræ imperatoriæ fuisse defensum scribens Lampridius, obiter significat defendi tandem eum non potuisse. quod confirmat Dio: nocturnis prætorianorum insidiis appetitum narrans, & tandem occisum: cum nihil ei neque Alexander neque Mammæa ad quos confugerat profuissent. Georgius Monachus incoram imperatore occisum scribit, cum licentiæ militari fortius resisteret. sed Heliogabalum perperam nominat pro Alexandro. ἐπὶ τούτου Ἡλιογάβαλος, ait, Οὐλπιανοῦ τοῦ νομοθέτου τῇ γνώμῃ, σφόδρα τῆς στρατιωτικῆς ἀταξίας ἀντεχομένου· διὸ καὶ ἀνῃρέθη τοῦ βασιλέως ὁρῶντος. Sed admissi sceleris subiit mox prætorianorum animos pœnitentia simul & pudor: vt libenter in eos sæuirent, qui cædis huius memoriam frequentarent. Atque hanc arbitramur caussam esse cur de morte Vlpiani ita scribat Athenæus amicus illius & studiorum, vt puto, socius, libro XV. καὶ μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ὥσπερ αὐτὸς σιωπὴν καταμαντευσάμενος ἀπέθανεν εὐτυχῶς, οὐδένα καιρὸν νόσῳ παραδούς, πολλὰ δὲ λυπήσας ἡμᾶς τούς

ἑταίρους. videtur occiſum negare, ſed morte ſua obiiſſe, cum εὐτυχῶς fato functum ſcribit: ſed cædem innuit cum ſubiicit, ſine morbo eſſe mortuum: quod tamen ita dicit, vt putet qui neſciat patratam cædem, in parte felicitatis ab illo hoc quoque poſitum.

18. *Apertus papilionibus.*] iterum infra in narratione cædis. ſic Hadrianus & alij.

23. *Aut condemnatio.*] multam pecuniariam *κυρίως condemnationem* vocat.

ib. *Aut ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis.*] Supra, *ſi eius dignitas grauiori ſubiacere non poſſet iniuriæ.*

24. *Clamabat ſæpius.*] Membranæ, *Inclamabat ſ.*

25. *Quod à quibuſdam ſiue Iudæis ſiue Chriſtianis audiuerat.*] Puto à Chriſtianis: quorum in ore ſcriptiſque frequens ſententia, ex Matthæi Euangelio capite ſeptimo, & Lucæ ſexto.

27. QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS.] Totidem verbis hoc præceptum cōcipi ſolet etiam in ſcriptis patrum: vt apud Auguſtinum De doctrina Chriſtiana libro tertio: & ſæpe alibi. Sed audiamus facundiſſimi doctoris Iohannis Chryſoſtomi obſeruationem eruditam. Ὅσα ἐὰν θέλητε ἵνα ποιήσωσιν ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. οὐδὲν φορτικὸν, οὐδὲν ἐπαχθὲς οὗτος ὁ νόμος ἔχει. Ἃ θέλεις πάσχειν ταῦτα ποίει, φησίν. ἴση ἡ ἀντίδοσις. καὶ οὐκ εἶπεν, Ἃ μὴ θέλετε πάσχειν μηδὲ ποιεῖτε· ἀλλὰ τὸ πλέον. ἐκεῖνο μὲν γὰρ ἀποχὴ κακῶν, τοῦτο δὲ ἐργασία καλῶν, κἀκεῖνο τούτῳ συμπεριείληπται. καὶ οὐκ εἶπε, ταῦτα καὶ ὑμεῖς θέλετε· ἀλλὰ, ποιεῖτε αὐτοῖς. locus eſt in homilia XVIII. in poſteriorem ad Corinthios.

29. *Vt & in palatio.*] Membranæ, *vt & in plateis.*

32. *Quod artifex carpentarius eſſet.*] Carpentum, vt ante diximus, pro vehiculo vſurpabant γενικῶς. & carpentarius tam is qui alia plauſtrorum aut vehiculorum genera conficit, quàm qui carpenta. Nam ridiculum ſit exiſtimare, carpentarios qui in legionibus merebant cum ſcindulariis, capſariis, aquilicibus & aliis hoc genus artificibus, enumeratis lege ſexta Dig. De iure immunitatis, occupatos fuiſſe in matronarum carpentis fabricandis. Sic etiam accipiendum in Codice multis locis, & alibi. atq; hac generaliore notione vocem carpentarius Gallicus idiotiſſimus retinuit.

34. *Ἀναίμακτον imperium eius, cum fuerit durus & tetr.*] Hoc iam ante dictum & refutatum: ſed leui argumento aut potius nullo. Erat hæc ſolennis gloriatio bonorum præſidum prouinciarum: quod fuiſſet eorum adminiſtratio ἀναίμακτος. Ambroſius epiſtola LVIII. *ſcio pleroſque gentilium gloriari ſolitos, quod incruentam de adminiſtratione prouinciali ſecurim reuexerint.* eſt & principum elogium, ſed optimi tātum cuiuſque, vt Pij, de quo Capitolinus, *ſolus omnium prope principum prorſus ſine ciuili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſeipſum pertinet, vixit.* Pij igitur vere ἀναίμακτον imperium: Alexandri autem alio ſenſu ſine ſanguine dictum:

nullo

reſpectu ſanguinis hoſtilis, qui multus per eum fuſus: neque ſceleratorum qui iuſtas dederunt pœnas: ſed tantum inſontium & bonorum: è quo numero per Alexandrum periit nemo. hoc voluit Herodianus, duobus locis, quæ antè attulimus. ſed Lampridius cum addit, *quod ſenatorem nullum occiderit, vt Herodianus Græcus ſcriptor refert.* legiſſe apud Herodianum videtur: *εἰς τεσσαρεσκαιδέκατον ἥκουσας τῆς βασιλείας ἔτος, ἀναιμωτὶ ἦρξεν. οὐδέ τις εἰπεῖν ἔχει ὑπ' ἐκείνου βουλευτὴν φονευθέντα.* hodie abeſt à noſtris codicibus vox *βουλευτὴν*: quam ne Herodianum quidem pro ſua puto fuiſſe agniturum.

Pag. 199. verſ. 1. *Ex militibus Quirites appellans.*] Suetonius in Iulio capite LXX. *Quirites eos pro militibus appellarat.* eadem Polyænus atque alij.

5. *Miles non timet niſi veſtitus.*] Lucanus libro II. *neſcit plebes ieiuna timere.*

8. *Apparitores denique nullos eſſe paſ.*] Scribe ſic hanc periodum. *Apparitores denique nullos eſſe paſſus eſt tribunis aut ducibus: neque eis niſi milites anteire voluit.*

20. *Commilitones, ſi tamen iſta vobis quæ à veſtris facta ſunt diſplicent.*] cum diffluentes luxu milites appellaſſet *commilitones*, vt ſoliti comes principes, addit *ἐπανόρθωσιν*: quaſi dicat, ſi tamen commilitones, aut omnino milites eſtis, eaque vobis diſplicent quæ à veſtris facta ſunt. nihil hic mutandum.

26. *Græcorum more etiam quidam ſe inſtituunt.*] Gallicanus in vita Caſſij.

28. *Qui in concione eſtis, vocem c.*] Lege ſic hanc periodum, inducto verbo *emittite*, quod in fine poſitum non agnoſcũt libri meliores: *Quin continetis vocem in bello contra hoſtem, non contra imperatorem veſtrum neceſſariam?* Sic ſtatim, *Continete igitur vocem truculentam.* ſed Alexander, etiam hic imitatus Ciceronem: quem pro Rabirio perduellionis reo orantem, cum interpellaſſet concionis clamor. ille ſeditioſos ciues increpans, *Quin continetis vocem, inquit, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis.* ita olim emendauit illuſtrauitque hunc locũ Claudius Puteanus, ingenio, iudicio, eruditione, atque omnibus animi dotibus inſtructiſſimus.

30. *Certè campiductores veſtri hanc vos docuerunt contra Sarmatas.*] Puteani codex, *Campi certe doctores veſtri.* campiductores ſiue campidoctores, *ὁπλοδιδάσκαλοι* ſunt, qui tironem vera arma docent tractare. ab his diſcebant milites & certas voces, ac formulas artis militaris: quales referunt multas & quidem pleraſque Latinas Leo imperator & alij qui Tactica Græcè ſcripſerunt. vide Vegetium.

35. *Et incertum an Quirites.*] nam ignaui, vt qui non reſpondebant ad delectum, aut murci qui pollices ſibi præcidebãt vt fierent militiæ inhabiles, item *ῥιψάσπιδες*, aut qui ſimilia flagitia admittebant, grauiſſime puniebantur, atq; interdũ vænundabãtur, vt eſt apud Suet. in Octauio.

Pag.200.verſ.3. *Qui de vobis vindicet.*] Lege ex membranis, *qui me de vobis vindicent.*

6. *Omnes non ad caſtra ſed ad diuerſoria varia receſſerunt.*] Exauctoratis & miſſione ignominioſa miſſis, neque in Vrbe, neque alibi vbi imperator eſt morari licebat. auctor Vlpianus lege ſecunda De his qui not.inf.& ex Vlpiano Modeſtinus lege VIII.De excuſat.Sed poteſt dubitari an hæc exauctoratio per vocem QVIRITES facta, miſſæ legioni ignominiæ notam inuſſerit. nam ita demum ignominioſa miſſio erat, inquit Vlpianus, cū is qui mittebat, addebat nominatim, IGNOMINIAE CAVSSA SE MITTERE.

11. *Rogatus per dies* XXX.] Membranæ, *poſt dies* XXX.

16. *In Perſas profectus, Artaxerxem regem potentiſſimum vicit.*] minimè verò vicit: quin potius ab eo victus eſt: fuitque toto eo bello infeliciſſimus Alexander. ita Herodianus: cuius diſſenſum ab aliis in huius belli hiſtoria poſtea notat Lampridius. Hic autem eſt Artaxerxes qui deuicto & occiſo Artabano rege Parthorum vltimo, primus antiquum Perſarum in Oriente imperium renouauit, imperante Romanis Alexandro Mammææ. multa de hoc & regni huius initio Herodianus libro ſexto, Agathias hiſtoria quarta, & Georgius Monachus in Alexandri huius temporibus. Ab iſto Artaxerxe, vel vt nominatur Agathiæ Artaxare, Choſroæ genus ortum, inquit Georgius. ſic autem dicti ſunt vel nomine vel cognomine plerique omnes reges Perſici huius imperij, vt & Parthici antè nonnulli. Durauit inſtitutum ab Artaxerxe regnum ab anno quarto Alexandri, qui fuit à reparata ſalute CCXXVI. ad annum dominicum IↃCXXXII. quo anno rex Perſarum Iezdegird ab Othman filio Ophan Scenitarum Arabum Amiran victus eſt atque interfectus. hic rex Græcis ſcriptoribus quibuſdam nominatur Ἰασδαγέρδης Σαριὲν Μασρὲ βασιλεὺς Περσῶν. Georgius Chryſoccocus medicus in commentario de anno Perſico vocat Ἰασδαχέρδην Σαρίαρ, id eſt Sirois filium, quem Arabes Schehariar dicunt. vt docuit Ioſephus Scaliger in tertio De emendatione. Georgio Monacho dicitur hic Ἀδεσὴρ, & Anaſtaſio quoque Adeſir, voce mirum quantum corrupta. idem Georgius non iſtum vltimum Perſarum regem facit, ſed Hormiſdam: inter quem & Adeſir interponūt alij reges duos Sarabarzam & Varraranem octauum. Scriptores Græci & Latini qui ante Alexandri Mammææ tempora Perſarum nomen pro Parthorum nomine vſurpant, caute ſunt legendi. ſic autem multi ſunt locuti. etiam in his libris ſæpe.

17. *Cum ipſe Alexander cornua adiret.*] pugnat cum his pugnam ἄσπον-δον hiſtoria Herodiani: qui Alexandrum ſuis defuiſſe tradit, vel metu, vel monitis Mammææ matris: quæ, inquit, γυναικείᾳ δειλίᾳ καὶ ὑπερβαλλούσῃ φιλοτεκνίᾳ ἤμβλυνεν αὐτοῦ τὰς πρὸς ἀνδρείαν ὁρμὰς, πείθουσα δεῖν ἄλλους ὑπὲρ αὐτοῦ κινδυνεύειν, ἀλλὰ μὴ αὐτὸν παρατάττεσθαι. ſed fatetur auctor hic ſe in hac hiſtoria eos ſecutum, qui contraria Herodiano ſcripſerant,

30. Poſt

30. *Post hoc Romam venit.*] Et hoc falsum, si constat fides historiæ Herodiani.

33. *Persas P.C. vicimus. longua eloquentia opus non est.*] Malim, *Persas P.C. vicimus longè: eloquentia opus n.e.* sic mox: *Eloquentia opus non est.*

37. *Falcati currus mille, sed adducere i.*] Scribe, *Falcati currus mille. Et add.* at in regio est, *F. currus* M D C. *Add.* nescio quàm ex fide: nam in eo libro mire deprauati sunt præcedentes numeri.

Pag. 201. vers. 2. *Cataphractarios, quos illi clibanarios vocant.*] Ita scripti cum vulgatis, non *cataphractos*. Clibanarij ex Ammiano Marcellino & Græcis Tacticis notissimi sunt. non est vox Græca, sed Barbara, è re imposita, vt alibi, volente Deo, sumus dicturi.

5. *Terras Interamnanas, Mesopotamiæ scilicet.*] Delenda censeo posteriora duo verba: est enim merum glossema, nisi quis putet, ipsum Lampridium cum verba Alexandri describeret, interpretamentum hoc adsuisse: quod fortasse verius est. Græcos autem imitatur Alexander, qui terram inter Euphratem & Tigrim sitam, Padan aut Padan Aram in sacris literis dictam, modo Μεσοποταμίαν nominant, modo τὴν μέσην ποταμῶν.

6. *Artaxerxem potentißimum regem, tam re quàm nomine.*] alludit ad solennem titulum literarum Orientis regum, qui se reges magnos vocitabant. nam & hic vsurpauit: Herodianus, ἧκεν ἡ πρεσβεία ὅτι δὴ κελεύει μέγας βασιλεὺς Ἀρταξέρξης. infra in Valeriano.

8. *Quà ducta fuerant quondam signa nostrorum.*] respicit cladem Crassi.

15. *Per te victoriam vndique præsumimus.*] Supple ex omnibus membranis: *Per te victoriam de Germanis speramus: per te victoriam vnd.*

20. *Cras ludos Circenses Persicos dabimus.*] Ludi à caussa ob quam edebantur cognominati. sic Κιρκήσιοι Ἡφαίστιοι Circenses Vulcanales apud Eusebium in Chronico, & Georgium monachum.

22. *A seruo suo eum proditum.*] de hoc seruo nihil Herodianus, quē tamen sequi heic videtur.

25. *Nam & amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore & morbo, vt Herodianus.*] Hodie scribitur in Herodiani libris, τὴν τελῶν μοιρῶν τοῦ στρατοῦ ὧν εἴρημε τὸ πλεῖστον ἀπέβαλε διαφόροις συμφοραῖς, νόσῳ, πολέμῳ, κρύει. Lampridius vero legit, νόσῳ, λιμῷ, κρύει. sed deceperunt illum sui codices: nam Herodianus scripserat πολέμῳ. narrat eo loci eximius historicus, Alexandri contra Persas exercitum in tres partes ab eo fuisse diuisum: quæ perierint omnes, sed diuerso modo: vnam partem in locum iniquum deductam, cum pugnare non posset, Persarum sagittis confixam internecione deletam: alteram partem morbo extinctam: tertiam denique partem frigore ἐν ὄρεσι διαφθαρῆναι, καὶ ἀκρωτηριασθῆναι οὐκ ὀλίγους ἐν δυσχειμέρῳ χώρᾳ. de fame nihil Herodianus. perperam igitur in huius historiæ anacephaleosi legit Lampridius λιμῷ pro πολέμῳ.

28. *Circumfusisque vndique mulieribus.*] Scripta lectio *circumfusus.*

31. *Leuabatur manibus omnium Alexander.*] Scribe, *manibus hominum.* vt in membranis. ineptum est *omnium.* neque enim omnes eum leuabant, sed ij solum homines, qui, vt fit in turba, propius eum contingebant.

Pag.202.vers.2. *Per Varium Macrinum.*] Regius, *Macrianum.* puto verius, *Marcianum.* quod cognomen Genesij patris Alexandri.

3. *Iunium Palmatum.*] Reg. *Vernium Pal.*

4. *Omnibus nominibus est adornatus.*] id est, appellatus est Persicus, Mauritanicus, Illyricus, Armenicus. sed hæc cognomina in antiquis monumentis apparent nusquam. quare non solum propter Herodianum, sed etiam hoc nomine suspecta hæc tota narratio. Regius liber verba aliquot in hanc periodum inserit quæ alij libri non agnoscunt. Sic ille: *quibus & in senatu & apud populum lectis, vario tempore cum etiam de his aucia optatè* (forte *antea fama optata.*) *venisset, omnibus no.* Statuant eruditi.

13. *Ita vt eorum essent, si heredes illorum militarent.*] Obserua conditionem hanc: neque enim apponi solita in deducendis coloniis. Est igitur heic species quædam feudi, vel potius initia quædam eius iuris, quod postea varie introductũ est, & feudorum appellatione designatũ. Erat sane lex similis feudorum constituendorum: vt qui prædium colẽdum acciperet, danti fidem & militiæ munus aut aliud seruitium exhiberet. Simile est quod Vopisc. narrat in Probo: *Veteranis omnia illa quæ anguste adeuntur Isauriæ loca priuatis donauit: addens, vt eorũ filij ab anno octauo decimo mares duntaxat ad militiam mitterentur.*

14. *Nec vnquam ad priuatos pertinerent.*] priuati opponuntur militantibus. Ambrosius in Agnetis passione: *Coronatur ciuitas tota: fit lætitia militantibus atque priuatis & vniuersis audientibus hæc.* sicut σχῆμα στρατιωτικὸν & ἰδιωτικὸν opponuntur. etiam in titulis militia ceu nomen dignitatis adscribi solita: vt in Neapolitano lapide: Γ. ΙΟΥΝΙΟΣ. ΑΚΥΛΛΑΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ. ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΣ. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ.

19. *Rura vicina Barbariæ.*] Terram diuidunt Romani scriptores in Orbem Romanum & Barbariam. nam quicquid alienum erat imperio Ro. Barbariam vel Barbaricum, vt sæpius in Codice & in his scriptoribus, atque alibi, dixerunt. hoc moneo quia viri quidam eruditissimi Barbariam hic intelligi putarunt eam Africæ regionem, quæ hodie sic dicitur. in quo fugit eos ratio: nam vt diximus, quicquid erat vltra limitem Romanum quaquauersum Barbariam nominabant, vt Ammianus Marcellinus & alij. Huic opponitur apud Græcos scriptores quosdam Ῥωμανία, id est, Romanus orbis, vel imperium Romanum. siue, vt loquitur Tertullianus, *Romanitas.* Epiphanius de Manete: καταλείψας τὴν τῶν Περσῶν χώραν τῇ Ῥωμανίᾳ προσέβαλε. idem alibi de Ario, καὶ ἐξαφ-

θῆναι

θεῖναι ἐξ αὐτοῦ πῦρ οὐ τὸ τυχὸν, ὃ κατείληφε πᾶσαν τὴν Ῥωμανίαν σχεδόν. quod alij Græci interdum dicunt τὸ Ῥωμαϊκὸν ἔδαφος, vel τὴν πολιτείαν τοῦ ῥωμαϊκοῦ ὀνόματος. Barbariam in Africa non inueni nominatam apud ſcriptorem vllum antiquiorem Anaſtaſio Sinaita, mediæ vetuſtatis ſcriptore, vt ſcripta oſtendunt. Hic Pentapolim conſtituit in Africæ Barbaria: quæ regio hodieque Arabibus iuxta & nobis Barbaria dicitur. Locus Anaſtaſij eſt in Anagogis ſuper ſex dierum opus. ἐν τοῖς πλησιοχώροις Αἰγύπτου τοῖς ἐν Πενταπόλει τῇ Βαρβαρικῇ λεγομένοις αὐδύτοις, ἐπὶ τῶν ὑδάτων γῆ ἐπιφέρεται βρέχουσα τοὺς ἀπίστους.

27. *Etiam minuſculis imperatoribus.*] Capitolinus initio Maximini magnos imperatores appellat eos principes, qui cum diutius imperiũ obtinerent res magnas geſſerunt. ſi ita heic accipimus vocem *minuſculus*, ij intelligentur, qui & cito, & inglorij perierunt, vt Galba, Otho, Vitellius, & alij multi. ſed quam bene conueniat huic loco iſta interpretatio iudicent qui legunt.

28. *Subiecta videbatur.*] Scrib. *ſubiecta fuiſſe videbatur*. id eſt, ſubiecta fuerat. vt dicemus libro ſequente.

29. *Verum Gallicanæ mentes vt ſeſe habent duræ ac retrogradæ.*] *habent* id eſt ſunt. Capitolinus in Gordianis: *Sed ſtatim vt ſe habent hominum mentes.* &c. Pro *retrogradæ*, regius & Puteani vnus, *retrorſæ*. vox elegans, & cuius merũ eſt interpretamentum vulgata lectio. *retrorſus*, qui retro fert pedem. εἰς τὸ ὄπισθεν πορευτικός. vt contra *prorſus*, πορευτικὸς εἰς τὸ πρόσθεν. vnde oratio prorſa vorſæ oppoſita: nam qui verſus ſcribunt abſoluto vno verſu etiam minimo, & qui lineæ paruam partem occupet, retro tamen veſtigia legere coguntur, vt alium verſum inchoent: in ſoluta oratione contra quamuis latiſſime pateat materia in qua cogitationes noſtras exaramus, nihil vetat porro pergere ad extremam vſque materiæ latitudinem. heic *retrorſus* ad animum transfertur venuſtè. Sed habet alter Puteani *retorridæ*. quam vocem exhibet iterum idem liber apud Capitolinum in Maximo & Balbino, vbi editum vulgo, *verecundus*. vſus & Plinius atque alij. Siue legas *retrorſæ* ſiue *retrogradæ* idem eſt ſenſus, etſi diuerſæ tranſlationes. τὸ οὐκ εὐάγωγον καὶ μὴ πειθήνιον ἀλλ' αὐθέκαστον & ingenium refractarium auctor ſignificat: ideo addit, *& ſæpe imperatoribus graues.* Herodianus in hac hiſtoria milites in genere nominat, & ſimiliter de mobili eorum ingenio ad res nouas queritur. ὄντες, inquit, καὶ ἄλλως πρὸς τὸ καινοτομεῖν ἐπιτήδειοι, καὶ τὸ παρὸν τῆς ἀρχῆς βαρὺ διὰ μῆκος ἐξουσίας ἡγούμενοι, &c. Trebellius Pollio in Gallienis, *Gallis inſitum eſt eſſe leues ac degenerantes à ciuitate Romana, & luxurioſos principes ferre non poſſe.* Vopiſcus in Saturnino: *Saturninus oriundus fuit Gallis ex gente hominum inquietiſsima, & auida ſemper, vel faciendi principis vel imperij.* idẽ in Caro, *Gallicanum imperium maxime conſtantem principem quærit.* at Valerianus imperator cum Poſthumium Galliæ præſidem faceret, ſic eum laudauit, vt diceret *virum digniſsimum ſeueritate Gallorum.* Hæc ſunt iſto-

rum de Gallorum siue Germanorum ingeniis iudicia: quibus opponi possunt elogia honestissima apud Strabonem, Agathiam, Procopium, alios. Sed & illa vulgo nota, & nos properamus.

37. *Multi dicunt à Maximino immissos tirones.*] Sequitur Herodianum, qui hoc pluribus narrat. Tangit & Capitolinus in Maximino.

Pag. 203. vers. 3. *Matrem eius auaram & cupidam.*] non solum auaram, sed etiam μικρολόγον & sordide parcam. Victor alter. *Huius mater Mammæa eò filium coegerat, vt illa ipsa quamuis permodica, si mensæ, prandióque superessent, alteri conuiuio reponerentur.* scribo, *vt illata, quamuis ipsa permodica, s.* ita tamen descripsit auctor historiæ miscellæ.

4. *Imperauit annis* XIII. *diebus* IX.] Eutropius, diem detrahit. alij vero aliter.

17. *Hoc tamen omini fuit.*] Melius, *hoc enim om. f.* vel *hoc sane ei om. fuit.*

19. *Sed hæc omnia vehementißime contempsit.*] Nec male legas *omina.* vel etiam, *hæc omnia omina.*

22. *Cibo militari accepto.*] Vel, *acceptus.* confer cum antedictis.

23. *A discumbentibus militibus.*] ridiculus error. Volui edi, *à discutientibus m.* vt est in regio, & Puteani.

24. *Et cum dormiret post conuiuium hora diei fere septima.*] cum meridiaretur, more multorum, vt dicebamus ad Suet. lib. II. cap. LXXVIII.
meridiari
Pro *dormiret* scripti *quiesceret.*

29. *Et sperans non posse euadere.*] Transposita verba ab auctore. pro, non sperans se posse euadere. vel *sperans* simpliciter pro arbitrans.

36. *Sed omnis apparatus militaris q.*] Nullo modo superioribus hæc cohærent: vt ante hæc verba aliquid deesse non sit dubitandum: etsi vulnus dissimulant scripti libri. videtur aliquid præcessisse de inchoato bello, sed non finito ab Alexandro. eadem sententia apud Capitolinum in Maximinis: *Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidisse.* quibus ex verbis negationẽ excidisse suadet hic Lampridij locus: etsi Herodianum scimus aliter tradere. Sic notat Vopiscus à Caro bellum Sarmaticum profligatum *apparatu*, & vt ipse loquitur, *totis viribus Probi.*

Pag. 204. vers. 1. *Per Armenios & Osdroenos & Parthos.*] de his omnibus nominatim Capitolinus in Maximino.

5. *Neceßitatem esse.*] Scripti melius, *necesse esse.*

13. *Neque tristius vnquam, neque asperius acceperunt.*] Leg. *neque tristius vnquam quicquam.*

22. *Senatus cum in deos retulit.*] B. Chrysostomus homilia XXVI. in posteriorem ad Corinthios: οὕτω δὲ εἰδωλολατρείας τὴν ἀρχὴν ἐκράτησεν, τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων. οὕτως Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον ἐνόμιζον εἶναι θεὸν ἡ σύγκλητος Ῥωμαίων· καὶ γὰρ αὕτη ταύτην εἶχε τὴν ἀξίαν, χειροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεούς. Putant viri magni, Alexandrum quem ait hoc loco vir sanctis-

ctiſſimus à Romano ſenatu in deos relatum, hunc eſſe imperatorem Romanum Alexandrum Seuerum. quare idem vocem τρισκαιδέκατον, quæ per hanc interpretationem ſtare nullo modo poteſt, damnant, & pro XIII. ſcribunt XXVI. Equidem ſæpe miratus ſum, vnde illam fabellam (ſic enim dicendum eſt) ὁ χρυσοῤῥήμων pater acceperit, de recepto in numerum deorum Alexandro Macedone à ſenatu Romano: ſed quin de illo accipienda ſint ſuperiora eius verba, dubitari à quoquam poſſe putaui nunquam. quid enim hoc clarius, aut certius? ipſa primũ hoc euincit loquendi conſuetudo Græcorum, qui ALEXANDRVM quoties nominant ἁπλῶς, Magnum proculdubio intelligunt, vnicum gentis ſuæ ornamentum, & regni Græci in Aſia auctorem. Deinde attendenti palàm fiet loqui ibi Chryſoſtomum de conſecratione facta ſenatus Ro. decreto ante CHRISTVM. ideo ait adſcriptum Alexandrum numero XII. deorum, & factum deum XIII. nam hæc vera mens verborum Chryſoſtomi. quis ignorat duodecim conſentes fuiſſe Romanorum deos præcipuos? notiſſimi ſunt Ennij verſus, quibus eorum nomina eſt complexus:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

idem numerus apud vetuſtiſſimos Græcos: etſi nomina non plane eadem. narrant enim veteres, Herculem cum ludicrum Olympicum inſtitueret, ſex aras binis diis conſecraſſe: Pindari interpretes ad illa βωμοὺς ἓξ διδύμους ἐγέραρε, è quinta oda Olympionicarum, Ὀλυμπιάσι, inquiunt, βωμοὶ εἰσὶν ἓξ δίδυμοι τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀνιδρυμένοι, ἑνὸς ἑκάστου βωμοῦ δύο θεοῖς καθωσιωμένου. πρῶτος, Διὸς καὶ Ποσειδῶνος· δεύτερος, Ἥρας καὶ Ἀθηνᾶς· τρίτος, Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος· τέταρτος Χαρίτων καὶ Διονύσου· πέμπτος Ἀρτέμιδος καὶ Ἀλφειοῦ· ἕκτος, Κρόνου καὶ Ῥέας. ὥς φησιν Ἡρόδωρος. Reſpexit huc primus ille auctor figmenti huius. neque enim dubitare debemus iactatum hoc primo fuiſſe inter Græcos: deinde etiam in literas miſſum ab aliquo inepto hiſtorico, qui gloriæ Alexandri plus æquo fauens, anilem fabulam pro vera hiſtoria poſteris tradidit, & facilibus ad credendum lectoribus impoſuit. non diſſimilis huic fabella eſt, quam ex Ariſto & Aſclepiade Arrianus narrat, de miſſis Roma ad Alexandrum legatis, vſque in vltimam Indiam: cum ſit ſimilius vero, quod Liuius exiſtimat: ne fama quidem Romanis tum fuiſſe notũ Alexandrũ. Sed de quo Alexãdro loqueretur Chryſoſtomus, manifeſtiſſime declarant ſequentia ibidem verba. Nam ait conſecratum ideo quod gentes vrbeſque multas imperio ſuo ſubiecisſet, bella multa feliciter geſſiſſet, ac victoriarum ſuarum multa excitasſet tropæa. quid iſtorum Alexandro Mammææ conuenit? qui optimus princeps non minus infelix in bello fuit, quam pacis artibus inclytus, & vera laude digniſſimus. certe qui illius gloriæ plurimum fauerunt hiſtorici, non populos ab illo ſubactos, nec captas vrbes atque imperio Ro. adiectas; ſed vnicam de Perſis victoriam illius narrarunt: de qua

tamen quid alij ſcripſerint, antea diximus. Addit verò Chryſoſtomus, ὁ Ἀλέξανδρος μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ διασπασθεῖσαν τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ καὶ τέλεον ἀφανισθεῖσαν οὐκ ἐπανήγαγε. poteràtne clarius deſignari Magnus Alexander ? cuius imperium poſt mortem ipſius ſtatim diuiſum, & multo ante Chryſoſtomi tempora funditus euerſum ſic vt veſtigium illius appareret nullum, ſicut ipſe ait, omnes norunt. at de Alexandro Mammææ quàm falſo, quam ridiculè hæc dicerentur? vt plane mirer tam abſurdam ſententiam viris eruditiſſimis in mentem vnquam veniſſe.

27. *Cauſſa occidendi eius ab aliis hæc fuiſſe perhibetur q.*] Lege Capitolinum libro ſequenti.

31. *Hactenus imperium* P. R. *eum principem habuit qui diutius imperaret.*] etiamne Galba, Otho, Vitellius, & Macrini? vt taceam Titum & Neruam.

34. *Poſt eum certatim irrruentibus.*] Malim, *certatim multis irruentibus.*

36. *Qui latius imperium tetenderunt.*] & viuendo diutius, & Ro. imperio agri Barbarici aliquid adiiciendo. vtraque interpretatio vera de Aureliano quidem : non vtique in omnibus deinceps.

Pag. 205. verſ. 2. *Quod syrus eſſe nolebat.*] ſed Romanus. bis iam dictum.

3. *Quod aurum amabat.*] patriam in hoc prodebat ſuam. Syri enim auari audiunt paſſim apud ſcriptores veteres.

11. *Qui & itinera huius principis ſcripſit.*] ſic Alexandri Magni itinera multi deſcripſerant : quorum libros Περὶ σταθμῶν Ἀλεξάνδρου, Strabo, Athenæus, alij laudant. Acholius verò non itinera ſolum Alexandri Seueri deſcripſerat, ſed & vitam illius in literas miſerat: quod diſerte in ſuperioribus oſtendit Lampr. Ita autē omnes codices : neque aſſentior emendantibus. Nam & in hoc æmulatiuncula videtur fuiſſe Alexandri Magni aliqua : ſiue mandatu Alexandri huius, ſiue ſponte ſua Acholius ei argumento ſe accinxit.

12. *Conſtantine Maxime.*] Scripta lectio, *Conſt. piiſsime.*

19. *Sed quia verum eſt ſuggerendum.*] id eſt, cauſſa propior eſt afferenda. nam & allatæ cauſſæ veriſſimæ ſunt : ſed remotiores & nimis generales : illa præſertim à natura.

22. *Eo in qua ſunt amici principis mali.*] tam verum & certum hoc: quàm verè dixit Tacitus in quarta hiſtoria, *nullum maius eſſe boni principis inſtrumentum, quàm bonos amicos.*

25. *Et id quidem ab Homulo.*] vel *Omollo.* vt ad Pium. ſcripti hic, *Omulio.*

27. *Atque adeo illum magis odio fuiſſe.*] quem ? de Domitiano neque auctor ſenſit, vt attentius præcedentia legenti conſtare poteſt : neque poteſt verè hoc de illo dici : vt probat Suetonius capite octauo. *illum* igitur vel indefinitè accipe, de omni quicunque malis hominibus Remp. commendauit : vel definite refer ad Alagabalū: quem eo maxime

me nomine odium bonorum incurriſſe certiſſimum. quare ſuſpicor ſcribendum, *atque adeò Heliogabalum.* ſed tutior eſt prior interpretatio.

31. *Nam hoc nemo vult niſi bonus.*] Mutanda diſtinctio, *& ipſe optimus fuit: nam hoc nemo vult niſi bonus: & optimæ matris conſiliis vſus eſt.* præcipuam laudem Alexandri vult fuiſſe, quod optimę matris conſiliis ſit vſus: ſed hoc quoque ſatis magnum argumentum ait eſſe, vt probetur naturâ fuiſſe optimus: cum non niſi optimus quiſque in imperio conſtitutus, matris conſiliis regendum ſe præbeat. in quo vel modum exceſſiſſe Alexandrum, atque adeo matris non ſua peccata luiſſe, cum Iuliano Cæſare omnes conſentiunt hiſtorici. Sed cogitent eruditi de lectione quam apud Robertum à Porta offendimus: *& ipſe optimus fuit, & optime natus conſiliis vſus fuit.*

36. *Qui illum quaſi fatuum circumducerent.*] Reg. *circumuenirent*: ſed vulgata Græcum prouerbium alludit, θαλλὸν προτείνειν: de quo ad Athenæum. affine eſt, ῥινὸς ἄγειν.

Pag. 206. verſ. 6. *Qui à populo etiam amiciſſimum principem ſemouent.*] Melius ſcripti, *qui à populo & amicis principem ſubmouent.* eſt hypallage, pro, à principe populum & amicos ſubmouent.

8. *Claudentes principem ſuum, & agentes ante omnia, ne quid ſciat.*] non ſoli hoc faciunt eunuchi. Vopiſcus in Aureliano: *Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque vnum conſilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum ſit: imperator qui domi clauſus eſt verum non nouit.*

10. *Qui cum emti ſint & praui fuerint.*] naturâ praui, & genere vitæ: quia vt ait poeta, ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαιρεῖ δούλιον ἦμαρ.

14. *Sed ſalua Republ.*] Non aſſequor, niſi ſcribatur, *ſed ſalua reſpubl. poſtqu.* etiam ſic hæreo.

17. *Nec chlamyde vti iuſſeris.*] ſummoueris à militia.

ib. *Sed neceſſitatibus domeſticis delegaris.*] dictum ante de Alexandro, iuſſos ab illo eunuchos balneas muliebres curare. etiam quod ſubiicitur pluribus dictum ſupra.

23. *Parentes.*] cognatos & iunctos ſanguine. expoſuimus antea ad Marci Antonini vitam.

27. *Fabius Sabinus Sabini inſignis viri filius.*] filius Sabini illius viri conſularis, quem Alagabalus iuſſerat occidi, vt libro ſuperiore dictum. In centunculis Pandectarum non memini fieri vllam Fabij Sabini mẽtionem. duos enim inuenio Sabinos iuriſconſultos in Digeſtorum libris: Maſurium Sabinum, cui conceſſum eſt à Tiberio vt populo reſponderet, inquit Pomponius: & Cælium Sabinum, qui teſte eodem Pomponio, plurimum temporibus Veſpaſiani potuit. Scribit Lampridius in Alagabalo, Vlpianum ad hunc Fabium Sabinum patrem eius qui Alexandri fuit amicus, libros ſcripſiſſe: ſed errat Lampridius, vt pridem docuit Iacobus Cuiacius in ſeptimo Obſeruationum. nam Vlpiani ad Sabinum libri, quorum in Pandectis toties mentio, non ad Fabiũ

Sabinum scripti sunt: sed, vt videtur ad illum veterem Masurium.

28. *Aelius Gordianus, Gordiani imperatoris pater.*] Gordianum iurisconsultum nusquam inuenio vel nominatum in totis L. Pandectarum libris: quod mirum non est: nam fere eorum tantum ibi fit mentio, qui de iure scripserant. Sed illud mirum simul & obscurum, quod hunc Aelium Gordianum Alexandri consiliarium ait fuisse Gordiani imperatoris patrem. Tres fuerunt eius nominis imperatores: de quocunque illorum hæc interpreteris, hærebis. Primus illorum qui vulgo Gordianus senior dicitur, cum Alexander moreretur, ad annum vitæ accedebat octuagesimum: vt ineptum sit putare adhuc Alexandri imperio patrem illius fuisse superstitem, & consiliorum imperatoris participem. Adde quod neque ex Aelia gente fuisse traditur Gordianus qui imperauit: neque à patre cognomen Gordiani habuisse, sed vel à matre vel aliquo alio è cognatione materna. nam parentibus natum scribit Capitolinus Metio Marullo & Vlpia Gordiana. Nunquam igitur efficiet Lampridius, vt Aelius iste Gordianus pater senioris Gordiani esse potuerit, ne adoptione quidem: cum repugnet manifestissimè ratio temporum. Absurdum æque sit, de iuniore Gordiano prioris filio accipere: nec minus de tertio, quem filio senioris quidam, plures filia ortum scripserunt. nam quare diceretur horum alteruter imperator, potius quàm pater aut auus: cum ab illo ceu fonte, deriuatum sit in ipsos imperium? Arbitror ex istis constare miris modis hallucinatum Lampridium, si ita sic scripsit. & mirum profecto hæc tanta absurda à nemine adhuc, quod sciam, fuisse animaduersa. Sed nos putamus factam Lampridio iniuriam, & à mala manu esse illa, *Gordiani imperatoris pater.* dele igitur, si me audis, & scribe, *Aelius Gordianus, & ipse re vera vir insignis.*

30. *Claudius Venatus orator amplißimus.*] hunc quoque alibi non inuenio.

31. *Pomponius legum peritißimus.*] multos heic inter Alexandri consiliarios nominari iurisconsultos, qui ætate lõge illum antecesserint, nemini obscurum esse potest, qui in Pandectarum lectione paullo diligentius fuerit aliquando versatus. quare memini Iacobum Cuiacium multis suorum scriptorum locis Lampridij fidem heic & diligentiam desiderare. Sed absoluunt culpæ Lampridium veteres membranæ regiæ bibliothecæ & Puteani: quæ nominibus omnium prætermissis, qui in vulgatis libris post Claudium Venatum recensentur, Venato statim Catilium Seuerum subiũgunt. absunt enim omnia hæc a veteribus illis codicibus: *Pomponius legum peritißimus, Alphenus, Aphicanus, Florentinus, Marcianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphonius, Metianus, Celsus, Proculus Modestinus, hi omnes iuris professores discipuli fuerunt splendidißimi Papiniani, & Alexandri imperatoris familiares & socij, vt scribit Acholius & Marius Maximus.* Quid igitur dicemus? an hæc omnia

pro

pro ſubdititiis & adulterinis inducenda cenſebimus? equidem non puto: multi enim in hoc albo continentur Alexandri æquales quorum nomina recenſuiſſe heic Lampridium, non dubito, dixit enim vitæ huius initio, viginti minimum iuriſperitos Alexandro ſolitos adeſſe: neque fit mihi veriſimile è tam multis qui Alexandri conſilia participarunt, ſolos octo eos heic à Lampridio fuiſſe nominatos, qui ſublatis verbis ſuperioribus, ſuperſunt reliqui. Sed videamus breuiter de ſingulis quorum heic nomina ponuntur: nam ita melius quid de vniuerſo loco ſit pronuntiandum cognoſcemus.

ib. *Pomponius legum p.*] Videtur νοθεύειν: etſi enim non conſtat ſatis qua ætate Pomponius vixerit, antiquiorem tamen Alexandri ſeculo certum fuiſſe. nam Vlpianus, Paulus, Marcianus non vt æqualis huius meminerunt: ſed vt multo vetuſtioris. ipſe Pomponius libro ſingulari cui titulum fecerat Enchiridium, priorum iuriſperitorum ſucceſſionem vltra Saluium Iulianum non perſequitur.

ib. *Alphenus.*] Alphenum Varum ſæpe leges in Pandectis: ſed antiquiſſimum, Serui Sulpitij diſcipulum, vt auctor eſt Pomponius. huic cognominem alium fuiſſe Alexandri temporibus, coniicere poſſumus ex hoc loco: probare non poſſumus. iure igitur ſuſpectum hoc nomen.

32. *Aphricanus.*] Et hoc ſuſpectum: imo palam νοθεῦον, niſi ipſius eſt Lampridij peccatum. de ætate Africani lege quæ ſcripſit Iacobus Cuiacius, quo doctiorem, acutiorem, aut iudicij ſincerioris iuriſconſultum nulla ætas vidit, nulla, opinor, videbit. nam iſtum ardelionem ludimagiſtrum, qui à morſu ſcriptorum Cuiacij non magis ſcit temperare, quàm à corio vncto canis abſterreri, pro cerito circumferendum omnes μιᾷ φωνῇ iudicabunt, qui peponem cordis loco non habebunt.

ib. *Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venuleius.*] Quinque hi inter Papiniani diſcipulos fuerunt: neque cauſſam video cur eorum nomina debeant eſſe ſuſpecta. *Martianus*, in Pandectis nominatur Aelius Martianus: *Hermogenes* ſemper ibi eſt Hermogenianus. *Venuleius* eſt, niſi fallimur, Q. Claudius Venuleius Saturninus, ex cuius libris decerpti multi floſculi hodieque in Pandectis leguntur.

33. *Triphonius.*] videtur eſſe Claudius Tryphoninus: ſed errat in iſto Lampridius: niſi eſt nomen ab aliena manu. vide Cuiacium libro ſeptimo Obſeruationum, capite ſecundo.

ib. *Metianus.*] Non alius hoc nomine mihi notus, niſi Voluſius Mæcianus: quo magiſtro vſus in iure diſcendo Marcus Antoninus, vt antè dictum eſt. quare errorem vides, ſiue auctoris, ſiue illius qui Lampridij album corrupit, auxitque.

ib. *Celſus, Proculus.*] niſi fuerũt alij cognomines iis de quibus Pomponius, inepte heic recenſentur.

34. *Modeſtinus.*] rectè. nam conſtat ſub Alexandro vixiſſe, & ſequentibus etiam principibus.

36. *Catilius Seuerus.*] Regius, *Cæcilius Seu.* eo nomine & cognomine plures in hiſtoria Romana, atque Faſtis: atque adeo in libris ſuperioribus: ſed illi ab antiquo Romani, non Syri, vt hic videtur fuiſſe.

37. *Aelius Serenianus.*] Reg. *Aelius Serenatus.* ſed puto verius *Serenianus.* aſſentior enim illuſtriſſimo viro, Cæſari Baronio, qui Ael um Serenianum hunc arbitratur eſſe, Cappadociæ præſidem: cuius meminit Firmilianus epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, in epiſtola ad Cyprianum.

Pag. 207. verſ. 1. *Quintilius Marcellus.*] Sic malo, quàm vt regius, *Quintillus Marc.* eſſe hunc Marcellum qui Alexandro fuit collega in ſecundo conſulatu, Onuphrij coniectura eſt, cui & nos accedimus.

8. *Qui Romanos peſsimos etiam poſteris tradiderunt.*] Addit *Romanos* verba reſpiciens propoſitæ à Conſtantino quæſtionis: quid Alexandrum hominem Syrum tam bonum feciſſet principem: cum multi etiam Romani fuiſſent peſſimi.

9. *Vitiis ſuis laborantes.*] *ſuis*, nempe conſiliariorum. tranſmittunt enim vitia ſua mali conſiliarij in principes quorum conſilia regunt. dictum veriſſimum & omnium ſeculorum experiētia comprobatum.

ISAACI

ISAACI CASAVBONI

IN IVLII CAPITOLINI MAXIMINOS DVOS, EMENDATIONES ET NOTÆ.

MAXIMINI DVO.] Græci & Latini ſcriptores non aliter fere iſtos, quàm Maximinos nominant: Aurelio tamen Victori dicitur vterque CAIVS IVLIVS MAXIMINVS. in veteribus vero inſcriptionibus, CAIVS IVLIVS VERVS MAXIMINVS, neque dubitamus ſtudio feciſſe hominem ſuperbiſſimum, diſſimulandæ origini Barbaricæ, vt illa tot nomina aſſumeret.

24. *A Tatio Cyrillo.*] Regius, *Statio Cy.*

27. *Sed eti m in plurimis deinceps reſeruabo.*] Scribe cum regio, *in pluribus.* Ex illis pluribus duo ſuperſunt: vnus quo Gordianos tres ſingulari libro deſcripſit: alter quo Maximum ac Balbinum.

31. *Hic de vico Thraciæ vicino, Barbaro etiam patre & matre genitus.*] Lege ex melioribus libris etiam editis, *de vico Thraciæ, vicino Barbaris, Barbaro et.* altera lectio falſam ſententiã continet. nam vicus vbi natus Maximinus, non Thraciæ fuit vicinus, ſed in Thracia. ſequitur, *in Thracia in vico vbi genitus fuerat poſſeßiones comparauit.* Sed erat is vicus in vltima Thracia Barbariæ vicinus. Herodianus: ἦν δὲ ὁ Μαξιμῖνος τὸ γένος τῶν ἐνδοτάτων Θρᾳκῶν καὶ μιξοβαρβάρων, ἀπό τινος κώμης.

32. *Quorum alter è Gotthis, alter ex Alanis.*] Scribendum, *altera.* de matre enim accipiendum. Iornãdes ex Symmacho, *in Thracia natus, à patre Gotho nomine Mecca, matre Alana, quæ Ababa dicebatur.*

33. *Et patri quidem nomen Micæa, matri Ababa fuiſſe dicitur.*] Barbara hæc nomina varie ſcripta inuenio. Regius, *Micca & Habala.* Iordanes in rebus Geticis: *Mecca & Ababa.* in Regnorum ſucceſſione, *Micca & Abaqua.* Robertus à Porta *Matha & Abala.*

37. *Et in prima quidem pueritia fuit paſtor, nonnunquam procer, qui latronibus inſidiaretur.*] Herodianus libro ſexto, ἤγετο πρότερον ἐν παισὶ ποιμαίνων. ſed vberius libro ſequenti: vbi ſcribit paſtorem initio fuiſſe apud

ſuos Thraces montanos : poſtea verò corporis robore eò prouectum, vt ducatum leuem inter populares ſuſtineret. ἐπιδιδοὺς, inquit, αὐτὸν διὰ μέγεθος καὶ ἰσχὺν σώματος εἰς δυπλῆ καὶ ἐπιχώρειον στρατείαν. claret ex his mens Capitolini hoc loco. *procerem* enim appellat, qui paſtorum, ad pugnandum contra latrones adunatorum, ducem ageret. qui in rep. eminent ſupra cæteros proceres dicuntur : οἱ ἔξαρχοι καὶ πρωτοπολῖται, vt vertitur in Gloſſ. & apud Soſipatrum. ita autem dixit Capitolinus, quia neque ducem neque tribunum poterat : ea enim ſunt propria Romanæ militiæ verba, & cum honorificentia coniuncta. ideo & Herodianus non στρατείαν ſimpliciter, ſed cum adiectione δυπλῆ καὶ ἐπιχώρειον. *Procer* in ſingulari, cur non feremus in Capitolino, cum auctoritate Iuuenalis poſſit vſurpationem hanc defendere? illius eſt in VIII. *Agnoſco procerem, ſalue Getulice.* At viri docti *porcorum* nomen emendatione ſua in hunc locum ingerunt. Apage. non placet.

Pag. 208. verſ. 3. *Prima ſtipendia equeſtria huic fuere.*] nempe inter eos equites quos Tacitus gregarios vocat, Hiſtoriarum libro III.

ib. *Erat enim magnitudine corporis conſp.*] eandem affert rationem Herodianus : διὰ μέγεθος καὶ ἰσχὺν σώματος εἰς τοὺς ἱππεύοντας στρατιώτας καταταχθείς.

9. *Hic adoleſcens & ſemibarbarus.*] Herodiani vocem expreſſit, μιξοβάρβαρος.

10. *Vix adhuc Latinæ linguæ.*] Proba locutio eſt, *homo Latinæ linguæ*, hoc eſt, callens Latinam linguam. ſic *homo vitiorum omnium*, & paſſim. ſed liber Puteani habet, *Latina lingua.* Quare ita lego, *vix adhuc Latina lingua promtus, prope Threcica imperatorem petit.* qui non poterat expedite loqui Latine : quo poterat modo imperatorem eſt allocutus : hoc eſt, ſemibarbara voce, & prope Threcica. Iornandes ex Symmacho, qui eadem dixerat Capitolino : *Princeps Seuerus militares dederat ludos : quod cernens Maximinus, qui erat ſemibarbarus adoleſcens, poſitis præmiis barbara lingua petit ab imperatore, vt ſibi luctandi cum militibus licentiam daret.*

14. *Ne diſciplinam militarem corrumperet.*] hoc eſt, ne videretur militem quaſi athletam cum Maximino commiſiſſe, quod per diſciplinam militarem non licebat. hoc alibi, ſi voluerit Deus, pluribus expoſituri ſumus. Symmachus, ſiue Iornandes, male accepit hunc locum: nam ita expreſſit: *iuſſit eum cum lixis corporeo nexu contendere, ne quid à rudi homine militaribus viris veniret iniuriæ.* plane aliud auctor voluit.

16. *Vno ſudore.*] locutio è media palæſtra elegans, & πυκτική. at Symmachus, quot verbis idem dicit? *Tunc,* ait, *Maximinus ſedecim lixas tanta felicitate proſtrauit, vt vincendo ſingulos nullam ſibi requiem intercapedine temporum daret.* quanto illud elegantius? *vno ſudore*: ideſt, priuſquam defatigaretur. πρὶν ἀπειπεῖν. vide mox.

20. *Vt eum coerceret, ac Romana diſciplina imbueret.*] Regius, *coerceret ad Romanam diſciplinam & imbueret.* accedit Symmachus: *vt eum cercitum,* ad

Equites gregarii apud Tacitum

Vno sudore

ad Romanam imbueret disciplinam.

23. *Ad pedes imperatoris equitantis accessit.*] Symmachus: *accessit ad eum, equitantemque praire pedibus cepit.* aliquanto planius.

24. *Equum admisit multis circuitionibus.*] Comparēt studiosi cum istis verba Symmachi: non pœnitebit operæ: nam idem ille penitus verbis leuiter immutatis: ita tamen vt appareat ex eodem fonte. Sic ille: *Tunc imperator equo adacto in cursum, calcaribus incitatum, multos orbes huc atque illuc vsque ad suam fatigationem varius inflexibus interpedauit.* recte explicat, quid sit *admittere equum.*

30. *Septem fortissimos vno sudore vicit.*] Symmachus, *at ille septem valentissimos ad terram elisit. ita vt, sicut antea, nihil per interualla respiraret.* sic scribendum. iterum exprimit illa *sine sudore*, vt antè.

31. *Post argentea præmia.*] Symmachus, *Solus à Cæsare & argenteis præmiis & aureo torque donatus est.*

35. *Locis etiam militiæ à Seuero adiutus.*] donatus præposituris locorum militarium, vt in Alexandro Seuero exponebamus.

Pag. 209. vers. 1. *Bibisse autem sæpe in die vini Capitolinam amphoram constat.*] Bibit igitur Maximinus vna die octies & quadragies tantum, quantum vna cœna Augustus, etiam cum liberalius se inuitabat. nam ille senos sextantes, siue sextarium vnum non excessit, vt scribit Suetonius. Et constat ex Horatio, Vopisco in Tacito aliisq; , eum vini modum in cœnam satisfecisse hominibus, qui non viuebant vt biberent, sed bibebant vt viuerent. Budæus libro de asse quinto sextarium Romanum comparat cum Parisiensi pinta. Scribit Hieronymus in Ezechielem, posse aliquem, etsi ægre, tamen viuere, vt non bibat in die amplius sextariis duobus Italicis, vel solius aquæ. Amphora vero siue quadrantal sextarios cepit XLVIII. In libro XIV. Plinij habes de Nouellio Torquato, cui cognomen Tricongio, quod tres congios siue octodecim sextarios vno impetu hausisset. Apud Athenæum quoque libro IV. & libro X. similes historiæ leguntur, & alibi apud Græcos: etiam apud Vopiscum phagonis cuiusdam πολυποσία celebratur, & pluria similium exemplorum, cum in istis scriptoribus, tum apud alios. De amphora Capitolina Fannius in carmine de ponderibus & mensuris:

> *Amphora fit cubus: quam ne violare liceret,*
> *Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.*

Erat enim moris, vt publicæ mensuræ & pondera in Capitolio seruarentur: sicut testatur etiam antiquæ mensurę inscriptio à doctis publicata in hæc verba: IMP. CÆSARE. VESPAS. VI. COS. T. CÆS. AVG. F. IIII. MENSVRÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. Ad has mensuras, ceu ad lapidem Lydium, exigebantur priuatorum mensuræ: quod cum difficile esset, multique ex libidine pondera & mensuras sibi cōponerent, instituit Valentinianus per regiones vrbis vniuersas pondera, vt in XXVII. libro, scribit Ammianus. Obseruo fuisse moris

poſtea, vt acceptas ab imperatore menſuras & pondera ſeruarent vel Papa, vel ſenatus. extat enim Iuſtiniani pragmatica ſanctio, cuius cap. XVIII. iubētur dari vel ſuſcipi ſpecies vel pecuniā *in illis mēſuris*, inquit, *vel pōderibus, quæ beatiſsimo* Papæ, *vel ampliſſimo ſenatui noſtra pietas in præſenti contradidit*. hæ ſunt quæ dicebātur Capitolinæ vel vrbanæ menſuræ, aut Italicæ: aliis maiores quarū vulgo vſus ſaltē in certis rebus etiā Romæ, ne dum in prouinciis. Symmachus libro x. ep. XXVI. *mille ſexcentas auri libras decennalibus imperij tui faſtis deuotus ordo promiſit, vrbanis ponderibus conferendas: id eſt trutinæ largioris examine.* at Hieronymus Italicis menſuris opponit *caſtrenſes*: quæ vt ex illius verbis apparet vrbanis erant dimidio maiores. *hin*, ait, *duos* χόας *Atticos facit: quos nos appellare poſſumus duos ſextarios* Italicos: *ita vt hin menſura ſit* Iudaici *ſextarij, noſtrique caſtrenſis: cuius ſexta pars facit tertiam partem ſextarij* Italici. in tertia Sacrarum Ariſtidis, ἡμίνα βασιλική, videtur eſſe Capitolina, ſiue vrbana hemina. Ait ſe cum propter valetudinem vino abſtinuiſſet diu, monitum à deo ſuo, vt heminam regiam ſiue imperatoriam vini biberet. hemina Romana ſextarij dimidium erat: quem dicebamus conſuetum modum fuiſſe modicorum potorum. Ariſtides quoque ibi oſtendit, antea, id eſt, cum valeret, ſolitum ſe bibere alterum tantum, ſiue ſextariū Romanum. ipſe eam menſuram confert cum cotyla, cuius erat tum in Aſia vſus, vbi illa ſcribebat. de hac cotyla aut non multum diſpari, Chryſoſtomi verba accipio, in caput v. epiſtolę ad Epheſios: οἴνου κοτύλη καὶ ἄρτος εἷς ἀρκεῖ γαστέρα ἐμπλῆσαι ἀνθρώπου. in libris medicorum harum menſurarum ratio longè diuerſa.

2. *Comediſſe & XL. libras carnis.*] ſiue ita legas, ſiue vt ſubiicitur LX. mediocris tamen erit hæc voratio, præ iis quæ de nobili phagone refert Vopiſcus in Aureliano.

4. *Oleribus ſemper abſtinuit.*] vt quorum eſus firmando corporis robori parum conduceret.

ib. *A frigidis prope ſemper, niſi cum illi potandi neceſsitas eſſet.*] infra de iuniore Gordiano: *Pomorum & olerum auidiſsimus fuit: frigidorum percupidus: nec facile per æſtatem niſi frigida edit, & quamplurimum bibit.* qui ſint cibi ψυχικοὶ non eſt huius loci dicere.

8. *Ordines duxit, centuriatus, & cæteras militares dignitates ſæpe tractauit.*] clara ſententia, quam inuoluit Symmachus: *ordines duxit, ac ſæpe famam factis extendens, inter plures militiæ gradus centuriaſque, ſtrenuitatis ſuæ pretium tulit.* vides calamiſtros inuſtos imitatione Virgiliana: ſed interea mens male concepta. ſed legitur in aliis Iornandis libris, *centuriatumque*, idque melius.

10. *Quod eum qui imperatoris ſui filium occiderat, vehementer odiſſet.*] Symmachus: *nunquam ſe oculis obtulit* Macrini, *indignum ducens eius imperium, quod perpetratum facinus erat quæſitum ab* Heliogabalo. hæc ita ſunt edita etiam à doctiſſimis viris nuper: quæ tamen deformiter ſunt corrupta

rupta. Scribendum,*quod per patratum facinus erat quæsitum. Ad Heliogabalum dehinc quasi ad Antonini filium reuertens,tr.* etiam in nonnullis editis recte legitur *per patratum f* cætera emendauimus ex historia & Capitolino:vnde mutuatus videtur Symmachus.

14. *Alani quicunque ad ripam venerunt.*] Scrib.*venerant.*

17. *Imperatorem comperit.*] Scripti, *imperare.*

26. *Alij Achillem,alij Aiacem.*] Supple ex scripta lectione, *alij Ac.alij Hectorem,alij Ai.*

Pag.210.vers.1. *Legionis quartæ quam ex tironibus ipse composuerat.*] Videtur hæc legio prioribus quas describit Dio,ab Alexandro adiecta. nam aliud est *componere legionem.*aliud numeros supplere.obscurius Herodianus: τὸν δὴ Μαξιμῖνον τοῦτον ὁ Ἀλέξανδρος ἐπέστησε πάσῃ τῇ τοῦ στρατοῦ νεολαίᾳ.

5. *Ne vitia eorum sub aliis inolescentia.*] participio præsentis,dat significationem præteriti temporis: quo Latina lingua caret.

12. *Quotidie circumspicere.*] circumspiciebat:non enim pendet à verbo *iubebat.*Similia his in Auidio Cassio,& alibi.

13. *Prorsus vt se parem militibus præberet.*] exemplo, quod efficacissimum docendi genus est, ad omnia præibat, quæ militibus imperaret. Lege hic Herodia.

18. *Iam grandæuus.*] Scripti,*idem quindenos.*

21. *Non magnam rem facis si tribunus tuos milites vincis.*] ad gratiam tribuno suo cedentes,& ἐθελοκακοῦντας.

26. *Vt octo pedes digito videretur egressus.*] De hac statura diximus ad Suetonij librum tertium capite LXVIII. Symmachus: *erat,vt fertur statura eius procera,vltra octo pedes.* Obserua locutionem,*videretur egressus.* id est egrederetur. sic passim in his scriptoribus. Lampridius in Alagabalo: *si quando ea erant designanda, quæ sub eo facta videbantur.* pro facta essent.ibidem: *serica vestis tunc in raritate videbatur & honore.*pro erat.in Alexandro: *Gallia semper etiam minusculis imperatoribus subiecta fuisse videbatur.*id est fuerat.Spartianus in Geta:*eius qui à fratre videretur occisus.* pro esset occisus. sic in extremo Caracallo, *vt à patre videretur occisus*: obscuro sensu, nisi exponas, vt à patre occideretur. sic Capitolinus in Macrino,*epigramma videtur extare*: cum deinde subiiciat ipsum epigrāma. & Vopiscus in Probo, *Lugdunenses ab Aureliano grauiter contusi videbantur.* ita loqui & M.Tullium facile obseruabunt studiosi elegantiarū Latini sermonis.Cæterū de staturaMaximini plura inferius notamus.

27. *Pollice ita vasto,vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo.*] vxoris Maximini alibi Capitolinus non meminit: quæ tamen digna fuit matrona cuius nomen in literas mitteretur:quod studiose factum ab Ammiano fuerat in libris qui perierunt, vt ipse testatur libro XIV. *Dextrocherium* armillarum species est. Solebant sæpe veteres non in vtroque brachio, sed altero tantum has gestare: interdum læuo,viri quidem,vt de Sabinis notissima historia fidem facit: interdum dextro, vt nomen

hoc declarat dextrocherium, quasi δεξιόχειρον. & brachium enim χειρὸς appellatione Græci aliquando complexi ſunt. Dextrocherij meminit iterum Capitolinus in Maximino iuniore. & Trebellius etiam in Quieto tyranno. Lucifer Caralitanus De non parcendo in Deum delinquentibus, ad Conſtantium: *debemus vereri regni tui diadema, inaurem etiam & dextrocheria.* B. Ambroſ. De paſſione Agnetis: *Diſcede à me quia iã ab alio amatore præuẽta ſum, qui mihi ſatis meliora te obtulit ornamẽta, & anulo fidei ſuæ ſubarrauit me, longe te nobilior & genere & dignitate. ornauit me inæſtimabili dextrocherio: dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis.* Vetus quoque Iuuenalis interpres, *ſuccina grandia* quorum poeta meminit ſatyra IX. interpretatur *gẽmata dextrocheria.* Poſteà verò appellarunt, vt videtur, dextras: nam Iſidorus lib. XIX. cap. XXXI. inter catellas & armillas recenſet dextras, quas ait fuiſſe communes virorum ac feminarum: quæ ante manicam portarentur, (manus cum brachio commiſſuram puto intelligi) & ibi clauo vno iungerentur.

28. *Iam illa prope in vulgi ore ſunt poſita.*] Regius & alter Puteani *in elogio ſ.p.* quod nolui prætermittere.

31. *Lapides tophicios friaret.*] Melius ſcripti, *tophinos.* vel ſcribe, *tophaceos.*

33. *Antæum alij vocant.*] Scripti melius, *vocarent.* vt hæc ſuperioribus connectantur.

35. *Omni exercitui præfecit.*] hoc nuſquam Herodianus: & puto vix eſſe verum. ſic tamen & Aurelius Victor: nam recte viri docti ſcribendam apud illum viderunt, *præſidens rei bellicæ*: non autem *Trebellicæ.*

Pag. 211. verſ. 14. *Maximinus primùm è corpore militari, & nondum ſenator ſine decreto ſenatus, Aug.*] Accedet lux aliqua ſententiæ, ſi ſcribas *primus.* nam ea mens. etſi equidem non video quid hic ſit adeo ſingulare, & quod antè in Opilio Macrino non eſſet factum. Aurelius Victor: *Caius Iulius Maximinus præſidens rei bellicæ, primus è militaribus, literarum fere rudis. potentiam cepit, ſuffragiis legionum. quod tamen etiam patres, dum periculoſum exiſtimant inermes armato reſiſtere, approbauerunt.*

19. *Sed etiam præmiis & lucris ſui amantiſſimos redderet.*] Herodianus, εἶχέ τε καὶ δώροις αὐτοὺς καὶ παντοδαπαῖς τιμαῖς ᾠκειώσατο.

20. *Nunquam ann.*] Scripti, *nunquam ille annonam.*

21. *Nunquam fuit qui in exercitu faber.*] quaſi fabrilis opera & omne artificium militem Ro. dedeceret: quod veterum diſciplina aliter fuerat conſtitutum. Sed ſtudio rerum nouarum hoc innouatũ Maximino.

25. *Typhonẽ, vel Gygem.*] Heſiodus de Cœli & Telluris filiis gigãtibus:

Τρεῖς παῖδες μεγάλοι τε καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί,
Κόττος τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα.

Typhon ἑκατοντακέφαλος ex Græcis poetis notus.

28. *Audiebat enim.*] Scribe, *Audiebant enim.* cum libris.

29. *Alios animalibus nuper occiſis incluſos.*] Lege vitã Opilij Macrini.

32. Cu-

32. *Cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit.*] Membranæ, *c.e.etiam ciuilia regere voluit.*

36. *A nobilitate contemneretur.*] Hæc lectio regij, cui aſſentiuntur & Puteanei.peſpicuè:etſi vulgatam aliter poteramus concinnare, non ineptè:ſic, *ne propter humilitatem generis à barbarica nouitate contemneretur.*

Pag.212.verſ.1. *Vt ne à procuratoribus quidem eorum videretur.*] Scribebam, *viſeretur.* ſed habent regius & Puteani, *audiretur.* ſcribendum, *adiretur.*

2. *Et vt ſe habent ſtultæ opiniones.*] Reg. *vt habent . . . opiniones.* nihil mutandum:niſi *ſtultorum* malis quàm *ſtultæ*.in Alexandro: *verùm Gallicanæ mentes, vt ſe habent duræ.*

ib. *Tales eos contra ſperabat futuros.*] Membranæ, *contra ſe*, optimè. *contra*, pro erga vel aduerſum. *ſperare*, pro δοκεῖν tranſlatitium apud hos ſcriptores, vt apud Græcos ἐλπίζειν.

3. *Tantum valet conſcientia degeneris animi.*] ideo celebratum apud Græcos prouerbium, Ἀφόρητος ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας. cuius & Dio meminit hiſtoria LVIII.

12. *Ob magnitudinem corporis ſui virtutiſque munus.*] Poſſet ferri, niſi palàm rectum eſſet, quod ſuggerunt ſcripti. nam in regio eſt *minus*. vnde liquidò conſtat eſſe ſcribendum *mimus.* & ita emendauerat è ſuis libris Puteanus. Lege igitur, *ob m.c.virtutiſque, mimus quidam in th.* ſequitur, *interrogaret quid mimus ſcurra dixiſſet.*

11. *Verſus Græcos dixiſſe.*] An iſtos?

Ἕνα τις πεφυγὼς, κλείνεται πολλῶν βίᾳ·
Ἐλέφας μέγιστός ἐστι θὴρ, καὶ κλείνεται.
Ἰσχυρός ἐστι χ' ὡ λέων, καὶ κτείνεται·
Καὶ τίγρις ἐστὶν ἀλκίμη, καὶ κτείνεται·
Πολλοὺς φύλαττε τοὺς καθ' ἓν οὐ φοβούμενος.

ſimilis elegantiæ venuſtate compoſitum eſt epigramma de Charino apud Martialem libro primo.

13. *Elephas grandis eſt & occiditur.*] non diſſimile illud Sophoclis de boue, in Aiace.

Μέγας δὲ πλευρὰς βοῦς, ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως
Μάστιγος ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.

14. *Leo fortis eſt & occiditur.*] Eandem ſententiam elegantiſſimo prouerbio expreſſam inuenimus, cum Arabicorum prouerbiorum libellum deſcriberemus: *Culix leonini oculi pupillam fodit.*

18. *Mimus ſcurra.*] Membranæ, *inimicus.* ſcribendum *mimicus.*

22. *Aut Athenionis.*] Regius, *Cremonis.* non mutandum: Athenio enim dux non obſcuræ famæ ſeruorum fugitiuorum, qui in Sicilia aliquando rebellarunt. Appianus libro de bellis Mithridaticis,

23. *Præterea omnes Alexandri miniſtros variis modis interemit.*] Narrat Herodianus:atque in his multi fideles Chriſtiani occiſi, quos in mini-

sterio suo habuit Alexander. Eusebius Historiæ eccles. libro VI. capite XXVIII.

24. *Et dum suspectos habet amicos ac m.*] Herodianus, τοὺς δὲ πλείστους αὐτῶν καὶ ἀπέκτεινεν ἐπιβουλὰς ὑποπτεύων.

25. *Cum esset ita moratus ut ferarum more viueret.*] Pergit cum Herodiano ordine eodem: sed verba videntur ab alio Græco scriptore, qui dixerat, θηριώδης δὲ ὢν τὰ ἤθη. Aristoteles vocat θηριότητα. & distinguit ἀπὸ τῆς κακίας. iterum infra: *immanior fiebat ferarum more, quæ vulneratæ magis exulcerantur.* vide in Gordianis.

27. *Magni cuiusdam consularis viri.*] Herodianus, Μάγνος τις ὄνομα ἦν τῶν εὐπατριδῶν τε καὶ ὑπατευκότων.

28. *Cum multis militibus & centurionibus.*] Suspicari licet deesse membrum vnum, *& senatoribus*. nam ait Herodianus quem describit pæne ad verbum: πολλῶν τε ἑκατοντάρχων συμπνεόντων, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἁπάντων. ecce centuriones & senatores: sed & militum statim meminit: καὶ στρατιώτας τινὰς πείθειν.

30. *Et genus factionis fuit tale.*] ad verbum ex Græco, ἡ δὲ συσκευὴ τοιαύτη τις ἠγγέλτο ἔσεσθαι. addit Capitolinus, *cum ponte iuncto in Germaniam transire Maximinus vellet.* Herodianus, γεφυρώσας τὸν ποταμὸν ὁ Μαξιμῖνος ἔμελλεν ἐπὶ Γερμανοὺς διαβήσεσθαι. in proximis verbis nonnihil variat.

34. *Nam omnia ceperat agere.*] Reg. *omnia bella ceperat agere.* nempe Maximinus, non Magnus. vertit Herodianum, sed liberius: adscribam eius verba, vt conferri possint: ἅμα γὰρ τῷ τὴν ἀρχὴν παραλαβεῖν, εὐθέως πολεμικῶν ἔργων ἤρξατο.

35. *Statim vt factus imperator, peritus vt pote rei militaris.*] id est, qui sciret ideo se factum imperatorem, quia esset rei militaris peritus. Herodianus, διά τε σώματος μέγεθος, καὶ ἰσχὺν στρατιωτικὴν καὶ ἐμπειρίαν πολεμικὴν δοκοῦντα ἐπιλελέχθαι.

36. *Volens existimationem de se habitam tenere.*] ἔργοις τὴν δόξαν καὶ τὴν τῶν στρατιωτῶν ὑπόληψιν ἐπιστοῦτο. Herod.

ib. *Et ante omnes Alexandri gloriam, quem ipse occiderat, vincere.*] Obseruat paullo post Capitolinus, Herodianum Alexandri odio gloriæ Maximini plurimum fauisse: dicemus ad illum locum ea de re quid nobis videatur: sed exemplum heic illustre: nam Herodianus scripserat, τὴν Ἀλεξάνδρου μέλλησιν καὶ τὴν πρὸς τὰ πολεμικὰ ἔργα δειλίαν διελέγχειν ἐπειρᾶτο εἰκότως κατεγνωσμένην. *conabatur*, inquit, *rebus probare, damnatam merito fuisse Alexandri cunctationem, & meticulosum in bellicis rebus animum.* quare hæc dicat Herodianus ex historia eius sexta clarum est. at Capitolinus qui de rebus bello gestis ab Alexandro idem cum Lampridio sentiebat, quàm in contrariam sententiam hæc vertit?

Pag. 213. vers. 1. *Quare imperator etiam in exercitio quotidie milites detinebat.*] ἀσκῶν τε οὖν καὶ γυμνάζων τοὺς στρατιώτας οὐ διέλιπεν. Her.

2. *Eratque in armis ipse magnus in exercitio, & corpore multa semper osten-*

oſtendens.] Hæc ſunt corrupta : quod apparet ex auctore quem vertit: nam Herodiani ſunt verba : αὐτός τε ἐν ὅπλοις ὤν, καὶ τὸν στρατὸν ἀεὶ παρορμῶν. ex comparatione horum locorum, ſuboluit ſtatim menda in voce *exercitio.* nec decepti ſumus : nam in regio & Puteani inuenimus *exercitui.* hoc igitur rectè, ſed locus nondum purgatus. Lego verò: *eratque in armis ipſe, manu exercitui & corpore multa ſemper oſtendens.* profecto non aliter ſcripſerat Capitolinus : qui paullo quidem liberius, ſed eleganter tamen τὸν στρατὸν ἀεὶ παρορμῶν, vertit, *manu & corpore exercitui multa ſemper oſtendere.* non ſemel notamus in his libris *oſtendere* Græco more poſitum pro ἔργα ἀποδεικνύειν. ita heic, vel pro διδάσκειν, & exemplo præire.

4. *Maximinus ipſe finxiſſe perhibetur.*] Herodianus rem in incerto relinquit, ἐπεὶ ἔμφυεν αὐτὸς ἐξελέγξας, ait.

5. *Sine iudicio, ſine accuſatione, ſine delatione, ſine defenſione.*] μήτε κρίσει τινὶ μηδὲ δίκῃ, μήτε ἀπολογίᾳ.

7. *Et plus quatuor millibus hominum occiſis, ſe ſatiare non potuit.*] hoc Capitol. aliũde quàm ex Herodiano: qui hoc ſolum : πάντας οὓς ὑπώπτευεν, αἰφνιδίως συναρπάσας, ἀφειδῶς ἐφόνευσεν. *quoſcunque ſuſpectos habuit, repente correptos, ſine miſericordia occidit.* de numero occiſorum nihil. an vt facti inuidiam minueret? neſcio. ſed quin ita eius ſilentium Capitolinus ſit interpretatus, nullum dubium.

8. *Fuit etiam ſub eodem factio deſciſcentibus, ſagittariis Oſdroenis ab eodem.*] Et hæc narratio tota ex Herodiano eſt. ἐγένετο δέ τις καὶ Οσροηνῶν τοξοτῶν ἀπόστασις.

11. *Denique etiam ipſi Tycum ex ſuis ſibi ducem atque imperatorem fecerunt.*] Videtur aliter apud Herodianum legiſſe, quàm vt hodie editur: περιτυχόντες τῶν ἀπὸ ὑπατείας καὶ φίλων Ἀλεξάνδρου τινί, (Κουαρτῖνος δ᾽ ἦν ὄνομα ὃν Μαξιμῖνος ἐκπέμψας ἦν τοῦ στρατοῦ) ἁρπάσαντες ἄκοντα καὶ οὐδὲν προειδότα, στρατηγὸν ἑαυτῶν κατέστησαν. quem Græcus Quartinum, noſter Tycum nominat. Trebellius Pollio, qui triginta ſuis tyrannis hunc accudit, appellat Titum. & tamen auctores laudat Trebellius Dexippũ & Herodianum. ait autem imperaſſe hũc ſex menſibus: ſed ita obſcurũ fuiſſe eius imperium, vt de eo omnia variè ſint ab auctoribus tradita, ipſumque adeo hominis nomẽ vix agnoſcatur. ſed Herodiani verba expẽdamus. Ait, τῶν ἀπὸ ὑπατείας. conſularem virum fuiſſe minuſculum hũc imperatorem ſiue tyrannum, neque Capitolinus dicit, neque Pollio : niſi tamen obſcure hoc ſignificatum volumus iſtis verbis : *Fuit hic vir de primis erga Remp. domi foriſque laudabilis.* iuuant quæ de eius vxore Calphurnia ſancta, vt appellat ipſe & venerabili fœmina de genere Cenſorinorum ſiue Piſonum, ibi ſubiicit. ſed hanc coniecturam labefactat Pollio idem, qui tribunum Maurorum hunc Titum vocat. videamus igitur, num apud Herodianum ſcribendum ſit, τῶν ἀπὸ στρατείας. Addit, καὶ φίλων Ἀλεξάνδρου. Capitolinus qui vertit *ex ſuis*, videtur legiſſe, καὶ φίλων ἑαυτοῖς. Ait, Κυαρτῖνος δ᾽ ἦν ὄνομα. ſcimus inter vſitata Romæ tum cognomina & hoc fuiſſe:

ſed cum iſtum Capitolinus Tycum, Pollio Titum, neuter Quartinũ nominet, ſuſpicatus aliquando ſum, olim fortaſſe in Herodiani codicibus hunc locum ita fuiſſe ſcriptum, φίλων Ἀλεξάνδρου (vel ἑαυτοῖς) τινὶ, Τύκος αὐτῷ ἢ Τίτος ἦν ὄνομα. Sequitur, ὃν Μαξιμῖνος ἐκπέμψας ἦν τῆς στρατιᾶς. Capitolinus: *quem Maximinus priuatum iam dimiſerat.* Trebellius Pollio, *qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat.* priuati opponũtur militantibus, ceu pagani, vt libro ſuperiore dicebamus. Addit, πορφύρα τε καὶ πυρὶ προπομπεύοντι (ita corrigẽdũ:) ὀλεθρίοις τιμαῖς ἐκόσμησαν. Capit. *quem & purpura circũdederunt, regioq; apparatu ornarunt.* appellat *regium ornatũ*, ignis prælationem: quod inter inſignia imperatoriæ maieſtatis fuiſſe vel præcipuum vnus ex antiquis diuerſis locis docet nos Herodianus.

16. *Dormiens domi ſuæ.*] tentorium vocat domum militis. Herod. ἐν τῇ σκηνῇ καθεύδων.

17. *Macedonio nomine.*] Scribe, *Macedone nomine.* Herod. Μακεδὼν ἦν ὄνομα αὐτῷ. confer & quæ ſequuntur.

25. *Quòd nulli magis contra Germanos quàm expediti ſagittarij valent.*] Herodianus, μάλιστα οἱ ἀκοντισταὶ καὶ οἱ τοξόται πρὸς τὰς Γερμανῶν μάχας ἐπιτήδειοι δοκοῦσιν.

26. *Mirandum autem apparatum, belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidiſſe.*] Herodia. τὰ δὲ πλήθη ταῦτα τῆς στρατιᾶς καὶ πρότερον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἤθροιστο, ηὐξήθη δὲ ὑπὸ τοῦ Μαξιμίνου. vide Lampridium extremo libro ſuperiore.

28. *Ingreſſus igitur Germaniam Transrhen.*] Herod. γενόμενος δὴ ἐν τῇ πολεμίᾳ Μαξ. compara totum locum. tamen Capitolinus non omnia ſumit ab Herodiano.

37. *Habuit enim hoc Barbaricæ temeritatis, vt putaret imperatorem manu et.*] Hic quoque Maximino æquior eſt Herodianus quàm Capitolinus: cui videtur religio fuiſſe aliquid in eo homine laudare, quem propter crudelitatem ſatis nemo poſſit deteſtari.

Pag. 214. verſ. 1. *Denique quaſi nauale quoddam prælium in palude fecit.*] Herodianus, τήν τε λίμνην αἵματι κερασθεῖσαν πεζομαχοῦντι στρατῷ ναυμαχίας ὄψιν παρέχειν.

15. *Iuſsit præterea tabulas pingi, ita vt erat bellum ipſum geſtum.*] ταύτην τὴν μάχην καὶ τὴν ἀριστείαν αὐτοῦ οὐ μόνον διὰ γραμμάτων τῇ τε συγκλήτῳ καὶ τῷ δήμῳ ἐδήλωσεν, ἀλλὰ καὶ γραφῆναι κελεύσας.

15. *Et ante Curiam proponi.*] εἰκόσιν ἀνέθηκε πρὸ τοῦ βουλευτηρίου.

ib. *Vt facta eius pictura loqueretur.*] ἵνα μὴ μόνον ἀκούειν τὰ γενόμενα, ἀλλὰ καὶ βλέπειν ἔχωσι Ῥωμαῖοι. de hoc more ſupra ad Peſcennium.

16. *Et deponi iuſsit & exuri.*] Herodianus tantum, καθεῖλεν ἡ σύγκλητος.

17. *Fuerunt & alia ſub eo bella plurima.*] Capitolinus qui maluit loqui cum Maximino homine ſemibarbaro, quàm ſequi Herodianũ, peſſimo Latinitatis exemplo *bella* dixit pro prælia. nam omnino verũ eſt quod Herodianus ait: γεγόνασι δὲ καὶ ἕτεραι συμβολαί. neque aliud Capitolinus

nus voluit. ſed *bella* dixit imitatione Maximini: cuius ſunt verba in iis quæ ſtatim afferuntur: *Breui tempore P.C tot bella geßi quot nemo veterum.*

ib. *Ex quibus ſemper primus victor reuertit.*] quid eſt *primus victor?* Ego non dubito locum eſſe corruptum. ſcriptum erat, *ſemper Mus. vict. reu.* imperite ſcripſerunt vt eſt editum: cum ſit legendum, *ſemper Maximinus victor reu.* ſententia eſt ex Herodiano. loquendi genus tritum, & antea notatum.

24. *Pacata Germania Sirmium venit Sarmatis inferre bellum parans.*] hiemauit in Pannoniæ vrbe maxima Sirmio: neceſſaria ad expeditionem in proximum ver parans. Herodianus: qui Sarmatas tamen non nominat.

ib. *Sarmatis inferre bellum parans atque in animo habens, concupiens vſque ad Oc.*] Sic & membranæ omnes. videtur tamen otioſum verbum *concupiens.* & fortaſſe tollendum. niſi quod multa etiam apud optimos ſcriptores ἐκ παραλλήλου poſita inuenias.

27. *Quod feciſſet ſi vixiſſet vt Herodianus dicit.*] ἠπείλει γὰρ, καὶ πεποιήκει ἂν, ἐκκόψειν τε καὶ ὑποτάξειν τὰ μέχρι ὠκεανοῦ Γερμανῶν ἔθνη βάρβαρα.

28. *Qui ei, quantum videmus in odium Alexandri plurimum fauit.*] Duo heic obiiciuntur ſcriptori optimo: quod Alexandrum oderit, Maximino fauerit. Vnde colligi potuerit amor Herodiani in Maximinũ, in eius hiſtoria nihil inuenio: at in Alexandrum odium ex narratione de bello Perſico & Germanico, ſine dubio Capitolinus collegit. ſic enim tota expeditionum illarum hiſtoria Herodiano texitur, vt gloriam nullam, ignominiam verò nonnullam ex vtroque bello, maxime autem Perſico, princeps alioquin laude digniſſimus reportarit. Et mirum ſane eſt de bellicis eius imperatoris rebus adeo nõ diuerſa, ſed ἐκ διαμέτρου, quod aiunt, pugnantia Herodianum & Capitolinum ſcripſiſſe. etſi autem, amiſſis omnibus aliis hiſtoricis, pro certo dici hodie non poteſt vtrius ſit narratio verior: ſuſpicor tamen Herodiano fieri à Capitolino iniuriam: & quod in Alexandro non omnia laudet, in Maximino non omnia vituperet, libertate ſua, & recto iudicio vſum potius, quàm vel odio vel gratia fuiſſe corruptum. Videntur offendiſſe Capitolinum quædam in Alexandrum dicta aſperius apud Herodianum: cuiuſmodi illud eſt: ἀπεμίμνησκον δὲ ἀλλήλοις τῶν τε ὑπὸ τὰς ἀναβολὰς διὰ μέλλησιν αὐτοῦ πταισμάτων, καὶ ὅτι μηδὲν ἀνδρεῖον, μηδὲ νεανικὸν εἰς Γερμανοὺς ἐλθὼν παρέχοιτο. & ſimiles loci. ſed meminiſſe Capit. oportuit, nõ ex perſona auctoris iſta dici, neq. illius iudiciũ continere, verum capitalis hoſtis Maximini: quem grauiora his de imperatore ſuo iactaſſe cum rebellionem pararet, quis dubitat? Cum igitur quæ laudanda erant plurima in Alexandro, vbertim ſine vlla maleuolentiæ nota ab Herodiano in literas ſint miſſa: quæ in tyrannide Maximini odio & deteſtatione digna prolixè ſint ab eo deſcripta, cauſſa nihil eſt, cur Capitolini iudicium hoc faciemus vel tanti.

30. *Quod delatores euocaret, accusatorem immitteret.*] Herodianus, αἰτίαις πᾶσι, μᾶλλον δὲ καὶ προκλήσεις δέδετο συκοφάνταις.

32. *Ex ditißimis hominibus pauperrimos faceret.*] acrius hæc queritur Herod. cerneres ait diebus singulis homines pridie locupletissimos, postridie ostiatim mendicantes.

35. *Alios Scythicis vehiculis exhiberet.*] Erit sensus paullo planior si scribas, *alios sibi Scythicis vehiculis exh.* nam hoc vult: solitum Maximinum quotiescunque per calumniam aliquis esset delatus, vbicunque esse ille diceretur, eò statim mittere è Pannonia certos homines vehiculis Scythicis impositos, qui miserum raperent, & ministerio suorum nudatum, ad Maximinum mira celeritate transferrent, eiusque oculis subiicerent. *exhibere sibi aliquem*, pro iubere vt aliquis præsens sibi sistatur, non inelegans est locutio. sic autem exponendum esse, Herodianus nos docuit: πλείστους γοῦν, inquit ille, τῶν ἔθνη καὶ στρατόπεδα πεπιστευμένων μετ' ὑπατείας τιμὴν, ἢ δόξαν ἐπὶ τροπαίοις προσγινομένην, ἐκ μικρᾶς τε εὐτελοῦς διαβολῆς ἀνδραπόδοις ἐποίει· τε ἐκέλευσέ τε αὐτοὺς ὑπηρεσίας μόνοις ὀχήμασιν ἐπιτεθέντας νύκτωρ τε μεθ' ἡμέραν ὁδεύοντας ἐξ ἀνατολῶν, ἢ δύσεως, εἰ τύχοι, ἀπό τε μεσημβρίας ἐς Παίονας ἔνθα διέτριβε. vides quàm multa verba in quam pauca noster contraxerit.

37. *Quod ad crudelitatem videretur operari.*] Notent tirones, *operari* pro facere, συντείνειν, συντελεῖν, vel συνεργεῖν. locutio minus Latina.

Pag. 215. vers. 5. *Erat fisci procurator in Libya.*] Herodianus, Ἐπιτροπεύοντός τις τῆς Καρχηδονίας χώρας τραχύτατα.

ib. *Maximini studio.*] βουλόμενος εὐδοκιμεῖν παρὰ τῷ Μαξιμίνῳ.

6. *Hic per rusticanam plebem.*] Reg. *Lusitanam*. absurde. Herodianus, κελεύουσι νύκτωρ κατελθεῖν τοὺς ἐκ τῶν ἀγρῶν νεανίσκους. possis tamen legere *Tysdritanam*. vt in sententia Cos. de Gordiani imperio: *Gratias igitur agamus Tysdritanæ iuuentuti.*

7. *Per eos qui rationalem in honorem Maximini defendebant.*] Rationalem vocat quem modo procuratorem dicebat: qua de re ad librum superiorem. Est ergo falsissimum rationalem à suis occisum esse, quem dixit modo à rusticana plebe coniurata trucidatum. Scribo *inter eos*: nam re vera inter suos hic fuit occisus, qui & vlcisci eius mortem sunt aggressi: sed mox à vi abstinere coacti. Herod. ita narrat. non video qui possint aliter exponi rectè hæc verba.

8. *Sed cum viderent auctores cædis eius acrioribus remediis sibi subueniendum.*] Herod. οἱ νεανίσκοι ἅπαξ ἐν ἀπογνώσει γενόμενοι, μόνην ᾔδεσαν ἑαυτοῖς σωτηρίαν ὑπάρχουσαν, εἰ τὰ τολμηθέντα αὐτοῖς, αὐξήσαιεν ἔργοις μείζοσι. & postea, ἔργον ἡμῖν τετόλμηται μείζονος ἀπογνώσεως δεόμενον. Mauricius quidam fuit huius consilij auctor: de quo in Gordianis.

12. *Ab Alexandro ex senatusconsulto in Africam missum.*] κλήρῳ ait Herod. quod non repugnat: nam cum ex senatus auctoritate prouinciæ comparabantur sors intercedebat, vt passim apud Liuium, Marcum

Tul-

Tulliũ &Dionem.in Gordianis extat pars epiſtolæ qua ſenatui gratias agit Alexander,quod Gordianũ ad Africam proconſulem deſtinauerit.

13. *Se terræ affligentem.*] ῥίψας ἀπὸ τοῦ σκίμποδος εἰς γῆν ἑαυτόν. vide in Gordianis.

ib. *Opertum purpura.*] vere *opertum*:non enim amictum. nam ſublata devexillis purpura,cum non alia eſſet ad manum,temere ea ſenem inuitum circumfuderunt. vide libro ſequente. Herodianus chlamydem vocat:quia loco chlamydis eſt adhibita.

14. *Inſtantes cum gladiis.*] Herod. ξιφήρεις ἐνέκειντο.

17. *Volens ſuſcepit imperium.*] προφασιζόμενος δὲ καὶ γῆρας προϊσχόμενος ἐκεῖνος, ἄλλως δὲ φιλόδοξος ὢν, οὐδὲ ἀηδῶς ὑπέστη.

18. *Apud oppidum Tiſdrum.*] Herod. Θύσδρον. ſed notum eruditis quàm varie ſcriptum nomen hoc inueniatur. puto rectum eſſe *Thyſdrus*:quaſi dicas Ὀρνεόπολις, vel Ταῶ πόλις, ſiue κώμη.

ib. *Inde Carthaginem venit cum pompa regali.*] εἰς τὴν Καρχηδόνα ἠπείχθη· εἵπετο δὲ αὐτῷ πᾶσα ἡ βασιλικὴ πομπή.

19. *Et protectoribus & faſcibus laureatis.*] *Protectores* appellat, quos oſtendit Herod. electos ad cuſtodiam corporis, cum è militibus qui Carthagine potuerunt reperiri,tum è ciuium numero altiſſimę quemque ſtaturæ. de lauro addita faſcibus quos vt proconſul habuit etiam antea Gordianus,lege Herod. ſed omittit Capitolinus de prælato igne: quod,cæteris omnibus hiſtoricis diligentior hac in parte Herodianus, non prætermiſit.

21. *Quæ occiſo Valeriano duce militum prætorianorum.*] quomodo occiſo? arte & dolo Gordiani. Herod. προνοήσαντο δὲ τοῦ πρότερον ἀναιρεθῆναι τὸν κατὰ τὴν Ῥώμην τῶν στρατοπέδων προεστῶτα. Sed legendum heic, *Vitaliano*. quomodo recte ſcribitur libro ſequente, vbi multa de cæde. addit enim Herod. Βιταλιανὸς δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ. & ita ſæpius apud illum nominatur. in altero codicum Puteani, *Iuliano* fuit. quod propius ad veram lectionẽ accedit. Eſt & Valeriani mentio in hac hiſtoria, vt libro ſequente non ſemel: ſed is princeps ſenatus fuit, qui & ipſe poſtea imperauit.

26. *Percuſſus in populo*] libro ſequente, *fuſte percuſſus, occiſus, & in publico derelictus eſt.* Herod. ξύλῳ παιωθέντα κατὰ τοῦ κρανίου πληγῆσαι.

31. *Quæ auditæ ſunt ab omnibus.*] οἱ πλεῖστοι προσήκαντο τὴν πρεσβείαν.

23. *Paucæ ciuitates fidem hoſti publico ſeruauerunt.*] Herod. ὀλίγοι δέ τινες ἢ διεχρήσαντο τοὺς ἐλθόντας πρέσβεις, ἢ μετὰ φρουρᾶς πρὸς ἐκεῖνον παρέπεμψαν.

35. *Ad Maximinum cito per indices detulerint.*] Scrib. *per indices rem detul.* ſed Herod. non rem per indices, ſed ipſos ſenatus legatos ad Maximinum ſcribit miſſos.

Pag.216.verſ.11. *Iunius Silanus conſul.*] ſuffectus ex Kal. Maij cum Meſſio Gallicano.

12. *Gordiani imperatoris patris patriæ proconſulis.*] quod *imperatoris* nomen vel Gordianus in literarum ad ſenatum titulo vſurpauit, vel

Silanus Cos. cum de eo ad senatum relationem institueret, manifesta ratio est: iam enim ab Africanis salutatus fuerat imperator. sed cur illa adduntur *patris patriæ*? omnino id cognomen alienum est ab hoc loco: & fortasse inde ortum, quod ad vocem Gordiani adnotasset aliquis, de patre intelligendum esse non de filio aut nepote.

13. *Inuitum me P.C. iuuenes quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt.*] Gordianum fecerant imperatorem iuuenes rustici, & pauci milites qui se illis adiunxerant. vtrosque igitur appellatione iuuenum heic intelligit. Herodianus auctores consilij huius νεανίσκους sæpius nominat. sic lib. seq. *appellato Gordiano imperatore, iuuenes qui auctores huius facinoris erant, statuas Maximini deiecerunt.*

23. *Ita acclamatum est.*] Scrib. *item acclam.*

30. *Sic exarsit, vt non hominem sed belluam putares.*] Herod. aliter: visum quidem tristiore vultu: sed voluisse tamē videri rem contemnere.

31. *Iaciebat se in parietes.*] vt olim Augustus ad Varianæ cladis nuntium. Suetonius libro secundo, cap. XXIII. vbi olim quædam notare meminimus. M. Tullius in tertia Tusculana, *ex hac opinione sunt illa varia & detestabilia genera lugendi: pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, fœminum, capitis percußiones.* similia de Maxim. & libro seq.

32. *Arripiebat gladium quasi senatum posset occidere.*] non idem est, sed simile quod narrat Herodianus: Maximinum in ea concione quam habuit apud suos, post acceptum hunc nuncium, iis verbis eo gestu manuum, eo nutu vultus in senatum exarsisse, quasi præsens ob oculos illi fuisset.

Pag. 217. vers. 6. *Alia de admißis amicis qui eum audire non poterant.*] Scripti quidam, *videre* non *audire*, nescio an *adire*. Herod. auctor est, Maximinum prima & altera die postquam accepisset hunc nuntium domi se continuisse, & concilium cum amicis habuisse, quid opus facto: tertia demum in concionem prodiisse.

8. *Consilium habuit.*] Scrib. *concilium.*

12. *Concio denique omnis militaris fuit, cuius hoc exemplum est.*] Videtur affirmare è publicis monumentis descriptam esse concionem quæ subiicitur: neque aliis verbis vsum Maximinum. Sane etiam in ea concione quam illi tribuit Herodianus, nōnulla obseruare licet, quæ istius imitationem redoleant.

17. *Et omnes qui mecum sunt.*] Regius, *sentiunt.*

ib. *Quos & senatui acceptißimos, & sibi aduersißimos esse credebant.*] de patribus conscriptis loquitur: quomodo igitur à patribus senatum separat? nisi voluit videri, paucos è patribus, sibi aduersari, non autem totum senatum. sed vide quæ statim dicemus.

19. *Quare factum est, vt diximus, vt Gordianum adolescentulum principem peterent.*] vbi hoc dixit Maximinus? aut quo reiiciunt nos ista verba? hoc primum male me habet isto loco. deinde illud quod de tertio Gordiano

diano heic loquatur Maximinus. atqui prima hæc illius fuiſſe cõcio dicitur poſt acceptũ de ſenatus defectione nuntiũ: quo tempore de Gordiani nepote, nihil dum cogitatum fuerat. tempus enim fere duorum menſium interceſſit à priorum Gordianorum creatione, ad tertij deſignationem. Accedit quod locutus de adoleſcentulo Gordiano ſubiicit querelam de patre filioque, toto rerum geſtarum ordine conturbato: quæ vitia in ea concione quam recitat Herodianus non inuenias: vbi de tertio Gordiano mentio nulla: neque aliud quidquam quod hiſtoriæ non conſentiat. His de cauſſis regium codicem ſequor, qui pro legitimis omnia hæc non agnoſcit: *quos & ſenatui acceptiſſimos & ſibi aduerſiſſimos eſſe credebant. Quare factum eſt, vt diximus, vt Gordianum adoleſcentulum principem peterent, qui ſtatim factus eſt, nec prius permiſſi ſunt ad palatium ſtipati armatis ire, quàm nepotem Gordiani Cæſaris nomine nuncuparent.* Quid dubitamus? ſatis conſtat non poſſe aliò hæc verba, quàm ad Maximi atq; Balbini creationẽ pertinere. quod adeo verũ eſt, vt libro de iis ſcripto eadem penitus verba repetãtur. is locus eſt legitimus huc verò quis caſus, ſiue quis furor ea inuexerit, difficile eſt diuinatu. Sequamur ergo regium codicem, & iis ſublatis ita ſcribamus: *me hoſtem iudicarunt, cum pro his pugnarem, & ipſis vincerem: nec ſolum me, ſed etiam vos, & omnes qui mecum ſentiunt: & Gordianos patrem ac filium Auguſtos vocarunt.* Prorſus inſignis reſtitutio, quam imputant nobis regiæ membranæ: quibus & Puteani alter codex aſſentitur.

24. *Quorum omnium bona vos habebitis.*] & principium huius concionis idem apud Herodianum, ſi ſententia ſpectetur, potius quàm verba: & clauſula plane gemina: nam ait ibi quoque Maximinus: ὡς ὑπάρξαι ἐμοί τε ὑμῖν τὰ ἐκείνων πάντα δοῦναι, ὑμῖν τε ἀδεῶς λαβοῦσι καρποῦσθαι.

27. *A Capeliano quodam.*] melius *Capelliano.* ſenatorem fuiſſe ſcribit Herod.

28. *Qui Mauros regenti ſucceſſorem dederat.*] διάδοχόν τε αὐτῷ ἔπεμψε καὶ τῶ ἔθνους ἐξήγειν ἐκέλευσε.

29. *Filium iuuenem cum miſiſſet.*] non adeo iuuenem: erat enim annorum XLVI. Herodianus hanc partem hiſtoriæ huius aliter paullò narrat.

33. *Omnes Gordiani partium, motu partium in Africa interemit.*] Dele illa, *motu partium*, aut muta in melius. quod non poſſumus nos.

35. *Ciuitates denique ſubuertit.*] ipſam Carthaginem, & omnes alias quæ imagines Maximini detraxerant, aut lutauerant. *ſubuertit* autem, non mœnia: ſed ſtatum ciuitatum, omnes honoratos contrucidans.

37. *Ipſe præterea militum animos ſibi conciliabat, præludens ad imperium, ſi Maximinus periſſet.*] elegantiſſime expreſſit ſumptam ex Herodiani hiſtoria ſententiam: λανθανόντως εὔνοιαν ἑαυτῷ παρὰ τῶν στρατιωτῶν μνώμενος, ἵν᾽ εἴπερ πταίσειεν τὰ Μαξιμίνου πράγματα, αὐτὸς ἔχων δύναμιν εὔνουν σφετερίσαιτο τὴν ἀρχὴν *[sic]* αὐτοποιήσαιτο.

Pag.218.verſ.2. *Hæc vbi Romam nuntiata ſunt.*] ὡς δὲ εἰς Ῥώμην ἐδηλώθη ἡ τοῦ πρεσβύτου τελευτή.

3. *Et iam neceſſariam.*] expreſſit illa, καὶ ἐπ' εὐλόγοις αἰτίαις.

4. *Maximum Pupienum.*] Ex antiquis nummis viri docti pridem docuerunt, dictum fuiſſe hunc M. CLODIVM PVPIENVM MAXIMVM. ſed omiſſis nomine & prænomine, auctores Græci Latinique cognominibus ſolis hunc denotarunt; illi MAXIMVM ſemper appellantes, hi ſemper PVPIENVM. Capitolinus qui Herodianum, vt oſtendimus, pæne ad verbum interpretabatur, Maximum cum illo vbique nominat, non autem Maximum Pupienum, vt hic perperam ſcriptum eſt. ſed delenda vox *Pupienum*, non ſolum quia regius & Puteani libri eam non agnoſcunt: verum etiam, quia Capitolinus cum hunc librum ſcriberet *Maximus* & *Pupienus*, eiuſdem hominis eſſe cognomina penitus ignorauit. quare cum apud Latinos ſcriptores Pupienum nominari obſeruaſſet, quem Herodiano, Dexippo & aliis Græcis conſtanter ſciret dici Maximum, ita impeditus hæſit, vt expedire ſe ex ea difficultate non potuerit. Et tamen ſuſpicabatur Capitolinus quod res erat: ſed ſuſpicioni ſuæ non poterat fidem habere. ideo ſcribit extremo hoc libro: *hic error vnde natus ſit ſcire non poſſum, niſi forte idem eſt Pupienus, qui & Maximus. quod ideo teſtatum poſui, ne quis me hoc neſciſſe crederet: quod reuera magnum ſtuporẽ ac miraculũ creat.* Sed æſtu hoc tandẽ liberatus eſt, cum in libros Fortunatiani incidiſſet. nam ait in fine libri quem de Maximo & Balbino ſcripſit: *Sed Fortunatiano credamus qui dicit Pupienum dictum nomine ſuo, cognomine verò paterno Maximum: vt omnium ſtupore legentibus aboliti videantur.* poſtrema verba, quæ ſunt deprauatiſſima, ſic corrige, *vt omni iam ſtupore legentes hæc abſoluti videantur.* reſpiciebat cum hæc ſcriberet, ſuperiora verba è libri huius fine. Sed nonne prodigij inſtar eſt, Capitolino veniſſe nunquam in mentem, vt lapides aut nummos inſpiceret? nam ad id genus ἀπορίας diſſoluendas, non aliud certius præſidium, quàm quod è veteribus nummis, aut lapidum monumentis petitur.

5. *Et qui plurimas dignitates, præcipue geßiſſet.*] Lego, *q. pl. dignitates, militares præcipue g.* Herodianus, τῶν ἐν ἀξιώμασιν, ἔν τε πολλαῖς στρατοπέδων ἀρχαῖς γενόμενος. plura ſuo loco Capit.

6. *Et Clodium Balbinum.*] Nummus apud Onuphrium, IMP. CAES. D. COELIVS. BALBINVS. AVG. Lege igitur *Cælium.* tamen alibi ſic vocat Capitolinus: vt in tertio Gordiano: & fortaſſe non aliter ipſe ſcripſerat. apud Victorem *Cæcilius.*

7. *Moribus delicatiorem.*] Herod. τὸ δὲ ἦθος ἁπλούστερος.

16. *Gallicano & Mæcenate.*] Confer cum vberiore deſcriptione apud Herodianum. Tangit & libro ſeq.

20. *Denique pars magna vrbis incenſa eſt.*] tanta pars vrbis, quanta non erat tum quæuis maximarum vrbium.

27. Qua-

27. *Quadrato agmine.*] Herod. τὰς τῶν ὁπλιτῶν φάλαγγας ἐς τετράγωνα ἔταξε σχήματα. & cauſſam ibi lege.

ib. *Hemonam venit.*] Varie corruptum eſt hoc nomen apud Græcos Latinoſq; ſcriptores. ſed recta ſcriptura eſt, EMON, vel EMONA. vt diciturVeron, & Verona, Narbo, & Narbona, & ſimilia. Græci Ἥμων. vt Zoſimus libro quinto, vbi habes de conditu huius vrbis digreſſiunculam. in Ptolemæi codicibus Ἥμωνα. in tabula itineraria quam Marco Velſero debemus & antiquis inſcriptionibus nonnullis EMONA recte ſcriptum. & ita ſemper emendandū: nam vbique deprauate hoc nomen ſcribitur: vt in hac hiſtoria apud Herodianum: ἐπέστησαν προσόπῃ Ἰταλίας πόλει, ἣν καλοῦσιν Ἡμᾶν οἱ ἐπιχώριοι: ſcribendum Ἥμωνα. Et Herodianus autem, & Capitolinus ex illo Emonam Italiæ vrbibus accenſent: quomodo videlicet vrbes finitimæ modo huic, modo illi earum prouinciarum quas contingunt attribuiſolent à ſcriptoribus, talium ſæpe incurioſis, vt & Strabo obſeruat. nam re vera Emona Pannoniæ ſuperioris vrbs erat, in finibus eius ſita, quà in Noricum ibatur & Italiam. ideo Ptolemæus inter Italiam & Pannoniam ſuperiorem eſſe ſcribit, ὑπὸ τὸ Νωρικόν. Zoſimus inter Pannoniam & Noricum.

33. *In qua poſt Alpes recreari ſe poſſe putabat.*] ergo Emona cis Alpes? Videtur Capitolinus qui legebat apud Herodianum in Italia eſſe hanc vrbem, temere inductus vt cis Alpes ſitam putaret. ſed negligenter legerat Herodiani verba: qui ait diſertè, ἱδρυμένην πρὸ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων. trans Alpes igitur: nam referendum illud *ante* ad Maximinum è Pannonia venientem. quod verum eſſe conſtat ex Ptolemæi deſcriptione: qui Emonam locat in commiſſura Cetij montis & Albani. quos montes Alpium appellatione Herodianus hoc loco, vt & alij multi veterum, eſt complexus. melius profectò quàm Zoſimus, qui Apenninos ſine exemplo nominat, montes quibus Pannonia & Noricum ſeparantur, quique Emona Aquileiam petentibus neceſſario ſuperandi. ſed aliter fortaſſe ſcripſerat Zoſimus. Cæterum excuſari poſſe Capitolinum non negauerim, ſi eius verba de fame accipiantur quam paſſus Maximini exercitus ad Aquileiam: non de ea quam Emonæ.

37. *Plerique ſane dicunt.*] Herodianum ſignificat, quem vide.

Pag. 219. verſ. 4. *Nec oppugnatio defuit Menophilo & Criſpino conſularibus viris auctoribus.*] mendoſus locus: nam obſidentibus non obſeſſis conuenit verbum oppugnare. Menophilus autem & Criſpinus viri conſulares à ſenatu Aquileiam miſſi, tuendæ vrbi. Scribam, *nec oppugnatis animus defuit.* aut illa delenda, *nec oppugnatio defuit.*

8. *Deum Belenum.*] Herodianus: Βῆλιν καλοῦσι τοῦτον, σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. plura de hoc Gallorum vel vt ait Tertullianus, Noricorum deo pridem viri docti. Lege Auſonianas nobiliſſimi Ioſephi Scaligeri. & Inſcriptiones veteres.

14. *Ponte itaque cupis facto.*] *Cupas* dixit quæ Herodianus οἰνοφόρα [illegible]

σκεύη περιφεροῦς ξύλου. vaſa lignea, tranſportando vino, rotunda. hæc vaſa cum erant maiora recta ſtatuebantur, & operculis tegebantur, quorum meminit Nonius ex Varrone. nec vinum ſolum ibi ſeruabant, ſed etiam triticum, ſimiliaque, vt iuriſconſulti docent. minora doliis ſimilia vtrinque clauſa, apta deferendo huc illuc vino, vt ſcribit Herodianus. his vtebantur ad pontium fabricam, tanquam vtribus ad eos quos vocabant aſcogephros, quaſi ἀσκογεφύρας. Lucanus lib. IV. de ponte à Baſilo confecto:

Namque ratem vacuæ ſuſtentant vndique cuppæ:
Quarum porrectis ſeries constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

ſed & maiores illæ cupæ ab altera parte apertæ, vſum nauium aliquando præbebant: Heſychius, κύπαι εἶδός τι νεώς. & in Gloſſis veteribus exponitur *cupa* γαυλός. quod Græcis Latiniſque certum nauigij genus ſignificat. vertitur ibidem & βύτις μεγάλη. rectè: nam idem Græcis βύτις ac Latinis cupa. apud Heronem mathematicum κοῦπα, (ſic enim ſcriptam inuenio in antiquiſſ. membranis,) & βύτις duo ſunt nomina ingentiū vaſorum vinariorum: inter quæ hanc differentiam obſeruo, quod hæc maior quam illa: præterea cupa ab inferiore parte latius patet, anguſtiùs à ſuperiore. contra buttis. proponitur enim ab Herone κοῦπα, ἧς ἡ κάτω διάμετρος ποδῶν ι. ἡ δὲ ἄνω ποδῶν η. τὸ δὲ ὕψος αὐτῆς ποδῶν ι. buttis verò ita deſcribitur, vt in ſuperiore parte dimetiens illius ſit pedū ſex: in inferiore autem pedum octo: altitudo totius vaſis, pedum decem.

24. *Et in filium qui ſp.*] vide inferius, vbi de his plura.

32. *Miſerat præterea per omnes ciuitates prætorios & quæſtorios viros.*] omitit conſulares quos ſolos Herodianus nominat: cum tamen tota hæc hiſtoria pæne ad verbum ex Herodiano ſit deſcripta. ſtudioſos accuratius contuliſſe non pœnitebit.

36. *Quorum affectus in Albano monte erant.*] vide ad Spartiani Caracallum: *affectus* dixit, pro eo quod Herodianus, παῖδας καὶ γυναῖκας. Supra de ea voce.

37. *Cum à prælio quieſceretur.*] τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἐν ἀνέσει τοῦ πολέμου οὔσης.

Pag. 220. verſ. 3. *In oppido igitur vicino ſtatim Maximini ſtatuæ atque imagines depoſitæ ſunt.*] apud Herodianum nulla oppidi mentio: & conſtat in caſtris ad Aquileiam hæc geſta. fortaſſe Capitolinus aliter iſta legit: συνδραμόντων δὲ αὐτοῖς καὶ τῶν φρουρούντων δορυφόρων, τάς τε εἰκόνας ἐκ τῶν σημείων καθαιροῦσι.

5. *Et eius præfectus prætorij occiſus eſt, cum amicis clarioribus.*] Lege, *charioribus*. Herod. φονεύουσι δὲ καὶ τὸν ἔπαρχον τοῦ στρατοῦ, πάντας τε τοὺς ἐκείνῳ θυμήρεις φίλους. Præfectus præt. infra nominatur Anotinus.

12. *Cum omnes dicerent priores Gordianos in deos relatos.*] Γορδιανοὺς δὲ ἔλεγον ἐκείνους εἰς οὐρανὸν καὶ θεοὺς ἀνακεχωρηκέναι.

8. *Hecatomben fecit.*] vide alterum de hac re Capitolini locum in libro

bro de Maximo & Balbino : vbi fuſe deſcribitur. ibi etiam de timore Balbini. Herodianus hoc ſolum : ὁ δὲ Βαλβῖνος καὶ αὐτὸς ἑκατόμβας ἔθυε.

30. *Actis ſibi gratiis.*] *actis ibi gr.*

33. *Qui dies vrbis.*] Herod. οὐδ' εἰπεῖν δεῖ λόγῳ τῆς ἡμέρας ἐκείνης τὴν ἑορτήν. Eunapius Sardianus in Legationum excerptis : οὐκ ἐπεῖχεν ὁ ἥλιος τοιαύτην ἡμέραν, οἵαν τότε ἐξῆν τοῖς παροῦσιν ὁρᾶν καὶ ἱστορεῖν.

36. *Vt quarta die Romam veniret.*] confectis ſpatio cuiuſque diei vel νυχθημέρου cc. fere M. P. nam Antoninus Aquileiam inter & Mediolanum milliaria ait eſſe CCLXX. inde Romam, DXXVIII. magna ſane diligentia : ſed non incredibilis : cum ſimilis celeritatis aut etiam maioris exempla & apud veteres legantur : & hodieq; edi ſæpiſſime videamus. Conſtat hodiernos veredarios Roma Lutetiam ſæpe diebus ſex ſeptem commeare: quæ longe maior contentio eſt.

37. *Et forte dies ludorum erat.*] aliter Herodianus: neque enim ludorum diem fuiſſe: ſed populum gaudio exultantem poſt acceptum nuntium, in circum quaſi ad concionem concurriſſe. quod & Capitolinus mox ſignificat, cum ait, populum ad concionem cucurriſſe : nam ita exponendum ex Herodiano.

Pag. 221. verſ. 4. *Ita vt nuntius præuentus.*] Scribe cum membranis, *ita & nuntius præuentus; & imperatores qui aderant, gaudium publicum nutu & conſenſu indicauerunt.*

7. *Atque inde ſenatus ad principem.*] Scripti, *ad ſenatum principem.* Puteano placebat, *ad ſenatum principes.* cui aſſentior. nam coactum ſenatum apparet: & fieri ſolitum in talibus teſtis hiſtoria multis locis.

13. *Maximini nomen olim eraſum.*] nempe ſtatuis, & aliis monumentis. nihil puto mutandum : ſed interpretatione ſupplédum quod deeſt. Amiciſſimus Rigaltius ſcribebat, *olim tabulis eraſum.*

12. *Maxime Auguſte tibi gratias.*] Abſunt hæc è veteribus. ſanè aberat tum Maximus. ſed in huiuſmodi acclamationibus etiam abſentes compellari ſæpe ſoliti. gemmarũ praſinarum paſſim apud Anaſtaſium mentio in vitis Rom. Pont.

35. MAXIMINVS IVNIOR.] Deleri debet titulus hîc præfixus: non enim eſt liber alius, ſed pars ſuperioris, vt auctor ipſe dixit ſtatim initio.

Pag. 222. verſ. 8. *Verſus Græcos fecit.*] poſſunt ita verti.

Οἷος ἀπ' ὠκεανοῖο Ἑωσφόρος εἶσι φαεινὸς
Οὐρανόθεν κεφαλὴν περιφέρων, σκεδάων δέ τε νύκτα,
Τοῖος ἔην υἱὸς σὸς, ἐν ἥλιξιν φαιδρός.

14. *Oratore Tatiano, filio Tatiani ſenioris, qui Prouinciarum libros pulcherrimos ſcripſit.*] Scribendum, *Titiano* & *Titiani.* nam intelligitur Iulius Titianus ſenior, qui Antoninorum & Seueri temporibus vixit, orator celeberrimus, & prouincias Romani imperij deſcripſerat, operique ſuo titulum indiderat, Prouinciæ vel

Chorographia. Seruius ad quartum Aeneidos: *Barcæi ſecundum Titianum in Chorographia Phœnicem* (vel *Phœnicen*) *nauali quondam vicere certamine.* Videtur idem ſenior Titianus eſſe qui Apologos ediderat, & fabulas Aeſopi in Latinum ſermonem verterat, *exili ſtilo Pedeſtre concinnans opus*, ait Auſonius in carmine dimetro ad Probum.

15. *Et qui dictus eſt ſimia temporis ſui, quod cuncta imitatus eſſet.*] Non ſolum philoſophorum, ſed & oratorum ac dicendi magiſtrorum fuêre ſectæ ac ſucceſſiones: vt viuente Titiano hoc Frontonianorum, à Cornelio Frontone denominatorum: qui temporibus Marci Antonini cui ipſe præceptor fuerat, ad Conſulatum vſque prouectus eſt. hi Frontoniani cum ex æmulatione Titiano gloriam ſuam inuiderent, verbis non parcebant, quin de illo detraherent. iſti ſunt qui illum ſui temporis ſimiam dixerunt. Sidonius Apollinaris libri primi epiſtola prima: *Nam de Marco Tullio ſilere in ſtylo epiſtolari melius puto: quem nec Iulius Titianus ſub nominibus illuſtriũ fœminarũ digna ſimilitudine expreßit.* loquitur ibi Sidonius de iis, qui ante ipſum apud Latinos ſcriptione epiſtolarũ famam erant adepti. in hoc albo ponit & Titianum: qui ſub nominibus illuſtrium fœminarum (fortaſſe ſcripſerat *perſonarum.*) Marci Tullij epiſtolas erat imitatus. quod inceptum cum minus feliciter ei ceſſiſſe videretur, à Frontonianis ſuperiore dicto eſt percuſſus. hæc Sidonij mens: nam eruditiſſimi viri qui ad Prouinciarum libros putant referendum, ſine dubio falluntur. Sed cauſſam cur ſimia dictus ſit Titianus, clarius etiam aperit nobis Capitolinus hoc loco, *illis quod cuncta imitatus eſſet.* Scripſerat enim multa Titianus in diuerſiſſimo genere: vt Orationes, Epiſtolas, Controuerſias, ſiue Themata ex Virgilio, Rhetorica, Chorographiam, De re ruſtica: quorum omnium apud veteres grammaticos factam mentionem inuenimus.

17. *Deſponſata illi erat Iunia Fadilla proneptis Antonini.*] nomen genus indicat: nam in ſtemmate Antoninorum principum, Fadillæ ſunt plures. vide initio vitæ Pij. cuius ſoror vterina Iulia Fadilla ibi nominatur: & ita heic ſcripta lectio *Iulia Fad.* non *Iunia.* at *proneptis* καταχρηστικῶς pro abnepte, niſi fallor, aut etiam atnepte. Sic & in iuniore Gordiano.

20. *Manſerunt etiàm apud eam arræ regiæ.*] De arris ſponſalitiis titulus eſt in Codice Iuſtinianeo: de quibus etiam in Nouellis multa. neque eſt vllius rei quàm huiuſmodi arrhabonum apud Græcos ac Latinos crebrior mentio. Fere autem dabatur eorum aliquid, quæ ad mundum, aut potius ad ornatum fœminarum pertinent: propterea Heſychius κάθορμα, ἔνορμα, & περιθέματα, quæ ſunt diuerſa monilium nomina, appellat ἀρραβωνιακά, quod arrarum loco præſertim ſponſalitiarum dari ſolerent. idem alibi: μνῆστρον, ὁ τοῦ γάμου ἀρραβών. *Regiæ* autem *arræ* hic dicuntur, quas rex ſiue imperator dederat conditioni loci ſui conuenientes.

21. *Quæ tales fuerunt, vt Iu.*] Scripta lectio, *quæ tales, (vt Iunius Cordus*

loquitur harum rerum perſcrutator,) fuiſſe dicuntur. & firmant ſimiles de Cordo loci.

23. *Monolium de albis nouem.*] Legendum, *monolinum*. gemmæ, & ſolutæ ornatui mulierum admouentur, & ſertæ atque in lineam miſſæ: vnde apud Vlpianum, *extricatæ margaritæ*, opponuntur pertuſis quibus in linea vtebatur Titij vxor: lege XVII. §.30. Dig. Ad legem Aquiliam. cui loco ſimiles ſunt in iure alij. Aliquando autem plura fila iungebāt vt in trifilis: quæ tribus lineis conſtabant. Gloſſarium: *Τείλινον, κόσμος γυναικός. Trifilum gemmarium.* aliquando ſingula erant fila. Tertullianus extremo libro De habitu muliebri: *Vno lino decies ſeſtertium inſeritur.* quem locum imitans Hieronymus in fine vitæ Pauli eremitæ *vno filo*, inquit, *villarum inſunt pretia.* De albis ad Heliogabalum diximus. Margaritas in lineam miſſas Salomon in Cantico canticorum appellauit חרוזים. Male in ſcriptis, *Monilia.*

ib. *Reticulum de praſinis vndecim.*] reticulatis operibus inſerebant gemmas. in reticulis autem & dextrocheriis mulierum fere exſculpi ſolitus Alexander. vt in Quieto tyranno ſcribit Pollio.

24. *Dextrocherium cum coſtula de hyacinthis quatuor.*] Scripti, *dextrocheria*, quod minus probo. *Coſtulam*, ſi ita auctor ſcripſit, interpretor de latioribus armillis, quę carpum cingentes coſtulas non male referunt. & videtur ferri poſſe hæc tranſlatio. etſi aliquanto durior: nam *aheni coſtas* aut *nauis* cum dicimus, manifeſta ratio. in Petronij Satyrico armillæ aureæ iungitur eboreus circulus & lamina ſplendens: quæ videtur hic dici coſtula. Sed vide ne ſcribendum ſit *cum copula*. quod, niſi fallor, conuenientius eſt. nam dextrocherium aureum erat: fibulę verò gemmis ornatæ. ſolent autem hodieque pleræque armillæ fibulæ morſu aſtringi. confer cū verbis Iſidori ſupra, vbi de dextrocheriis diximus.

30. *Et omnia captiua.*] *πάντα τὰ ἐξ ἄγρας.* vocem Græcorum *ἀγρίμαια* expreſſit: alij dicunt *agreſtia*, non *captiua*. Vopiſcus in Tacito: *menſam ſuam nunquam niſi agreſtibus opimauit.*

33. *Qui ſpeciem illam vel diuinitus lapſam incorruptam eſſe noluerunt.*] *eſſe noluerunt*, id eſt, eſſe non poſſe dixerunt. idiotiſmus eſt eorum proprius qui aliquid ſeriò affirmant. Similia notabamus apud Theophraſtum in charactere *λογοποιΐας*.

Pag. 223. verſ. 2. *Et manum porrigebat, genua ſibi oſculari patiebatur, & nonnumquam etiam pedes.*] Superbiſſimos quoſque principes eadem paſſos eſſe, aut etiam exegiſſe, certum eſt, & pridem doctis viris probatum. Sed de manibus & genibus, vſurpatum & in aliis quam imperatoribus. Ammianus libro XXVIII. de nobilium Rom. luxu differens: *Ex his quidam cum ſalutari pectoribus oppoſitis ceperunt, oſculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuauianda vel manus.* quin ipſi imperatores ad manus ſuorum interdum accedebant. Ambroſius ſiue alius de obitu Valentiniani imper. *Manus, caput, ſorori-*

bus osculabatur, memor imperij, memor germanitatis. & quo magis aliis potestatis iure præstaret, hoc se magis humilem sororibus exhibebat. Pedum oscula Caligulæ propria, & similium monstrorum.

8. *Pedum, vt diximus, octo & prope semis.*] octo pedes digito excessisse, supra dictum: quæ mensura longè abest à dimidiato pede, vt hic dicitur. Pes enim digitos continet sedecim: sed transuersos: hîc verò de porrectis videtur accipiendum: nisi in superiore loco digitorum numerus fuerat adiectus, putem ita esse. quare quod ibi scribitur, *vt octo pedes digito videretur egressus*, censeo corruptum, & notis in sedem suam restitutis, scribendum: *vt octo pedes digitis* V I *diceretur egressus*. imperitus librarius cum offendisset compendio scriptum V I *dr̃etur*, fecit *videretur*.

ib. *Calceamentum eius, id est campagum regium.*] Possit videri glossa adsuta: sed non est. de regiis campagis quædam dicturi sumus ad Trebellij Pollionis Gallienum. sed legant tirones quæ de iis olim obseruauit in Aduersariis suis immortale illud Galliæ decus, Petrus Pithœus, quo viro digniorem omni laude alium ne historiæ quidem continent.

9. *Inter Aquileiam & Arziam.*] Reg. *Arciam.* videtur loci alicuius prope Aquileiam nomen esse: neque accipiendum de Arsia fluuio, qui Italiam ab illa parte terminabat. abest enim ab Aquileia longius.

10. *Quod constat pede maius fuisse hominis vestigio atque mensura.*] Sic & manu exarata lectio. Sed mendam inesse suspicor, nam si campagus Maximini pede excessit mensuram humani vestigij: sequitur ratione proportionis habita, vt totius etiã corporis statura legitimã hominum staturam altero tanto superaret: quod scimus aliter habuisse: nam vt dicebamus ad Suetonij Neronem, legitimus staturæ modus erat pedum fere senûm. Maximinus autem octo pedibus procerior multo non fuit. Quare pedis eius ad aliorum pedes mensura non dupla sed sesquialtera. nisi igitur vox vna excidit, cum scripsisset auctor, *dimidiato pede maius f.* vel, *semipede m. f.* deleta intotum voce *pede* scribendum, *constat maius fuisse ho. vest. atque m.* & fortasse adscripta ea vox fuit, vt interpretamentum vocis *vestigio.*

20. *Quanuis ipse adolescens & pulcher & scholasticus, ad Græcas munditias eruditus esse videatur.*] Barbaro patri opponit filium scholasticũ, hoc est, cultu liberaliore imbutum & studiis. Vocẽ σχολαστικὸς, primus veterũ Theophrastus, pro literarum studioso, & qui Musis vacat, vsurpauit, in epistola ad Faniam popularem suum & condiscipulum. semel vsurpari ceptam ea notione, retinuerunt Græci Latinique: sed eius vsus varius apud auctores. heic ponitur *Scholasticus* pro eleganti. sic alibi quoque. Hieronymus in Catalogo: *Sarapion ob elegantiam ingenij cognomen scholastici meruit.* nõ eruditio sed mores politi his similibusue locis ea voce designantur. at sæpius ad doctrinæ laudem pertinet. Iulianus epistola ad Maximum philosophum: ἐπαινῶν εἰς τοὺς σχολαστικοὺς ἐποιήσω, καὶ τῶν

ἐκ-

ἐκεῖθεν ἡκόντων ἀνεπυνθανόμενον, μή τις φιλόσοφος, μή τις σχολαστικός, καθάπερ. Saluianus in proœmio libri de prouidentia Dei. *non id facere adnisi sunt vt salubres & salutiferi, sed vt scholastici ac diserti haberentur.* Sulpitius Seuerus dialogo primo: *cæterum cum sis scholasticus, hoc ipsum quasi scholasticus, artificiosè facis, vt excuses imperitiam, qui exsuperas eloquentia.* obseruat Augustinus in Dialectica, *cum scholastici solum propriè & primitus dicantur ij qui adhuc in schola sunt, omnes tamen qui in literis viuunt, nomen hoc vsurpant.* Sic Plinio in epistolis Suetonius & Isæus dicuntur scholastici: quod in puluere literario vitam agerent, ad forum non accederent, neque vllam dignitatem ambirent. id genus hominum dicebat Epictetus esse ζῶον οὐ πάνυ ἐπιχαλῶν, vt refert Arrianus libro primo. Horatius de eodem, —*statua taciturnius exit*

Plerumque, & statua populum quatit. —

Plinius quoque in epistolis, scholastico homine nihil ait esse simplicius. inde est quod vulgo hominem rerum imperitum & ineptulum, vocarunt *scholasticum.* vt apud Plutarchum in Cicerone, Apuleium secundo Asini, alios. apud Varronem aliquis, *Scholasticorum natio madens pingui.* In Codice & aliis iuris libris *scholastici* dicuntur non declamatores qui circa lites fictas versantur, vt in libro Quintiliani De caussis corruptæ eloquentiæ: sed qui veras lites tractant, patroni caussarum & ciuitatum aduocati.

36. *Aurea lorica.*] ex auro tota: quod alienum à militia Ro. vide ad Hadrianum.

Pag. 224. vers. 6. *Vt iubetur velut publico iure.*] Malim, *iubemur.*

10. *Scutum eius sub sole arsit.*] concepto igne vt fit in speculis quæ vocant ardentia.

11. *Lanceola sic f.*] Regius & Pute. *Buccula f.* melius *Lanceola.* vt attendenti parebit.

16. *Quædam parens sua.*] exposuimus ad Marcum.

32. *Et animam quasi flendo posuerunt*] Probo: tamen est in regio, *amnem quasi flendo transierunt.*

35. *Alij Archimeam.*] Regius, *Archineam.*

Pag. 225. vers. 1 *Qui hæc omnia vsque ad fabellam scripsit.*] significat Cordum mythistoriis, sua volumina implesse, vt in Macrino dixit de eodem. sed habet regius, *vsque ad fibellam*: id plane esset quod Græci dicunt ἐξινιάζειν λεπτομερῶς. *fibella* est parua fibra.

7. *Velut vmbra pulcherrima videretur.*] nam mortui σκιαὶ dicuntur. Puteani alter codex, velut *vmbræ pulchrioris.* Pro *videretur,* scribe *viseretur,* cum sapientissimo Lectio.

20. *Vt funes de capillis mulierum facerent.*] sæpe hoc vsuuenit olim in bellis: Cæsar Belli ciuilis libro III. de iis qui obsessi erant Salonis: *præsectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt.* Aristides in Rhodiaca: πάλαι μὲν τὰ ἐκ τῶν γυναικῶν τῶν ἀποκειραμένων μηχανήματα ἐδείκνυντο τοῖς

ἐπιδημιόδοι. narrat & Dio in Seuero, in obſeſſa Byzantio rudentes de crinibus mulierum factos.

23. *Quod aliquando Romæ dicitur factum.*] habes hanc hiſtoriam apud Vegetium libro quarto, Lactantium libro primo, Seruium ad primam Aeneidem.

25. *Sane quod nullo in loco tacendum eſt,c.*] Sane hoc Capitolinus præceptum obſeruauit, qui dubitationem hanc ſuam tot locis adeo putide & φορτικῶς inculcauit. qua de re antè diximus, quæ non repetemus, neque illum imitabimur.

27. *Et Arrianus.*] neſcio an *Arabianus.* vt in gemino huic loco in libro de Maximo & Balbino. tamen & libri ſequentis initio ſcriptum *Arriani.* regius delet hic hæc verba.

ISAACI CASAVBONI

IN IVLII CAPITOLINI GORDIANOS TRES, EMENDATIONES ET NOTÆ.

GORDIANI TRES.] Tres Gordianos ſeparatim deſcribit hoc libro Capitolinus. totidem agnoſcũt Herodianus, & Aurelius Victor, non ille Schotti, ſed alter: nam is àuctor quẽ eruditiſſimus Schottus publicauit, duos ſolum prodit, & in tota hiſtoria hac mirifice à Capitolino diſſentit. Sed iure Capitolinus imperitos ſcriptores paullo poſt nominat, eos qui duos fuiſſe Gordianos ſcriberent: quo tamen in errore pleriq; veterum ſunt verſati, vt Eutropius, Euſebius, Zonaras, alij multi. Cedrenus verò quas nugas blaterat in hiſtoria Gordianorum? Omittit Gordianos qui in Africa perierunt: eum nominat qui cum Maximo & Balbino factus imperator. ſed Maximus Balbinus illi vnius Auguſti ſunt nomina: cui ſucceſſiſſe ait Publianum. qui ſine dubio Pupienus eſt intelligendus. & putarem ita corrigendum, niſi ex eodem fonte Publium

blium inueniſſem in Græcis Faſtis nominatum. ſimili errore eundem vocat Zonaras Πομπηϊανόν,& diuerſum facit à Maximo. Sed reliqua Cedreni ſpectemus huic,ait,ſucceſſit Ἰούνιωρ. quis iſte? haut dubie monſtrũ in hiſtoria,confictũ loco Gordiani ſecũdi. hic Latinis cognominatur è re IVNIOR. inde iſte fictitius ΙΟΥΝΩΡ. nam & in Faſtis Græcis ſcriptum offendimus Γορδιανὸς Ἐνίωρ, non abſimili culpa. poſt hunc,inquit, regnauit eius filius Gordianus,annos IV. hic nempe eſt tertius Gordianus:quem non defuere qui iunioris filium dicerent. at quid dicemus de ſequentibus verbis? Μετὰ Γορδιανὸν ἐβασίλευσεν Οὐνίωρος υἱὸς αὐτοῦ, ἔτη δύο. quis,malum, iſte *Vniorus*? profectò Iunior eſt Gordianus:quem immani errore refert hic in ſcenam Cedrenus. Quare videant tirones,quantum in Romanis rebus recentioribus Græcis ſit fidendum.

19. *Quam me vrbane declinare confingo.*] Mirum verbum *confingo*. nec minus illud *vrbanè*. & nimis profectò vrbanus Capitolinus, ſi ita ſcripſit. an verum eſt quod ſuſpicamur? irrepſiſſe in contextum hanc vocem è libri mundo, vbi aliquis cum illa legeret, *quam me declinare confingo*, eam, vt fit, adnotauerat.

20. *Idque docente Arriano.*] ſic in libri ſuperioris fine: alibi Arabianus,vt diximus. ſed quare de Herodiano ſilet?

34. *Horum Gordianus ſenior.*] In Faſtis Græcis lego,Gordianum ſeniorem numerum inſtituiſſe Candidatorum, (id erat genus militum oſtenſionalium,) ex iis quos ſtaturæ proceritas & forma commendaret:atque hic de cognomine Gordiani ſcholarium ſeniorum nomen ab eo fuiſſe inditum. Sic illi: Γορδιανὸς Αὔγουστος ἐποίησεν ἀριθμὸν τῶν λεγομένων Κανδιδάτων, ἐπάρας αὐτοὺς καὶ ἐπιλογὴν ὡς τελείους καὶ εὐσθενεῖς, καὶ μεγάλης ὄντας θέας, ἀπὸ τοῦ τάγματος τῶν λεγομένων σχολαρίων. καλέσας τὴν σχολὴν τοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ, εἰς τὸ ἴδιον ἐπώνυμον Σενιόρων. οὗτοι εἰσὶν οἱ τῆς ἕκτης σχολῆς. Apud Cedrenum eadem fere de iuniorum ſchola à Iuniore inſtituta leguntur. vtramque hiſtoriam non dubitamus eſſe confictam.

25. *Natus ex patre Metio Marullo.*] Vide ad Alexandrũ Lãpridijin fine.

28. *Socero.*] Annio Seuero.

ib. *Et item alio proſocero.*] Abſunt à regio. voces *proſocer* & *abſocer* ex libris iuris notæ.

29. *Romæ Pompeianam domum poßidens.*] Pompeianæ domus Plutarchus in vita meminit,& Suetonius libro III. cap. XV. & in libro de illuſtribus grammaticis. Roſtratam fuiſſe nominatam oſtendit mox Capitolinus: haut dubie propter faſtigium vel ornamentum aliud roſtri forma, Magni ædibus conceſſu ſenatus ac pop. Ro. affixum, naualium eius victoriarum monumentum.

36. *Quæ Cicero ex Demetrio.*] Reg. *& de merio*. fortaſſe, *& de Mario*. Ex primo de legibus,& aliis locis M. Tullij notum eius carmen,cuius index MARIVS. de quo augur Scæuola olim auguratus, Caneſcet ſeclis innumerabilibus.

ib. *Et Arato.*] Reg. *& Aratum.* æquè leue.

37. *Et Alcionas, & Vxorium & Nilum.*] Elegias Ciceronis Seruius laudat in primam Virgilij eclogam. puto hos eſſe diuerſarum elegiarũ titulos: qualis eſt cuius ibi meminit, *Talemaſtis*. nam ita ſcribitur, mendoſe, vt videtur. etiam in indicibus hic memoratis menda latet fortaſſe: nam *Vxorius* comœdiæ epigraphen magis ſapit. Sic apud Græcos Amphis, Alexis, aliique comici, Γυναικοκρατούμενον, vel Γυναικοκρατείαν ediderant. nec mirum nobiliſſimi ingenij virum, comica quoque attigiſſe argumenta, cum Pontium Glaucum tetrametris idem compoſuerit exemplo multorum dramaticorum poetarum. eius meminit & Plutarchus. Pro *Nilus* verò, fortaſſe ſcribendum *Limon*. quo indice laudari ſcimus Ciceronis poema, cum à Donato in vita Terentij, tum ab aliis.

Pag. 227. verſ. 1. *Quæ quidem ad hoc ſcripſit, vt Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur.*] Sunt ſanè in poematis Ciceronis non infrequentes ἀρχαϊσμοί: ſed qui gratiam potius quàm inuenuſtatem illis, iudicio meo, concilient. Gordiano quidem cum Romana Suada certamen durum, & vt perſuaſus ſum, impar congreſſus.

3. *Et multi alij Iliados.*] princeps vatum, auctor Iliadis paruæ, Attius, alij.

7. *In Athenæo controuerſiis declamauit.*] Scrib. *controuerſias.* de Athenæo ſatis ſupra.

7. *Quæſturam magnificentiſsime geßit.*] magnificis muneribus populo exhibitis, ſua pecunia, vt paullo poſt dicitur: cum tamen plerique quæſtores, ex imperatoris pecunia ludos ederent, vt in ſuperiorum vitis notatum ſæpe.

9. *Aedilitatis ſuæ tempore* XII. *populo munera.*] plane ingens magnificentia, & cuius aliud, opinor, exemplum nullum. quod vt melius intelligas, adi ad Nouellam Iuſtiniani, centeſimam quintam, qua definiuntur Conſulum πρόοδοι.

12. *Feras Libycas.*] leones, & pardos, vt interpretatur Seruius. Conueniebant in Africæ certis locis variæ & ἐπιρογυεῖς feræ: his venatores inſidias ſtruebant, & captas Romam mittebant. hæ ſunt quæ Dioni ſæpius λιβυκὰ θηρία communi nomine, Latinis Africanæ, vel Libycæ feræ vocantur.

14. *Extat ſylua eius memorabilis.*] Producebantur animalia in publicum vel ἱστορίας χάριν, vt ſpectarentur ſolùm, vel vt pugnando ſpectatores oblectarent, aut denique vt à populo non tantum ſpectarentur, verùm & diriperentur. Ad tertium genus, nam duo illa priora nunc omitto, Gordiani hæc venatio pertinuit. Multa enim ac diuerſa ferarum genera & exhibuit in circo, & populo diripienda conceſſit. Simile ſpectaculum deſcribit fuſè Vopiſcus in Probo, & *venationem ampliſsimam* nominat. Capitolinus hoc loco *ſyluam*. & alij quoque ita vocitant. huius appellationis duplex ratio: nam & multiplicia illa animalium genera

quæ

quæ in circum vel amphitheatrum inducebãtur, imaginem ſyluæ quæ feris abundaret referebant: & multo magis omnifariæ arbores, ipſis euulſæ radicibus, atque in circum vel amphitheatrum inferri atque deſtitui ſolitæ, vt expreſſam veræ ſyluæ ſpeciem locus præberet: quod ex Vopiſci deſcriptione in Probo eſt manifeſtiſſimum. Dixerunt & *pancarpum* id genus ſpectaculi: idem enim eſſe ſyluam & pancarpum duo ſummi viri Iacobus Cuiacius & Franciſcus Pithœus pridem obſeruarunt. Notum eſt quid veteres Athenienſes πάγκαρπον θυσίαν appellarent. inde eſt tranſlatum nomen ad alia quæ ſimiliter ex variarum rerum miſcella conſtarent. Sic πάγκαρπον στέφανον Ariſteas dixit auctor antiquiſſimus & elegantiſſimus, coronam compoſitam ex omni fructuum genere, puta, racemis, ſpicis, dactylis, malis multifariis, oleis, ac cæteris ſimilibus. Locus eſt in deſcriptione diuitis illius menſæ qua Ptolemæus ob communicatam ſibi Dei Legem, templum Hieroſolymitanum ornauit: ὑπὸ δὲ τὴν ἐκτύπωσιν, inquit, τῶν λίθων τῆς ὠοθεσίας στέφανον ἐποίησαν οἱ τεχνῖται πάγκαρπον, ἐν ὑπεροχῇ ἔχοντα (ſupplenda vox ἐκτύπωσιν) βοτρύων καὶ σταχύων, ἔτι δὲ φοινίκων καὶ μήλων, ἐλαίας τε καὶ ῥοῶν καὶ τῶν παραπλησίων. Ioſephus qui Ariſteam fere tranſcribit, coronam pancarpum ita expreſſit: ὑπὸ δὲ τὴν ὠῶν διατύπωσιν, στέφανον περιήγαγον οἱ τεχνῖται, παντὸς καρποῦ φύσιν ἐντετορνευμένον. Ita igitur & pancarpum dixerunt ſpectaculum venationis, quo omniũ generũ beſtiæ exhiberi ſolitæ, vt præclare docet Auguſtini locus à doctiſſimo Pithœo adductus è libro contra Secundinũ. Nugatur & nodũ in ſirpo quærit κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεος ἀσκός, qui ad Martialis amphitheatrum diſputat de diſcrimine inter pancarpum & venationẽ direptionis. Falſum verò quod idẽ ſcribit, à Gordianis primis exhibitam id genus venationem. Lampridius de Alagabalo: *cum collatum* (ſiue *conſulatum*) *miſiſſet in populum non nummos vel argenteos, vel aureos, vel bellaria vel minuta animalia, ſed boues opimos, & camelos, & ceruos, populo diripiendos abiecit* (vel *obiecit*) *imperatorium eſſe dictitans.* teſtatur & Herodianus, obiecta populo εἰς ἁρπαγὰς ζῶα πάντα ὅσα ἥμερα, ὅσα ἀτιθάσσα πλὴν χοίρων. quare non Gordiani primitus, ſed alij priores, certè Alagabalus, direptionis beſtiarum exemplum dederat. Verum de his plura alibi.

ib. *Quæ picta eſt in domo roſtrata Cn. Pompeij.*] more qui eo ſeculo frequentiſſimus. vt ſupra ad Peſcennium Nigrum dicebamus. Originem huius moris indicat Plinius libro xxxv. cap. vii.

17. *Cerui palmati ducenti.*] πλατυκέρωτας Græcorum. Plinius libro xi. cap. xxxvii.

18. *Equi feri* xxx.] De equis feris Ariſtoteles, Strabo, Plinius, Oppianus, alij. Fuere cum in aliis prouinciis multis, tum in Syria quoque, & quidem peculiaris ingenij in vindicta de riualibus capienda, vt ſcribit philoſophus libro De miraculis auditis. de his accipienda verba Chaldaici paraphraſtæ capite quinto Ieremiæ, vbi eos vocat Græca dictione, סוּסָוָן אַגְרִיסִין vt Ariſtoteles ἵππους ἀγρίους. iterum meminit Ca-

Pancarpum = sylua venatoria
Pancarpia corona

pitolinus infra hoc libro. De caballis ſyluaticis lege Paulum Diaconũ in hiſtoria Langobardorum, libro quarto, capite IV.

ib. *Oues feræ C.*] Ouem feram appellarunt Romani veteres quam camelopardalim Græci. ſed hoc loco & in Probo Vopiſci, ouem feram interpretor, quod verba ſonant. *οἶν ἀγρίαν*. nam & oues ſunt feræ, de quibus Xenophon, Ariſtoteles, Plinius, alij: Lege Varronem De re ruſtica libro ſecundo, capite primo. in octauo Apicij, capite quarto habes de condimentis ouis ſyluaticæ.

ib. *Tauri Cypriaci C.*] horum forma peculiaris: erant enim gibberes, vt ex Ariſtotele refert Seruius primo Georgicorum. Syriacis hoc tribuit Plinius. Boum Cypriorum nota eſt etiam prouerbio *ἡ σκατοφαγία*.

19. *Struthiones Mauri miniati CCC.*] *Μαυρουσίας στρουθοὺς* ſimiliter Græci, vt Herodianus in primo. Miniari ſolita Romæ, quæ ad ſpectacula aut pompam producerentur, ex Plinio diſcimus.

22. *Poſt iuriſdictionem conſulatum primum iniit.*] in vtroque conſulatu fuit ſuffectus, vt apparet ex Faſtis. *iuriſdictio κυρίως* hic eſt prætura non quod iuriſdictionem non haberent maiores alij magiſtratus: ſed quia iuris ordinarij adminiſtratio propria prætorum. ſic ſæpe in Pandectis.

30. *Palmatam tunicam & togam pictam pr.*] ad Alexandrum Seuerum de hoc diximus.

33. *Permittentibus imperatoribus.*] nam auctoritate principis opus fuit ad equos curules comparandos. de quo multa in Codice & epiſtolis Symmachi: ſic feras ad venationes coemere ſine principis permiſſu non poterant, vt teſtatur idem Symmachus libro ſeptimo, epiſtola CXXII.

Pag. 228. verſ. 4. *Vt multi dicunt Antonini, vt plerique autem aſſerunt Antonij nomen adſcripſerit.*] Iterum infra, *nobilitatem vt nonnulli ab Antoninis, vt plurimi ab Antoniis duxit.* eandem varietatem ſententiarum retulerat idem Capitolinus & in Opilio Macrino. Lampridius quoque in Heliogabalo bis meminit: ſed non dubitat Lampridius errare eos qui ANTONINOS fuiſſe dictos Gordianos putarent. rectè. nam ita & vetus lapis tertio Gordiano poſitus, in quo dicitur M. ANTONIVS. GORDIANVS. & in alio lapide, PRO. SALVTE. IMP. CAES. M. ANTONI. GORDIANI. & ita in multis.

6, *Filium Gordianum nomine Antonini & ſigno illuſtrauit.*] qualenam iſtud fuit *Antonini ſignum*? aut quid eſt *ſigno illuſtrare*? equidem hæc non capio. Sed legendum exiſtimo, *nomine Antonini & in ſenatu illuſtrauit, & cum apud pr.* nato recens Gordiano puero, accidit vt illius mentionem in ſenatu pater faceret: cum quidem illum Antonium appellauit. poſtea ſequitur: *primus diebus ſui natalis Antoninus eſt appellatus: mox in ſenatu Antonini nomen eſt editum.* & paullo antè: *Antoninum filium ſuum ipſe ſignificari voluit in ſenatu.* ad quos locos vide quæ notamus.

20. Mul-

20. *Multi Mutium.*] Mutij in veteri historia Romana multi viri clari,& virtutibus insignes:sed hic Q. Mutius Scæuola intelligitur,qui ex consulatu Asiam nactus tanta integritate eam rexit, vt eius administratio pro exemplo & forma officij, cæteris qui in eam prouinciam postea profecti sunt,à senatu sit proposita. Multa M. Tullius variis locis,& Valerius Maximus libro VIII. cap. XVII.

ib. *Ac Rutilium.*] is est de quo Valerius Maximus libro II. cap. de maiestate. huius passim M. Tullius & Seneca meminerunt:etiam Suetonius in Octauio,capite LXXXIX.

ib. *Aut Lælium.*] C. Lælium cognomine Sapientem: ex libris M. Tullij notissimus est.

21. *A Iunio.*] Iunio Cordo.

33. *Vt nunquam cum eo lauarit.*] nam more Romano neque liberi cum parentibus,neque generi cum soceris lauabantur. Plutarchus obseruat in Marco Catone.

Pag.229.vers.1. *Ita vt quater & quinquies in die lauaret.*] Membranæ, *ita vt quarto & quinto in die lauaret æstate,hieme bis.*

9. *Proconsul Africam reg.*] Membranæ,*proconsule.*

13. *Sibi vltra procurationem omnia vindicans.*] Scripti,*vltra procuratorem.* non ineleganter. paullo aliter Spartianus in Hadriano,*procuratores latius euagantes coercuit.*

15. *Cum nobilibus & consularibus viris ipse minaretur, quumque Afr.*] Scripta lectio suspendit sententiam à principio periodi, nec *cum* heic agnoscit ante *nobilibus*: deinde scribit, *n. &c. viris ipse minaretur & indium.* pro *excidium.* vt videbatur & Puteano. Qui regium codicem descripsit, multa heic omisit studio. reiicitque nos ad librum superiorem.

19. *Quemadmodum in Maximinos & rust.*] Scripta lectio: *quemadmodum seditio inter Maximinos & rusticos vel Afros orta sedaretur*: rectè.

22. *Nobilissima post hac oratione.*] Sic & veteres codices:neque mutandum.

23. *Apud plebem in agro suo.*] Libri Puteani, *apud plebem rusticanam in agr.* sic supra.

24. *Gratias habeo diis imm.*] Venustè in libro Put. deest verbum. & statim, *proconsule*, non proconsul.

30. *Sublata de vexillis purpura.*] Ita fuit moris in tumultuariis principum creationibus: cum ad manum purpura non esset, rapere illam vndecunque possent: vt nunc de vexillis:sæpius è deorum simulacris. Pete exempla è Trebellio Pollione, in Celso tyranno: Vopisco in Probo,& Saturnino. Suaue est quod idem narrat in Proculo, cum non adesset purpureæ vestis copia ad amiciendum Proculum, allatam fuisse lanam purpuream & humeris eius iunctam.

32. *Gordiane Auguste dij te seruent feliciter.*] Diſtinguendum, G. A. *dij te seruent. feliciter.* Imp. nam *feliciter*, per ſe pronuntiandum. vide initio Claudij.

36. *Ac retractans eleuatus eſt.*] Scripti, *retrectans.* ſcribendum, *detrectans.* quod ait eleuatum eſſe, refero ad præcedentia verba, *humi ſe abiecit.* nam ita melius, quàm vt referamus ad morem eleuandi eos quibus deferebatur imperium: de quo Marcellinus in Iuliano, & paſſim alij hiſtorici.

Pag. 230. verſ. 5. *Alij quidem occiſo iuuene Gord.*] Omnia quæ periodo iſta continentur, vſque ad illa, *Appellato igitur Gord.* ab hoc loco alieniſſima ſunt: pertinent enim ad ſermonem de morte Gordiani ſenioris: at heic narratur quomodo ſit factus imperator. Delenda igitur periodus tota, quam neque Puteani codex alter agnoſcit. Tangitur his verbis varietas opinionum ſuper obitu ſenioris Gordiani: quem alij dixerunt filio fuiſſe ſuperſtitem, neque de laqueo prius cogitaſſe, quàm poſt acceptum de eius clade nuntium. alij contra ſtatim poſt aduentum Carthaginem, animum deſpondiſſe, & vitam ſibi ademiſſe, ſaluo adhuc filio, cui ad prælium proficiſcenti ſtudio celata mors patris. hæc clarè Herodianus: quæ obſcurè, inuolutè, & imperfectè hic ſignificantur. verū ea & corrupta ſunt, & vt diximus alieno loco poſita. tollantur ergo. Vbi commode locentur, infra indicabimus.

10. *Iuuenes qui auctores conſilij erant.*] Vide ad librum ſuperiorem, vbi expoſitum eſt cur iuuenes vocet.

12. *Ipſum etiam Gordianum Africanum appellauerunt.*] imo etiam antè hoc cognomẽ illum vſurpaſſe, quidam ſcripſerunt, vt inferius dicitur. Herodianus vt hoc loco: τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ὀνόματι προσθέντες, Ἀφρικανὸν ἐκάλεσαν ἀφ' ἑαυτῶν. Nummi ab Onuphrio deſcripti & patri & filio AFRICANI cognomen tribuunt.

20. *Filiuſque legatus patris, exemplo Scipionum.*] Scipio Africanus Scipioni nondum Aſiatico fuit legatus in Aſia, frater fratri, maior minori, vt ait Valerius Maximus libro quinto: ex vndecima Philippicarum nota hiſtoria. Sic autem accipe, filius qui erat legatus patri ſuo, gladij poteſtate, eſt ſuccinctus, id eſt, ducatus belli ei eſt delatus. ſequitur Herodianum, qui factum imperatorem apertè non dicit: ſed ita narrat: τὸν υἱὸν αὐτοῦ στρατηγήσοντα διὰ τοῦ πλήθους εἵλοντο. exponebam ex Aurelio Victore, qui factum ſcribit præfectum præt. cuius poteſtatis proprium ſymbolum eſſe, gladio accingi, ſciunt omnes. ſed & Capitolinus alibi iuniorem quoque Gordianum ab Afris ſcribit Auguſtum fuiſſe factum. idque verum. & locum Victoris de tertio Gordiano accipi debere, docet Capitolinus ſub finem libri De Max. & Balb.

Pag. 231. verſ. 7. *De cuius morte hæc fabella fertur. Fictæ ſunt literæ Maximini.*] Fabellam vocat quam pro vera hiſtoria Herodianus tradit, ſed nonnihil variat illius narratio. non enim fictas à quoquam literas,

tan-

tanquam eſſent Maximini. ſed Gordianum ex Africa, & literas & certos homines miſiſſe, qui cædem patrarint.

8. *Signatæ quaſi eiuſdem annulo, & miſſi cum quæſtore milites.*] Herodianus, πέμπει Gordianus, τὸν ταμίαν τοῦ ἔθνους παραδοὺς αὐτῷ ἑκατοντάρχας, καὶ στρατιώτας τινὰς οἷς ἔδωκε κατασεσημασμένα γράμματα ἐν πτυκτοῖς πίναξι, δι' ὧν τὰ ἀπόρρητα καὶ κρυπτὰ ἀγγέλματα τοῖς βασιλεῦσιν ἐπιστέλλεται.

10. *Longam igitur porticum petierunt.*] Herodianus magis locum cædis exprimit: quæ non in porticu facta, ſed in coniuncta cella, vbi magis arcana negotia tractabantur. ipſe nominat, τὸν τοῦ δικαστηρίου οἰκίσκον.

12. *Dum conſiderat.*] ἐκείνου τῆς στρατιᾶς τὰς ὄψεις ἐπιβάλλοντος. Herodianus. qui & libro tertio ſimillimam Seueri in Albinum conſpirationem narrat: ſed exitu non pari.

5. *Gordianorum & literæ & vultus ſunt propoſiti.*] Herodianus: προετέθη τὰ πρὸς τὸν δῆμον τοῦ Γορδιανοῦ γράμματα.

18. *Non legitimo ſed indicto ſenatus die.*] Nec male ſcribas *legitimi* & *indicti*.

20. *Præfectus Vrbis.*] Sabinus: de cuius cæde paullo poſt, & Herodianus.

21. *A conuentu ſe abſtinuit.*] id eſt, ſe abſtinuerat, neque cum cæteris magiſtratibus Conſulem domi conuenerat. nam alios feciſſe dictum modò.

22. *Sed profuit.*] An potius, *ſed nihil profuit.*] nam occiſus eſt, vt modo diximus. ſed non ſtatim: itaque aliter fortaſſe interpretandum. Regius codex hæc omittit, vt alia multa toto libro.

34. *Maximinum cum filio dius inferis deuouemus.*] More antiquiſſimo apud Romanos. Dionyſius Halicar. libro II. ἔθος Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινεὶ τεθνάναι τὰ τούτων σώματα θεῶν ὁτῳδήτινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν. ὃ καὶ τότε ὁ Ῥωμύλος ἐποίησε. & multa exempla in veteri hiſtoria.

36. *Imperatores de ſenatu.*] nam Maximinus non erat de ſenatu.

Pag. 232. verſ. 2. *Dicit Iunius Cordus iſtud S.C. fuiſſe tacitũ.*] Singularis eſt hic locus de ſenatuſconſulto tacito: quem morem alibi expoſitum non inuenias. Herodianus quoque tacitum S.C. ea tempeſtate factum oſtẽdit: ſed non quando literæ Gordianorum aduenerunt: verum tunc cum eorum cæde cognita in ſummas anguſtias redactus eſt ſenatus. Statim enim conueniſſe patres, non ſolito more in Curiam, ſed in Capitolium & Iouis Capitolini cellam: eò ſe incluſiſſe ſolos, & velut in ipſis Iouis oculis deliberationem habuiſſe, quid eſſet opus facto. Ait Herodianus: συνῆλθον οὖν οὐκ εἰς τὸ σύνηθες συνέδριον, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Διὸς νεὼν Καπετωλίου, ὃν σέβουσι Ῥωμαῖοι ἐν ἀκροπόλει· συγκλείσαντες οὖν αὑτοὺς ἐν τῷ σηκῷ μόνους ὥσπερ ὑπὸ μάρτυρι τῷ Διῒ καὶ συνέδρῳ, ἐπισκόπῳ τε τῶν πραττομένων. haut dubiè deſcribitur his verbis ab Herodiano tacitum ſenatuſconſultũ: habes heic locum vbi factum, &, vt videtur, vbi ſolitum fieri: de quo tamen nihil monet Capitolinus: habes & modum faciendi taciti S.C. ſed verbo indicatũ:

συγκλείσαντες αὐτοὺς ἐν τῷ σηκῷ μόνους. nam si erant soli patres, nulli ergo interfuerunt serui publici, nulli censuales: sed ipsi senatores eorum partes obierunt: quod pluribus explicat Capitolinus. ita ergo capiendus Herodiani locus. Meminit & Capitolinus S. C. quod in Capitolio factum est, paullo post in Gordiano tertio: sed tacitum tamen fuisse, ipse non monet. verum de eo loco ibi videbimus.

14. *non serui publici, non censuales.*] Horum opera magistratus Romani in actis publicis conficiendis vtebantur: quod tandem mutatum est ab Arcadio, Honorio & Theodosio. multa de his in iurisconsultorum libris.

19, *Vt se habent hominum mentes.*] Regius, *mores*. Lampridius in Alexandro, *Gallicanæ mentes vt sese habent duræ & retrogradæ.*

36. *Nam delatores, calumniatores, procuratores, & omnem illam facem Maximianæ tyrannidis occ.*] Scrib. *Maximinianæ*. Herodianus: συκοφάνται οὖν, καὶ οἱ γενόμενοι τινῶν κατήγοροι, ἢ ἔφευγον, ἢ ὑπὸ τῶν ἀδικηθέντων ἀνῃροῦντο. ἐπίτροποί τε καὶ δικασταὶ οἱ τῆς ἐκείνου ὠμότητος ὑπηρέται.

Pag. 233. vers. 3. *Occisi tracti sunt & in cloacam missi.*] Herodianus, συρέντες ὑπὸ τοῦ ὄχλου εἰς τοὺς ὀχετοὺς ἐρρίπτοντο.

7. *Sacrati commilitones imò etiam mei consecranei.*] Sæpe soliti Ro. imperatores *commilitones* appellare suos milites, vt de Iulio aliisque legimus fere omnibus, præter Augustum. addit Maximinus vocem *sacrati*, vt eos sacramenti militaris admoneat: cuius erat religio maxima: idque præcipuum fidei vinculum. illud verò θωπευτικόν, *imò etiam mei consecranei.* quod idem est, ac commilitones, siue eorumdem sacrorum participes. Tertullianus Apologetici cap. XVI. *Sed & qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur.* Amauit medij temporis Latinitas hanc nominum formam. *Sacraneus* extat in veteri inscriptione, vbi SACRANEA. DEAE. CERERIS. pro sacrata, vt in aliis eiusdem argumenti legitur. Sic *oblectaneus*, vt in veteri inscriptione: SIQVID. OBLECTANEVM. APVD. MANES. EST. & *consectaneus*, quo vsi multi: sic etiam *solitanei* morbi, & *præsentaneum* remedium apud Marcellum empiricum.

ib. *Et quorum plerique mecum vere militaris.*] hoc ideo quia collapsam disciplinam militarē opera ipsius maximè restituerat Alexander: vt iam veri essent milites. potest accipi & per ὑπαλλαγὴν dictum: quibuscum ego vere milito. nam & factus imperator, pariter se aliosque exercuit Maximinus. vtramque interpretationem historia admittit apud Herodianum & Capitolinum.

10. *Afri fidem Punicam præstiterunt.*] In altera concione, quæ libro superiore est descripta. *Afri fidem fregerunt. quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt?*

13. *Et nec hoc parum est, sed fi.*] Malim, *Et ne hoc parum esset, factum Afrorum nobilis ille senatus agn.*

26. Ne

26. *Ne quid, vt solet, militaris turba plus faciat.*] εὐφημισμὸς est non ineptus, *plus facere*, pro conficere, occidere, deterius aliquid in aliquem consulere. ex his verbis non colligas vtri Maximinus timuerit: sibíne absente filio, an illi qui à patre aberat tum longius, vt modo dictum est. ego accipiebam de patre: cuius præcipuum apud omnes odium. sed de filio accepit Capitolinus, quod declarant superiora verba: *ne quid contra eum se absente milites cogitarent.*

31. *Accepto Gordiano successore.*] Scribendum, *à Gordiano*. libro superiore, *Capelliano Mauros regenti Gordianus successorem dederat.* Sed totus locus iste nisi commode interpungatur tenebricosus nonnihil. Ita autem distinguendum: *Gordiano & in priuata vita semper aduersus, & ab ipso imperatore iam, cum Mauros Maximini iussu regeret veteranus, dimissus, cum lectis Mauris & tumultuaria manu, accepto à Gordiano successore, Carthaginem petiit.* Traiectio est in illis verbis, *accepto à Gordiano successore.* vel à librario commissa, vel ab ipso auctore. alieno enim loco posita sunt, cum deberent vocem *dimissus* statim sequi, aut etiam anteponi, vt apud Herodianum, διάδοχόν τε αὐτῷ ἔπεμψε, καὶ τοῦ ἔθνους ἐξελθεῖν ἐκέλευσε.

Pag. 234. vers. 5. *Vt cum diu quæsitum sit corpus Gordiani iunioris, non potuerit inueniri.*] Herodianus, ὡς διὰ πλῆθος πτωμάτων, μήτε νεκρῶν ἀναίρεσιν πρὸς ταφὴν γενέσθαι δυνηθῆναι· μήτε τοῦ νέου Γορδιανοῦ σῶμα εὑρεθῆναι.

6. *Fuit præterea ingens quæ raro in Africa est, tempestas.*] Constat Gordianum iuniorem sub initium Iulij, vel, vt quibusdam placet, ipsis Iulij Calendis prope Carthaginem periisse: vbi raro est eo anni tempore tempestas: fuitque obseruatum ab antiquis nautis tempestatẽ typhonicam, à qua sibi metuere deberent, raro contingere ante diẽ XVIII. Kal. Octobris. quare, cum in eum diem beatissimi Cypriani natalis incidisset, apud Carthaginensium, præsertim nautarum, vulgus obtinuit, vt ea tempestas CYPRIANA nominaretur. Procopius Gotthicorum libro tertio, Κυπριανὸν ἅγιον ἄνδρα μάλιστα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβονται· καὶ αὐτῷ νεών τινα λόγου πολλοῦ ἄξιον πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι παρὰ τὴν τῆς θαλάσσης ἠϊόνα, τά τε ἄλλα ἐξοσιοῦνται, καὶ ἄγουσιν ἐνιαύσιον ἑορτήν, ἣν δὴ Κυπριάνα καλοῦσι· καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸν χειμῶνα οἱ ναῦται, οὗπερ ἐγὼ ἀρτίως ἐμνήσθην, ὁμωνύμως τῇ πανηγύρει προσαγορεύειν εἰώθασιν, ἐπεὶ ἐς τὸν καιρὸν ἐπισκήπτειν φιλεῖ· ἐφ' οὗ ταύτην οἱ Λίβυες ἄγειν ἐσαεὶ τὴν ἑορτὴν νενομίκασι. nunquam imminentibus Cyprianis periculo nautæ se exponebant: adeo certi erant fore omnino vt ea die tempestas incumberet, quod paullo ante idem Procopius ostendit.

10. *Hæc vbi comperit senior Gordianus mod.*] non multo aliter tota hæc periodus in regio concipitur, vbi tamen liber hic multis studio prætermissis, aliter est conceptus. At in altero eorum codicum quibus olim in Italia vsus Puteanus, ita scriptum: *Hæc vbi comperit senior Gordianus, cum in Africa nihil præsidij, & à Maximino multum timoris, & fides Punica perurgeret, & acerrime Capelianus instaret, luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo vitam finiuit. Hic ex. &c.* eadem sententia quæ in

edita lectione: ſed verba non parum diuerſa. Nam quod ſæpe ſumus queſti, nimium quantum ſibi licere voluerunt veteres quidam critici in concinnandis, & pro libidine ſua, recoquendis miſeris iſtis ſcriptoribus. Huic autem periodo ante illa, *Hic exitus* &c. debuerant ſubiici verba illa quæ paullo antè ſedem alienam occupaſſe demonſtrabamus: ſed ea ſunt hodie non ſolum loco ſuo mota, verùm etiam multis modis male affecta, & lacera.

14. *Hic exitus duorum Gordianorum fuit.*] Sane etſi vter perierit prior non plane conſtat, ambos tamen in Africa mortem obiiſſe non eſt dubium. Zoſimus tamen ex aliis ſcriptoribus tradit naufragio vtrumque periiſſe, cum ex Africa in Italiam traiicerent.

16. *Imperauerunt anno vno menſibus ſex.*] imo verò, *vno menſe diebus ſex.* & ita videtur eſſe ſcribendum, inducta voce *anno*. adi ad Faſtos Onuphrij, cui præſtantiſſimo viro hac in parte aſſentimur.

29. *Quod Antoninum filium ſuum ipſe ſignificari voluit in ſenatu.*] Scripti libri, partim *Antoninum* heic habent, partim *Antonium.* & videtur hoc loco non aliter ſcripſiſſe Capitolinus. nam id agit, vt oſtendat attigiſſe Gordianum plurimas è nobiliſſimis veterum Romanorum familiis, ſiue gentibus. in quibus gentem Antoniam fuiſſe, ignorat nemo. at cum Antoninis cognationem præcedentia verba demonſtrant. illa autem *in ſenatu*, quæ & mox repetuntur, expoſuimus antea hoc libro: ſed dum attentius de ſententia horum verborum, & eorum quæ mox ſequuntur, cogito, oboritur ſuſpicio, fortaſſe vtroque loco ſcribendum eſſe *in cenſu*, non *in ſenatu*. videtur enim *cenſum* appellaſſe, profeſſionem liberorum à parentibus fieri ſolitam apud Acta. quæ re vera cenſus ſpecies quædam fuit.

30. *Quæ ſingula videntur familias deſignare.*] Scipionum in gente Cornelia, Pompeiam, Aureliam Antoninorum, & Antoniam.

33. *Ex Fabia Oreſtilla Antonij pronepte.*] Scrib. *Antonini.*

Pag. 235. verſ. 5. *Vt omnes libros Sereni Samonici patris ſui, q*] Duo fuerunt nomine & cognomine eodem Sereni Samonici: pater quem occidit Caracalla, vt narrat Spartianus in vita: filius Gordiani iunioris præceptor, vt ſcribitur hoc loco. bibliotheca autem à patre fuerat congeſta: quem etiam multa ſcripta edidiſſe, auctor eſt Spartianus, & multi eius meminerunt veteres ſcriptores. eius eſt, opinor, carmen de re medica. quod ad nos ſolum ex omnibus illius ſcriptis peruenit.

14. *Maximini ceu eiuſdem Alexandri temporibus, ad proconſulatum patris miſſus legatus eſt obſequutus.*] iuuabit ſententiam non parum poſita virgula poſt vocem *legatus*. caue autem male illa capias, *Maximini ſeu eiuſdem Alexandri temporibus.* nam ridiculus ſit Capitolinus, ſi de proconſulatu Gordiani ſenioris ita loqueretur: cum ex iis quæ ante dixit, certo illi conſtaret, Alexãdri temporibus id accidiſſe. loquitur igitur de profectione in Africam iunioris Gordiani: qui quidem, vt ex hoc loco apparet

paret, non est vnà cum patre profectus: sed postea à senatu aut imperatore in Africam missus est, vt patri suo legatus esset, extincto vel amoto priore Gordiani patris legato.

24. *Appellatus est sui temporis Priamus.*] ob liberorum multitudinem. ex Homero notum & aliis poetis.

24. *Quod esset natura propensioris.*] Membranæ, *quod esset natura propensior.* non displiceat alioquin, *naturæ protensioris.* nam ita melius conueniat appellatio Priapi.

35. *Qui post hoc c.*] Scripti, *post hæc.* melius.

Pag.236.vers.3. *Ostendisse constellationem mathematicum ferunt, & de libris veteribus dictasse.*] Et aruspices, & mathematici siue Chaldæi, responsa sua dictabant, atque interdum, vt fidem prædictionibus suis facerent, auctoritates adscribebant de libris veterum eius artis quam profiterentur magistrorum, vt hic Capitolini locus docet. Iuuenalis in sexta, ——*dictataque verba*

Pertulit, vt mos est, & aperta palluit agna.

7. *Obstinata constantiæ varietate prædixit.*] Malim, *obstinata constantia & veritate præd.* vel simpliciter, *obstinata constantia p.*

22. *Non facile per æstatem, nisi frigida, & quam plurimum bibit.*] Scribo, *nisi frigida edit: quam plurimum bibit.*

33. *sane quidem, quod apud V.*] Hæc ita exhibent membranæ: *Sane quidem, quod prætermittendum esse non censui, quia mirabile visum est, lectum apud Vulcatium Terentianum, qui & ipse historiam sui temporis scripsit, in literas misi. Gordianum sen* &c.

Pag.237.vers.11. *Et Clodium Balbinum A.*] abest à Regio *Clodium.* antè diximus *Cælium* fuisse nominatum, non Clodium.

13. *Vt nonnulli tredecim.*] Herodianus XIII. annorum facit, non cum Cæsar est creatus: sed cũ imperiũ suscepit, extinctis Pupieno & Albino. Videtur sane iam tum grãdiusculus fuisse, cum de Gordianis Augustis primus ex Africa Romam nuntius aduenit. nam inter acclamationes faustas quibus nouos Augustos senatus statim est prosecutus, fuêre & quæ ad hunc pertinerent, atque adeo iam tum prætura illi destinata, & consulatus: nomen quoque Cæsaris petitum ab acclamantibus senatoribus. nam libro superiore habentur hæc verba: *Ambo feliciter agatis: ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturam decernimus: nepoti Gordiani consulatum spondemus. Nepos Gordiani Cæsar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat.* Non concinunt ista iis quæ alibi narrat Capitolinus, itemque Herodianus: qui hunc cum Cæsar est factus vocat alibi infantem puerulum. Quare de fide illarum acclamationum potest non sine caussa dubitari. sed de trium Gordianorum rebus ita pugnantia scribunt veteres, vt quid potissimum probes non inuenias.

18. *Vt plures asserunt, ex filia Gordiani.*] Herodianus, ὤν τι παιδίον νήπιον τῆς Γορδιανοῦ θυγατρὸς τέκνον, τῷ πάππῳ ὁμώνυμον.

19. *Vt vnus aut duo, nam amplius inuenire non potui, ex filio.*] *amplius* pro plures. nisi ſcribas, *nam plures.* horum duorum alter eſt Dexippus, vt mox dicitur. vide ſequentem notam.

19. *Ex filio qui in Africa periit.*] Poſt hæc verba collocari iſta debuerunt: *Dexippus quidem aſſeuerat ex filio Gordiani tertium Gordianum eſſe natum.* quæ magno flagitio hinc auulſa, inferius aliquanto ſunt poſita.

23. *Qui biennio imperarunt.*] Vide ad ſequentem librum.

26. *Amabatur autem merito aui & auunculi, ſiue patris q.*] libro ſeq. *Neque vnquam quiſquam in illa ætate ſic amatus eſt, merito aui & auunculi ſeu patris, &c.*

28. *Et militari vel morte, vel neceßitate perierunt.*] *morte militari* filius: *neceßitate* pater: qui laqueo gulam ſibi fregit.

29. *Poſt hæc veterani ad Curiam venerunt, vt diſcerent quid actum eſſet.*] ex Herodiano verſum: ſed vocem *veteranus* longa periphraſi Græcus ſcriptor expreſſit. adſcribam eius verba, vt legi debent: nam vulgo eduntur corruptè. μαθόντες δὲ οἱ στρατιῶται, οὓς ἐν τῷ στρατοπέδῳ Μαξιμῖνος καταλελοίπει. (ἤδη γὰρ πρὸς ἄφεσιν στρατείας ὄντες, καὶ δι' ἡλικίαν, οἴκοι μεμενηκότες ἦσαν.) ἦλθον μέχρι τῆς συγκλήτου, βουλόμενοι τὸ πραττόμενον μαθεῖν.

30. *Ex quibus duo ingreßi Capitolium cum illic ſenatus ageretur ante ipſam aram.*] Victoriæ aram intelligit. Herodianus: καὶ οἱ μὲν ἄλλοι πρὸ τῶν θυρῶν ἔμενον· δύο δὲ ἢ τρεῖς περιεργότερον ἐπακοῦσαι τῶν βουλευομένων θελήσαντες, εἰς τὸ συνέδριον εἰσῆλθον, ὡς τὸν ἱδρυμένον βωμὸν τῆς Νίκης ὑπερβῆναι τούτους. Satis conſtat etiam in hac narratione ſequi Capitolinum hiſtoriam Herodiani: cuius etiam pleraque ad verbum eſt heic interpretatus. Quod igitur ait Capitolinus S. C. hoc in Capitolio fuiſſe factum: exemplum eſt incogitantiæ, & humanus error: nam male accipit verba Græci ſcriptoris: qui duo S.Cta. ordine commemorat: quorum alterum in Capitolio ait factum, alterum in Curia. at Capitolinus parum ad eius verba attentus, vel duo S.Cta. in vnum confudit: vel vtrumque in Capitolio factum fuiſſe putauit. quem errorem verba Herodiani confutant. refellit & ara victoriæ quæ in Curia fuit, non in cella Iouis Capitolini. ſed Capitolinus putauit συνέδριον appellatam ab Herodiano Capitolini Iouis cellam: quare ipſe quoque *Curiam* appellat. præcedunt enim hæc verba: *Poſt hæc veterani ad Curiam venerunt.*

32. *A Gallicano ex conſulibus, & Mæcenate ex ducibus interemti ſunt.*] Herod. τῆς δὲ συγκλήτου ἀνὴρ ἀπὸ ὑπατείας μὲν νεωστί, Γαλλικανὸς ὄνομα, Καρχηδόνιος δὲ τὸ γένος καὶ ἕτερος στρατηγικὸς τὸ ἀξίωμα, Μαικήνας καλούμενος, οὐδέν τι προσδοκῶντας τοὺς στρατιώτας παίουσι πληγαῖς κατακαρδίαις. Nouũ eſt illud genus loquẽdi, *ex cõſulibus*. pro, ex cõſule, ſiue vir cõſularis. Græci retinuerũt & dixerunt ἀπὸ ὑπάτων, ἀπὸ ὑπάρχων, & ſimilia. Herod. dicere ſolet, ἀπὸ ὑπατείας. non erraueris fortaſſe ſi *ex ducibus* expoſueris, qui ducum vnus erat: erraueris, ſi *ex conſulibus* ita fueris interpretatus, qui erat conſulum alter: nam Gallicanus Conſul tum non erat, ſed paullo antè fuerat, vt ait Herodianus.

nus.apud Ammianum ſæpe leges, *ex duce*, pro eo quod hic *ex ducibus*.

34. *Ignorantibus veteranis, quod Gordianus adoleſcens ſolus teneret imperium.*] quomodo *ſolus*? nondum enim perierant Maximus & Balbinus cum iſta gererentur. Omnino cōfundit hiſtoriam bonus Capitolinus: quod magis etiam intelliges, ſi cum ipſo fonte ſequentia componas.

35. *Dexippus quidem aſſeuerat ex f.*] Iam diximus iſta verba aliò eſſe transferenda. ineptiſſimè enim ab inſulſiſſimis hominibus heic ſunt locata. ſedem legitimam ſupra indicauimus. Quare iis ſublatis, ita cōtinuandus Capitolini textus: *ig.v.q. G.ad. ſolus teneret imperium: at poſtquam conſtitit apud veteranos quoque ſolum Gordianum imperare*, &c.

Pag. 238. verſ. 4. *Quod eclipſis facta eſt, vt nox crederetur.*] Lege quæ ſcripta ſunt de hac eclipſi à magno viro Ioſepho Scaligero in quinto De emendatione temporum.

6. *Poſt hæc tamen voluptatibus & delitiis pop. Rom. vacauit.*] Aurelius Victor, *Gordianus ſolus regnum obtinuit: eoque anno luſtri certamine, quod Nero Romam inuexerat, acto firmatóque, in Perſas profectus eſt.* perperam vulgo legitur, *aucto*. egit Gordianus Neronia, & firmauit: id eſt, vt in poſterū quinto quoque anno agerentur, ſicut Nero inſtituerat, ſanxit. Corruptus eſt & Zoſimus in huius rei mentione: ſcribit enim de tertio hoc Gordiano: ἀφ' οὗ τῆς περιλαβούσης κατηφείας ὁ Ῥωμαίων ἀνῆκε δῆμος τοῦ βασιλέως ὁπλιτικοῖς τε καὶ γυμνικοῖς ἀγῶσι τοὺς πολίτας * ἀπαγαγόντος: ante vltimam vocem deſunt aliquot verba in hanc ſententiam: ἀπὸ τῆς ἐννοίας τῶν περιγεγονότων δυσχερῶν αὐτοὺς ἀπαγαγ. vel, ἀπὸ τῶν πρόσθεν λυπηρῶν αὐτοὺς ἀπ. ſimile eſt quod ſubiicit hic Capitolinus. *vt ea quæ fuerant aſperè geſta mitigaret.*

8. *Inita eſt factio in Africa.*] Confer cum Zoſimo: qui deſcribit ex iiſdem auctoribus quos & Capitolinus ſequitur.

13. *Gordiano iam iterum & Papiniano Coſſ.*] Scribendum ex Faſtis, *& Pompeiano*. atque ita liber clariſſimi Puteani.

16. *Duxit vxorem filiam Miſithei.*] Putabam è Zoſimo ſcribendum *Timeſiclis*. nā quis eſt vir bonus, qualis hic fuit, qui Μισοθέου nomē geſtare velit? quis qui non abhorreat? Sed vulgatam iſtius nominis ſcriptionē retinent veteres codices: & quod valde miror, vetus lapis Romę quem infra deſcribimus. Aegre tamē adducimur, vt eā appellationē verā credamus. nā vel *Timeſitheus*, vel *Mneſitheus*, vel *Mixotheus*, aut aliud ſimile nomē, rectū putamus: vnde iſtud poſtea fuerit confictū. Accedit, quod Μισόθεος, nomē barbarū eſt: nam vel Μισόθεος vel Μισοναῦθεος fuerat dicendū.

17. *Dignum parentela ſua putauit.*] dignum iudicauit, cui ſe in filium daret. nam gener ſocerque patris & filij nomina vſurpabant, vt in ſequentibus epiſtolis leges, & ſæpe alibi.

20. *Et ipſe pro pietate aliquantum ſaperet.*] Vide num potius ſit, *pro ætate* vel *pro ſua ætate*.

21. *Nec per ſpadones ac m.*] latenter indicat prius hoc factum, quàm gener eſſet optimi ſoceri. vide ſequentem Timeſiclis epiſtolam.

22. *Vel ignorantiæ conuiuentia venderetur.*] Locus corruptus. Sed legendum ſic: *nec per ſpadones ac miniſtros aulicos matris, vel ignorantis, vel conniuentis, venderetur.*

37. *Omnes poſtremò tuas fabulas venderent.*] quid ſit, aperit Lampridius in Alexandro, vbi de Turino fumorum venditore loquitur.

Pag. 239. verſ. 6. *Per emptos ſpadones.*] Lampridius in Alexandro Seuero: *eunuchi cum empti ſint, & praui fuerint, quid tandem poſſunt boni ſapere?*

10. *Multa non eſſe facienda quæ feci.*] Melius, *non fuiſſe f.*

22. *Vt ex obſcuriſsimo præter nobilitatem, geſtis etiam G. clarum principem fecerit.*] Nihil mutandum: neque mens eſt obſcura. Supra de iuniore Gordiano: *literis & moribus clarus fuit præter nobilitatem.* At hic tertius Gord. præter nobilitatem clarus fuit *geſtis*, id eſt rebus bello geſtis, de quibus dicturus eſt Capitolinus.

30, *Prætextato & Attico Coss.*] anno altero prius quam periret Gordianus hic, fuerunt Coss. C. Vettius Atticus, & C. Aſinius Prætextatus. errant igitur Aurelius Victor & alij hiſtorici, qui bellum contra Perſas anno ſecundo imperij ſui eum ſuſcepiſſe ſcribunt.

ib. *Aperto Iano gemino.*] Aurelius Victor: *in Perſas prouectus eſt, cum prius Iani ædes, quas Marcus clauſerat, patentes more veterum feciſſet.* mihi videtur mirum clauſas Iani portas dici ab eo principe, cuius temporibus vix vlla ab hoſtibus fuit quies: & quod caput eſt, qui in expeditione obiit, bello cum maxime ardente. Sed hæc aliter alij, vt dicebamus ad Suetonij librum ſecundum, cap. XXII.

Pag. 240. verſ. 1. *Sapore Perſarum rege ſubmoto. Et poſt Artaxerxem Antiochiam recepit.*] Sapores hic rex eſt in imperio Perſico ſecundus: ſucceſſit enim Artaxerxi qui regnum illud inſtituit primus. Aduerte genus locutionis: *poſt Artaxerxem Antiochiam recepit.* hoc eſt, recepit Antiochiam, captam aliquot annis prius ab Artaxerxe. ita exponendum, ſi hanc lectionem ſeruamus. Sed mirum videtur nobis, captam dici ab Artaxerxe Antiochiam. vnde ſequeretur, fuiſſe eam longum tempus in Perſarum poteſtate: quod neque Zoſimus, neque alius quiſquam ſcribit. & profectò Antiochia non tum ſed aliquot poſt annis à Sapore, non ab Artaxerxe fuit occupata. Lego igitur, *Sapore Perſarum rege ſubmoto poſt Artaxerxem, Antiochiam recepit.* Traiectione mens obſcurata eſt: quæ videtur cauſſa fuiſſe inſerendæ voculæ *&*. nam rectum erat: *Sapore Perſarum rege poſt Artaxerxem, ſubmoto.* Zoſimus in hac hiſtoria: τὴν ἀρχὴν Σαπώρου παραλαβόντος μετ' Ἀρταξέρξην.

4. *Vt cum inſtructus eſſet & ſuis copiis & noſtris, t.*] Scripti, *vt cum inſtructus eſſet ſuis copiis, noſtris tamen ciuitatibus &c.*

6. *Ita vt nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret.*] Ambroſius de inſtitutione virginis: *Semel mundo mortua, ne quæſo attigeris, ne at-*

attaminaueris quæ sunt istius seculi. Alibi ponitur pro inquinare, aut polluere. lib. III. Cod. Theod. *Ne quis Iudæorum seruum ex Christiano Iudaicis sacramentis adtaminet.* Aurelius Victor in Marco Antonino: *quæ imprudentiâ regendæ coniugis attaminauit.* Augustinus lib. XXII. De ciuitate Dei: *Rabidus canis facit hominem quem forte adtaminauerit, contagione pestifera rabiosum.*

12. *Qua de rebus gestis scribens.*] Membranæ: *de rebus Persicis suisque gestis scribens.*

15. *Quæ vbique singulis digna sunt actitata.*] Nullus sensus est huius lectionis: neque miramur. deest enim vox necessaria. Scribe ex omnibus membranis: *quæ vbique singulis triumphis d. s. a.*

16. *Etiam Persas, vt breui multa connectam, ab Antiochensium ceruicibus, quas iam nexas Persico ferro gerebant, & reges Persarum & leges amouimus.*] Etiam & etiam velim cogitent acuti critici de horum verborum integritate: quam nos quidem præstare nolumus. annō enim βαττολογία quædam in illis inest? *Persas, & reges Persarum & leges.* videtur glossemate aliquo locus inquinatus. in regio non *ceruicibus* scriptum est, sed *ciuitatibus.* præterea scribunt omnes membranæ, *quas annexas Persico solo g.* Omnino subest hic portenti aliquid. hoc satis video: sed quomodo sententiam instaurem, non video. Porrò quantum datur intelligi, ex istis non possumus colligere Antiochiam à Persis fuisse occupatam, & vi receptam à Gordiano: quod modo tamen dicebat Capitolinus.

26. *Quadriga equorum, & triumphalis currus.*] Trebellius in Pisone tyranno. *statuam inter triumphales, & quadriiugos currus Pisoni decreuerunt.*

27. *Et titulus eiusmodi*, MISITHEO.] Inter antiquas inscriptiones, inuenio fragmentum tituli similis huic, qui Romæ extare dicitur, in hæc verba:

MISITHEO. PARENTI
PRINCIPVM. P. R. TVTORI
REIP. S. P. Q. R. . . . . . .
. . . .

ita nuper hæc descripserunt viri docti: sed velim considerari attentius eum lapidem: nam vitiose descriptum esse nomen istud suspicor. caussas antea diximus.

28. PRAETORII PRAEFECTO ET TOTIVS VRBIS.] Puto scribendum, ORBIS. quod etsi magnificentissimum est: non maius tamen quàm quod sequitur, TVTORI REIP.

34. *Cuius viri tanta in Rep. dispositio fuit, v.*] *dispositio* est prouisio annonaria, vt loquitur Trebellius in Balista tyranno. vide locum. sic mox, *tantum habuerat conditorum, vt vacillare dispositio Romana non posset.* & Ammianus libro XIX. vbi de Anatolio Illyrici præfecturam regente loquitur: & *disponere* apud eundem, pro annonæ prouidere. vt libro XIIII. *Antiochensi plebi suppliciter obsecranti, vt inediæ dispelleret metum: non*

diſponi quicquam ſtatuit, vel ex prouinciis alimenta conferri conſtituit. ſic alibi.

Pag.241.verſ.5. *Caſtra omnia foſſato circuibat.*] Latina vox eſt *foſſatum* pro foſſa.vt apud Marcellum empiricum,*in foſſatis ſæpium requires.* inde poni cepit pro caſtris, quia caſtra ſemper foſſa cingebantur,vt & Polybius monet. hinc eſt φόσσατον recentiorum Græcorum vox ἀντὶ τοῦ στρατοπέδου. Modeſtinus lege tertia,De re militari:*Is qui à foſſato recedit capite puniendus eſt.* pro caſtris dixit *foſſatum.* at Capitolinus hic ſeparat à caſtris,neque aliud foſſatum quàm foſſa hoc loco.Sed videtur ſcribendum,*Caſtrorum omnia foſſata circuibat.*vulgatæ enim lectionis Latinitatem nullus aſſequor.

14. *Mutatis quæ fuerant, id f.*] Vox excidit, quam repone ex membranis regis ac Puteani,quæ *fuerant parata id f.*

22. *Vt vacillare diſpoſitio Romana non poſſet.*] expoſuimus paullo antè: & de conditis ſatis ad Hadrianum. ita autem ſcriptum etiam in mēbranis, *diſpoſitio Romana*:pro annona Ro.exercitus.Suſpicabar ſcribendum eſſe, *diſpoſitio annonaria.* vt apud alios ſæpe *prouiſio annonaria.* nam offendit me vox *Romana.* ſed prouoco ad doctiorum iudicia.

ib. *Verum artibus Philippi primum naues frumentariæ ſunt auerſæ.*] Zoſimus explicat: ἐπὶ τοῦ βασιλέως περὶ Κάῤῥας καὶ Νίσιβιν σὺν τῷ στρατῷ διατρίβοντος, αὐτὸς ἐνδοτέρω τὰς ναῦς, αἳ τὴν στρατιωτικὴν τροφὴν εἶχον, εἰσιέναι διέταττεν.

Pag.242.verſ.4. *In tribunali proceßit.*] Scripta lectio: *in tribunali conqueſtus eſt.* rectè.

32. *Nec defuit vt ſenatus de his rebus quas non nouerat, falleretur.*] id eſt, accidit neceſſario vt falleretur. Paullo aliter hoc dicendi genus vſurpat Tacitus. vt in Annal. XIV. *Nec defuit Polycletus quominus ingenti agmine Italiæ Galliæque grauis, poſtquam Oceanum tranſmiſerat, militibus quoque noſtris terribilis incederet.* Propertius libro primo,

Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ.

Tibullus libro quarto:

Nunc tibi non deſit faciem componere pugnæ.

ſic alij poetæ,vt obſeruat Scaliger. Non diſſimilis eſt huic locutioni Hebraica phraſis, per verbum מלט quam apud diſertiores Rabbinorum notauimus.vt cū ait R.Aben Tybbō,in elegātiſſimo libello de rebus phyſicis, quem fere trāſcripſit de libris Moſis ben Maimon, Iudæorū omnium ſine controuerſia præſtantiſſimi: כָּל הַנִּמְצָאִים לֹא יִמָּלְטוּ מִהְיוֹתָם אוֹ עֶצֶם אוֹ מִקְרֶה *omnes res non abibunt quin ſint vel ſubſtantia vel accidens.* Gallice ad verbum dixeris, *ne peuuent faillir d'eſtre.* id eſt, ſunt neceſſario.

Pag.243.verſ.7. *Diuum ſemper appellans.*] Reg. *ſed dominum ſ. appellaret.* melius, *diuum.* Sic Caſſius Marcum, quem iactabat mortuum: ſic Opilius Macrinus Caracallam quem occiderat: & alij ſimiliter, diuos appellarunt, quos paſſi non erant eſſe viuos. De hoc Philippi dolo plura Zoſimus.

12. Quin-

12. *Quinquaginta Synnades.*] ita membranæ pro *Synnadicæ*, & *Cariſteæ*, non Cariſtiæ.

14. *In qua baſilicæ centenariæ tres.*] Sic porticus milliaria apud Suetonium in Nerone, à pedum menſura.

17. *A tutelis atque legationibus, & à publicis neceſsitatibus.*] Rarum priuilegij exemplum, quo data eſt familiæ Gordianorum immunitas & priuatorum munerum, & publicorum. Exemplum eſt ab Athenienſibus, qui bene meritis de Rep. ſuâ dabant ἀτέλειαν λῃτουργιῶν. Lege orationem Demoſthenis contra Leptinem.

33. *Quorum ipſe* XII. *miſerat, Alexander* X.] Videtur ſcribendum XX. vel certè pro XII. XXII. vt quadrent minores numeri cum præcedenti XXXII.

35. *Belbi, id eſt hyænæ,* X.] Regius, *belbi, item hyænæ* X. quod erit, belbi X. & hyænæ pariter X. ſicut ſtatim, *hippopotami & rhinoceros vnus.* id eſt, vnus hipp. & vnus rhin. at vulgata lectio, belbos & hyænas idem facit animal. de quo nihil pronuntio.

37. *Archoleontes decem.*] Egnatius & alij qui archoleontas volunt eſſe iubatos leones, haut dubie falluntur: nam iubati ſunt omnes mares: at nõ omnes archoleontes: ſed certum genus leonũ, præcipuæ, vt vox ſonat, vel magnitudinis, vel ſæuitiæ aut coloris: quales in Europa naſci inter Acheloum & Neſtum ſiue Neſſum fluuios ſcribit Ariſtoteles: longe illis generoſiores, quos vel Africa alit vel Syria. verùm non habuit philoſophus notos leones Aethiopicos, neque Indicos, alioſque, de quorum præſtantia multa Plinius, Aelianus, Oppianus, & cæteri qui poſt Ariſtotelem eam naturalis hiſtoriæ partem illuſtrarunt. Sed habent hoc loco alij libri, *acroleontes.* quare aſſentior Ioſepho Scaligero, qui legendum cenſet *agrioleontas.* vt opponantur iſti leonibus manſuetis, quorum paullo antè habita mentio. eadem olim ſententia fuit doctiſſimi viri Conradi Geſneri.

Pag. 244. verſ. 2. *Quæ omnia Philippus ludis ſæcularibus, vel dedit, vel occidit.*] τὸ *dedit.* refer ad venationes direptionis. Caſſiodorus. ÆMILIANVS ET AQVILINVS. *His Coſs. milleſimus annus Vrbis Romæ expletus eſt: ob quam ſolennitatem innumerabiles Philippus cum filio ſuo beſtias in Circo magno interfecit: ludoſque in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrauit. quadraginta etiam miſſus natali Romæ Vrbis concurrerunt, & Agon mille annorum actus.* Lege quæ de his ſæcularibus diſputat Ioſephus Scaliger in quinto operis magni.

8. *Quod de Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de Gordiano Cordus eueniſſe perſcribit.*] Reg. *de C. Cæſare.* Suetonius obſeruat extremo lib. I. Ammianus Marcellinus libro XXIII. *rediiſſetque pari ſplendore iunior Gordianus, cuius monumentum nunc vidimus honorarium, apud Roſainam ſuperato fugatoque rege Perſarum: ni factione Philippi præfecti præt. ſceleſte iuuantibus paucis in hoc vbi ſepultus eſt loco, vulnere impio cecidiſſet.* Nec errauere diu

manes eius inulti: quòd velut clarente iustitia, omnes qui in eum conspirauere, cruciabilibus interiêre suppliciis. Non scio satis haberíne ratio debeat lectionis quàm regius exhibet: *etiam de Gordiano Cordus dicit euenisse perfectum.*

15. *Gordiano sepulchrum milites apud Circeium castrum fecerunt in finibus Persidis.*] Scribe vt apud Eutropium, *Circessum*. siue *Circesium*. situm huius castri, describit Procopius Persicorum libro secundo. ἦγε δὲ οὐ κατὰ τὴν μέσην τῶν ποταμῶν χώραν, ἀλλὰ τὸν Εὐφράτην ἐν δεξιᾷ ἔχων. ἔστι δὲ τοῦ ποταμοῦ ἐπὶ θάτερα Ῥωμαίων φρούριον ἔσχατον, ὃ Κιρκήσιον ἐπικαλεῖται, ἐχυρὸν ἐς τὰ μάλιστα ὄν· ἐπεὶ Ἀβόρρας μὲν ποταμὸς μέγας ἐνταῦθα τὰς ἐκβολὰς ἔχων τῷ Εὐφράτῃ ἀναμίγνυται. τὸ δὲ φρούριον τοῦτο πρὸς αὐτῇ που τῇ γωνίᾳ κεῖται, ἣν δὴ τοῖν ποταμοῖν ἡ μίξις ποιεῖται. καὶ τεῖχος δὲ ἄλλο μακρὸν τοῦ φρουρίου ἐκτὸς χώραν τὴν μεταξὺ ποταμοῦ ἑκατέρου ἀπολαμβάνοντος τρίγωνον ἐνταῦθα ἀμφὶ τὸ Κιρκήσιον ἀποτελεῖ σχῆμα. Zosimus libro III. Τὸ Κιρκήσιον φρούριον ἐστὶ κυκλούμενον ὑπό τε τοῦ Ἀβώρα ποταμοῦ, καὶ αὐτοῦ τοῦ Εὐφράτου· τοῖς δὲ Ἀσσυρίων ὁρίοις συναπτόμενον.

22. SED NON VICTORI PHILIPPORVM.] miror additum fuisse istud: quod æternam Philippo ignominiæ notam inurebat: cum tamen ille nihil minus vellet credi quàm occisum à se Gordianum: quē cum ad senatū scriberet, finxit, morbo & sua morte obiisse. in Probo qui simillime periit à militibus occisus, titulum similem refert Vopiscus: sed cuius clausula longe alia: VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

26. *Quem titulum euertisse Licinius dicitur.*] titulum euertit, at monumentum ipsum non euertit. extabat enim adhuc Ammiani Marcellini temporibus: vt apparet ex illius verbis quæ modò produximus.

29. *Ne quid tuæ cogitationi deesset.*] Scribendum, *cognitioni*.

ISAACI

ISAACI CASAVBONI
IN IVLII CAPITOLINI MAXIMVM ET BALBINVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

MAXIMVS ET BALBINVS.] De horum nominibus antè diximus, & de Capitolini incogitantia, aut neſcio quid aliud dicam: qui nummos horum principum non requiſiuit, non inſpexit, vt adeò moleſto ſcrupulo liberaretur. Extant etiam hodie vtriuſque Auguſti non pauci: quos viri docti deſcripſerũt. Vidimus & nos in cimeliis viri amici & antiquitatis admodũ periti Petri Ragoſij Bigarrij Aquiſextiẽſis aduocati, quem nuper Rex Chriſtianiſſimus gazæ ſuæ antiquarum rerum præfecit, duos Maximi nummos, quorum hæc erant epigrammata. alter eſt argenteus, habetq; ab vna parte hæc: IMP. C. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. in altera autem iſta: P. M. TR. PO. COS. II. P. P. Nummus alter eſt ex ære, habetque hæc verba: IMP. CAES. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. & in poſtica facie, PAX. PVBLICA. S. C. ſed in iſtis nummis cognomen Maximi prætermiſſum eſt: cuius tamen fidem faciunt alij, ita inſcripti: IMP. CAES. PVPIEN. MAXIMVS. AVG. Balbinus autem vocatur in nummis D. CAELIVS BALBINVS. Cæterum librum hunc eo leuius percurremus, quia dicta pleraque omnia iam ante in duobus ſuperioribus.

Maximus Pupienus et Balbinus

Pag. 245. verſ. 10. *Senatus pertrepidus in ædem Concordiæ* VII. *Kal. Iunij concurrit, ludis Apollinaribus.*] Conſternationem animorum & ſenatus & populi Ro. ad nuntium de cæde Gordianorum, narrat Herodianus in ſeptima hiſtoria. tum illud factum eſt S. C. in Capitolio, de quo libro ſuperiore diximus. Sed diſſentit hic ab Herodiano Capitolinus: qui non in Capitolini Iouis cella, verum in æde Concordiæ creatos ſcribit imperatores Maximum & Balbinum. Videntur initio patres in ædem Concordiæ concurriſſe: poſtea verò iterum in Capitolio conueniſſe, & ibi negotium perfeciſſe. Perperam vero ſcriptum hoc loco Maio menſe hæc accidiſſe: quod hiſtoriæ rerum geſtarum manifeſtiſſi-

me repugnat. ſed ſcribendum eſt VII. *Kal. Iulij.* non autem *Iunij.* Sexto Kal. Iunias, vt dixit Capitol. in Maximinis, recitatæ ſunt in ſenatu Gordiani de imperio ſuo literæ. at nuncio de eius cæde Romam menſe vno pòſt allato, ſenatus hic habitus eſt VII. Kal. Iulij, ſiue Quintilis: quo menſe ludi Apollinares Romæ, vt ex Liuio conſtat & veteri Kalendario celebrabantur *a. d.* III. *Nonas Quintiles.* ita olim: poſtea verò aliter conſtitutum, vt oſtendit hic Capitolini locus: ſit modò ſanus & erroris aut vitij purus. Liber Puteani, VII. *Idus Iun.* alter eiuſdem VIII. *Idus.*

16. *Dexippus & Arabianus.*] is eſt, ni fallor, qui duobus in locis antè *Arrianus* nominabatur. Herodianum hic ſileri mirum eſt.

18. *Quorum alter bonitate.*] Albinus, quem deſcribit Herod. τὸ ἦθος ἁπλούστερον.

20. *Ac præ ſe timorem Maximini aduentu ferrent, oſt.*] Scrib. *aduentus.* pro *ferrent. oſtenderentque.* quidam codices, *fronte oſtenderent.*

21. *Referente Cos. de aliis rebus, q.*] de reſtitutione templorum, ornatu baſilicæ, & ſimilibus, vt ſtatim indicatur.

ib. *Qui primam ſententiam erat dicturus.*] Lege, *primus.* periphraſis eſt ſenatoris primæ ſententiæ.

23. *Feruentiſsimo tempore.*] cum quidem iam πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς, aut certa pernities, aut ſalus. elegans tranſlatio.

24. *De thermis Titianis.*] Titi Cæſaris.

Pag. 246. verſ. 11. *Vt nobilitatem generis ſplendore virtutis allexerit.*] Scribendum, *generi.* non erat Maximus nobilis natalibus: ſed obſcuritatem generis virtute illuſtrauerat. minus conuenit doctiſſimorum virorum emendatio: *vt ignobilitate gen.* eadem quidem ſententia: ſed ex noſtra correctione mollior & humanior.

Sed dum in Capitolio rem diuinam faciunt p.] Quæ ſequuntur omnia, ad illa verba, *Deinde ad Roſtra p.* in regio & Puteani leguntur alio loco, quem infra indicabimus.

37. *Annum agens* XIIII. *vt plerique dicunt.*] Scribe ex ſuperioribus, *decimum tertium.*

Pag. 247. verſ. 3. *Prima igitur relatio principum fuit.*] Regius, *r. duorum principum f.* Fuiſſe moris vt noui principes primam relationem facerent de eius honoribus cui ſucceſſerant, antè monebamus.

16. *Et Valerius Marcellus.*] Reg. *Valerius Marcellinus.*

ib. *Curius Fortunatianus.*] Reg. *Oratius Fort.* ſed *Curius* rectè, vt in aliis locis. Legi nuper apud virum doctum, editam olim in Italia huius hiſtoriam fuiſſe: tamen tranſalpinorum eſſe puto neminem qui vnquam viderit.

17. *Tam multa vt etiam pleraque & minus honeſta perſcripſerit.*] Regius, *tam multa, etiam pleraque vilia, & minus honeſta perſcripſit.*

20. *Faber ferrarius.*] En vices hnmanarum rerum. nam & nati fabris

bris ferrariis, vt hic, ad imperatoriæ maiestatis fastigium ascendunt: & ij quoque interdum, qui fuere ipsi fabri ferrarij: vt de Mario quodam narrat Trebellius Pollio. At enimuero Perseus contra de rege Macedoniæ eo redactus est, vt fieret faber ferrarius. vsque adeo ῥεῖα θεὸς βριάει ῥεῖα δὲ βριάοντα χαλέπτει.

ib. *Rhedarius vehicularius fabricator.*] fabricator eius generis vehiculorum, quæ dicuntur rhedæ: sic carpentarij carpenta tantum conficiebant. sed fortasse scribendum, *rhedarium vehiculorum fab.* vel, *rhedarum vehicularium f.* In regio, *viridarius, veh.* nullo sensu.

21. *Hunc suscepit ex vxore Prima nomine.*] Reg. *ex vxore prima* Neari *nomine.*

22. *Qui omnes in pubertate interierant.*] Reg. *intra pubertatem.*

24. *Aquila in cellam eorum proiecisse fertur.*] Scribe, *coram proi.*

29. *Id eo tempore nihil visum est, ominis habere, sed n.*] Spartianus in Geta: Hoc *dictum eius, tunc nihil, post verò præsagio fuit.*

31. *Pueritiam omnem in domo patrui Pinarij fecit.*] *facere*, pro διατελεῖν, morari, & habitare: de quo nonnihil supra: & crebra est locutio in libris iuris ciuilis.

35. *Attamen militaris tribunus fuit, e.*] Fortean, *ac tandem.* Sed passim vocem *tamen* alieno loco positam in his libris inuenias.

37. *Ac tertio Narbonæ.*] *Narbona* prouinciæ hîc nomen est, non vrbis.

Pag. 248. vers. 3. *Post hæc præfectus vrbis prudentißimus ac ingeniosißimus, & seuerißimus approbatus est.*] Omnia hæc Herodianus: τῆς τε Ῥωμαίων πόλεως ἔπαρχος καταστὰς ἐπιστρεφῶς τε ἄρξας καὶ ἐν ὑπολήψει παρὰ τοῖς ὄχλοις φρενῶν τε ἀγχινοίας καὶ βίου σώφρονος.

4. *Quare * velut senatus ei homini, q.*] Sublata quidem voce *veluti* sensus erit non incommodus: sed cum eam mordicus libri omnes retineant, desiderari hic videntur nonnulla. Potest scribi, *qua re, velut dixi, s.* sed cogitemus amplius. Puteani codd. alter habet *velit*: alter *veliti.*

11. *Vultu grauißimus & verecundus, st.*] Non congruunt grauitas & verecundia, magnumque discrimen est inter verecundum vultum, & tristem ac seuerum, qualis Pupieni fuit: quod & nummi antiqui testantur quos vidimus. sed potest verecundus aliter accipi, pro αἰδοῦς ἄξιος, & αἰδέσιμος; qui aspectu suo pudorem aliis exprimeret. Ammianus Marcellinus libro XIIII. *populi Romani nomen circumspectum & verecundum.* ita scripta exemplaria Marcellini, non *verendum.* Sed priscæ editiones habent heic, *& retorridus.* quibus & Puteani alter codex assentitur. Plinij vox, & aliorum veterũ: cuius est hîc honestissima translatio.

12. *Corporis qualitate sanißimus.*] Scripti *fortißimus.* mox, *corprris qualitate conspicuus.*

13. *Neque vnquam vsque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens.*] id est, qui in nullius vnquã necem duraret, vt loquitur Tacitus de Augusto.

17. *Quam sibi credit.*] credidit.

27. *A Balbo Cornelio Theophane originem ducens.*] Theophanes Mitylenæus amicitia Pompeij & scriptione historiæ magnam olim famam meruerat. floruitque eius domus Romæ sub Augusto, & Tiberio etiam aliquandiu. nam adhuc cum Strabo librũ XIII. scribebat, Marcus Pompeius Theophanis F. inter primos Tiberij amicos censebatur. sed exercuit tandem sæuitiam suam in huius sobolem Tiberius, vt narrat Tacitus libro sexto Annalium.

30. *Statura æquè procerus.*] Reg. delet vocem *æquè.* quam retineo cum aliis libris: nam respicit illa superiora de Maximo, *vultu grauiss. statura procerus.*

33. *Multa hereditatibus per se ipse collegerat.*] scriptus heres à multis amicorum: quod apud veteres honori habitum: eoque nomine gloriatur Cicero.

34. *Poemate inter sui temporis poetas præcipuus.*] Ita scripti omnes: sequentia autem verba *præcipiti vsu,* absunt à regio: sed seruant Puteanei, & distinctione mutata iungunt cum *præcipuus.* & omnino male cohærent illis, *vini, cibi, v.* &c. referendum ad facultatem fundendi versus ex tempore. nam *præcipitem vsum* appellat τὸν αὐτοσχεδιασμόν. non temere vulgatam heic lectionem damnauerim, *poemate, i. s. t. poetas plurima fecit, vsu præcipiti.*

36. *Quod illum populo non commendaret.*] Dele negationem.

Pag. 249. vers. 3. *Hunc quoque comparandum putant.*] Scrib. *Hos q.*

9. *Meruerunt imperium.*] Scripti, *inierunt imperium.* Post ista collocant scripti libri verba illa quæ supra indicauimus. Videtur interesse non multum vtro potius loco sint collocata.

18. *Nemesis, id est, vis quædam Fortunæ satiaret.*] Non est glossema: si stamus fide librorum. de Nemesi præter Græcos, Ammianus Marcell. libro XIV.

21. *Et ferrum, & nudas inter se cohortes.*] Fortasse, *& ferrum nudantes inter se cohortes.* id est, nudato ferro & micante acie pugnantes. alibi notabamus Romanos milites arma habuisse tecta: quæ ad pugnam nudabant. Sed assentiamur Puteano, qui emendabat ex vestigiis scriptæ lectionis, *& nudos inter se coeuntes.*

Romani milites arma habebant tecta quae ad pugnam nudabant

28. *Nam & in publicũ processit, & p.*] Mire titubat tota hæc Capitolini narratio. ceperat dicere de iis quæ acciderunt Maximo contra Maximinum profecto: nunc tamen redit ad tempus illud quo ambo erant in Vrbe imperatores. sed rerum seriem inuoluit, obscuratque. facem pete ex Herodiano.

31. *Neque sedasse tumultum, n.*] *sedasse* pro sedaturum fuisse. sed historiam confundit aliud agens. duæ temporibus illis fuerunt Romæ seditiones: prior eademque minus periculosa, quæ producto puero Gordiano & Cæsare facto, sedata est: altera longe grauissima, aliquanto post

acci-

accidit.confer cum Herodiano.

Pag.250.verſ.1. *Tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet.*] Carphyllides: —— ἦ ῥα δικαίοις

Ἀνδράσιν εὐσεβίης οὐκ ἀπόλωλε χάρις.

6. *Iuſſum tunc tamen v.*] *tamen* pro etiam, vel παρῆκον. ſic ſæpe.

12. *Et cum mille edicta Balbinus proponeret, n.*] Herodianus: ὁ δὲ Βαλβῖνος οἴκοι μένων διατάγματά τι προθεὶς. Capitolinum legiſſe non dubito, διατάγματα. idque melius.

15. *Niſi fiſtulas aquarias populus incidiſſet.*] Herod. πᾶν τὸ ὕδωρ τοῦ στρατοπέδου εἰς ἕτερα ῥεῖθρα μετοχετεύοντες, ἐκκόπτοντες καὶ εἰσφράττοντες τὰς εἰς τὸ στρατόπεδον εἰσόδους αὐτοῦ.

20. *Ad vaſtanda ea quæ norant vbi reperirent.*] Verbi gratia: qui norant miniſterium argenteum magni pretij eſſe in ædibus huius aut illius conſularis, eò impetum faciebant: & ita in cæteris.

29, *Qui etiam crines mulierum.*] in extremo libro de Maximinis dictum idem. cur heic repetit?

30. *Tantum ſane lætitiæ fuit in Balbino qui plus timebat, vt hecatomben faceret.*] in Maximinis: *Balbinus autem timidior natura, & qui cum Max.* vide reliqua.

32. *Hecatombe autem tale ſacrificium eſt.*] Vberius iſta Græcorum grammatici ad primum Iliadis. Romanos publice priuatimque feciſſe hecatombas non rarò, ex Flauij Vopiſci Tacito eſt cognoſcere. neque ſolum hecatombas, ſed & chiliombas aris admouebant. vt in Martyrologiis, de Artemio: πλείονα γοῦν ἢ σύμπασι τοῖς ἄλλοις ἀγάλμασι προσῆγε τὴν θρησκείαν. χιλιόμβας ὅλας ἐξ ἑκάστου γένους θυόμενος αὐτῷ.

Chiliombas aris admouebant

36. *Quod quidem etiam Græci quondam feciſſe dicuntur, cum peſtilentia laborarent.*] an alludit ad Homeri verſum?

Εἴτ᾽ ἄρ᾽ ὅγ᾽ εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται εἴθ᾽ ἑκατόμβης.

nam propter peſtilentiam hæc dicuntur. ſed & in vera hiſtoria plura exempla.

Pag.251.verſ.14. *Maximum minus quam eum laboraſſe, c.*] *eum* pro ſe poſuit. ſed non ita ſcripſiſſe arguunt regius & Put. ex quibus ſcribe, *M. non magis quam ſe lab.* Sic tamen ſæpe in his libris: vt ſtatim: *mittit ad Balbinum Maximus, petens, vt ei præſidium mitteret.* id eſt, ſibi præſ. m.

15. *Sed tantum valuit bellum Maximo q.*] Non *bellum*, ſed *velle* legitur in regio. & placet tantum ea lectio, quantum vulgata diſplicet. etſi, inquit, verum erat quod Balbinus dicebat, non plus Maximum quam ſe ad victoriam contuliſſe: quia tamen difficillimo Reip. tempore profectus erat Maximus contra Maximinum, tantum valuit eius velle, tantique eius voluntas egregia æſtimata eſt, vt partam victoriam omnes illi acceptam ferrent: licet Rauennæ ſedens nihil de iis quæ ad Aquileiam gererentur reſciuerit: niſi poſt rem confectam, cum de cæde Maximinorum allatus ipſi fuit nuntius.

18. *Vt etiam victoria decerneretur.*] Lego, *vt etiam victoria eius crederetur.*

22. *Nec dißimulari poterat mœror, qui in frontibus apparebat ſingulorum.*] Herod. οἱ μέντοι στρατιῶται διοίδαινον τὰς ψυχάς. Lege cætera.

24. *Quamuis Maximus & apud milites ſæpe dixiſſet obliuionem præteritorum eſſe debere.*] Maximi verba ſunt in concione apud milites: μηδὲ τις ὑμῶν οἰέσθω τῶν πεπραγμένων εἶναι τινα μνήμην, εἴτε ὑφ' ὑμῶν, (ita ſcribendum, non ἡμῶν) ἐκλήθεσθε γὰρ, εἴτε ὑπὸ Ῥωμαίων, ἢ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, οἱ ἀδικούμενοι ἀπέστησαν. ἀλλὰ γὰρ ἔστω πάντων ἀμνησία.

25. *Stipendia magna donaſſet, e.*] Herodianus, νομάς τε χρημάτων μεγαλοφρόνως αὐτοῖς ἐπαγγείλας. *ſtipendium* pro donatiuo poſitum noue. nam aucta fuiſſe ſtipendia non eſt probabile.

ib. *Et auxilia in ea loca quæ delegerant dimiſiſſet.*] auxilia dimiſit in ſuam quemque patriam: milites legionarios in ſua caſtra. Her. τό τε στρατιωτικὸν ἀπέπεμψεν ἔς τε τὰ ἔθνη καὶ τὰ οἰκεῖα στρατόπεδα.

26. *Sed animi militum ſemel imbuti odio, refrenari nequeunt.*] Ammianus Marcellinus libro XIV. *miles coalito more in ordinarias dignitates aſper ſemper & ſæuus.*

35. *Quæ communia ſolent eſſe feſta.*] vel *fauſta*. εὔφημα. at *feſta* propriè ſunt τῶν ἑορταζόντων, non τῶν εὐφημούντων.

37. *Per imperitos electi principes ſic pereunt.*] Scripti, *per milites, per imperitos*. ſed gloſſam eſſe cenſeo.

Pag. 252. verſ. 4. *Et Balbinus quidem cum Maximo vrbem cum magna moderatione regebant.*] Ex Herod. hoc quoque. ἦρχον δὲ τοῦ λοιποῦ τῆς πόλεως μετὰ πάσης εὐταξίας τε καὶ εὐκοσμίας, ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ πανταχοῦ εὐφημούμενοι.

13. *Quotidie ingraueſcebant.*] ἀεὶ δὲ μᾶλλον ἐβαροῦντο: quo verbo heic vſus Herodianus. In regio paullo ante pro *quærentes* habetur *quærebant*. ſcribebam igitur, *milites oc. quærebant occidendorum principum: cumque primo vix in. p. q. G. ſ. M. à B. quotidie odia ingraueſcebant.*

19. *Ludis denique ſcenicis, cum multi & milites & aulici occupati eſſent, & in Palatio ſoli cum Ger. principes remanſiſſent.*] Ludos ſcenicos appellat agonem Capitolinum. Herodianus, ἐπιτελουμένου δὲ ἀγῶνος τοῦ τῶν Καπετωλίων, πάντων τε περὶ τὴν πανήγυριν καὶ τὰς θέας ἀσχολουμένων, αἰφνιδίως ἣν εἶχον γνώμην λανθάνουσαν ἐξέφηναν. Erat hoc certamen, vt ſcribit Suetonius, triplex, muſicum, equeſtre, gymnicum. quod igitur de ſcenicis ludis ait Capitolinus, ita accipi debet, vt intelligamus in plures dies tributos fuiſſe ludos Capitolinos, vel vt Græci vocant τὰ Καπετώλια. die autem illo quo perierunt Maximus & Balbinus, muſicos & ſcenæ artifices certaſſe. Atque hic agon vndequadrageſimus numeratus eſt, vt ſcribit Cenſorinus: qui eo anno librum de die natali ad Cerellium miſit.

Agon Capitolinus

27. *Quem putabat monarchiam velle.*] vterque illorum imperium ad ſe trahebat, vt ſolus imperaret. retinuit vocem Herodiani, ἀλλ' οἷα περὶ μοναρχίας ἐπιθυμία, καὶ τὸ ἀκοινώνητον ἐν ταῖς ἐξουσίαις, ἕκαστος πρὸς αὐτὸν τὴν δύναμιν ἀνθεῖλκε.

29. In

29. *In hac tamen seditione illis contendentibus, m.*] Liber Puteani, *contradictione* pro *seditione*: quod probo. *tamẽ*, vt sæpe, alieno loco positum.

30. *Atque ambos eos nudatos vestibus regalibus, de Palatio cum iniuriis produxerunt.*] contrarium dicit Herod. ex quo tamen historiam sumit Capitolinus: neque enim in regalibus vestibus, sed domesticis ac vilibus esse deprehensos. περιρρήξαντες δὲ ἃς εἶχον περὶ τοῖς σώμασιν ἐσθῆτας λιτάς, ἅτ' οἴκοι διατρίβοντες, γυμνοὺς τῆς βασιλείου αὐλῆς ἐξέλκουσι μετὰ πάσης αἰσχύνης καὶ ὕβρεως.

33. *Magna ex parte laniatos.*] ἤδη πᾶν τὸ σῶμα λελωβημένους.

35. *Inter hæc Gordianus Cæsar sublatus à militibus imperator est appellatus, id est Augustus.*] *sublatus*, nempe de ædibus suis in castra prætoria. neque enim referam ad morem eleuandi super scuto eos quibus deferretur imperium. Herodianus vnde hæc dixit, ἀράμενοι τὸν Γορδιανόν: quæ non aliter accipienda. illa, *id est Augustus*, non sunt apud Herod. & possent abesse, nisi retinerent libri veteres.

37. *Quia non erat alius in præsenti.*] Her. ἐπειδὴ πρὸς τὸ παρὸν ἄλλον οὐχ εὗρον.

ib. *Insultantibus militibus senatui & populo.*] de senatu verum est: de populo videtur male accipere Herodiani verba: βοῶντες πρὸς δῆμον ὅτι ἄρα εἴησαν ἀπεκτονότες οὓς ὁ δῆμος οὐκ ἐβούλετο ἐν ἀρχῇ ἄρξαι. quæ oratio est blandientiũ populo, & gratiam illius captantium potius, quàm insultantiũ.

Pag. 253. vers. 3. *Extra vrbem vbi suos habebant.*] Herod. εἰς τὸ ἑαυτῶν καταγώγιον. sequens quoque periodus inde est pæne ad verbum translata.

6. *Quod re ipsa intelligi potest.*] Scrib. *ex re ipsa potest int.* vt in vett.

9. *Quum alter bis Cos. & præfectus, alter Cos. & præfectus ad imper. peru.*] in regio. *bis Cos. & præf. Vrbis*: *al.* bis Cos. fuerat Balbinus: præfectus Vrbi Maximus: sed falsum est, aut Balbinum fuisse præfectum: aut Maximum Consulem: quorum tamen vtrumque affirmat hæc scriptura. Scribendum aio: *cum alter bis Cos. præfectus Vrbis alter, ad imperium longæui peruenissent.* reliquis verbis expunctis.

10. *Amabiles senatui, & populo etiam, quia Maximinum iam leuiter pertimescebant.*] Ridicula lectio: nam Maximinus pridẽ extinctus. Scribendum omnino vt in regio & Puteani: *& populo, qui iam Maximum leuiter pertimescebant.* initio cum delatum imperium Maximo, memor populus qua seueritate vrbanam præfecturam egisset, sibi ab eo metuit, & eius detrectauit imperium: sed iam mitiorem experti, quàm sperauerant, leuiter eum timebant.

12. *Hæc sunt quæ de Maximo ex Her.*] Dele auctoribus libris illa, *de Maximo.* neque possunt ferri.

17. *Inter se errantium.*] Scribe, *certantium.* & ita scripti. frustra dici ista omnia à Capitolino, sæpius iam monuimus.

ib. *Vel vsurpatio*] Vox Latinorum criticorum: nam vsurpata illis dicuntur, quæ sine priorum exemplo aut contra analogiam siue vsum, magni scriptores interdum sibi volunt licere. Frequens vox apud Seruium Honoratum: apud quem vsurpatio & ars siue ratio opponuntur.

vt in primum Aeneidos: *Non enim sunt artis ista, sed vsurpationis, qua metri caussa vtuntur poetæ.* & in primum Georg. *Et ab eo quod est vomer, & ab eo quod est vomis, vomeris facit: sed rationis est, vt vomer: nam vomis vsurpatum est.* Elegāter igitur Capitolinus hoc loco, cum magnis scriptoribus imperitiā obiecisset, velut reuocans asperius verbum, *vel*, inquit, *vsurpatio*.

19. *Vitæ suæ temporum scriptor.*] τῶν καθ' αὑτὸν χρονογράφος, siue συγγραφεύς.

20. *Cum & Dexippus Græcorum scriptor.*] Melius scripti, *Græcus scr.*

24. *Præfectum prætorij fuisse Gordianum paruulum dicunt.*] ita historiam narrat Aurelius Victor Schotti.

Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno vno.] Hoc verius quàm quod legitur in libro de tribus Gordianis, biennio eos imperasse. Verùm ea bonorum librorum hodie inopia est, vt neque horum imperiū, neque Maximinorum, satis certo possimus definire: multo autem minus Gordianorum qui in Africa perierunt.

31. *Vt Herodianus dicit.*] Hæc non legūtur apud Herodianū: & Herodiani nō esse ausim affirmare. A regio cod. abest tota hæc narratiūcula.

Pag. 254. vers. 2. *Sub his pugnatum à Carpis contra Mœsos fuit.*] Carporum gens cum post Marci tempora diu quietem coluisset, hac tempestate iterum Romano imperio cepit esse molesta. Narrat eorum motū Zosimus: sed in Philippi rebus, non istorum, neque Gordiani tertij, qui his successit. Descriptus est viris doctis huiusmodi nummus: IMP. PHILIPPVS. AVG. VICTORIA. CARDICA. sed scribendum CARPICA.

Addidit præterea contra Maximinum Ag.] Vox excidit quam seruant Puteani codd. *Add. præterea tantū contr.* Atque hoc tertiū iam repetitur. quæ autē subiiciūtur de Maximo & Pupieno, quoties antea sunt dicta?

31. *Quanquam nondum ex vestris literis.*] Membranæ, *ex diuinis literis.* verè. nam ita imperatorias literas cum ad eos præsertim scriberent, vocabant. & ita multa passim in Codice.

34. *Cuius pro iudicio q.*] Scribendum, *cui vos pro i.*

35. *Quam cum maxima ab h.*] Scribe, *cum maxime.*

Pag. 255. vers. 12. *Vt se ordini profiteretur iratum.*] Omnes membranæ, *vt se amplißimo ordini p.* Alioquin sæpe *ordo* absolutè pro senatu ponitur, aut ordine decurionum in municipiis. & ita sæpe in antiquis inscriptionibus.

Ordo pro Senatu [et] ordine municipiorum

26. *Qui à plerisque Maximus dicitur nomine paterno.*] Scripti non habent duo postrema verba. quæ tamen retineas licet: nam dictum antè: *Maximo pater fuit Maximus.*

30. *Sed Fortunatiano credamus q.*] In regio desideratur vniuersa hæc periodus: perperam. Curij Fortunatiani etiam ante meminit.

32. *Vt omnium stupore legentibus aboliti videantur.*] Legendum, vt ad librum de Maximinis emendabamus: *vt omni iam stupore legentes hæc absoluti videantur.*

DE IIS

DE IIS QVI POST GORDIANVM TERTIVM PRINCIPES FVERVNT ad Valerianum vſque.

GORDIANO tertio non Valerianus ſucceſſit, ſed Philippi duo: de quibus & aliis item pluribus, qui ante Valerianum imperarunt, non dubium eſt, quin & Spartianus & Capitolinus & Lampridius, atque omnino quicunque alij è veteribus hiſtoriam Auguſtam ſtilo perſecuti ſunt, in libris ſuis abunde egiſſent. Quid cauſſæ ſit cur hodie in iſto Cæſareæ hiſtoriæ corpore pars hæc deſideretur, difficile dictu eſt. Scimus tamen, non hodie atque heri, ſed ante aliquot ſecula, factam eſſe hanc iacturam: imò fortaſſe nihil eſſe amiſſum, neque eorum quicquam periiſſe, quæ in hoc corpus ſunt ab iis coniecta, qui illud olim ex diuerſis ſcriptoribus concinnarũt. Nam & membranæ veteres cum regiæ bibliothecæ, tum illæ quibus olim in Italia vſus V. Cl. Claudius Puteanus, & Robertus quoque Bononienſis in Epitoma quam fecit horum librorum, defectum hunc agnoſcunt. Suſpicari licet, quia Philipporum res, & cæterorum qui in hac collectione ſilentur, Deciorum rebus erant permiſtæ, quos hoſtes ſæuiſſimos eccleſia Dei quõdam eſt experta, compoſitorẽ huius corporis, pietatis Chriſtianæ feruore impulſum, in Deciorũ odiũ, præoptaſſe principes aliquot, minutos præſertim & parum memorabiles, ſilentio tranſmittere, potius quàm vel Capitolinum, vel Spartianum, vel Lampridiũ aut quenquam alium deſcriberet, qui omnes iſtos minorum gentium imperatores, vno libro fuerat complexus. Nemo dubitat ſimilem ob cauſſam factum eſſe, vt in tanta hodie temporum Diocletiani ignoratione verſemur: amiſſis omnibus hiſtoricis, qui principis illius peſſimi quidem, ſed tamen maximi, geſta vberius narrauerãt. Extat & apud Robertum, & in antiquis membranis hiſtoriæ quæ hoc loco deficit, ſupplemẽtum aliquod: ſed fere Eutropij verbis: quæ huc attuliſſe nullum fuerit operæ pretium. Nos verò eorum loco, omnium nomina infra ſubiecimus, quos poſt exceſſum Gordiani tertij, ante Valerianum, factos fuiſſe Auguſtos vel Cæſares ex veterum lectione comperimus. Eſt autem ſpatium temporis à Gordiani III. morte ad initium Valeriani, non ma-

gnum: annorum circiter nouem, vel ad summum decem. Anno enim ante millesimum ab V.C. tertio, patrata Gordiani cædes: Valeriano autem delatum imperium est anno sexto post natalem Vrbis millesimum. hoc tam breui tempore nacti imperium, eodemque spoliati sunt isti.

I. IMP. CAES. MARCVS AVG. Narrat Zonaras, patres cum de morte Gordiani III. cognouissent, vsos iure suo, & Marcum quendam, haut dubie senatorem, sapientiæ & philosophiæ deditum, imperatorem creasse: qui mox in Palatio morbo absumtus.

II. IMP. CAES. SEVERVS HOSTILIANVS AVG. Marco extincto, eorundem patrum suffragiis hic successit: qui morbo statim correptus, post missum sanguinem, fatis concessit. Zonarę vni memoriam imperij sui debent hi duo principes. meminit vtriusque etiam Cedrenus: sed corruptè & non sine vano. Marcum enim tres annos ait imperasse: huic successisse ΙΟΥΣΤΙΛΙΑΝΟΝ: (nam ita scribitur apud illum:) & imperium annos duos obtinuisse. Diuersus hic Hostilianus ab illis duobus, de quibus infra in Deciis sumus dicturi.

III. IMP. CAES. M. IVLIVS PHILIPPVS AVG. Hic filium suum assumsit in consortium vt ait Aurelius Victor: & Zonaras κοινωνὸν τῆς βασιλείας ἐποίησε: Zosimus tamen Cæsarem solùm factum scribit. Nominatur filius apud Victorem alterum in historia miscella, CAIVS IVLIVS SATVRNINVS PHILIPPVS. postquam verò illum pater potentiæ sociauit, dictus est iisdem cum patre suo nominibus: quod multi docent nummi, vt iste apud historiæ patrem Onuphrium:

IV. M. IVLIVS. PHILIPPVS. CAESAR. AVG. F. COS. PRINC. IVVENTVT. vulgo autem appellatus est Philippus iunior. vnde ille quorundam Græcorum error manauit, qui cognomen id Philippi fuisse, & quidem patris existimarunt. Legi in Siculis Fastis: Ῥωμαίων κὲ ἐβασίλευσε Φίλιππος ὁ Ἰούνωρ, (siue Ἰουνίωρ) ἅμα Φιλίππῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἔτη ϛʹ. & ne errorem scribæ existimes, in anno quarto eius imperij notantur hæc: Ὁ βασιλεὺς Φίλιππος ἅμα τῷ υἱῷ αὐτοῦ Φιλίππῳ ἀριθμὸν συνεστήσατο τῶν λεγομένων Κανδιδάτων, ἐπάραντες, κατ᾽ ἐπιλογὴν νεανίσκους ἄνδρας ἀπὸ τῶν σχολαρίων· καλέσαντες τὴν σχολὴν τοῦ παρ᾽ αὐτῶν συσταθέντος τάγματος εἰς τὸ ἐπώνυμον Φιλίππου τοῦ παιδὸς, Ἰουνιόρων. οὗτοι εἰσιν οἱ τῆς ζ σχολῆς. Annos potentiæ quinque egerunt, vt scribit Aurelius Victor: vt alij sex. Celebratur in multis nūmis antiquis MARCIA OTACILIA SEVERA AVGVSTA Philippi senioris vxor. hanc religionis Christianæ sacris imbutā fuisse plerique autumant. quæ res effecisse videtur, vt Philippū quoq; vxoris gratia æquiorē piis, palam Christianū fuisse Eusebius aliiq; multi scripserint. Assentior verò doctissimis viris, qui putant cum Zonara, duos Philippos, hunc nempe Augustum, & alterum præfectum Augustalē, Eugeniæ martyris patrē, ab antiquis rerū ecclesiasticarū scriptoribus Græ-

Græcis fuiſſe confuſos. Sed quod diſputant iidem, errori occaſionem inde natam, quod imperator quidem σεβαστὸς: præfectus verò Auguſtalis σεβάσμιος diceretur: ſine vllo dubio falluntur. Nam præfectum Auguſtalem nemo vnquam Græcorum appellauit σεβάσμιον, ſed Αὐγούστου ſemper vel Αὐγούστιον, aut Σεβαστοῦ, vel Σεβάστιον. σεβάσμιον verò Græcè periti non magis illum nominauerint, quàm σεβαστόν. Sed non ceperunt eruditiſſimi viri Zonaræ mentem: qui ex eo ſcribit ortum errorem hunc nonnullorum, quod vtrumq; apud auctores nominatum ἔπαρχον offendiſſent: ipſi autem neſcirent, aut non meminiſſent, alterum τοῦ δορυφορικοῦ, alterum τῆς Αἰγύπτου fuiſſe ἔπαρχον. hæc mens verborum Zonaræ. Sed pergamus:

V. IMP. CAESAR IOTAPIANVS AVG. Hic Philippi temporibus imperium in Oriente occupauit: ſed ſtatim oppreſſus, cum imperio vitam ſimul amiſit. auctor Zoſimus: apud quem ſcribendum cum manu exaratis codicibus, τὸν Ἰωταπιανὸν παρήγαγον ἐς τὴν τῶν ὅλων ἀρχήν. & mox, τοῦ Ἰωταπιανοῦ: non autem Παπιανὸν & Παπιανοῦ. Aurelius enim Victor lectionem ſcriptam firmat: etſi non ſub Philippo, ſed ſub Decio huius νεωτερισμὸν ille narrat. Ait autem, caput eius occiſi ad Decium Romam fuiſſe delatum, his quidem verbis: *Interea ad eum Iotapiani, qui Alexandri tumens ſtirpe per Syriam tentans noua, militum arbitrio occubuerat, ora vti mos eſt, arbitrio feruntur.*

VI. IMP. CAES. MARINVS AVG. Eodem tempore quo Iotapianus in Syria, Marinus in Pannonia vel Mœſia à legionibus præſidiariis ſalutatus eſt imperator, nec multo poſt trucidatus, vt narrant Zoſimus & Zonaras. alibi mentionem huius fieri non inuenio: & miror quo auctore appelletur nonnullis PVBLIVS CARVILIVS MARINVS.

VII. IMP. CAES. MESSIVS QVINTVS TRAIANVS DECIVS AVG. His nominibus appellatus eſt Decius pater, qui in Illyrico ſuffragiis militum nactus imperium, Philippum mox ad Veronam deuicit. Conſtat ibidem periiſſe patrem Philippum, filium autem Romæ. Scribit tamen Siculorum Faſtorum auctor, neſcio quem ſecutus. Φίλιππος ὁ Ἰουνιώρ, (is eſt ſenior Philippus,) πολλοὺς συμβαλὼν πολέμους εὐτυχῶς ἐπραξεν. καὶ ὡς πολεμεῖ τοῖς Γήπεσιν, ἐκονδύλησεν ὁ ἵππος αὐτοῦ. καὶ συμπεσὼν αὐτῷ μηρόθλαστος ἐγένετο· καὶ ἐλθὼν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐξ αὐτοῦ τοῦ κλάσματος (vel θλάσματος) τελευτᾷ, ὢν ἐτῶν με. Imperauerunt cum Decio,

VIII. IMP. CAES. Q. HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS DECIVS AVG. DECII AVG. F. & item alter quidam, ſiue gener Decij, vt coniicit Onufrius, ſiue aliqua cognatione eum tangens: cuius nomina è nummis & lapidum inſcriptionibus, proferuntur hæc ab eodem,

IX. IMP. CAES. C. VALENS HOSTILIANVS MESIVS AVG. nos de hoc neque apud Græcos, neque apud Latinos

historicos quicquam offendimus. Fuere verò imperante Decio qui raptum irent imperium aliquot è ducibus: vt duo hi, quorum Aurelius Victor meminit:

X. Imp. Caes. Lvcivs Priscvs Avg. nam huic Macedonas præsidatu regenti delata est dominatio: &

XI. Imp. Caes. Ivlivs Valens Licinianvs Avg. qui cupientissimo vulgo imperium cepit. Priscum Philippi Imp. fratrem inter illorum temporum præcipuos duces memorat Zosimus. an autem hic ille sit de quo Victor loquitur, nescio. Valens verò iste omnino alius est ab illo quem modò cõmemorauimus. Liciniani cognomen ex altero Victore addidimus: Trebellius Pollio inter suos xxx. tyrannos hunc recenset xix. Decium, Siculi Fasti in expeditione contra Francos, nescio vbi locorum ἐν Ἀβυρτῷ scribunt periisse, aliter quàm Zosimus & cæteri. qua de re apud Georgium Monachum ex historia Dexippi leguntur hæc: Σκύθαι περαιωθέντες οἱ λεγόμενοι Γότθοι τὸν Ἴστρον ποταμὸν ἐπὶ Δεκίου πλεῖστας τῆς Ῥωμαίων ἐπικρατείας κατενέμοντο· οὗτοι τοὺς Μυσοὺς φεύγοντες ἐς Νικόπολιν περιέσχον. Δέκιος δ' ἐπελθὼν αὐτοῖς, ὡς Δέξιππος ἱστορεῖ, καὶ τρισμυρίους κτείνας ἡττᾶται κατὰ τὴν μάχην, ὡς καὶ τὴν Φιλιππόπολιν ἀπολέσαι, ληφθεῖσαν ὑπ' αὐτῶν, καὶ πολλοὺς ἀναιρεθῆναι· ἐπανιοῦσι δὲ Σκύθαις ἐπὶ τὰ σφέτερα ὁ αὐτὸς Δέκιος ἐπιθέμενος ἀναιρεῖται, ἐν Ἀβρύτῳ τῷ λεγομένῳ Φόρῳ Θεμβρανίῳ, σὺν τῷ παιδί. ita scribuntur hæc in vetustissimo codice regiæ bibliothecæ. ad ripam Tanais fuisse hæc loca indicat Zosimus. Decio successit Gallus cum filio: quorum nomina sunt:

XII. Imp. Caes. C. Vibivs Trebonianvs Gallvs Avg. &

XIII. Imp. Caes. Vibivs Volvsianvs Avg. Galli Avg. F. Tertius his adiicitur ab vtroque Victore.

XIV. Imp. Caes. Hostilianvs Perpenna Avg. cui delatum à senatu imperium Victores ambo scribunt. magno errore conturbat hæc nomina Eutropius: cuius sunt verba: *Mox imperatores creati sunt* Gallvs Hostilianvs *&* *Galli filius* Volvsianvs. sed suspicor voculam excidisse iam olim, cum scripsisset Eutropius, *Gallus Hostilianusque*; quomodo Aurelius Victor: *patres Gallo Hostilianóque augusta imperia decernunt.* Vt non aliter Eutropium scripsisse putem, moueor hoc argumento: quod Paulus Diaconus, & alij è recentioribus chronologis multi, qui fere Eutropium describere solent, errorem hunc non errarunt. Auctor quidem historiæ Miscellæ hoc loco scribit: *Mox exercitus imperatores creauit Vibium Gallum, & filium Galli Volusianum. Horum temporibus Hostilianus Perpenna, à senatu imperator creatus, nec multum post pestilentia consumtus est.* Pæanium qui mendam agnoscit non moramur: vitiosissimis enim libris constat esse vsum. huius sane mendæ vetustas siquidem menda est, colligi potest ex Orosio, quem corruptam lectionem secutum esse dubitari non potest. His imperantibus

bus & Romæ morantibus,

XV. IMP. CAES. C. IVLIVS AEMILIANVS AVG. à Mœsiacis legionibus creatus: qui occisis per suos Gallo & Volusiano, tres mēses vsus modestè imperio, morbo absumptus, vacuum VALERIANO locum reliquit. Tot Augustos vel Cæsares inter Gordianum III. & Valerianum interiectos inuenimus. Sed tantis tenebris omnis hæc historia inuoluta est, vt difficile sit aliquam eius partem notare in qua veteres scriptores inter se consentiant. Nam verbi gratia, Gallum alij imperasse scripserunt annos duos, alij tres: cum tamen Dexippus qui illis temporibus viuebat, menses solum XVIII. ei tribuat. Georgius monachus. τὰ στρατόπεδα βασιλέα ποιήσαντές τινα γενόμενον ὕπατον Γάλλον ἀναγορεύουσιν, ἅμα Βουλουσιανῷ τῷ Δεκίου παιδί. (mirum hoc: sed tamen inferius idem repetitur ab eo scriptore:) οἳ καὶ βασιλεύουσι κατὰ Δέξιππον μῆνας ιη΄, πράξαντες οὐδὲν ἀξιόλογον. κατὰ δὲ ἄλλους τινὰς ἔτη γ΄. καὶ καθ᾽ ἑτέρους ἔτη β΄. Similis sententiarum varietas in plerisque omnibus: de quibus plura differendi non est hic locus. Iam enim ad pensum nostrum nobis redeundum.

ISAACI CASAVBONI
IN TREBELII POLLIONIS VALERIANOS DVOS, EMENDATIONES ET NOTÆ.

TREBELLII POLLIONIS.] Robertum de Porta non audio, qui librum hunc & sequentes aliquot à Pollione abiudicat, tribuitque Iulio Capitolino. ego non dubito de librorum vulgatorum hac in parte fide. Scribit Vopiscus in Aureliano Trebellium Pollionem à duobus Philippis vsq; ad diuum Claudium & eius fratrem Quintillum imperatores tam claros quàm obscuros memoriæ prodidisse. Eius operis pars desideratur hodie, pars adhuc superat. Vide quæ sumus dicturi ad librum de XXX. tyrannis. Scripsit Diocletiano imperante, Constantio Cæsari vnice deditus, vt apparet ex multis locis.

Pag. 256. vers. 9. *Valerianus imperator, nobilis genere patre Valerio, &c.*] In regio codice alteroque Puteaneorum, & principium hoc aliter habet, & totius libri alia longe facies. nam & heic non pari quidem, sed tamē non dissimili licentia grassati sunt veteres siue librarij siue critici, atq; supra in vita Marci. de quo vt melius lectori constaret, visum est totum librū infra describere, quomodo eum duo illa antiqua exemplaria exhibent. Etsi enim vulgatæ editiones hac in parte bene habent, sinceræque sunt: scripta exemplaria è contrario peruersa, alienis aucta, & multifariam corrupta: putauimus tamen esse faciendum, vt quantum imperiti homines in concinnandis bonorum auctorum scriptis, atque adeo pro libidine sua torquendis, sibi iuris vsurparint, hoc exemplo bonarum literarum studiosos admoneremus. Porro de Valeriano hoc quem tantopere hoc libro auctor laudat, aliud longe pronuntiat Victor alter: cuius ideo verba adscripsi, *Licinius Valerianus cognomento Colobius, imperauit annos quindecim: parentibus ortus splendidißimis, stolidus tamen, & multum iners, neque ad vsum aliquem publici officij consilio seu gestis accommodatus.* Sane & Dionysius episcopus Alexandrinus in epistola ad Hermammonem scribit, Valerianum τῇ βασιλείᾳ περὶ τὴν ἀξίαν ἐπι-

μαν-

μαντῶαι: quod prorſus iſta Victoris confirmant.

24. *Cui deberet cenſura deferri.*] Hoc cenſuræ veteris vltimum & longo internallo repetitum exemplum. nam conanti Theodoſio eam reuocare repugnauit ordo ampliſſimus magiſterium reſpuens, inquit Symmachus: quem lege libro quarto, & quinto.

26. *Nam vbi primum prætor edixit,* Q.] erant partes Conſulis: ſed iam dixit fuiſſe tum Coss. duos Decios: habitumque hunc ſenatum ad literas imperatorias.

28. *Nam ille in procinctu ſuo cum Decio agebat.*] Dele *ſuo*, quam vocem nec regius agnoſcit.

30. *Valeriani vita cenſura eſt.*] B. Ambroſius: *Iulianæ vita inſtitutio diſciplinæ eſt, & quædam formula caſtitatis.* plura ad Lampridij Alexandrum.

Pag. 257. verſ. 2. *Quæ cum eſſent ſæpius dicta addiderunt* OMNES.] Vopiſcus in Tacito: *Hac oratione & Tacitus ipſe vehementer eſt motus, & totus ſenatorius ordo concuſſus. Statimque acclamatum eſt,* OMNES, OMNES. ibidem acclamationes in Tacitũ hac voce clauduntur: *Tacite Auguſte Dij te ſeruent. deinde* OMNES. ſimili acclamatione in conciliis patrũ communis conſenſus omnium oſtendebatur. vt in Epheſino tertio: πάντες οἱ ἐπίσκοποι ἅμα ἀνεβόησαν· αὗται πάντων αἱ φωναί· ταῦτα πάντα λέγομεν· αὕτη πάντων ἡ ψῆφος. At vir doctus emendabat, *ad id ierunt omnes.* quod neque eſt in antiquis, neque probari debet.

7. *Totius orbis humani ſuſcipe cenſuram.*] Lege cum præſtantiſſimo Puteano. *orbis Romani.* non ſemel in veteribus hic error reperitur: nam & ſtatim pro *Romana Reſp.* habent iidem *humana Reſp.* quod æquè ineptum ac *orbis humanus.*

11. *Tu vectigalia firmabis, diuides ſtatum.*] Regius, V. *firmabis, diuides, ſtatues.* Eſt vero locus hic illuſtris de veteris cenſuræ munibus & poteſtate.

24. *Cui vita impar eſt confidentiâ.*] *vita,* ὁ νῦν βίος, & quod ait poeta, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. *confidentia* hoc loco eſt τὸ συνειδὸς, quod cum bonum eſt, iudex non metuitur neque cenſor. ſed publica diſciplina corrupta, & moribus deprauatis, iure ait Valerianus, nullius eſſe iam tantam in virtute ſua confidentiam, vt à cenſore nihil metuat. hoc verum apparuit Theodoſij tẽporibus, cum iudicio totius ſenatus repudiata cẽſura eſt.

26. *Niſi ea vobis pleriſque nota eſſent.*] Scribe cum regio, *niſi & vobis pleraque nota eſſent.*

27. *Vt puderet altius v.*] Scrib. *& puder.* hæc altera eſt ratio: duas enim affert.

30. *Ductu cuiuſdam ſui ducis.*] an Macriani? de quo habes libro de Gallienis, & inter XXX. Pollionis tyrannos. ita video affirmari ſerio in Annalibus ab illuſtri ſcriptore. ſed Dionyſius quo vno teſte nititur ea hiſtoria, nihil minus quàm hoc dicit in epiſtola ad Hermammonẽ. Ipſa Dionyſij verba velim conſulant viri doctiſſimi, neque Latino in-

terpreti nimium fidant: quem sæpe ipsis imposuisse obseruamus.

31. *Seu fraude seu aduersa fortuna in ea loca deductus, vbi nec v.*] non ita Zosimus: qui captum magna sua culpa & imprudentia scribit. eum lege.

36. *Atque cum Romanorum rege, vt vili & abiecto mancipio loqueretur.*] parcit honori Romani nominis: nam Saporis contumelia in Valerianum non intra verba stetit: sed videas Romanos scriptores plerosque dedecus acceptum dissimulare. Aurelius Victor ne captum quidem scribit, sed fœde laniatum interiisse. liberius alter Victor, *captus*, inquit, *apud Parthos ignobili seruitute consenuit: Nam quandiu vixit, rex eiusdem prouinciæ incuruato eo, pedem ceruicibus eius imponens, equum conscendere solitus erat.* eadem Orosius aliis verbis. quæ hac de re leguntur hoc loco in manu exaratis, adulterina sunt, & aliunde inserta.

Pag. 258. vers. 2. *Quarum seriem Iulius refert.*] Lego *Iunius*: & Iunium Cordum intelligo: quem Capitolinus solo Iunij nomine aliquoties designat: tum videlicet, cum non multo ante fecit expressiorem eius mentionem. idem factum existimo & à Trebellio Pollione. sed istud fragmentum est tantum integri eius libri, non ipse liber, vt ex postremis verbis paret.

3. *Sapori rex regum Belsolus.*] Satis compertum est regem nullum in Oriente fuisse ex historiis notum, cum Parthorum rege comparandum: nam penes hos perdiu summum imperium fuit. quos cum Artaxerxes Persa deuicisset, Parthorum omnis potentia in Persarum reges est translata. Artaxerxi Sapor hic successit. quis igitur ille Belsolus qui ad Saporem scribens regem regum se nominat? is titulus olim Persicorum, postea Parthorum deinde iterum Persicorum regum fuit proprius. Quare fortasse scribendum, *Sapori regi regum Belsolus.* Ammianus libro XVII. literarum meminit quas Sapor I I. vel I I I. ad Constantium misit: earum est inscriptio huiusmodi: *Rex regum Sapor particeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem plurimam dico.*

4. *Gauderem tibi de victoria quam præfers.*] Sic scripti quoque. *præferre victoriam*, locutio insolens, pro qua videmus te efferri. & *gauderem tibi*, pro συνέχαιρον ἄν σοι.

10. *Quid Afri? eos nonne vicerunt?*] Reg. *Quid? Afri eos non vicerunt?*

15. *Balerus rex Cadusiorum.*] Scripti quidam, *Balenus.* alij, *Belenus.*

17. *Valerianum principem principum.*] Etiam Rabbinorum vetustissimi Romanum imperatorem appellant הַמֶּלֶךְ מְלָכִים.

19. *Nec Fortuna te inflet quæ multos decepit.*] Regius, *te infamet.* μὴ ἐπονείδιστόν σε τιθέτω.

28. At

28. *Atque in Oriente.*] Non habet iſta regius: & abſint melius, propter perſonas inter quas eſt hic ſermo.

Pag.259.verſ.14. TREBELLII POLLIONIS.] Inducendus hic titulus: pars enim eſt eiuſdem libri.

18. *A fratris diſſolutione ſeiunctis.*] nempe moribus. ſed ſcripti, *ſeiunctus.*

ib. *A patre abſente Cæſar eſt app.*] Quid ſi *abſens?*

23. *Valeriani titulum in ſepulcro legentes.*] de hoc pluribus auctor, libro ſequente.

32. *Ad aliud volumen tranſeam.*] pro tranſibo. ſic *redeam* pro redibo, apud Capitolinum & Ammianum.

33. *Semper enim me vobis dedidi & famæ c.*] Reg. *me vobis dedi, & famæ, cui negare nihil poſſum.* Sed quod antè diximus, integrum librum prout habetur in antiquis exemplaribus heic viſum deſcribere. Nam & Angelus Politianus olim in ora libri ſui penitus eandem ſcriptionis diuerſitatem adnotauerat. Sic igitur membranæ, nullius auctoris nomine adſcripto: quæ cauſſa eſt, cur Iulio Capitolino qui libros præcedentes ſcripſit, hunc quoque nonnulli adſcribant: vt de Roberto Bononienſi antè retulimus.

DE VALERIANO IMPERATORE.

VALERIANVS inter hæc in Retia exiſtens ab exercitu Auguſtus eſt appellatus, volente populo ac ſenatu gaudente. Fuit enim vir nobilis ſcientia ac eloquentia clarus: qui per multas dignitates ac officia remp. nobiliſſime adminiſtrauit. Fuit enim prætor inſignis, cenſor æquiſſimus. Poſt adeptum principatum in diſpoſitione ducum & magiſtratuũ, nemo iuſtior, nemo melior. Quo tempore Romæ Galienus filius eius à populo Cæſar eſt appellatus. Valerianus igitur cum ingenti exercitu profectionem parauit in Perſas relicto vt plerique aſſerunt Romæ filio Galieno. Denique Valerianus regnum Perſarum potenter inuadens incauto ſuorum ductu à Sapore Perſarum rege captus eſt: & ignominioſa apud Perſas ſeruitute conſenuit, ac infamis officij donec vixit damnationem ſortitus eſt, vt ipſe acclinis humi regem ſemper aſcenſurum in equum non manu ſed dorſo attolleret. * * Sapori rex regum Belſolus. Si ſcirem poſſe aliquando Romanos penitus vinci, gauderem tibi de victoria quam præfers. ſed quia vel de facto *, vel de virtute gens illa plurimum poteſt, vide ne quod ſe- * fato.

nem imperatorem cepisti, & id quidem fraude, male tibi cedat posterisue tuis. cogita quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, à quibus sæpe victi sunt. audimus certe quod Galli illos vicerunt, & ingentem illam ciuitatem incenderunt: certè Galli Romanis seruiunt, quid? Afri eos non vicerunt? certe seruiunt Romanis. De longioribus exemplis & fortasse * interioribus nihil dico. Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit. certe victus est, certe Asia Romanorum est. si meum consilium receperis, vtere occasione pacis & Valerianum suis redde. ego gratulor felicitati tuæ: si tamen illa vti tu scias. *Valenus rex Cadusiorum etiam scripsit.* Remissa mihi auxilia & incolumia gratanter accepi, at captum Valerianum principem principum non satis gratulor: magis gratularer si redderetur. Romani enim tunc grauiores sunt, quãdo vincuntur. age igitur vt prudentem virum decet. nec fortuna te infamet quæ multos decepit. Valerianus & filium imperatorem habet & nepotem Cæsarem. & quid ad omnem orbem illum Romanum qui contra te totus insudat. Redde igitur Valerianum & fac cum Romanis pacem, nobis etiam ob gentes Ponticas profuturam. *Arthabasdes rex Armeniorum talem ad Saporem epistolam misit.* In partem gloriȩ venio: sed vereor ne non tam viceris quàm bella serueris. Valerianum & filius repetit & nepos, & duces Romani & omnis Gallia & omnis Africa & omnis Hispania & omnis Italia & omnes gentes quæ sunt in Illyrico & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt aut Romanorum sunt: vnũ ergo senem cepisti. & omnes gẽtes orbis infestissimas tibi fecisti. fortassis & nobis quia auxilia misimus qui vicini sumus: qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus. *Bactriani & Hiberi & Albani & Tauroscythæ Saporis literas non receperunt: sed ad Romanos scripserunt duces, auxilia pollicentes, ad Valerianum de captiuitate liberandum. Sed Valeriano apud Persas consenescente, Odenatus Palmirenus collecto exercitu rem Romanam prope in pristinum statum reddidit. cepit regios thesauros, cepit etiam quas thesauris cariores habent regis Parthici concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor timore Balistæ atque Odenati in regnum suum ocius se recepit. atque hic interim finis belli fuit Persici. Hæc sunt digna cognitu de Valeriano cuius per annos LXX. vita laudabilis in eam conscenderat gloriam vt post honores omnes & magistratus insignes gestos, imperator fieret: non vt solet tumultuario populi concursu: non militum strepitu: sed iure meritorum, & quasi ex totius orbis vna sententia. Denique si data esset omnibus potestas promendi arbitrij quem imperatorem vellent: alter non esset electus. Et vt scias quanta vis in Valeriano meritorũ fuerit publicorũ, ponam senatus cõsulta quibus animaduertant omnes quid de illo semper amplißimus ordo iudicauerit. Duobus Deciis consulibus VI. Kal. Nouembr. cum ob imperatoris literas in æde Castorum senatus haberetur. quæreturque per sententias singulorum, cui deberet censura deferri: nam id Decij posuerant in senatus amplißimi potestate: vbi prætor edixit.* Quid vobis videtur P. C. de censore deligendo? *atque eum qui erat tunc prin-*

*ignotioribus.

princeps senatus sententiam rogaßet, absente Valeriano, nam ille in procinctu cum Decio tunc agebat, omnes vna voce dixerunt interrupto more dicendæ sententiæ. Valeriani vita Censura est: ille de omnibus iudicet, qui nullum crimen habet: ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obiici. Valerianus à prima pueritia fuit Censor. Valerianus in tota vita sua fuit Censor, prudens, modestus, grauis senator, amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. hunc censorem omnes accipimus: hunc imitari omnes volumus: primus genere: nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, * exempla antiquitatis. *Quæ cum essent sæpius dicta addiderunt* Omnes *atque ita discessum est. Hoc senatusconsultum vbi Decius accepit omnes aulicos conuocauit, ipsum etiam Valerianum præcepit rogari: atque in conuentu summorum virorum recitato senatusconsulto*: Felicem te, *inquit*, Valeriane totius senatus sententia: imo animis atque pectoribus. totius orbis* humani suscipe censuram, quam tibi detulit* humana Resp. quam solus mereris iudicaturus de moribus omnium, iudicaturus de moribns nostris. tu æstimabis qui manere in Curia debent. tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges. tu censibus modum pones: tu vectigalia firmabis, diuides, statues, respub. censebis. tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies: tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissimis iudicabis: excepto denique præfecto vrbis Romanæ, exceptis * consularibus ordinariis, & sacrorum rege, ac maxima virgine vestali: si tamen incorrupta permanebit: de omnibus sententias feres. laborabunt etiam illi vt tibi placeant, de quibus non potes iudicare. *hæc Decius. sed Valeriani sententia huius modi fuit.* Ne quæso sanctissime imperator ad hanc me necessitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus, de senatu, de omni penitus orbe, iudicibus & tribunis, ac ducibus. hæc sunt qui Augustum nomen tenetis: apud vos censura desedit. Non potest hæc implere priuatus. Igitur veniam eius oneris peto, cui vita impar est confidentiâ: cui tempora sic repugnant, vt censuram hominum natura non quærat. *Poteram multa alia & senatusconsulta & iudicia principum de Valeriano proferre nisi & vobis pleraque nota essent, vt puderet altius virum extollere, qui fatali quadam neceßitate superatus est.*

* exēplar.
*Romani.
*Romana.
* consulibus.

Ad Valerianum iuniorem reuertor, qui alia quam Galienus matre genitus, forma conspicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, atque à fratris diss. &c. fere vt in vulgatis.

ISAACI CASAVBONI
IN TREBELLII POLLIONIS GALLIENOS DVOS, EMENDATIONES ET NOTÆ.

TREBELLII POLLIONIS.] In manuscripto regiæ bibliothecæ liber est ἀνεπίγραφος, nullo auctoris adscripto nomine. quare vt superiorem, sic etiam istum Robertus de Porta Iulio Capitolino adscripsit: cui & Puteani alter codex suffragatur.

6. *Nisi ab eo præcipue, quo eius vita depressa est.*] Excidit vox *malo*. nam omnes libri, *ab eo præcipuè malo, quo eius vita d.* non displiceat alioquin, *ab eo quo præcipue eius vita depressa est.* ex multis probris conflata Gallieno ignominia: sed nihil æque probrosum ac longa patris captiuitas, filio non vindicata, cum posset.

14. *Macriano & Balista.*] Scripti quidam, *Macrino* semper. & fortasse is est à quo, vt scribit Dionysius in epistola ad Hermammonē, Valerianus in Christianos fuit concitatus, eiusque animus ad curiosas artes & sacra magica traductus. inter Pollionis tyrannos est XI. Balista verò XVII. habes ibidem de Odenato, Pisone, Valente, Aemiliano.

22. *Cum filiis.*] Macriano iuniore & Quieto, qui patri subiiciuntur in libro de tyrannis.

23. *Cuncta eidem nuntiari ex veritate faciebat.*] Infra: *Nec defuit tamen reuerentia Odenati circa Gallienum.* sed lege sequentia.

Pag. 261. vers. 8. *Et xxx. millia militum ducens.*] Ex iis quæ scripta sunt libro sequente, capite de Macriano tyranno, constat legendum heic esse, XLV. *millia m.* locum expende.

13. *Quum exercitus hoc daret fortuna capiendum.*] Hæc sunt corruptissima: sed scribendum est: *festinauit ad alterum filium Macriani cum exercitu, si hunc daret fortuna capiendum.*

17. *Odenato se omnes affatim dediderunt.*] Scripti, *confestim dederunt.*

29. *Populumque quasi victorialibus diebus ad festiuitatem & plausum vocauit.*] Explicat Aurelius Victor: *crebro etiam, vti rebus ex voluntate gestis solet, ludos ac festa triumphorum, quo promtius simulata confirmarentur, exercens.*

31. *Specie decoris.*] Regius, *ſpe dec.*

33. *Cenſuram parentis eum ferre non potuiſſe.*] non hoc dicit quia cenſor Valerianus fuit: ſed cenſuram accipe, vt ante notauimus pro ſeueriore morum diſciplina.

34. *Votiuumque illi fuiſſe.*] Sic Græci, εὐκτήριον. frequens vox apud B. Ambroſium & Symmachum.

Pag. 262. verſ. 2. *Aegyptus enim data Aemiliano per Tranſthebaitanos milites.*] Scripta lectio, *Tranſcithebitinos milites.* videntur intelligi milites qui in vtroque limite cis & vltra Thebaidem prætendebant. libro ſequente in hiſtoria huius tyranni Thebaidis fit mentio, & rerum in eo tractu geſtarum, ab Aemiliano contra barbaros. poteſt igitur legi, *per Tranſthebaitanos & Ciſthebaitanos milites*, niſi aliquod heic monſtrum dictionis latet.

6. *Cum pueri fingunt per ludibria poteſtates.*] Scribendum, *ludicra.* vide initio Seueri.

12. *Cumque vrbem in qua erat Poſthumius obſidere cœpiſſet.*] Zoſimus aliter: cum tendenti in Italiam Poſthumio Aureolum obieciſſet, eique Inſubrum fines commiſiſſet defendendos: Aureolum Mediolani imperium cepiſſe: aduerſus quem cum accurriſſet Gallienus, ipſumque in ea vrbe obſeſſum premeret, dolo Heracliani & Claudij eſſe occiſum. quare vt eius quidem narratio eſt, nullum à Gallieno in Galliis bellum cum Poſthumio geſtum. Zoſimo conſentit vterque Victor.

13. *Decernentibus Gallis Gallienus muros circumiens ſagitta ictus eſt.*] Libro ſequente in Poſthumio: *Geſtum eſt tamen à Gallieno contra hunc bellum tunc, cum ſagitta Gallienus eſt vulneratus.* ſed quid eſt, *decernentibus Gallis?* imò quæ hæc narratio? bellum dicitur geſtum à Theodoto: *contra hunc Theodotus exercitum duxit*; & tamen præſentem fuiſſe in procinctu Gallienum hæc verba oſtendunt. Hæc abſurda impellunt me, vt aliam ex iſtis verbis ſententiam putem eliciendam. quod ſola interpunctione mutata ita commode fiet. Scribo igitur: *Contra hunc Theodotus exercitum duxit: cumque vrbem in qua erat, Poſthumius obſidere cepiſſet decernentibus Gallis, Gallienus muros circumiens ſagitta ictus eſt.* rem ita geſtam, auctor ſignificare, niſi fallor, voluit. miſſus fuerat à Gallieno contra Poſthumium Theodotus cum exercitu: ſed occurrit Poſthumius, & fugatis Theodoti copiis, ipſum in vrbem aliquam Galliæ coegit. vbi cum decreto populorum Galliæ, qui illum imperatorem ſibi adſciuerant, obſideretur à Poſthumio, Gallienus, vt obſidione illam vrbem ſolueret, propius ad eam acceſſit. tum igitur accidit, vt ſiue à ſuis qui obſidebantur, ſiue ab hoſtibus qui Theodotum in ea vrbe obſidebant, ſagitta vulneraretur Gallienus, quem tamen viciſſe tandem iſto bello, paullo poſt dicturus eſt auctor.

21. *Denique Aſtacum quæ poſtea Nicomedia dicta eſt.*] non poſt iſta quidem. nam multis ſeculis ante hæc tempora facta erat hæc nominis

mutatio. *postea* igitur accipe, pro posteriore & recetiore nomine quàm illud prius Astacus. De occupata à Scythis Nicomedia lege Zosimum.

31. *Additum praeterea tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante.*] Caussam βρυμώκου habes in sectione xxv. problematũ. & de terræ motu mycematia præter philosophos lege Ammianum libro xvii. frequens prodigium in historia Ro. apud Liuium, Sueto. & alios.

Pag. 263. vers. 1. *Ioui Salutari.*] sic vertit Δία Σωτῆρα. siue potius intelligit Iouem ὑγιείας προστάτην: nam ὑγιεία est salus. & *salutis augurium*, quod Romæ celebrari solitum, Dioni dicitur Ὑγιείας οἰώνισμα.

5. *Ex diuersis partibus pestilentia.*] Melius, *& diuersis p.*

6. *Gallis parte maxima obsessis.*] partim à Posthumio tyranno, partim ab Alamannis duce Croco. de quo Gregorius Turonensis libro primo.

8. *Gotthi & Clodius de quo dictum est superius.*] in superiorum imperatorum rebus de eo dixerat Trebellius: sed illa hodie desideramus. hic est Claudius qui postea imperium obtinuit, vt mox subiicitur: vbi iterum scribitur *Clodius*, vt hic. alibi semper Claudius: & Græci quoque Κλαύδιος non Κλώδιος.

14. *Pugnatum est in Achaia, Macriano duce contra eosdem Gotthos.*] Rectè *Macriano*, si is intelligitur, de quo dictum ante. sed infra dicturi sumus alium fuisse temporibus illis inter Gallieni duces, qui contra Barbaros rem gessit feliciter, nomine *Martianum*. de eo videtur heic sentire Trebellius, & scripsisse, *Martiano*.

22. *Sine lino Aegyptio esse non possumus.*] inter Alexandrinas merces linum erat & opera linea, vt Cedrenus scribit & notissimum est.

23. *Elementorum concursionibus.*] Membranæ, *concussionibus.*

24. *Sine aphronitris esse non possumus?*] quia optimi aphronitri pastillos Lydi Romam mittebant, & alij Asiæ populi. Plinius libro xxx. capite x.

25. *Non sine trabeatis sagis tuta Resp?*] Regius, *sine Atrabatis s.* Puteani, *Atrabaticis*. nempe pro *Atrebaticis*. Vopiscus in Carino, *Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini.* Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum: *Tunc pexa tunica, & nigra subucula vestiebaris, sordidatus & pallidus, & callosam opere gestitans manum: nunc lineis & sericis vestibus, & Atrebatum & Laodiceæ indumentis ornatus incendis.* sed lectionem vulgatam nolim sollicitare: nam propria Gallorum saga trabeata, quæ Diodoro dicitur σάγοι ῥαβδωτοί, vt ad Strabonem olim notabamus libro quarto. vide quæ dicturi sumus ad Claudium.

26. *Cum eas emitteret.*] *amitteret.*

32. *Ita omnis vastata est, vt prorsus nemo superesset.*] in Claudio: *Pugnatum praeterea est apud Byzantios: ipsis qui superfuerant Byzantiis fortiter facientibus.*

37. *Principe generis Constantini Cæsaris nostri.*] Lege *Constantij*, vt in vita

vita Claudij. idem error infra iterum in hoc libro.

Pag.264.verſ.3. *Pluribus prælijs euentuum ratione decurſis.*] Scribendum,*euentuum varia ratione.* vel,*euentuum variatione.* de eadem re ſupra: *longoque bello, tracto per diuerſas obſidiones ac prælia, rem modo feliciter modo infeliciter geßit.*

7. *Alio die omnes milites inermes,ar.*] *milites* ait,neque aliter libri ſcripti. ſic ſtatim, *interfectis militibus apud Byzantium.* modò tamen dictum eſt, non milites ſolùm, ſed & ciues omnes Byzantinos πανδημεὶ fuiſſe occiſos.

9. *Fracto fœdere quod promiſerat.*] pro fidem dare, dixit *fœdus promittere.* ſimiles ἀκυρολογίας amat hic ſcriptor, vt paullo poſt, *bellum gerere cum aliquo.* pro odiſſe & vexare.

18. *Cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus.*] Suetonius notat morem in Iulij Cæſaris triumpho.

20. *Albi boues cornibus auro iugatis.*] Non igitur ſeiuges iſti boues in pompa traducti,ſed iugati.iuga autem & iugalia lora auro fuerunt obducta,& cum his cornua quibus erant alligata. mos deaurandi cornua boum mactandorum ex poetis & hiſtoricis notus. Græci quoque χρυσοκερώτων boum ſæpius meminerunt: etiam Ioſephus libro XIII. capite XVI. quo loco interpres Hebræus ſiue breuiator quidam, ſunt enim plures, fuſius perſequitur hunc morem. Sed loquendi genus an Latinum ſit videamus. nam eam ſententiam quam diximus, nunquam ex his verbis elicias.videtur ergo ſcribendum, *albi boues cornibus aureis iugati*,ſiue *iuncti.* vel ita potius,*cornibus auro virgatis.*ſic dictum vt virgata ſagula. Virgilius *auro velare* dixit,

Victori velatum auro vittiſque iuuencum. quod tamen non ad cornuum ſolum deaurationem refertur,ſed etiam ad dorſualia & alia ornamenta.

26. *Pugiles ſacculis non veritate pugnantes.*] Reg.*floſculis*,abſurde.Puteani vnus,*flacculis*.nihilo melius:non etiam probo quod placitum viris doctis, *bacculis.* nam verum eſſe non dubito *ſacculis.* Veri pugiles ceſtibus pugnabant, & quidem non ſine ſanguine vt plurimum:quare non facile ex eo certamine niſi auribus contuſis redibant:quod ſciunt qui non ignorant quid ſit apud ſcriptores Græcorum ὠτοκάταξις, & qui dicantur ὠτοκατάκται & ὠτοθλαδίαι. B.Chryſoſtomus homilia ſexta ad populum Antiochenum: ὁ πυκτεύων ἐπείγεται τὸ στάδιον ἐξελθεῖν ἵνα ἀπαλλαγῇ τῶν τραυμάτων. ſed qui incruẽto pugilatu volebant dimicare,ſaccis non ceſtibus manus muniebant. erant autem hi ſacculi vel tomento farcti, vel alia re pleni quæ grauem ictum non redderet:puta,ficorum granis,vel farina aut furfuribus:interdum & harena ſacculos implebant.ſed hoc in vero certamine, & ceſtuum legitimorum vicem. B. Chryſoſtomus homilia XX.in eam ad Hebræos: ἆρον τὸν ἀνταγωνιστὴν, καὶ ἀνῄρεις τῶν στεφάνων τὴν ἀφορμήν. οὐχ ὁρᾷς τοὺς ἀθλητὰς πῶς θυλάκους ἄμμου πλήσαντες οὕτω γυμνάζονται;

Similiter ſaccum illum quem vtebantur in κωρυκομαχίαις, & κώρυκον vocabant, σύκων κεγχραμίων, id eſt, fici granis, aut farina implebant, eorum gratia qui mollius exercere volebant: modo harena vt ſcribit Antyllus apud Oribaſium. Ammianus Marcellinus libro XIV. inter cruenta certamina & legibus vetita, pugilum ponit dimicationes viciſſim ſe concidentium.

27. *Cyclopea etiam luſerunt omnes apenarij.*] Scribe, *Cyclopes.* ſic Græci dicunt Κύκλωπα ὀρχήσασθαι. & Latini quoque *ſaltare Cyclopem.* quod pantomimorum eſt *apinarij*, vel *apennarij*, præferunt membranæ, non quod aliquando viſum *arenarij.* Gloſſæ Iſidori, *Acinari, tricari in paruo morari.* ſcribo, *apinari.* de hoc genere hominum plura Scaliger ad Manilium. origo vocis Græca.

33. *Dracones.*] nam & dracones inter Romanæ militiæ ſigna. Vegetius & Ammianus libro XVI. vbi ſimillime vt hic dracones ad pompam præferuntur. vide locum.

Pag. 265. verſ. 2. *Alius Poſthumio fauebat.*] accipe vt in illo, *dedit oraria populo ad fauendum.* de quo in vita Aureliani.

6. *Obſtupefacto voluptatibus corde.*] τῆς καρδίας ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἀναισθητουμένης: ſiue πωρωθείσης.

8. *Quæ voluptates paratæ ſunt?*] quod ſpectaculi genus. *voluptates* ſæpe dicuntur ἁπλῶς ludi.

13. *Nam cum rex Perſarum quaſi captiuorum per pompam r. r. duceretur.*] Omnino ſcribendum *grex Perſ.* neque enim ita væſanus fuit Gallienus vt fingeret Perſarum regem captiuum: certe quidem hoc auctor non dixit, non cogitauit. *gregem Perſarum* appellat, quem paullo ante, *globum. Ibant,* ait, *gentes ſimulatæ, vt Gotthi, Sarmatæ, Franci, Perſæ: ita vt non minus quàm ducenti ſingulis globis ducerentur.*

14. *Quidam ſcurræ miſcuerunt ſe Perſis.*] ita fuit moris in omni pompa, ſiue triumphorũ, ſiue funerum. habes ſimilium facetiarum exemplum in Suetonij Veſpaſiano, capite XIX.

22. *Gallieno & Saturnino Coſs.*] hic ſextus eſt Gallieni conſulatus in Faſtis.

34. *Quem ne inter deos quidem, niſi coactus retulit.*] conſecratum fuiſſe Vopiſcus oſtendit, qui in Aureliano diuum appellat.

Pag. 266. verſ. 6. *Ac locorum difficultatibus i.*] Melius, *at loc.*

14. *Apud Athenas* ἄρχων *erat, id eſt ſummus magiſtratus.*] Reg. literis Latinis *archon.* & poſt, *eſt enim is ſummus m.*

16. *Et ſacris omnibus intereſſe.*] μυεῖσθαι τὰ Ἐλευσίνια. de quo ad Hadrianum.

21. *Contemta prope Repub.*] an? *propria Repub.* ſed abeſt *prope* à regio.

ib. *Fuit enim Gallienus, q.*] Melius, *Fuit tamen Gal.*

26. *Sæpius ita dixiſſe fertur.*] Erat ſcriptum *ſeptus*: nullo ſenſu: membranæ

branæ *ſæpius*. rectè. & ita olim ex coniectura Lectius meus emendabat ἀἰσόχως.

28. *Ite, ait, ô pueri pariter ſudate medullis Omnibus inter vos.*] arctam coniunctionem atque adeo ipſum συνουσιασμὸν voce *ſudate* ſignificat. Zeno Veronenſis, De pudicitia, loquens de adulteris: *qui turpibus iam non contenti latibulis, aliquotiens, proh nefas, ſub ipſis obtutibus matronarum veſana congreßione deſudant.*

29. *Non murmura veſtra columbæ Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.*] B. Ambroſius Inſtitutione virginis: *Non pineæ velamen eius, non vincant cupreßi: pudicitiam eius non turtures ſimplicitatem eius non vincant columbæ.* Non dubito virum ſanctum & facundum imitatum eſſe hunc Gallieni locum, & à ſenſu minus honeſto ad honeſtum ac pium traduxiſſe. nam in magna fama apud eruditos fuiſſe id carmen, declarat abunde Pollio: qui ſeriæ hiſtoriæ hos verſus inſerat.

30. *Non vincant oſcula conchæ.*] Ariſtophanes Veſpis, ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῷ κίονι. lopades ſaxis adhærent: conchæ dithyri ipſæ ſibi. vnde prouerbium κόγχλω διζεῖν.

35. *Nam conſulto Valeriani fratris ſui & L.*] Scrib. *conſilio.*

Pag. 267. verſ. 6. *Exiſſetque ad eum feriendum venator.*] Scripti, *vector.* ſed rectum eſt *venator.* niſi malis *confector.* nam *conficere* & *confector* propria in hac re ſunt vocabula.

ib. *Neque perductum decies.*] Melius, *productum.* tamen ita veteres.

10. *Taurum toties non ferire difficile eſt.*] alluſum videtur ad prouerbium cuius meminit Ariſtoteles in libello de diuinatione per inſomnium: Ἂν πολλὰ βάλλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον (vel ἄλλον αὖ) βάλῃς.

11. *Gemmas vitreas pro veris vendidiſſet.*] Vetus fraus gemmas imitari, mendacio vitri, vt in XXXVII. loquitur Plinius. ideo Tertullianus vitreum & verum margaritum inter ſe opponit, capite quarto libri Ad martyras. *Tanti, ait, vitreum: quanti verum margaritum? quis non libentißime tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo.* ſic etiam accipiendum illud Hieronymi epiſt. ad Demetriadē, *Tanti, vt dicitur, vitrū, quantum margaritum?* quod & alibi repetit. per vitrum enim gemmas vitreas intelligit: quare non aſſentior ſummis viris, qui aliter interpretantur, & locum Tertulliani cenſent emendandum. Atqui non de quouis vitro prouerbium exponi debet. ſed de eo quod ad gemmarum ſimilitudinem fuerit elaboratum. Alchymiſtæ hodierni fruſtrationes ματαιοτεχνίας ſuæ eo compendio ſæpe ſolantur. quod ſatis antiquum eſt inuentum: nam apud Anaſtaſium Sinaitam qui ante annos circiter ſexcentos viuebat, inueni factam mentionem artificum qui per chymiam gemmas conficerent. in libro enim Ἀναγωγῶν, poſtquam docuit ænigma eſſe, quod narrat Moſes initio Geneſeos, de auro & pretioſis lapillis: οὐ γὰρ δὴ, inquit, χρυσοχόους ἡμᾶς καὶ λιθουργοὺς καὶ χημευτὰς, χρυσοκολλήτων λίθων ἀπεργάσασθαι ἡ γραφὴ βουλομένη καὶ παιδεύουσα, ταῦτα φησίν. hæc ille. χυμευτὰς

ſcribunt paſſim Græci non χυμευτὴς, & χημεία, non χυμεία. Ex Anaſtaſio de vitis Pontificum diſcimus & vitreas gemmas in aliquo pretio fuiſſe.

12. *Surripi quaſi ad leonem iuſſit.*] Scribo, *ſurrigi*. nam ad ſtipitem deligabantur beſtiarij cum leonibus & aliis feris obiiciebantur, vt ſcribit Tertullianus libro De pudicitia, capite vltimo. Latinis dicitur hoc *ſurrigere*.

19. *Multi naufragio perierunt n.*] naufragium appellat demerſas naues hoſtili manu. ita exponendum: quia addit, *nauali bello ſuperati*. de hac naumachia mox plura auctor.

20. *Inſidiis conſobrini ſui.*] Mæonij, vt dicitur ſequente libro.

25. *Sed non ſolum Gallieno virago melius imperare potuiſſet; v.*] Deeſt *vt* vocula. nam poſtulat ſcribi ſententia: *ſed vt non ſ.* iam verò, *imperare potuiſſet*. non aliud quàm imperaret. ita plana erit ſententia.

35. *Et Athenæum.*] Videtur ille ipſe eſſe, cuius hodieque in multis bibliothecis, libellus extat De machinis bellicis.

Pag. 268. verſ. 4. *Per Epirum, Acarnaniam, Boetiam peruagati ſunt.*] *Boetia* quidem nihil, ſed *Bœotia* regio notiſſima. tamen aliter membranæ regiæ: *per Epirum, Athenoniam, Mœſiam*. ſcribo, *Athamaniam*.

8. *Scythæ facta carragine per montem Geſſacem fugere ſunt conati.*] Quid ſit *carrago* & καραγὸς apud Tacticorum ſcriptores Græcos viri docti expoſuerunt. Procopius *facere carraginem* libro quarto dixit τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι. frontes carrorum hoſti obiicere: & qua fine carrago fieret, his verbis explicat: ὅπως τὰ νῶτα ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἔχοντες θαρσήσωσι μᾶλλον. quod plane conuenit iſti loco. Nam Scythæ fugam meditantes carraginem prius faciunt, vt Romani perſequi fugientes non queant. Sic apud Zoſimum, Scythæ περιβαλλόμενοι τὰς ἁμάξας, ὡς ἐπὶ Μακεδονίαν ἐχώρουν. Alius carraginis vſus, cum in orbiculatam figuram collocatis ſarracis exercitus vndique cingebantur. Lege Ammianum libro XXXI.

9. *Omnes inde Scythas Martianus varia bellorum fortuna agitauit.*] Scripti, *Macrianus*. vt is nempe ſit de quo tam multa ſupra & in libro ſequente. Zoſimus fauet vulgatæ lectioni: τὴν στρατηγίαν τοῦ πρὸς Σκύθας πολέμου Μαρκιανῷ παραδοὺς ἀνδρὶ τὰ πολέμια σφόδρα ἐξησκημένῳ. & rectè Zoſimus: nam alius profectò Macrianus, alius Martianus: quos qui confundunt, (nec vidi adhuc qui diſtinguerent,) in magno errore verſantur. Macrianus cum Valeriano bella in Oriente gerens, eo capto rem geſſit feliciter cum Perſis: eóque ſucceſſu inflatus, purpuram induit: ac mox Italiam infeſto petens exercitu, victus ab Aureolo, in medio conatu extinctus eſt. Martianus Gallieni auſpiciis cum Barbaris pugnat diu: ac tandem cum Gallieno militaret, de occidendo imperatore ſuo cum Heracliano altero duce conſilium init: initum exequitur. In primis notanda ſunt illa verba quæ ſequuntur, *conſilium inierunt Martianus & Heraclianus, vt alter eorum imperium caperet.* & cum iſtis comparanda

de

de Macriano è libro sequenti: *Factus est Macrianus cum Macriano & Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus imperator. Ac statim contra Gallienum venire cepit, vtcunque rebus in Oriente derelictis.* hæ duæ ῥήσεις non magis dici de eodem homine possunt, quàm agnis & lupis potest conuenire. Quare *Martianus* heic scribendum, & item aliis aliquot locis, quos indicamus.

14. *Vt alter eorum imperium caperet.*] Post ista deest aliquid. & Zosimus narrat aliter, qui Claudiũ facit consilij participẽ. Trebellius verò neq; hic neq; in libro de Claudio quomodo ipsi delatum fuerit imperiũ satis explicat. Sed non dubitamus eius historiam imperfectam & corruptam ad nos peruenisse.

18. *Constantinus vigilantißimus Cæsar.*] Iam diximus esse legendum *Constantius.*

20. *Quidam Ceronius, siue Cecropius, dux Dalmatarum.*] Scripti quidam, *Ceionius.* quasi ex illa esset nobilissima Ceioniorum stirpe, vnde ortus Verus Cæsar. apud Zosimum Cecrops Maurus nominatur inter illos qui Gallieno imperante res nouas sunt moliti: at dux iste Dalmatarum is est, de quo in eadem cum hac narratione scribit Zosimus, Heraclianum ei mandasse patrandam Gallieni cædem: ἄνδρα, inquit, εὑρὼν εἰς τὰ τοιαῦτα προχειρότατον ὅσπερ τῶν Δαλματῶν ἦρχεν ἴλης, ἐγχειρίζει τούτῳ τὴν πρᾶξιν. de Cecropio Zosimum heic loqui, magis declarabunt sequentia verba, si cum Pollionis narratione illa conferas.

26. *Addicta Rep. per voluptatum periret illecebras.*] Scrib. *Respubl.*

Pag. 269. vers. 2. *Quis igitur alius potuit esse Valerianus, nisi Gallieni frater?*] Falleris: nam præter Valerianum fratrem Gallieni, fuit & alter eiusdem Gallieni filius, P. LICINIVS SALONINVS VALERIANVS: quod ex Victore & ex lapidibus & nummis probarunt viri docti. Sed respondeat fortasse Pollio, consulatus huius anno iuniorem fuisse Gallieni filium, quàm vt de eo possint hæc accipi.

4. *Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel, vt ceperunt alij loqui, de maiestate.*] Videtur Pollio his verbis significare, vocem *maiestas*, ante sua tempora de principibus non solitam vsurpari, sed *dignitas* solùm: sanè videtur: & ita hunc locum scimus acceptum viris eruditis. re autem vera hoc non dicit Pollio: neque si diceret fides ei esset habenda. sed neque vim neque vsum huius dictionis omnes capiunt. Est verò MAIESTAS, vnum ex iis vocabulis Latinis, quibus nullum est in tota lingua Græca par, & ex æquo respondens. Auctor Glossarum vertit μεγαλειότης. ea verò *magnificentia* vel *magnitudo* est, non *maiestas*, quã diserte Plinius in Panegyrico separat à magnitudine. & merito. à magno fit *magnitudo*: *maiestas* ab eo dicitur quod est maius. maiestas itaque, si verbi proprietatem spectamus, numinis est solius: quod omnibus iis quæ magna dici possunt, est maius. vsurpatio est, cum principibus maiestas tribuitur. an hoc Plinius sentiebat, cum de sapientissimo & mo-

deratissimo principe Traiano scriberet? *Locupletabant & fiscũ & ærariũ non tam Voconiæ & Iuliæ leges, quàm Maiestatis singulare & vnicum crimen eorum, qui crimine vacant: huius tu metum penitus sustulisti, contentus* MAGNITVDINE: *qua nulli magis caruerunt, quàm qui sibi* MAIESTATEM *vindicabant.* sed verius est, eò potius Pliniũ spectasse, quod legem maiestatis non omnes imperatores voluerunt exerceri: per Augustum, Vespasianum, Titum, & bonos alios principes siluit: viguit per Tiberium, & cæteros arrogantes, superbos ac sæuos imperatores. hos ait Plinius maiestatem sibi vindicasse, id est, legem de maiestate exercuisse: illos minime. sed non negat Plinius, qui de principibus etiam bonis loqueretur, maiestatis nomen vsurpasse. Pridem Latinus sermo à diis ad homines hoc nomen transtulerat. Duplici verò ex caussa hominibus tributa maiestas à veteribus Latinis: singulis, propter virtutis cuiusdam raræ opinionem: corpori Reip. propter imperium. De maiestate singulorum, etiam priuatorum, habes caput apud Valerium Maximum libro secundo, decimum. ita ille appellat, & cum eo M. Tullius, atque alij Latini scriptores, honorem eximium cum veneratione iunctum, qui ex admiratione virtutis, aut propter gloriam rerum gestarum, alicui defertur. Sic exponendum, quod libro sequente de Pisone ait Trebellius. *senatusconsultum de Pisone factum; ad noscendam eius maiestatem libenter inserui.* Etiam reuerentia illa quæ certis personis lege naturali præstatur, maiestas appellatur interdum; nam apud Plinium libro nono leges, *maiestas pueritiæ* apud Liuium libro XXXIV. *maiestas matronarum.* hæc Græcis αἰδὼς dicitur propriè: illam δόξαν dicunt, quia ἰσοδυνάμον vocem non habent. vetus quoque Noui fœderis interpres δόξαν *maiestatem* sæpe vertit. Diuersa ex caussa & notione alia tribuitur maiestas corpori Reip. quandiu enim libera fuit Resp. tandiu & summum imperium & maiestas penes populum Ro. resedit. quare apud M. Tullium, T. Liuium. & similes scriptores, illa passim occurrunt: MAIESTAS POP. Ro. neq; male Polybius, qui in formula fœderis MAIESTATEM POP. Ro. Græce dixit, ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΔΥΝΑΣΤΕΙΑΝ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ. nihil enim aliud maiestas fuit populi Romani, quàm id quod expressit Polybius. Atque hæc publica, vt sic dicam, maiestas, ceu comes imperij indiuidua simul cum potentia in imperatores à populo fuit translata. Quanquam puto equidem Augustum qui vim imperij sibi vindicauit, verborum honorem populo concessit, abstinuisse hoc verbo, cum de se, aut de sua domo loqueretur. at non abstinuerunt qui de illo aut aliis imperatoribus etiam bonis scripserunt. Suet. cap. XXV. cur Augustus milites nõ appellaret commilitones, hanc rationem affert: *ambitiosius id existimãs, quàm aut ratio militaris, aut sua domusq; eius maiestas postularet.* & in Claudio scribit idem: *decretis sibi à senatu ornamentis triumphalibus, leuiorem maiestati principali titulum arbitratus est.* libro autem quarto, cap. XXII. inter Caligulæ

gulæ

gulæ flagitia ponit nobilis ille ſcriptor, non quod maieſtatem ſibi vindicaret, vt loquitur Plinius: ſed quod, *maieſtatem diuinam aſſerere ſibi cepiſſet.* clare innuens, humanam quandam principibus maieſtatem cum imperio ineſſe. atque hæc etſi imperij ſemper eſt comes, tempore tamen augeſcit, & fit ſubinde maior. ita capiendum quod de Veſpaſiano ſcribit Tranquillus capite VII. *Auctoritas & quaſi maieſtas quædam, vt ſcilicet inopinato & adhuc nouo principi, adhuc deerat: hæc quoque acceßit.* ſed tempore illi præſertim opus, quam virtus etiam priuatis conciliat: ideò Valerius Maximus cum illam rudi Minerua deſcriberet, LONGVM *& beatum honorem eſſe* dixit. Hæc ita olim: temporibus verò Trebellij cepit hominum adulatio omnem dignitatem appellare maieſtatem. ita blandi homines & paraſiti proceribus Romanis adulabantur: quorum faſtum & arrogantiam deſcribit non vno loco Ammianus Marcellinus. hunc igitur abuſum huius vocis obiter perſtringit hic Pollio. nam qui aliter verba hæc illius interpretantur, ij quàm fallantur, liquidò conſtat ex ſuperioribus. Porrò iſti qui dignitates omnes maieſtates vocabant, imperatores ſuos non aliis quàm diuinis verbis compellabant, aut de iis loquebantur. Tum primum cepit dici *numen Auguſti* non maieſtas: *oracula* principis, non reſcripta aut edicta. & ſimilia multa: quæ ſemel vſu recepta, ne tum quidem ſunt deſita, cum religionem Chriſtianam imperatores ſunt amplexi: vt ſciunt, qui eorum Conſtitutionibus legendis operæ aliquid poſuerunt

9. *Vt milites eius quo ſolent placari genere ſedarentur.*] Malim, *eo quo ſ.* neque enim Gallieni iam milites erant, morte extincti. Largitio autem, vnica erat placandi militis certiſſima ratio. Herodianus libro ſexto: τοὺς στρατιώτας ἀνεκτᾶτο· καὶ ἐφ' οἷς ἐλελύπηντο, παρεμυθεῖτο μεγαλοδωρεᾷ χρημάτων. τοῦτο γὰρ μόνον εἰς εὔνοιαν ἀνάκτησιν στρατιωτῶν ἐνόμιζε φάρμακον.

17. *Dies ac noctes vino & ſtupris perdidit orbem terrarum.*] Vox vna deſideratur, vt ſit plena ſententia, quæ nunc hiat. Scribendum: *dies ac noctes vino & ſtupris impendens, perd. o. t.* hæc noſtra ſententia eſt, & coniectura. membranæ tamen longe aliter: in quibus locus ita conceptus. *d. ac n. v. & ſt. perdidit. Orbem terrarum* XXX. *prope tyrannis vaſtari fecit: ita vt & mulieres eo melius imperarent.*

23. *Hieme ſumma melones exhibuit.*] de melonibus antè dictum. Theophraſtus inter ſtupidi hominis notas, ponit hanc: καὶ χειμῶνος ὄντος μάχεσθαι τῷ παιδὶ, ὅτι σικύους οὐκ ἠγόρασεν. inſaniam hoc non fatuitatem appellat Marcus Antoninus libro XI. Σῦκον χειμῶνος ζητεῖν μαινομένου. ſed quod rerum natura negabat, induſtria hominum peruicit, vt media hieme fructus æſtiui haberentur recentes. Lege Athenæum libro nono.

27. *Radiatus ſæpe proceßit.*] cũ corona radiata, quæ numinũ propria.

32. *Gemmatas caligas annexuit.*] στρατιωτικὰ ὑποδήματα λιθοκόλλητα ὑπεδήσατο, ſiue ὑπεδέδετο. de caligis ſatis ad Suetonium. ſed nouum genus caligarum iſtud fuit: nam olim caligæ militum infimi gradus erant: iſtæ

inter insignia imperatoria habita. Luithprandus Historiarum libro III.cap.IX.*decretum vt quia tantæ erat dignitatis & εὐγενείας filiam suam Helenam imperator ei copularat, rubricatarum pellium caligis, vt isthic imperatorum moris est, vteretur.*

ib. *Cum campagos reticulos appellaret.*] Obtinuerat iam tum, vt campagis quod genus est calceamenti barbarici, vterentur imperatores, vt supra dictum in Maximinis. at Gallienus spretis campagis, caligas, id est militares calceos annexuit, sed gemmatos. *Reticulos* autem campagos appellauit Gallienus, quia intercisi erant, vt æstiui calcei hodieque sunt multifores: sic nobiliorum apud Græcos calcei erant πολυσχιδεῖς: ex eaque re dicebantur σχιστοὶ & λεπτοσχιδεῖς. nihil autem reticulato operi similius calceis istis intercisis. Poterat & alia afferri ratio huius appellationis: quod pars campagi superior, quam Aristoteles χεῖλα τοῦ ὑποδήματος nominat, è loris decussatim implicitis esset contexta. & hæc fortasse ratio est, cur de calceo imperatoris loquens Georgius Pisides, voce ζεύξειν sit vsus. sic enim Heraclium alloquitur apud Cedrenum, siue suis, siue alienis versibus: Ὦ βασιλεῦ,

Μὴ ζαμβαφὲς τὸ πέδιλον ζεύξας πόδα,
Βάψας ἐρυθρὸν Περσικὸν ἐξ αἱμάτων.

sed de istis fuse alibi. *Campagum* Græci καμπάγιον dicunt. Vox est μιξοβάρβαρος: nam à Græco καμπὴ Latinitas fugiens fecit *campa* pro crure, quod vulgo hodie Galli retinemus. extat autem sæpis in Veterinario Vegetij. Inde est campagus, quod crure tenus vinciretur, vt illustrissimi Scaligeri sententia est: quam veram censemus.

37. *Id quod philosophorum optimus d.*] Xenophon.

Pag.270.vers.2. *Dixit ille.*] Reg. *nec defuit cum ille sic dixit.* simile genus loquendi ante exposuimus: sed aliter hic Puteani codd. & videtur temere corruptus locus ex sequentibus paullo post verbis.

4. *Falsò sua voce laudaret, peior tamen ille qui credidit.*] omnia hæc absunt à regio: vbi locus ita conceptus: *qui eum quasi constantem principem diceret.*

6. *Lauit ad diem septimo.*] *ad* pro *per.* sic Vopiscus in Firmo: *struthionem ad diem comedisse fertur.* in Commodo: *Lauabat per diem septies.* sic autem membranæ: vulgo, *Lauit die s.*

15. *Et conuiuiis & cœnationibus.*] Bis idem dicit. sed aliter regius, & alter Puteani: *& natationibus lauabant simul cum principe.*

19. *Nam & terna millia & quaterna militum singulis diebus occidit.*] id est vno die. non enim quotidie id factum: sed aliquando tamen accidit, vt plura millia militum die vno trucidaret. Exemplum superius in clade Byzantina: & item alterum libro sequente in Ingenuo tyranno.

24. *Ita vt hastam teneret, per cuius caput infans ad summum posset ascendere.*] caput intellige statuæ, non hastæ. hoc dicit, si rectè capio. væ-

grandem

grandem hanc ſtatuam non ſolidam,ſed cauam ab interiore parte fuiſſe:ita vt pateret puero via ſurſum tendenti ad ſummum vſque caput: vnde per os emiſſus,haſtam quæ tenebatur erecta,conſcendebat quam longa illa erat.rem ridiculam ſane &nugatoriã. Sed Ioſephus Scaliger monuit me legendum eſſe,*per cuius ſcapum inf.* quæ veriſſima lectio eſt. quid ſit columnæ ſcapus, ſciunt qui legerunt Vitruuium. dicitur & de multis aliis rebus,apud Plinium ſæpe. etiam duo illi aſſeres arrectarij, qui ſcalarum gradus ſuſtinent,ſcapi Latinis dicuntur. Zeno Veronenſis ſermone de Abraham III. *Scala duos ſcapos habet,& gradus plurimos. ſed eius aſcenſus eſt vnus.*

Pag.271.verſ.3. *Nihil eſt quod dignum in literas mittatur.*] melius,*nihil eſt dignum quod in l. m.*

8. *Et qui Saloninũ idcirco quod apud Salonas,natus eſſet cognominatũ ferũt.*] paullo poſt aliam cauſſam allaturus eſt, de matris nomine, quæ dicta eſt Cornelia Salonina Pipara, ſiue Pipa. quod magis probo. nam Gallienus hanc ſiue coniugem ſiue pellicem ſuam inſano amore deperiit: vt ſcribunt ambo Victores.

13. *Quæ haberet inſcriptum*, GALLIENO MINORI *Salonino additum.*] Scripti omnes, IVNIORI non *minori*. ante *Salonino*, deeſſe copula videtur. pro *additum* membranæ, *addit.* ſcribo, SALONINO addito.

18. *De quibus proprio dicemus loco.*] Dele illa *de quibus*, poſtulante ſententia,iubentibus manu exaratis.

23. *In libro qui* D.] Scrib. *& in libro q.*

27. *Scis enim ipſe quales homines c.*] non *quales*, ſed *tales* exigit ſententia.

29. *Nec ignota eſſe arbitror quæ dixit* M. *Tullius in Hortenſio,q.*] Huc refero verba iſta ex eo libro quæ deſcripſit Nonius: *Qui cum publicas iniurias lente tuliſſet,ſuam non tulit.*

Pag.272.verſ.1. *Cum ab his quæreretur cur non ſoluerent cingulum reſpondiſſe dicuntur, Salonino deferimus.*] Reſpiciunt iſti hac reſponſione ſua ad morem veterem:vt omnes magiſtratus &quicunque ius geſtandi gladij haberent, nonniſi accincti & cum omnibus ſuæ dignitatis aut loci inſignibus, in conſpectum principis venirent. Docuit nos iſtud Iohannes Chryſoſtomus homilia in priorem ad Corinthios XXVI. τὸν ἄρχοντα, inquit, τῷ βασιλεῖ προσιόντα, τὸ τῆς ἀρχῆς σύμβολον ἔχειν δεῖ. & paullo ante magis diſerte de cingulo: οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων χωρὶς ζώνης καὶ χλαμύδος τολμήσειεν ἂν φανῆναι τῷ τὸ διάδημα ἔχοντι. quæ verba ad hunc locum ſunt appoſitiſſima: nam loquitur Chryſoſtomus de militaribus viris: quorum inſignia cingulum & chlamys, apud omnes ſcriptores etiám Latinos. ſed editum vitioſe, χλανίδος: quæ menda decepit interpretes.

6. *Militare prandium.*] Imperatores ſoliti ſuos duces frugaliore

mensa excipere. quæ *militare prandium* dicebatur, vel *mensa militaris*, vt in Lampridij Heliogabalo.

ib. (*Quod dictum est prandium ab eo quòd ad bellum milites paret*).] Fere Romani quoties aliquem inuitarent, ad cœnam non ad prandium vocabant, vt ex antiquorum lectione notissimum est. at imperator non ad cœnam, sed ad prandium solitus duces suos inuitare: idque appellatum est *militare prandium*. ad eas epulas conueniebant militares viri accincti gladiis, & ita discumbebant. nimirum seruato in aula disciplinæ militaris more cuius in castris præcipuus vsus. Quærit hîc Trebellius vnde mos sit ortus discumbendi eo loci cum gladiis: attulit de Salonino historiolam, quæ videtur originem mori dedisse. verum addit, videri aliis non ab eo casu ortam consuetudinem: sed ipsam conuiuij eius institutionem id exigere: hoc autem probat, primum ex ipso nomine ducto argumento: quippe id conuiuium non cœnam esse, verùm prandium: neque prandium simpliciter dici, verùm militare prãdium: ex eo, inquit, quod ad bellum milites paret. Deinde aliam subiicit rationẽ. de qua mox. Tollendæ autẽ sunt parentheseos notæ, & scribendum sic: *Dicunt enim militare prandium, quod dictum est ab eo quod ad bellum milites paret, à cinctis initum*. non solùm notationem vocis *prandium* indicat, à verbo paro: vnde & Isidorus ducit, sed aliter: verùm etiam caussam docet cur istæ dapes sint appellatæ *militare prandium*.

7. *Cui rei argumentum est, quod à discinctis etiam cum imperatore cœnatur.*] Si verum esset cepisse duces cum gladiis discumbere in conniuio principali, occasione Salonini, aut reuerentiæ in principem gratiã: semper id seruaretur, quoties aliquis vir militaris imperatoriis epulis interesset. atqui, ait Trebellius, non ita fit: nam ad cœnam vocatos, etiam discinctos accumbere, nulla est inuidia. cur aliter fit in militari prandio? hæc ratio firmissima est.

17. *A matre sua salonina.*] Cornelia Salonina, vt in nummis Græcis Latinisque, & apud Porphyrium in vita Plotini, vbi perhonesta est huius mentio.

18. *Quam is perditè dilexerit.*] *is*, hoc est, Gallienus, Salonini pater. explicat Aurelius Victor.

19. *Piparam nomine Barbaram, regis filiam.*] *Pipam* Victor vterque nominat, filiam Attali Germanorum regis, Aurelius Victor Schotthi: alter Marcomannorum. sic libro sequente appellat mulierem Barbaram, non vxorem Gallieni: quæ tamen pro vxore habita, & Augusta. sed non creditæ sunt nuptiæ, quas ciuis Ro. cum peregrina cõtraxisset.

18. *Gallienus cum suis semper flauum crinem condidit.*] id vult quod supra iam dixit: *crinibus suis auri scobem aspersit*. de quo more notatum nobis superiore quodam loco. Non tacebo lectionem omnium veterum, vt dè ea docti cogitent: nos quidem nihil boni inde elicimus: sic autem habent: *Gallienus cum cuius flauo crine condit.*

32. Cum

22. *Cum XV. annos eosdem imperasse constet.*] Verè constat, & certò quidem, vel ex libro Porphyrij de Plotini vita. nam ibi Porphyrius, qui tum viuebat cum Plotino, anni huius meminit.

31. *Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus ac etiam mimis scurrisque vixisse.*] Ammianus libro XIV. *Nouo denique pernitiosoque exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium graue, quod Romæ cum vltimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus: & adhibitis paucis clam ferro succinctis vesperi per tabernas palabatur & compita.* Similia his narrantur de Caligula, Nerone, Vero, & Alagabalo. at de Gallieno eadem iterum sed breuius Pollio libro proximo in Saturnino.

ISAACI CASAVBONI
IN TREBELLII POLLIONIS XXX. TYRANNOS, EMENDATIONES ET NOTÆ.

TREBELLII POLLIONIS XXX. TYRANNI.] Et hunc librum quædam exemplaria Iulio Capitolino tribuunt, vt Puteani alterũ, & Roberti Bononiensis. regius codex cum editis Trebellij Pollionis nomen prænotat. atque hoc censemus verum. cuicunque autem librum istum adscripseris, eidem necessariò & superiorem oportet adscribas: & sequentem quoque de Claudio: nam illarum vitarum auctor librum sibi de XXX. tyrannis vindicat. Titulus hic non est communis omnibus historicis qui eadem ista tempora descripserunt. sed proprius Trebellij Pollionis: qui vel ἀπαρτιλογίας & rotundandi numeri studio, vel quod respiceret ad triginta Atheniensium tyrannos, huic suo libro quem de tyrannis scribebat, quos Valeriano & Gallieno imperantibus passa est Respubl. eum titulum præfixit. Atqui Pollione ipso teste, qui per duorum illorum principum tempora rebellarunt, non

XXX. verum XXVII. ſolum fuerunt. ſed adiecit iſtis auctor duas feminas, quæ Gallieno principe celſum imperium tenuerunt, Zenobiam ac Victoriam. & ne quid omnino deeſſet ei numero quem titulus promittebat, planè, quod Ariſtoteles & Strabo dicere ſolent, δουλεύων τῇ ὑποθέσει, vnum alieni temporis tyrannum adiicere eſt coactus: is eſt Valens ſuperior, vt ipſe appellat, qui ſub Deciis rebellauit. quanquam auctor commemorati alieno loco iſtius Valentis hanc eſſe cauſſam ſeriò diſſimulat, & alias rationes in medium affert. omnino tamen quod diximus verum eſt. Quare poſteaquam liber hic à Pollione eſt publicatus, viri docti qui in templo Pacis conuenire, & de literis ſermones habere ſoliti, περιεργίαν tituli huius mirati, auctorem riſu exceperunt, variiſque iocis perſtrinxerunt. Trebellius igitur, vt obtrectatoribus ſuis reſponderet editione altera, appendicem adiecit. cum quidem, amici conſilio vſus, auctarium etiam duorum tyrannorum, libro ſuo adſuit. priorem enim libri iſtius editionem ſermo de Victoria finiebat: quæ deinceps ſequuntur poſtea acceſſerunt, vt ibi ſumus dicturi. Porro de tyrannis qui temporibus Gallieni emerſerunt, ita Eumenius panegyrico ad Conſtantium Cæſarem. *Principe Gallieno ſiue incuriâ rerum, ſiue quadam inclinatione fatorum, omnibus fere membris erat truncata Reſp. Tunc ſe nimirum & Parthus extulerat, & Palmyrenus æquauerat, tota Aegyptus, Syriæque defecerant, amiſſa Rhetia, Noricum, Pannoniæque vaſtatæ. Italia ipſa, gentium domina, plurimarum vrbium ſuarum excidia mœrebat.* Claudius imperator in epiſtola ad Brocchum ſcribit, Gallieno principe, Remp. ſexcentos tyrannos pertuliſſe.

Sexcenti tyranni
sub Gallieno

6. *Scriptis iam pluribus libris n.*] orſus hiſtoriam erat à Philippo, vt ante diximus. quare non potuit multos admodum libros ſcripſiſſe ad hæc vſque tempora. ſed videtur alia opera ſcripſiſſe.

ib. *Non hiſtorico nec diſerto, ſed pedeſtri eloquio.*] Negat Pollio hiſtoriam ſe ſcribere, ſed ſermones pedeſtres. Sic & Flauius Vopiſcus: cuius ſunt verba in Probo: *Longius amore imperatoris optimi progredior, quàm pedeſtris ſermo deſiderat.* ſic apud Vegetium præfatione libri tertij Artis veterinariæ. Eſt enim ſermonis humilior quàm hiſtoriæ ſtylus. Plinius libro quinto, epiſtola ad Maximum. *iam tres libros abſoluerat ſubtiles & diligentes & Latinos, atque inter ſermonem hiſtoriamque medios.* ſic Græci τὸ λογοειδὲς quæ accuratior oratio eſt, ſeparant ab ſermone Commentariorum. quem ita deſcribit Philoſtratus libro primo vbi ait Damim τὸ μὲν λογοειδὲς οὐκ ἔχειν, διατριβὰς δὲ ἀναγράψαι καὶ συνουσίαν, καὶ ὅ, τι ἤκουσεν ἢ εἶδεν ἀνατυπῶσαι, καὶ ὑπόμνημα τῶν τοιούτων συνθεῖναι, σφόδρα ἱκανὸς ἦν. Conſtantinus imperator in Varia hiſtoria ſiue Ἐθνογραφίᾳ ad Romanum filium: εἰ δὲ ἀφελεῖ καὶ κατημαξευμένῳ λόγῳ, καὶ οἷα εἰκῆ ῥέοντι πεζῷ καὶ ἁπλοϊκῷ πρὸς τὴν τῶν προκειμένων ἐχρησάμην δήλωσιν, μηδὲν θαυμάσῃς γε· ſic pedeſtris ſermo ſiue in verſu, ſiue in proſa oratione, ſublimi opponitur, vt apud Horatium non ſemel. non ſemper enim πεζὴ λέξις opponitur verſui.

pedestri sermo

23.Nec

23. *Nec repetenda tamen ſatis conſtet.*] Dele *tamen*: niſi velis ſuperflue additum vt ſæpe.

25. *De Cyriade I.*] Nuſquam inuenio vel nomen iſtius. quidam codices Chiriadem vocant: vt Robertus de Porta. emerſit circa annum V.C. CIↃXI. Coss. Fuſco & Baſſo. quod ex eo colligitur, quia ait Pollio occiſum, quo tempore ad bellum Perſicum Valerianus veniret.

Pag. 274. verſ. 2. *Quem clarum perfugium & parr.*] dum patris cenſuram fugit, ad Saporem Perſam transfugerat, vt initio dictum. non rectè viri docti, *periurium*, corrigunt.

4. *De Poſthumio II.*] Non ſeruat ordinem temporum: nam Cyriadi ſubiungi debuerat Ingenuus, qui octauus recenſetur: & item alij poſt iſtum. Atque hoc ſemel dictũ eſto. vocatur in nummis, C. CASSIVS. POSTVMIVS. LABIENVS. Zoſimo & Zonaræ Ποσοῦμος. Victori & Eutropio, *Poſtumus*.

9. *In Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitæ.*] Zoſimus creditum ait non hunc, ſed Siluano. τὸν περιλαβόντα τὴν τοῦ Σαλωνίνου φυλακὴν ἐκ τοῦ πατρὸς Σιλβανόν. ſed ſcribendum ibi Αλβανόν. è Zonara, qui ſæpius nominat. Sed de Poſtumio & ei commiſſo principe, habes certum teſtimonium in ipſius Valeriani patris epiſtola ad Antoninum Gallum conſulem. vide infra in Aureliano.

11. *Quod eius non conuenit moribus.*] non magnum argumentum innocentiæ: nam multos moribus alioquin bonis ad ſcelera compulit dira ambitio. Zoſimus ſcelus ab eo admiſſum ſcribit, neque id obiter.

18. *Per annos ſeptem.*] idem numerus libro ſuperiore, & infra capite de Lolliano. Eutropius tamen ait decem.

21. *Geſtum eſt tamen à G.*] Scribe *autem*, vt in antiquis.

Pag. 275. verſ. 1. *cum iam nutante Gallieni luxuria in v.*] *nutans luxuria* quid eſſet, ne ipſi quidem ſciuêre qui ſic ſcripſerunt. Legendum, *cum iam nutans Gallieni luxuriâ, in v. ſt. R. reformaſſet imperium.*

21. *Fuit quidem etiam fortiſſ.*] Melius ſcripti, *F. q. & iſte fortiſſ.*

22. *De ſuis viribus.*] Scripti, *de eius vir.* mira locutio.

34. *In Gallieno prod.*] *Ita Gall.*

35. *Victorianus.*] Scrib. *Victorinus.* omittit Aelianum, de quo ex Victore Onuphrius. Sed quod non obſeruat erudititiſſimus vir, Aelianus Victori eo loco eſt qui Pollioni & aliis *Lollianus*. nam etiam apud Eutropium non *Lollianus*, ſed *L. Aelianus* legit Pæanius.

Pag. 276. verſ. 2. *Impediretur in aliis, p.*] *ludibriis & helluationi vacabat*, inquit libro ſuperiore: idque repetitum ſæpiſſime.

3. *Qui ſi eo genere tunc euaſiſſent quo Gotthi & P.*] ſi ſimiliter è finibus ſuis erupiſſent, & Romanum imperium inuaſiſſent, vt factum fuit à Gotthis & Perſis.

6. *Lolliani autem vita in multis obſcura eſt v.*] Non damno illa *in multis*, quæ habent omnia exemplaria. videtur tamen non de vniuerſa ho-

rum vita loqui : ſed de ea quam in imperio egerunt. nam hac parte ſolum obſcuri ſunt, qui erant priuata virtute clari, vt ſubiicit. quare fieri poteſt, vt ſcripſerit aliter.

7. *Virtute clari, non nobilitatis pondere.*] Seruant hanc metaphoram omnes libri. & poteſt ferri. etſi non diſplicet eruditiſſimi Sauaroni coniectura : *nobilitatis ſplendore.*

19. *Matrimoniis militum & militarium.*] poteſt abeſſe alterutrum. & notamus alibi ſæpe in his libris & apud Victorem, *militares* dici ipſos milites. ſed videtur hic additum, quia is de quo loquitur actuarius fuit : hoc eſt, qui cum militibus vitam degeret, magis quàm eſſet verus miles. erant enim in ſingulis legionibus homines multi qui rationes tractabant, cuiuſmodi ſunt ſcribæ, tabularij, actuarij, numerarij, chartularij, & ſimiles, de quibus multa in Codice. mentio actuariorum & in antiquis inſcriptionibus, & apud Ammianum.

Actuarij in militia

20. *A quodam actuario.*] Attiliano, de quo legendus Aurelius Victor. Eutropius, *Agrippinæ occiſus eſt, actuario quodam dolum machinante.* Pæanius vertit: δούλου τινὸς ἀκτουαρίου τὴν πλάνην ἐπαγαγόντος· τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῷ πεφονευκότι. inſcitiſſimè. falſo primum appellat ſeruum. militabat enim : quod non poterant ſerui. deinde cum ita debuiſſet, ὑπομνηματογράφου τινὸς τὴν τ. ita enim Græci dicunt *actuarium* : ille proprium hominis nomen putauit eſſe : quod abunde refellit Aurelius Victor Schotti.

26. *Sed ſatis credimus f.*] Malim, *ſatius.*

Pag. 277. verſ. 4. *Et à patre & ab auia.*] Scripti, *vel ab auia.*

7. *Sepulcra circa Agrippinam breui marmore impreſſa humilia.*] Eiuſmodi ſepulcra exſtrui tyrannis ſolita. infra de Aureolo : *atque illic vt tyrannum ſepulcro humiliore donauit.*

8. *In quibus vnus eſt inſcriptus.*] Scrib. *titulus eſt inſ.* vel ſic : *in q. vnus verſus eſt inſc.* nam id videtur eſſe quod notat : duobus ſepulcris vnum eundemque fuiſſe inſcriptum epigramma.

16. *Nam vt conſul ille.*] C. Caninius Rebilus. de cuius conſulatu & Ciceronis ioco Dio hiſtoriæ Ro. libro XLIIII. & Macrobius.

Digitus ſalutaris

28. *Digito ſalutari ſ.*] indice, λιχανῷ. quem & Suet. vocat ſalutarem libro ſecundo.

29. *Et fortiſſimos quoſque vno digito ſic afflixiſſe, vt q.*] idem in Claudio: *digitis vſque adeo fortibus, vt ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit.* Tiberius autem talitro caput pueri vel adoleſcentis vulnerabat.

33. *Contemtus eſt ab eodem.*] fuit enim Marius homo arrogantiſſimus. ſi quidem accipiendum eſt de iſto, quod ſcribit Aurelius Victor in Diocletiano : vbi de ſuperbia eorum loquitur, qui cum fuerint humillimi ad alta acceſſerunt.

34. *Vel cum duxiſſet.*] cum ducatum ordinum nactus eſſet. ſed legēdum non dubito, *vel cum dux eſſet*, vt de prouinciæ ducatu accipiatur.

Pag.

Pag.278.verſ.5. *Suis cladibus recognoſcant in Italia.*] quare illa addita ſint, *in Italia*, non video. ac ſi mei arbitrij ſit, malim ita ſcribi: *ſ. cl. recognoſcant. Efficiam denique, vt omnis Al.*

15. *Fuſco & Baſſo cos.*] rebellauit ergo iſte contra Valerianum, non cōtra Gallienum: niſi quatenus imperij fuerat particeps factus à patre. nam iis Coss. viuebat Valerianus, & bellum Perſicum parabat, vt ſuperius dictum in Cyriade. aliter tamen Aurelius Victor, cuius verba ſtatim adferemus. Pro Fuſco libri veteres hic *Tuſco*: ſed alibi inferius non ſemel *Fuſco*. quæ diuerſitas etiam in Faſtis conſularibus inuenitur.

18. *Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat.*] In nummis, INGENVS. Aurelius Victor: *Gallienus in Illyrico Ingebum, quem curantem Pannonios, comperta Valeriani clade, imperandi cupido inceſſerat, Murſiæ deuicit.* fallitur in tempore Victor, vt apparet ex Coss. quos ponit Trebellius. Eutropius etiam ſcribit, hoc bellum à iuuene Gallieno vel adoleſcente geſtum.

33. *Ciuitate capta intraſſe domum, in qua ſe pugione transfodit, atque ita vitam fin.*] quàm diuerſæ membranæ? nam ita reg. & Put. *ciu. cap. in aquam ſe merſiſſe, atque ita vitam finiiſſe.*

Pag.279.verſ.3. *Perimendus eſt omnis ſexus virilis.*] Melius ſcribas, *eſſet*: ob ſequentia verba.

8. *Animum meum intelligere potes.*] Regius, *Lacera, concide, occide animum meum intellige: qui hoc manu mea ſcripſi.*

15. *Auctoribus imperij Mœſiis.*] Scribe, *Mœſis*, vt in veteribus. Mœſiacas legiones intelligit.

16. *In quorum parentes.*] cognato, & ſanguine iunctos, ſicut antè expoſuimus.

21. *Militari enim ioco regna promeruit.*] Sic non multo poſt Proculus ludo & ioco factus imperator, vt narrat Flauius Vopiſcus.

25. *Cœpit quaſi grammaticaliter declinare, & dicere Rex, regis, regi, Regillianus.*] malus grammaticus fuit iſte. nam à rege fit regulus, inde regillus, & ex eo regillianus. & in eam ſententiam docti viri hunc locum cenſebant emendandum: quorum ſententiæ repugnant manuſcripti.

30. *A principibus.*] militibus qui principes locos militiæ obtinebant.

34. *Gentis Daciæ, Decibali ipſius, vt fertur affinis.*] Reges Dacorum plures Decebali nuncupati ſunt: vt ex hiſtoria Domitiani & inſecutorum principum eſt cognoſcere. & videtur ad illum ipſum hoc referendum rebus contra Romanos geſtis clariſſimum. nam Gallieni temporibus nullum eo nomine Dacorum regem inuenio.

Pag.280.verſ.3. *Quæ te talem virum habere rei caſtrenſis b.*] Reg. *caſtris.* ſcrib. *habere in caſtris.* niſi putamus dixiſſe Trebell. *talē virum rei caſtrēſis.*

quomodo dicitur, *vir vitiorum omnium.* & similia.

5. *Qualis apud Scupos in pugnando fueris.*] in superiore Mœsia Scupi nomen vrbis Ptolemæo: cuius & alij meminerunt.

24. *Sed nimis sibi Fortuna indulgendum putauit, quæ c.*] Similis Marcellini cum Fortuna expostulatio super amisso Iuliano, & creato Iouiano, libro XXV. *Tu*, ait, *hoc loco, Fortuna orbis Romani meritò incusaris, quæ difflantibus procellis Remp. excussa regimenta perito rei gerendæ ductori consummando iuueni porrexisti: quem nullis antè actæ vitæ insignibus in huiusmodi negotiis cognitum, nec vituperari est æquum, nec laudari.* at melius Pollio cum infra in Odenato sic ait: *Iratum fuisse Reip. Deum credo, qui interfecto Valeriano noluit Odenatum reseruare.* sed habent ibi veteres, *iratos f. deos.*

33. *Contra Gallienum veniret cum plurimis, exerc.*] trahebat secum Macrianus XLV. hominum millia, vt paullo post dicetur. Sed legi malim, *contra Gallienum veniret, quam plurimos ex exercitu eius cepit aliq.*

37. *Quorum pleraque & dicta sunt & dicenda.*] non solum isto libro, sed etiam in vita Claudij, vbi multa. quædam etiam Vopiscus in Aureliano.

Pag. 281. vers. 2. *Apud eum pontem interemit, qui nunc pons Aureoli nuncupatur.*] Aurelius Victor victum, non occisum eo loci, neque à Claudio, sed à Gallieno. *Aureolum*, inquit, *Gallienus apud pontem cui ex eo Aureoli nomen est, fusum acie, Mediolanum coëgit.*

4. *Extat etiam epigramma Græcum in hanc formam.*] *in hanc formam* dixit pro in hanc sententiam. Inuenimus hoc ipsum epigramma in veterum inscriptionum volumine: quod vt descriptum est à viris doctissimis è lapide qui est in agro Mediolanensi ita recitabimus.

ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΑΥΡΕΟΛΩ ΜΕΤΑ
ΔΗΙΟΝ ΑΡΕΑ ΚΑΙϹΑΡ
ΤΑ ΚΤΕΡΕΑ, ΘΝΗΤΩΝ ΩϹ
ΘΕΜΙϹ ΕΝΔΙΔΟϹΙ
ΤΩ ΓΑΡ ΚΑΙ ΖΩΗΝ. ΑΛΛ' ΟΥΚ
ΕΘΕΛΗϹΕ ΦΡΟΝΗΜΑ
ΠΑϹΙΝ ΕΠΙΡΗΤΟΙϹ ΤΟΥ ϹΤΡΑ
ΤΟΥ ΑΝΤΙΒΙΟΝ
ΚΕΙΝΟϹ ΔΕ ΟΙΚΤΙΡΜΩΝ ΚΑΙ
ϹΩΜΑΤΟϹ ΕϹΚΑΤ ΟΠΙΖΩΝ
ΑΥΡΕΟΛΟΥ ΓΕΦΥΡΑΝ
ϹΤΗϹΑΤΟ ΣΗΝΤΕ ΤΑΦΗΝ.

In his versibus quædam sunt digna obseruatu. ΕΝΔΙΔΟϹΙ in secundo metri caussa positum contra analogiam, pro ἐνδίδωσι. sic in aliis vocibus eiusdem verbi ω mutant in ο interdum poetæ. vt in Argonauticis Orphei δόκεν pro δῶκεν obseruabamus in illo versu,

Αὐτὰρ παγκρατίοιο δόκεν γέρας Ἡρακλῆι.

vbi

vbi tamen nihil erat quod vim faceret: cum poſſet παγκρατίου δῶκεν, vel δόσκεν. & fortaſſe non aliter ſcripſerat. in tertio ſcribendum Γ' Α Ρ. non enim γὰρ conuenit. Τῷ γ' ἄρ καὶ ζωήν. ſupple, ἤθελεν ἐνδιδόναι. *cui quidem & vitam concedere voluit.* ſequentibus verbis dicere videtur, Aureolum vt erat ingentis ſpiritus vir, vitæ precariæ beneficium vltro ſibi delatum, reſpuiſſe. hanc ſententiam ſpondet verbum φρόνημα: ſed quartus verſus plane Oedipum deſiderat: & videtur aut ſculptus olim, aut nuper deſcriptus parum ex fide. ſenſus quem expreſſit Latinus interpres, Græcis verbis nullo modo congruit. In quinto ſcribendum, Ε Σ Χ Α Τ'. σώματος ἔσχατ' ὀπίσω Latinus interpres ad verbum, *corporis vltima ſeruans* nempe iura. quam vocem pari licẽtia Latinus reticuit ac Græcus: quos equidem nolim heic imitari. ſed ille grammaticus qui hæc tranſtulit imperitiſſimus, atque inſulſiſſimus fuit, vt & Trebellius recte iudicauit. quare patientiam illius mirari ſubit: qui tam ineptos verſus fecit tanti vt eos putarit dignos qui heic legerentur. Nos verò priuſquam in ſuperius epigramma Græcum incideremus, offenſi ineptiis interpretis, pro malis & obſcuris eius octo verſibus, totidem Græcos ſi nihil aliud, certè perſpicuos ac planos ſuſtitueramus. ſunt autem iſti.

Αἰτῷ, νικήσας πολλὴν μετ' ἰῶκα, τύραννον
  Δωρεῖται τύμβῳ Κλαύδιος Αὐρέολον.
Δῶρον ὅγε, κτάμεναι δ' οὐ θέμις ἐστὶν, ὀπάζων·
  Ἤθελεν ὃν ζώειν ἧς ἕνεκ' εὐορέης·
Ἦν δ' ἄρα οὐχ ὅσιον σώζεσθαι ἀτάσθαλα πολλὰ
  Ἐρξάντας· πάντων δ' ἔξοχα Αὐρέολον.
Τέθμια δ' αἰδεσθεὶς νεκύων, ταγὸς ἠπιόμητις,
  Τὴν γεφυρέαν τε νέμει, καὶ τάφον Αὐρέολῳ.

6. *Donat ſepulcro victor p.*] Ita ſcribitur hic locus in regio. nam alij libri, *Dona ſepulcrorum.* quod cum nullam omnino interpretationem admittat, reiecimus. primam vocis *ſepulcro* produci ab iſto literatorę magis mirari non debes, quàm cum apud Prudentium legis *ſpiritus* prima correpta. vel *ſacrificium* ſecunda longa, *ſtatim* priore longa, apud alios, & id genus multa contra veterum obſeruationem, apud recentiores poetas Latinorum. Sed cur prima vocis *ſepulcrum* ab iſto producatur, & alia cauſſa afferri poteſt. nam in multis antiquis libris non aliter ſcriptum inuenias, niſi *ſæpulcrum.* hanc ſcripturam ſecuti ſunt, qui produxerunt: vt è contrario quia *ſphera* ſcribebant pro ſphæra, Prudentius corripere in verſu non dubitauit.

Cuius ad arbitrium ſphera mobilis atque rotunda.

ſimilia his multa eruditis pridem notata.

8. *Munere proſequitur mortali & iure: ſuperſtes Viuere quem vellet.*] etiamne grammaticus ſolœciſſat? nam *ſuperſtitem* flagitabat omnino ἡ τοῦ λόγου ὀρθότης: *quem vellet viuere ſuperſtitem.* ſed puto ſcribendum eſſe *ſuperſtem:* quod licenter vſurpauit iſte pro ſuperſtitem.

9. *Si pateretur amor Militis egregij.*] hæc in Græco epigrammate non inuenies.

10. *Vitam qui iure negauit Omnibus indignis.*] vide quomodo accipiat illud ΠΑCΙΝ in quarto versu: de cuius obscuritate antè diximus.

12. *Qui corporis vltima seruans.*] Ammianus Marcellinus non dissimiliter supremitatis honorem vocauit, libro XXXI. *Illud certum est, nec Scipioni nec Valenti sepulturam, qui supremitatis honor est, contigisse.* Tacitus sexto Annalium, *humanæ sortis commercium.*

13. *Et pontem Aureoli dedicat & t.*] Liber Puteani *Aureolo.* sed & Græcus poeta dixit ΑΥΡΕΟΛΟΥ.

18. *Rem enim vobis proposui deferre, non verba.*] Vide in extremo hoc libro.

19. *Vt triginta tyrannorum vitas simul scribendas accesserim.*] non est Latina dictio: nam *susceperim* postulat sententia. abs regio duo postrema verba absunt.

22. DE MACRIANO.] Fuse omnia de isto auctor libro superiore. Zonaras semper Macrinum appellat patrem, filium Macrianum.

Pag. 282. vers. 3. *Me profecto quamdiu voles, vteris tu cum Rep.*] Regius, *me præfecto quandiu volueris vteris. Tu modo cum Rep. bene agas.*

7. *Sed non hoc in me ætatis est.*] Scripti, *at non hoc meæ ætatis est.* & *submouere* iidem, non *dimouere.*

9. *Diuitiæ me iamdudum ab vsu m.*] non male alij libri, *delitiæ.*

21. *Iam ego faxim, vt Gallienus sordidißimus fœminarum omnium duces sui parentis intelligat.*] cur dicat *duces sui parentis*, ex iis potest intelligi quæ superius in Regilliano dixit de singulari prudentia Valeriani in eligendis ducibus. superlatiuus pro comparatiuo positus in illis, *sordidißimus fœminarum omnium.* nam ita accipiendũ qui est sordidior omnibus fœminis, & omni scorto turpior. Sed regius aliter multo scribit hunc locum: *Iam ego faxo, vt Gallienum sordidißimum fœminarum omnium mulierum, duces sui pereuntem intelligant.* potest scribi, *sordidißimum, fœminarum omnium virum.* in sequentibus verbis præfero vulgatam.

31. *Atque à Domicilla.*] Scripti melius *Domitilla.* vt apud Suetonium.

34. *Posuit inter cætera.*] Male hæc distincta. Scrib. *posuit. Inter cætera, ex orat.*

36. *Quod à parte militari ille vobis fidelis, il.*] Scribe ex libris: *Ego P. C. b. P. gerens, M. totam Remp. tradidi, quod à parte militari. Ille vobis fidelis, ille mihi deuotus: illum & amat & timet miles. Ille vtcunque.* illud, *quod à parte m.* valet, quod attinet ad rem militarem, & curam de rebus bellicis.

Pag. 283. vers. 1. *Nec P. C. noua vel inopinata nobis sunt.*] Scrib. *nec hæc P. C. pro inopinata*, regius *incognita.*

5. *Romano dignos collegio.*] Romanum collegium quid heic appel-

letur

letur neſcio: tamen ita veteres.

21. DE QVIETO.] Zonaras Quintum nominat. Κύιντον. in nummis QVIETVS.

28. *Quaſi Gallieni partes vindicaret*] hac ſimulatione vafrè vſum Odenatum non ſemel antè dictum.

29. *Cum Baliſta præfecto dudum i.*] eos heic ſequitur qui negabant purpuram à Baliſta ſumtam: qua de re inferius.

35. *In reticulis & dextrocheriis.*] reticulis innectebantur gemmæ: de dextrocheriis ſatis ad Maximinos.

Pag. 284. verſ. 9. *Dicuntur iuuari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant, vel argento.*] Alexandrum multi Græcorum non ſecus ac deum ſunt venerati. Erat autem moris ſimulacrum alicuius numinis, à quo iuuari ſe putarent, circumferre. ſic narrat Ammianus libro XXII. Aſclepiadem philoſophum, qui temporibus illis viuebat, *deæ Cœleſtis argenteum breue figmentum quocunque ibat ſecum ſolitum afferre.* Tale aliquid fuiſſe illud videtur, quod Apuleius habuit ſudario linteo inuolutum: de quo multa ipſe in Apologia.

13. DE ODENATO.] Nolim imponat tironibus varia apud Græcos præſertim, huius nominis ſcriptio. idem enim eſt qui Zoſimo Ὀδαίναθος, Procopio in ſecundo Perſicorum, Ὀδονάθης, Agathiæ libro IV. & Pæanio Ὀδίναθος, Zonaræ & Georgio Monacho. Ὠδίναθος aliis Ὀδαίναθος nuncupatur. in nummo veteri doctis viris deſcripto ΟΔΗΝΑΘΟΣ. De hoc autem omnia dicta in ſuperioribus.

14. *Niſi Odenatus princeps Palmyrenorum, c.*] non ſolum princeps, ſed & ciuis Palmyræ fuit, maioribus ortus qui ab imperatoribus diuerſis honorum generibus fuerant affecti. ita Zoſimus: & Procopius: τὴν δὲ ἡ Ζηνοβία Ὀδονάθου γυνὴ, τῶν ἐκείνῃ Σαρακηνῶν ἄρχοντος, οἳ Ῥωμαίοις ἔνσπονδοι ἐκ παλαιοῦ ἦσαν. οὗτος ὁ Ὀδονάθης ἀνεσώσατο Ῥωμαίοις τὴν ἑῴαν ἀρχὴν ὑπὸ Μήδοις γεγενημένην. Agathias contra ignobili ortum loco ſcribit. de Palmyra præter geographos & hiſtoricos, lege Hieronymum libro XIIII. in Ezechielem.

18. *Herodes, m.*] Tres Odenati filios heic habes, & ſæpius in hoc auctore: Herodem, maximum natu, qui cum patre imperauit: & duos à moriente patre paruulos relictos, Herennianum & Timolaum. Vopiſcus in Aureliano quartum adiicit Balbatum: cuius nomine imperium tenuiſſe Zenobiam ex auctoribus nonnullis ſcribit. Hic eſt quem Onuphrius vbique appellat Vhabalatum, ex Pollione, inquit: cum tamen in Pollionis libris veſtigium iſtius nominis extet nullum. ſed de huius nomine plura ad illum locum.

Pag. 285. verſ. 1. *Sudorem officij virilis impendit.*] Scrib. *Sudorem officiis virilibus impendit.*

7. *Mulierum omnium nobiliſſima or.*] Scrib. *mulier omnium nobiliſſima orientalium fœminarum.* Pro *ſpecioſiſſima* veteres habent *expeditiſſima.*

16. *Sigillata tentoria & aurati papiliones.*] τοὺς ἱερακίσκους σημειωτούς, καὶ αὐτὰς τὰς σκηνὰς κεχρυσωμένας. quare addat, *& omnia Persica.* declarant quæ de luxu Persarum regum, in ornatu papilionum, & reliqua vita, narrãt & Athenæus & alij.

20. *Qua re commendat.*] Vel sic scribendum, vel *quæ res.* non vt vulgo.

26. *Nec vlla re alia ductus nisi damnabili inuidia, imperatorem optimum interemit.*] è Zonara disces occisum Odenatum non à consobrino, sed à fratris filio. caussam etiam illatæ necis inde cognosces.

35. DE BALISTA.] Græci fere Βαλίσταν vocant. nummi BALISTAM. sed liquidam in hoc nomine geminatam habent omnes versus de Ballista Virgilij præceptore.

Pag. 286. vers. 3. *Apud Daphnen s.*] Scripti, & editi multi, *apud Daphnidem.*

14. *Dispositionem Balistæ prosequere.*] hoc est, prouisionem annonariam, vt modo dixit. vide ad Gordianum tertium.

15. *Vt illic equos contineat, vbi sunt pabula, illic annonas militum mandet, vbi sunt frumenta.*] in vtroque Codice multa in hanc rem sanciuntur: duces & tribuni ex incommodis prouincialium commoda sua captabant. Tacitus in vita Agricolæ: *Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumcisis quæ in quæstum reperta, ipso tributo grauius tolerabantur: namque per ludibrium aßidere clausis horreis, & emere vltro frumenta ac vendere pretio cogebantur, deuortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis in remota & auia deferrent: donec quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret.*

30. *Nullum adscriptitium, id est vacantem.*] exposuimus ad Alexandrum Seuerum. In lege secunda Cod. Vt dignitatum ordo seruetur, enumerantur sigillatim gradus quinque illustrium personarum? primus est eorum qui in actu positi illustres peragunt administrationes: secundus, vacantium præsentium in comitatu principis: tertius, vacantium absentium: quartus, honorariorum præsentium: quintus honorariorum absentium. Ex his intelligimus quantopere multiplicitata fuerint post hunc imperatorem nomina dignitatum.

quinque gradus illustrium personarum

Pag. 287. vers. 1. DE VALENTE.] huic cognomen erat Thessalonico, auctore Marcellino libro XXI. plura de eo initio libri de Gallieno.

5. *Quem Martianus vehementer reformidans.*] libro superiore de Martiano quodam egimus: sed non heic de illo agitur: apparet enim ex eiusdem libri principio scribendum esse *Macrianus.* sic recte mox in Pisone.

15. *Fuit & Valens superior:*] de hoc supra egimus inter principes post Gordianum III.

31. *Cui se nobilitandi caussa Cicero sociauerat.*] cum Tulliã filiã despondit

dit C. Pisoni L.F. Frugi.

37. *Ad noscendam eius maiestatem.*] ad Saloninum Gallieni filium de hoc loco diximus.

Pag.288.vers.4. *Qui in locum Valeriani successerat.*] nam Valerianus cum adhuc reliquis senatoribus accenseretur, primæ sententiæ & senatus princeps erat.eo ad altiora transgresso, eius locum Aurelius Fuscus occupauit.

11. *Quasi transferendæ ad alium positæ sunt.*] Regius, *transferendum.*

Pag.289.vers.1. *Siquidem strangulatus in carcere captiuorum veterum more perhibetur.*] Mos notus, vt postquam triumphator in Capitolium cepisset flectere, captiui duces in carcerem deducerentur, & ibi laqueo strangularentur. Aemilianum autem à Theodoto qui illum vicerat Romam ad Gallienum missum fuisse, priore libro dictum est.

6. *Qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriā non licere.*] ob similē, vel hanc ipsam caussam olim de reducendo Ptolemæo tamdiu & tam acriter in senatu disceptatū est: cum diceretur sorte Sibyllina prædictum, magno Reip. malo cessurum, si cum imperio Romani Aegyptū adirent: qua de re Dio & Marcus Tullius in epistolis ad P. Lentulum Ciliciæ & Cypri præsidem. Eandem etiam ob caussam ab Augusto institutum, vt Aegyptum regeret eques Rom. non vt alias prouincias senatores consulares aut prætorij. etsi fuit huius rei & alia caussa: cum leuitas potentissimi populi metueretur.

9. *Herennium Celsum, vestrum parentem, dum consulatum cupit, hoc quod desiderat non licere.*] est hypallage: nam rectum erat, *hoc quod non licet desiderare.* Cum ait, *vestrum parentem*, compellat amicum illum suum cui hoc opus nuncupauerat. Sic in fine libelli de Valerianis: *semper enim me vobis dedidi.* vide infra in Zenobia & Censorino. *parentem* accipio notione illa noua, quàm antè exposuimus, non illa veteri. Porrò hic Herennius Celsus quo tempore hæc scribebantur, Augustalis erat Aegypti præfectus: sed eo honore non contentus, à Diocletiano impetrare conatus est, vt sibi absenti consulatus deferretur. quam postulationem iniquam esse, & contra obseruationem priorum temporum, obiter demonstrat hoc Trebellius.

15. *Cum de peregrinis regionibus loquitur.*] Arbitror legendum, *religionibus.*

20. *Dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico f.*] confer cum extremis verbis libri de Gallienis.

24. *Victoriarum Barbararum etiam vbique notarum.*] Scripti *Barbaris.* placet *Barbararum.* nam *victorias Barbaras* appellat, partas de Barbaris: quas opponit ciuilibus.

26. *Commilitones bonum ducem perdidistis, e.*] Eadem vox cognominis alterius tyranni fuit, cui postea delatum similiter imperium. Vide Flauium Vopiscum in Saturnino.

31. *Ne inferiora denudarentur, c.*] apparet poni solitas braccas cum discumberent: adhuc enim ea ætate braccarum infrequentior vsus: neque inter domesticas ea vestis fuit: sed inter militares potius & viatorias.

36, *Præsidatum in Gallia regentem.*] tuebatur præsidatu Aquitanos, ait Aurelius Victor.

Pag.290.vers.4. *Cum militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset.*] Vopiscus in Aureliano: *ipso Tetrico exercitum suum prodente, quod eius scelera ferre non posset.* Aurelius Victor in Aureliano planius rem aperit.

Quem statim ad Aurelianum scripserat.] Forte, *quem in eo statu ad A. in* reg. est, *ad A. Cos. scr.* quod ferri non potest: nam etsi consul forte tum fuit Aurelianus: non tamen ad illũ tanquã ad consulẽ scripsit Tetricus.

15. *Correctorem totius Italiæ fecit.*] Vopiscus longè aliter in Aureliano: *Tetricum triumphatum correctorem Lucaniæ fecit.* Vopisco vterque Victor consentit, & cum his Eutropius. Errat igitur Pollio.

18. *Omnisque annonariæ regionis.*] Et in Vrbe & in variis Italiæ locis annona populo diuidebatur: eáque cura certis hominibus mandari solita. præfectorum annonæ vrbicæ passim fit mentio: curæ alimentorum in Italia meminit Spartianus in Iuliano. Capitolinus de Pertinace: *alimentis diuidendis in via Aemilia procurauit.* Aliquando scribebam, *omni annonariæ erogationi.* sed nihil mutandum, & aliter interpretandum. nam Italiæ regiones quædam erant, quas vocabant annonarias vt Thuscia. Ammianus libro XXVII. *Paullo ante noua portenti species per annonariam apparuit Thusciam, in oppido Pistoriensi.*

32. *In monte Cœlio inter duos lucos contra Isium Metellinum.*] Scripti, *inter duos locos.* corruptè. sic alius Romæ locus dictus, *inter duos lauros.* cuius in Martyrologio fit mentio, III. idus Augusti. Ἴσειον Latinis, *Isium* & *Iseum.* sic statim, *picturatum de museo* etiã in membranis, id est, musiuo, vt vsitatius dicitur. erant plura iam Romæ templa Isidis, distincta cognominibus.

34. *Vtrique prætextam tribuens senatoriam dignitatem.*] scrib. ex libris, *& senat. dig* pictus erat Aurelianus dans vtrique Tetrico prætextam: & simul senatoriam dignitatem, cuius insigne tum fuit prætexta.

35. *Accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam p.*] quare *sceptrum*? nam de corona ciuica manifesta ratio est. de sceptro nihil potest afferri saltem probabile. sequamur igitur regium codicem, qui vocem illam expungit.

36. *Quam cum dedicasset, A.*] *dedicasset* pro dedicaret, more frequenti & seculo, vt ante obseruabamus. non enim post dedicationem, sed in ipsa eius domus dedicatione habitum id conuiuium. sic enim fuit moris, vt ad sextum librum Suetonij obseruabamus. vide Senecam epistola LXXVI. & Plinij ad Traianum epistolam CXVII. libro decimo.

Pag.

Pag.291.verſ.5. *Quare & in Trebellianum factum in Iſauria principem.*] Aut deſunt aliquot verba, quæ nec in manu exaratis apparēt, aut ſcribendum eſt, *Quare & Trebellianus factus in Iſauria princeps: ip.*

9. *Cum ſe in intima Iſaurorum loca m.*] Reg. *in intima & tuta Iſ.l.*

16. *Denique poſt Trebellianum pro barbaris habentur, & c.*] Scribebat iſta Trebellius Diocletiano imperante: ſed ex Ammiano Marcellino diſcimus, ne multo poſt quidem, Romano imperio iugum Iſauros ſubmiſiſſe. nam in Conſtantij rebus ſcribit: *Iſauri quibus vſitatum eſt, ſæpe pacari, ſæpéque inopinis excurſibus cuncta miſcere, ex latrociniis occultis & raris, alente impunitate adoleſcentem in peius audaciam, ad bella grauia proruperant.* & alio loco ſcribit idem, Iſauriam antea mœnium potentem, olim fuiſſe ſubuerſam, vt rebellatricem interneciuam. narrat tamen Flauius Vopiſcus, Probum imperatorem, cum Orientem peteret, omnem Iſauriam liberaſſe, & totā recepiſſe. ſed non diu fidem ſeruarunt, vt conſtat ex hoc loco.

22. *Quos quidem diuus Claudius p.*] In Claudij quæ ſequitur vita, nihil de Iſauria Trebellius. & fortaſſe Claudium heic nominat loco Probi. de quo ſimilia referuntur à Vopiſco.

30. *Habitu proferens purpuratos.*] Scripti, *præferens.*

Pag.292.verſ.5. *Potuiſſe quinetiam ſummum Latinorum rhetorem facere.*] *facere* pro euadere vel fieri. inſolens loquendi modus.

16. *Peplo deæ Cœleſtis ornatum.*] quia aliunde purpura non ſuppetebat ad amiciendum nouum Auguſtum neceſſaria, detraxerunt huius deæ ſimulacro: ſic Saturninus, auctore Vopiſco, depoſita purpura ex ſimulacro Veneris, adoratus eſt. vide ad Gordianos. Quod autem ſoliti fuerint veteres ſimulacra ſuorum numinum veſtibus induere, ne tirones quidem neſciunt.

ib. *Hic priuatus ex tribunis in Africa poſitus, in agris ſuis viuebat.*] *priuatus ex tribunis*, id eſt, iam priuatus, qui fuerat antè tribunus. ſic, *ex ducibus* & ſimilia. de quibus ſupra.

23. *Et nouo iniuriæ genere imago in crucem ſublata.*] id verò non nouum, vt concepta contra aliquem ira à populo effundatur in eius imagines. In Philopoemene Plutarchi exemplum eſt iudicij habiti de imaginibus & ſtatuis defuncti, ceu de viuo ipſo: & ſunt aliæ apud eundem ſimiles hiſtoriæ. Solitos autem Græcos Latinoſque damnatorum imagines deiicere, lutare, frangere, ſcalis Gemoniis inferre, omni denique contumeliæ genere afficere, notiſſimum. quid igitur appellet Pollio nouum iniuriæ genus, non video.

32. *Quæ ſe de Cleopatrarum Ptolemæorumque gente iactaret.*] in Herenniano: *Cleopatram ſui generis principem inter cætera prædicans. Cleopatras* autem dicit, quia in proſapia Ptolemæorū plures fuerunt Cleopatræ.

34. *Imperiali ſagulo perfuſo per humeros habitu.*] Scribo, *imperialis ſaguli perfuſo per humeros habitu.*

35. *Nomine filiorum Herenniani & Timolai.*] vel vt alij ſcripſerunt Balati. Vopiſcus in Aureliano.

Pag.293.verſ.25. *Vt ne virum quidem ſuum ſciret, niſi tentatis conceptionibus.*] Simile Peſcennij elogium, vel dicam encomium apud Spartianum: *rei Venereæ*, inquit, *niſi ad procreandos liberos prorſus ignarus.*

34. *Cyclade veluti fibula muliebri aſtricta.*] Pro *cyclade* inueni in regio *coclide*: quæ vetuſtarum editionum eſt lectio. præterea idem liber illa duo non agnoſcit verba, *muliebri aſtricta.* Puteani libri vt eſt editum. Cogitandum de hoc loco amplius: nam neque de vera lectione neque de ſententia adhuc mihi liquet.

Pag.294.verſ.1. *Vt margaritas eam plerique putarent habere non dentes.*] Breuius membranæ: *vt margaritas eos plerique putarent.*

7. *Nata eſt Hiſpanorum cupiditate.*] Hoc quidem ridiculum nimis: nam quid Hiſpanis cum Cleopatra? deinde quæ iſta eſt locutio? Regius liber, *Enata eſt*, ne dubita ſcripſiſſe Pollionem, *Cœnata eſt H.c.* vel vt ſcribi obtinuit, *Cenata.* quia deſinit præcedens dictio in ſyllabam eiuſdem ſoni, librarius more ſolito, de quo toties diximus, geminare ſyllabam ſuperuacuum duxit. hoc igitur ait Pollio: Cleopatram cibo vſam liberalius, more Hiſpanorum: qui etſi domi frugaliſſimi, apud hoſpites tamen & multi & lauti cibi ſunt conuiuæ. Coniungi autem hæc debent cum iſtis quæ paullo antè dicebat auctor: *Adorata eſt more regum Perſarum: Conuiuata eſt imperatorum more Rom.*

19. *Quibus & Cleopatra vſa eſt.*] nam Cleopatræ vaſa triclinaria πάντα χρύσεα καὶ λιθοκόλλητα περιττῶς ἐξειργασμένα ταῖς τέχναις veteres commemorant, vt Athenæus libro quarto. quem & libro ſexto lege ſuper eadem re. huc refer vniones Cleopatranas, infra in Tito.

Pag.295.verſ.1. *Victorina ſiue Victoria.*] ita ſæpiſſimè Pollio fœminæ huius nomen bifariã ſcribit. at in veteribus fere *Victruuia* ſcriptum offendimus. in nummis, VICTORIA. *Victoria* eſt Νικὼ, *Victorina* Νικασώ· quæ nomina in Græcorum hiſtoriis inuenies.

5. *Vbi filium ac nepotem.*] Victorinos duos, de quibus antè eſt dictum.

9. *Vt CASTRORVM ſe diceret MATREM.*] Veteres nummi: VICTORIA. MATER. CASTRORVM. F. M. P. A.

10. *Quorum hodieque forma extat.*] vel potius *formæ extant.* ſic accipe vocem *forma*, vt in Alexandri Seueri vita.

13. *Hæc ſunt quæ de triginta tyrannis dicenda videbantur.*] Quæ deinceps ad libri finem vſque habentur, adiecta ſunt ab auctore poſt editionem primam. Quid illum mouerit cur appendicem hanc libro ſuo adtexeret ipſe oſtendit clare, & nos libri initio diximus. Cum igitur obtrectatorum alij dicerent, Trebellium tyrannos pollicitum tyrannas ſiue tyrannidas exhibuiſſe: alij negarent titulo promiſſum numerum implere eum potuiſſe, omnibus per hanc appendicem iuit auctor ſatisfactum.

8. ſtu-

8. *Studiose in medio fœminas posui ad ludibrium Gallieni.*] Videntur in prima editione alio loco recensitæ ab auctore fuisse Zenobia & Victoria, quæ hodie in omnibus libris agmen XXX. tyrannorum claudunt. retractæ autem sunt, nisi fallor, in vltimum hunc locum, posteaquam inuenit Trebellius vnde etiam sine illis XXX. tyrannorum numerum expleret. etsi possunt hæc & aliter accipi. Porro in vulgatis editionibus quædã leguntur ante hæc verba, quæ cum inepte heic essent posita, in suum locum, hoc est finem libri, auctore regio codice à nobis sunt reiecta.

28. *His qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt addere destinaueram.*] Apparet ex istis, habuisse in animo Trebellium Pollionem alium librum de tyrannis edere: quem tamen non fuisse ab eo editum Vopiscus ostendit, qui huius historiam vltra Quintillum Claudij fratrem non producit. Inter Tacitum autem & Diocletianum fuerunt non tyranni tantum, sed etiam imperatores quatuor, Probus & Carus, cum filiis Numeriano ac Carino.

29. *Sed errorem meum maior historiæ diligentia tuæ eruditionis auertit.*] An *aduertit*? aut erit positum auertit, pro correxit, emendauit. locutio digna quæ lectoris animum aduertat: *maior historiæ diligentia tuæ eruditionis*, id est, maior in cognoscenda historia diligentia tua qui es vir eruditissimus.

30. *Habeo igitur gratiam, quod titulum meum prudentiæ tuæ benignitas impleuit.*] atqui erat propositum de iis agere qui principibus Valeriano & Gallieno tyrannidem occuparunt: quare isti duo nihil ad propositum. nam si præfinitum tempus erat excedendum, non XXX. neque XL. sed plures etiam, in paucorum annorum spatio, vt fuêre tum tẽpora, poterãt inueniri. quò igitur in huius libri titulo ille numerus?

31. *Nemo in templo Pacis d.*] erat in templo Pacis bibliotheca, cuius meminit A. Gellius: apparetque etiam ex Galeno ventitasse illuc viros doctos, vt fabulas literatas haberent.

32. *Me fœminas inter tyrannos cum risu & ioco tyr.*] Traiectio heic cõmissa ab ipso vt videtur auctore. nam erat sic dicendum. *Nemo in t. P. dicturus est cum ioco, me fœminas inter tyrannos, tyrannas videlicet, & tyrannides, vt ipsi de me solent iactare, posuisse.* Sine caussa verò vlla isti Trebellium reprehenderunt, riseruntque, quod tyrannos pollicitus, fœminas recensuisset, quæ tyrannidis erant potitæ. in quo non magis ab illo fuerat peccatũ, quàm ab eo peccaretur, qui decem liberorũ patrẽ se diceret, cum quinq. filios filiasq; totidẽ haberet. Sed & fugit eos ratio cum postularunt vt Zenobia & Victoria non tyranni dicerentur, verùm tyrannæ aut tyrannides. melius Ouidij antiquus interpres in Ibin: *Tyrannus*, ait, *est communis generis: nam Theodosii grammatici est regula, quod nomina profeßionem aut dignitatem significantia sunt communis generis: vt hic & hæc dux: hic & hæc philosophus.* hæc ille, & similia his alij technici,

vt Seruius libro ſeptimo de voce tyrannus nominatim. idem alibi docet voces *auctor,ſenator,balneator,fullo* & ſimiles,generis vtriuſque eſſe. *fœmina dux* leges in Taciti Agricola:*fœmina iudex* apud Ambroſium libro De viduis. *mulier defenſor* apud Vlpianum lege ſecunda Dig. De ſenatuſconſulto Velleiano.*mulier perſuaſor* apud elegantiſſimum ſcriptorem Caſſianum libro VIII. γυνὴ συκοφάντης legi apud Athanaſium, vt apud Aeſchylum τὰς προφήτας. γυνὴ διδάσκαλος apud Chryſoſtomum.virgo autem & παρθένος vtroque genere vſurpant diſertiſſimi ſcriptores Græci & Latini. *Erena imperator*,dixit incertus auctor perantiquus Annalium Francicorum, à Petro Pithœo editus. Sed fuere multi ex veteribus, qui hanc generis communionem non probarent: quo ex fonte multa noua nomina in vtraque lingua manarunt.nam *auctrix* maluit Tertullianus dicere,quàm ſummum ſequi poetam,apud quem ait Iuno *auctor ego audendi.clienta* dixit Sidonius Apollinaris. Eadem ratio eſt illorum, διακόνισσα, φυλάκισσα, & id genus apud LXX.interpretes, alioſque ſcriptores Chriſtianos.γεώργισσα extat etiam apud Iuſtinianum in Nouella CLVI. quæ omnia vocabula contra artis præcepta ſunt nouata.Quamobrem, vt antè diximus,ſine cauſſa arguti homines Trebellium Pollionem hoc nomine reprehenderunt. Similis eſt acutiſſimi Afri cauillatio: cum aduerſus improbiſſimos hæreticos Valentinianos ſcribens, ait capite XXXIV. dicendum ipſis eſſe, *Hoc deum.* nam nomen *Deus* omni genere vſurpari docent veteres.

Pag.296.verſ.2. *Docet Dexippus,nec Herodianus tacet,&c.*] Iam diximus ad Capitolini Maximinos,hodie legi aliter apud Herodianum.Lector, ſi volet,ad eum locum adeat. non enim repetemus, quæ ſunt ibi dicta.

16. *De genere Cenſorinorum, hoc eſt Piſonum.*] Piſones qui de Calpurnia gente erant, non Cenſorini apud antiquos ſcriptores,quod ſciam, ſed Cœſoniani nominantur.

18. *Vniuiriam ſacerdotem.*] Tertullianus Exhortatione ad caſtitatem:*Monogamia apud ethnicos in ſummo honore eſt,vt & virginibus legitime nubentibus vniuira pronuba adhibeatur, & ſi auſpici initium eſt. item in quibuſdam ſolennibus & auſpiciis, vt prior ſit vniuiræ locus. certe & flaminica non niſi vniuira eſt,quæ & flaminis lex eſt.*Vetus lapis,RENATVS. VOLVSIAE. IVSTAE. MATRI. CARISSIMAE. OMNIVM. FEMINARVM. SANCTIORI. VNIVIRAE. in alia inſcriptione eſt ſcriptum,VNIVIRIA.Dicuntur & vnicubæ. Gloſſæ Iſidori: *Vnicuba,vnius viri vxor.*In Cod.Theodoſ.De reuocandis donationibus extat priuilegium quoddam ſolis conceſſum *vnius tantum matrimonij mulieribus*.id eſt, ταῖς μονογάμοις & vniuiris.

20. *Statuam Argolicam,ſed auratam.*] Scripti quidam,*acrolicam*.quod neſcio quid ſit. *Argolicam* verò accipio, Argiuarum matronarum ſiue heroinarum habitu: vel figura ſtatuariis Argiuis frequentata. hoc ſolum interfuit,quod hæc aurata erat.

33. *Quarto proconsul, tertio consularis l.*] præcessit *bis consul.* In antiquis populi Ro. historiis simile nihil leges: vt bis consul tertiò fuisse consularis dicatur. sed vt qui proconsulares prouincias administrabant dicebantur proconsules: sic erant aliæ prouinciæ, quas qui regebant, consulares audiebant. Sic Italiam quatuor consularibus commissam narrat Spartianus. apud Ammianũ verò consularium Bæticæ & Pannoniæ, fit mentio. aliorũ alibi præsertim in antiquis lapidibus. Ita est interpretari hanc lectionem: sed præstat distinctionem sequi, quam ex suis libris Puteanus adnotauerat: *tertiò consularis legatus, prætorius secundò, ædilitius quartò, quæstorius tertiò.*

Pag. 297. vers. 12. *Extat etiam domus pulcherrima adiuncta gentibus Flauiis.*] quomodo gentibus adiuncta domus? Lego, *adiuncta ædibus Flauiis.* corruperunt, qui meminerant initio sequentis vitæ gentium Flauiarum haberi mentionem.

14. *Qui cum maleuolis quidem, sed bono animo caussabaris.*] insignis emendatio est, quam imputat nobis hoc loco vnicus regiæ bibliothecæ codex: nam omnes alij nullo plane sensu, *qui cum male nobis quidem.* Cæteri, inquit, malo animo & obtrectandi studio me reprehendebant, ob promissum in libri titulo maiorem tyrannorum numerum, quam potuissem inuenire. tu reprehendisti quidem, sed animo nõ malo: quin imò iuuisti etiam, & vnde supplerem quod deerat suggessisti. *Caussari* est αἰτιᾶσθαι & cum aliquo expostulare. hinc nostrum *gauser.* neque aliter hoc loco interpretandum. hinc apud B. Ambrosium *caussas præstare* pro aliquid committere, vnde caussandi occasio detur maleuolis.

ISAACI CASAVBONI
IN TREBELLII POLLIONIS DIVVM CLAVDIVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

TREBELLII POLLIONIS.] Hunc verum auctorem esse, initio libri præcedentis probauimus. inferius autem dicturi sumus, videri hunc librum διασκευὴν esse prioris editionis: cum initio aliter hác vitam auctor edidisset.

32. *Ventũ est ad principem Claudium, q.*] Ita scripti. Erat editum, *Feliciter ventũ est ad pr. Cl.* qui ridiculus error ab antiquorum consuetudine profectus est, qui completo libro vocem FELICITER subiicere soliti, ac statim scriptioné continuare. Hieronymus ad Marcellam, *Scire debemus apud Hebræos in fine librorum vnum è tribus solere subnecti: vt aut Amen* אָמֵן *scribant, aut Sela* סֶלָה *aut Salom,* שָׁלוֹם *quod exprimit pacem, vnde & Salomon pacificus dicitur: vt solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere Explicit, aut Feliciter, aut aliquid istiusmodi.* Qui antiquas membranas aliquando tractarunt, verissimũ esse norunt quod ait Hieronymus. sæpe enim inuenias diuersos libros, interdũ etiam auctorũ diuersorum opera, sine vllo spatio continuata, altera tamen harum dictionũ interposita. Librarij verò vocem illam modò appingunt fini prioris libri, modò sequentis initio. Scripserat heic igitur librarius, *Diuus Claudius. Feliciter.* sic supra inuenimus in regio, *Antoninus Pius. Feliciter.*

Feliciter / in fine librorũ

ib. *Qui nobis intuitu Constantij Cæsaris cum cura in literis digerendus est.*] Iam antè monuimus perperam isto & similibus aliquot locis librorum superiorum, scribi in nonnullis libris *Constantini.* nam Pollio imperãte Diocletiano hæc cõmentabatur, vt hoc ipso libro ipse testatur. Cæsar autem Diocletiani Constantius, non autem Constantinus. quod autem Constantius & Constantinus generis auctorem habuerint Claudium, docet Eumenius in panegyrico ad Constantinum. sed vberius hic scriptor, sub libri huius finem.

37. *Cleopatranam etiam stirpem & Victorianam & quæ nunc est.*] Zenobia

bia Cleopatrana ſtirps fuit,vt antè dictum. Legebam, *quæ & nunc eſt* ac de Victoriana ſtirpe intelligebam : ſed hoc non dixit Trebellius libro ſuperiore, cum de Victoria tot locis ageret. nihil muto igitur, & *ſtirps quæ nunc eſt*, interpretor de ſobole Cenſorini: quam Pollionis ætate adhuc extitiſſe ex priore libro didicimus.

Pag.298.verſ.3. *Qui tantam generis prolem,q.*] deeſt *edidit*. vel ſcribendum, *cui tanta generis proles.*

19. *Doctiſſimi mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos indicant.*] Seruius: *Tribus humana vita continetur: natura, cui vltra centum & viginti ſolſtitiales annos conceſſum non eſt: fato, cui nonaginta anni, hoc eſt, tres Saturni curſus exitium creant: niſi forte aliarum ſtellarum benignitas etiam tertium eius ſuperet curſum: fortuna, id eſt, caſu, qui ad omnia pertinet qui extinſecus ſunt, vt ad ruinam, incendia, naufragia, venena.* Auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, centum viginti annos vnius hominis ætatem vocat. At iuris ciuilis Rom. auctores quibus aſſentiuntur Græci Latinique ſcriptores omnis generis, centum annis longiſſimum vitæ hominũ tempus definiunt: etſi ne in hac quidem mundi ſenecta exempla deſunt eorum qui longe vlterius vitam produxerunt. Apud Vopiſcum in Tacito facetum quoddam extat aruſpicum reſponſum, vbi ſpatium idem cxx. annorum longiſſimam hominis vitam terminat.

20. *Neque amplius cuiquam iactitant eſſe conceſſum.*] Ex Plinij libro ſeptimo, Luciani Longæuis, & Phlegonte Tralliano, vt alias taceam hiſtorias, & hodierna exempla, conſtat hoc eſſe falſiſſimum.

22. *Moſem ſolum Dei, vt Iudæorum libri loquuntur, familiarem* cxxv. *annos vixiſſe.*] Errat bifariam Trebellius in hac hiſtoria, ceu peregrinus in alieno ſolo: nam Moſes non cxxv. ſed centum & viginti tantum impleuit: & quod ait excepto Moſe neminem centum & xxv. annos tranſcendiſſe, ex libris ſacris ſcimus eſſe falſiſſimum.

23. *Qui cum queretur quod iuuenis interiret.*] *iuuenis*, hoc eſt integris & vegetis omnibus ſenſibus, quod diſerte in extremo vltimi libri Moſaici ſcriptum eſt.

24. *Reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum.*] Fabula eſt : cui originem præbuerunt male intellecta iſta verba ex capite ſexto Geneſeos : ἔσονται αἱ ἡμέραι αὐτῶν ἑκατὸν εἴκοσιν ἔτη. Eſt autem vetuſtiſſimus error: nam & Ioſephus cxx. annos quorũ ſpatium indulget Deus humano generi ad pœnitẽtiam, prius quàm diluuio pereãt omnia, putat eſſe tempus longiſſimũ, quo homines poſthac ſint victuri. πᾶν ὅσον ζῶν, ait, ἀνθρώπινον τότε ἔδοξεν αὐτῷ διαφθεῖραι καὶ ποιῆσαι γένος ἕτερον πονηρίας καθαρὸν ἐπιτεμόμενος αὐτῶν τὸν βίον, καὶ ποιήσας ἐτῶν οὐκ ὅσα πρότερον ἔζων, ἀλλ᾽ ἑκατὸν εἴκοσι. ſed fallitur Ioſephus cum aliis & Græcis & Latinis: & præterea non conſtat ſibi Ioſephus, qui eodem libro Ἀρχαιολογίας primo, cap. VII. non poſt cataclyſmum, ſed poſt Moſis obitum deſiiſſe ſcribit

annos cxx. excedere. atqui tempus medium est à diluuio ad mortem Mosis amplius quàm IↃCCCL.

26. *Necessariam quidem mortem eius expectandam fuisse, vt Tullius de Scipione loquitur pro Milone, &c.*] Puto illa delenda, *pro Milone*. Locus Ciceronis ita habet: *cum P. Africano domi suæ quiescenti illa nocturna vis esset illata, quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem si fieri posset omnes esse cuperent, eius ne necessarium quidem exspectatam esse mortem.* ex huius loci cum verbis Pollionis comparatione palam est, non esse integram sententiam auctoris, sed omnino alterum membrum deesse. id etiam ex eo constat certò, quod vulgatæ lectionis huius loci sensus potest esse omnino nullus. Fuit autem integri loci sententia sine dubio huiusmodi, etsi verba fortasse non penitus ista. *Quare etiam si C. & XXV. annos Claudius vixisset, necessariam quidem eius mortem expectandam fuisse, sed immortalitatem tamen ei optandam fuisse, (vt Tullius de Scipione loquitur) stupenda & mirabilis docet vita.* Velim comparent studiosi verba Ciceronis cum hac nostra emendatione: ita enim futuros illi æquiores confidimus: etsi, vt iam dixi, præstare verba nolim.

36. *In gratiam me quisquam putet Constantij Cæsaris loqui.*] ex variis locis huius libri apparet, habuisse Pollionem inimicos, qui eius scripta tanquam adulationis plena vituperarēt. Ac videtur aliter habuisse vita hæc cum primum est edita: nam hæc, quam nunc legimus, nisi fallor, altera editio est: cū auctor vt maleuolis obtrectatoribus responderet, totum librū retexuit. Declarat hoc ista adeo seria & accurata adulationis deprecatio: qua nihil opus fuit, nisi iam expertus fuisset hic liber maledicorum dentes: illius imprimis, quem intelligebat Pollio, cum hæc scriberet: *Dicat nunc qui nos adulationis accusat, Claudium minus esse amabilem* & postea: *Vera dici fides cogit: simul vt sciant hi qui adulatores nos existimari cupiunt, id quod historia dici postulat nos non tacere.*

Pag. 299. vers. 5. *Illi clypeus aures, vel vt grammatici loquutur clypeum aureum &c.*] Duo significat vox *clypeus* scutum, siue ἀσπίδα, & imaginem. prima inuentio fuit ad necessitatem, vt corpus defenderet: deinde accessit decoris & elegantiæ studium, ceperuntque pingi scuta. inde nominis huius diuersa notio, vt rectè censet Plinius libro XXXV. cap. III. at grammaticis heic libuit esse subtilibus. nam quia *clipeus* & *clypeus* siue *clupeus* scribitur hoc nomen apud antiquos, sic visum illis distinguere, vt clipeus sit ἀσπὶς, *clupeus* imago. Caper, *Clupeum, imago, clipeus,* ἀσπίς. sed iure Plinius eo loco ridet hanc, vt ipse appellat, *peruersam grāmaticorum subtilitatē*. Atqui olim aliter senserat idem Plinius: nam scribit Sosipater Charisius libro primo: *Plinius Dubij sermonis secundo, indistincto genere dici ait, sed litera deferre: vt pugnatorium per i clipeum dicamus, quod est à clepere, id est celare dictum: imaginem verò per u à cluendo. Sed hæc differentia mihi displicet, propter communionem i & u literarum.* nihilo istis subtiliores alij grammatici, qui distinctionem eandem in diuersitate ge-

generis ponebant, vt ibidem ex Labieno obſeruat Soſipater, & eò nunc reſpicit Trebellius. ſed refellit eoſdem veterum auctorum vſus: qui nullo diſcrimine pugnatorium clypeum extulerunt. Lege Nonium & Soſipatrum ipſum.

8. *Vt etiā nunc videtur.*] nō diſpliceat, *vbi etiam n. v.* & fortaſſe mutata diſtinctione ſic melius: *vbi etiā nunc vid. expreſſa thorace vultus eius imago.*

10. *In Capitolio ante Iouis* OPT. MAX. *templum.*] Plinius in Panegyrico: *Tuam ſtatuam in veſtibulo Iouis* OPT. MAX. *vnam alteramue, & hanc æream cernimus: at paullo ante, aditus omnes, omnes gradus, totaque area, hinc auro, hinc argento relucebat.* Suetonius in Domitiano cap. XIII. *Statuas ſibi in Capitolio nonniſi aureas & argenteas poni permiſit ac ponderis certi.* præcedentia igitur verba Pollionis, *quod nulli antea,* non ſunt referenda ad locum vbi poſita hæc Claudij ſtatua.

11. *Statuam auream decem pedum collocauit.*] Ita omnes libri ſcripti editique. Et ſatis compertum eſt vel ex Plinij libro XXXIV. quò plurium eſſent pedum ſtatuæ, eo fuiſſe magis honorificas. omnium honoratiſſimas, coloſſeas: quæ quidem in vſu fuerunt rariſſime. nam deorum ſtatuæ legitimam ſtaturam hominis ter fere continebant, heroum bis: regum & imperatorum iſtis erant breuiores: cuiuſmodi hæc Claudio à ſenatu collocata pedum decem, ſeſquialteram proportionis rationem non multum, vt videtur, excedens: cum eſſet Claudius digitos aliquot, vltra ſex pedes longus. fuiſſe enim ſtaturæ procerum infra teſtatur Pollio. Sed afferunt viri docti aliam huius loci lectionem. *decem pondo col.* quam ſcripturā ſi reperiſſemus vllo in libro, placeret omnino ipſorum emēdatio, CIↃ. *pondo.* verùm, vt dixi aliter omnia exēplaria.

13. *Ille velut futurorum memor.*] atqui memoria præteritorum eſt non futurorū, quæ non poſſumus niſi coniectura, & prævidentia quadam complecti animo. Mire igitur hac voce abuſus, *memor* dixit, cum debuiſſet *prouidus.* & hic autē blāditur Cōſtantio, vt ſtatim aperiemus.

14. *Gentes Flauias quæ Veſpaſiani & Titi, nolo autē dicere Domitiani fuerāt, propagauit.*] Veſpaſianum & Titū cum cenſores eſſent, patritiarū gentium numerū auxiſſe ſcribunt veteres. videntur autē qui in patritios tū adſciti fuêre, cōmuni Flauiarū gentiū nomine appellati. nam interpretari aliter hunc locū non poſſumus. has igitur gētes Flauias propagauit Claudius, in q. earū numerū nouos patricios adſciuit: quaſi iam tum, ait Pollio, velut è ſpecula præuidiſſet deferendū imperiū vni ex illis gentibus orto: Cōſtātio nēpe Cæſari cuius laudi fauet vbiq; Trebell. Et Cōſtātiū autē & omnē eius ſtirpē Flauiorū nomen geſtaſſe notū eſt omnibꝰ.

23. *Nono Cal. Aprilis ipſo in ſacrario Matris ſāguinis die Cl.*] de hoc ſupra ad Lampridij Commodum. ad ſanguinis diem alludit Tertullianus in carmine ad ſenatorem. *Sed quia coguntur ſaltem ſeu el eſſe pudici,*
Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorē.
Quale ſacrū eſt verò, quod fertur nomine SANGVIS?

35. *Claudi Auguste, Tetricus nihil fuit.*] Scripta lectio, *fecit.* locus est subobscurus, vt alia in his adclamationibus non raro.

Pag. 300. vers. 10. *Nam Gallus Antipater ancillariorum & historicorum dehonestamentum, p.*] Scripti. *ancilla honorum, & h.* Ac potest exponi *ancilla honorum*, is qui ancillari adulatione honore præditos prosequitur. Glossæ: *ancillor*, κολακεύω. Ammianus libro XXVI. de Procopio tyranno: *Ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriose sublatus, ancillari adulatione beneficij allocutus est auctores.* sic & libro XVI. ex quibus locis suspicabar aliquando heic scribendum, *ancillaris adulator.* Elegantissima est viri docti coniectura qui emendat, *Gallus Annius pater ancillariorum.* sed quæ recedit longius à vestigiis & editæ & scriptæ lectionis.

11. *Venimus ad imperatorem nominis sui.*] aureum & præstantem. Spartianus in Seuero: *erat imperator vere nominis sui.* Valerianus in epistola ad filium, *omnes boni Probum sui nominis virum dicunt.* Similis venustatis est illud Dionysij in epistola ad Hermammonem de Macrino: ὡς πορρωτάτω ἑαυτὸν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἐφυγάδευσεν, ἐν τούτῳ τὸ ἴδιον ἐπαληθεύων ὄνομα.

12. *Magna eius videlicet virtus, ab auro nomen accipere.*] Cauillatur Pollio: neque enim ea mens fuit Antipatri.

16. *Nam vt superius diximus, illi Gotthi q.*] Conferendus hic locus est cum illo ad quem reiicimur. Sic autem in libro de Gallieno: *Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gotthis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuito plurimos interemit: quo comperto Scythæ facta carragine, per montem Gessacem fugere sunt conati. Omnes inde Scythas Martianus varia bellorum fortuna agitauit: quæ omnes Scythas ad rebellionem excitarunt.* confer & cum Zosimo.

17. *Illo tempore quo eos Macrianus est persecutus.*] Legendum, *Martianus*, vt ad superiorem locum demonstrauimus.

21. *Peucini.*] Male apud Zosimum Πεῦκαι. nam Πευκῖνοι Ptolemæo nominantur atque aliis. incolæ sunt Peucæ insulæ, quam Danubij ostia efficiunt.

21. *Trutungi.*] in Zosimi codicibus Πρόθιγγοι libro quarto. quidam *Gruntungi*, sine certo auctore.

ib. *Austrogothi*] qui aliis *Ostrogothi. au* & *o* passim confunduntur.

22. *Virtingui.*] aliis, *Vitingui.* nescio an sin Iuthungi, de quibus meminerunt multi historici & Ambrosius epistola XXVII.

ib. *Sigipedes.*] Lego, *Gipedes.* Gepidæ Iornandi & aliis. sed Græcis scriptoribus sæpe Γήπεδες, vel Γήπαιδες. & offendi in antiquis scidis hæc verba, οἱ Οὖγγροι τὸ παλαιὸν λέγονται Γήπαιδες.

ib. *Celtæ etiam & Heruli.*] celtæ sunt mihi incogniti. nam Celtoscytharum appellatio apud antiquos geographos aliam rationem habet. Heruli, Iornandi & aliis Eruli dicuntur. & Zosimo Ἔρουλοι. auctor Etymologici Ἔλουροι. vsus nempe corrupto exemplari Dexippi.

28. *Armatarum denique gentium trecenta viginti millia fuere.*] Mox addit

dit habuiſſe duo millia nauium. de numero armatorum plane conſentit Zoſimus: de nauibus longe excedit. ναυπηγησάμενοι, ait, πλοῖα ἑξακισχίλια, καὶ τούτοις ἐμβιβάσαντες δύο καὶ τριάκοντα μυριάδας. ſed puto ſcripſiſſe Zoſimum ἐς δισχίλια vel ὡς δισχίλια. nam de lectione noſtri auctoris liquido conſtat. Accedit & Marcellini teſtimonium, qui libro XXXI. in eodem numero conſentit. referendus enim ad Claudij tempora is Ammiani locus: & quod de obitu Deciorum ibidem ſubiungitur, caute accipiendum.

31. *Quis tandem Xerxes hoc habuit?*] oratoriè dictum: nam exercitus Xerxis non duplo, ſed fortaſſe etiam triplò maior.

35. *Laboraſſe denique terram ipſam.*] dele vocem *terram*. ſequitur enim commodiore loco.

Pag. 301. verſ. 3. *Ego verba magiſtri memoriæ non requiro.*] Ipſa ſententia videtur poſtulare vt ſcribamus, *ego verba ſint ipſius an magiſtri memoriæ non requiro.* cum epiſtolas & orationes ſuas ad ſenatum imperatores per ſe non formabant, ingenio vtebantur magiſtri memoriæ vel ſcriniorum.

4. *P. C. militantes audite quod verum eſt.*] Legendum, *latantes.*

19. *Flauium Claudium, V.*] quare appellet hunc principem *Fabium*, relinquimus aliis inueſtigandum. nam verum quidem eſt imperatores multos id nomen aſſumſiſſe: verum poſt Cōſtantinum non antè. Claudium verò in nullo vetuſtatis monumento Fabium inuenimus appellatum.

21. *Duplicem ſcilicet numerum, quàm illum quo tota pariter Græcia, omniſque Theſſ.*] Græcis χιλιόναυς στόλος, Latinis *mille naues* dicuntur fuiſſe in exercitu quo obſeſſa eſt Troia. ſed fuiſſe multo plures, & Varro auctor eſt & Græci docent. in catalogo Homeri naues ſunt CIↃCLXXXVI. vel vt alij numerarunt CIↃCLXVI. Thucydides CC. ait ſupra CIↃ.

29. *Nunc incendia fecit.*] Malim, *nunc incendio affecit.*

31. *Ad Iunium Brocchum.*] brocchos vel broccos Latini vocant quibus ſuperius labrum tumet. Varro Rei ruſticæ libro ſecundo, cap. IX. Plinius libro XI. cap. XXXVII. & Gloſſæ, *Brocchus.* ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ᾠδηκώς.

34. *Nullum iter purum eſt.*] Vt apud Homerum: ἐν καθαρῷ ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος.

Pag. 302. verſ. 7. *Apud Martianopolin.*] Melius per *c* *Marcianopolin.* Zoſimus quem hic lege ſemper Μαρκιανοῦ πόλιν. cum debuiſſet Μαρκιανῆς, ſi fides Ammiano. *Mœſii* pro Mœſi ſupra, & alibi ſæpius.

15. *Ipſis qui ſuperfuerant Byzantiis fortiter facientibus.*] vide librum de Gallienis.

21. *Et bene venit in mentem expr.*] Sic ſupra in tyranno XIX. *Fuit & Valens ſuperior, & bene venit in mentem.*

26. *Tu qui nunc patrias gubernas oras.*] de licentia quæ vſurpatur heic in vltima vocis *gubernas*, ante monuimus.

28. *In veteres tuis nouellis.*] non à fine ſed à principio eſt labes. quare

ita erat ſcribendum: * * *in veteres tuis nouellis*. ſed fortaſſe fecerat auctor, *O longum inueteres tuis nouellis*.

31. *Idem cum in Apennino de ſe conſuleret.*] Lego, *Aponino*. vel, *in Aponi fonte*. vide Suetonium in Tiberio, capite XIV. de hoc fonte notum eſt Claudiani carmen, & Theoderici regis epiſtola apud Caſſiodorum libro ſecundo, XXXIX.

Pag. 303. verſ. 1. *Palmyreni ducibus Saba & Timogene contra Aegyptios bellum ſumunt.*] Sabas eſt quem Zoſimus Zabdam nominat. Vopiſcus *Zabam*, in Aureliano: vbi inſignis eſt eius error. Timogenes, eidem Timagenes: vtroque modo hoc nomen efferunt Græci. Sed hiſtoriam aliter paullo narrat Græcus ille: ἐφιεμένη ἡ Ζηνοβία πραγμάτων, Ζάβδαν ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον ἐκπέμπει Τιμαγένους ἀνδρὸς Αἰγυπτίου τὴν ἀρχὴν τῆς Αἰγύπτου Παλμυρηνοῖς καταπραττομένου.

9. *Dux tamen Aegyptiorum Probatus.*] Zoſimus & Zonaras Probum nominant.

13. *Nam cum ſe in Hæmimontum multitudo Barbararum gentium quæ ſuperfuerant, contuliſſet.*] prouinciam Thraciæ in qua Hæmus mons Hæmimontũ nominarunt, vt auctor eſt Ammianus in deſcriptione Thraciarum libro XXVII. & ita heic vetera exemplaria. ſic in notitia imperij & aliquot legibus, vt obſeruat Iacobus Cuiacius. Zoſimus ita narrat: περιάγουσιν αὐτοῖς ἡ Ῥωμαίων ἵππος ἀντιάσασα, πολλούς τε ἀναιροῦσα, τοὺς λοιποὺς ἐπὶ τὸν Αἷμον ἀπέστρεψε· κυκλωθέντες δὲ τοῖς Ῥωμαίων στρατοπέδοις οὐκ ὀλίγους ἀπέβαλον.

15. *Ita fame & peſtilentia laborarunt.*] non fame ſed peſtilentia tantum abſumptos ſcribit Zoſimus. λοιμοῦ δὲ καταλαβόντος ἅπαντας αὐτούς. ſi Pollionem ſequimur, ſcribendum, λιμοῦ δὲ καὶ λοιμοῦ.

19. *Id quod dici hiſtoria poſtulat, non tacere.*] Melius, *nos non tacere.* Huius cladis à Claudij exercitu acceptæ, meminit & Zoſimus, quem lege.

21. *Secundis rebus elati, quæ ſapientium quoque animos fatigant.*] Ad verbum ex Saluſtio in Catilinæ coniuratione: *Igitur hi milites, poſtquam victoriam adepti ſunt, nihil reliqui victis fecere. quippe ſecundæ res ſapientium animos fatigant: nedum illi corruptis moribus, victoriæ temperarent.*

24. *Auertendis prædis inſeruiunt.*] Non *prædis* ſed *præſidiis* ſcriptum in primis editionibus & regio quoque. placeat tum ſcribi cum Ioſepho Scaligero: *auert. præſidiis parum inſeruiunt.* ſed non dubito melius ſcribi, *prædis* quod libri Puteani ſeruant. *auertere prædam*, familiaris hiſtoricis dictio.

32. *Equitum Dalmatarum ingens extitit virtus.*] de his accipio quæ ſcribit Zoſimus iſto bello patrata ab equitatu facinora præclara. etſi Dalmatas fuiſſe non dicit. In militia Romana Dalmatas equites per multa ſecula fuiſſe, ex hiſtoria ſciri poteſt, & Notitia imperij.

Dalmatae equites in militia Romana

33. Quod

33. *Quod originem ex ea prouincia Claudius videbatur oſtendere.*] tanti principis origo,vt aliorum ſummorumvirorum,in obſcuro latet.Traditum olim à nonnullis ſatum Claudium à Gordiano, cum ille adoleſcens ante legitimas nuptias, velut experiendarum virium gratia, cum quadam muliercula caput limaſſet.Sic accipiendum,quod Victor ſcribit:*Claudium plerique putant Gordiano ſatum,dum adoleſcens à muliere matura inſtitueretur ad vxorem.* nam *inſtitui ad vxorem*, nihil eſt aliud niſi πεῖραν δεδώκαι ἢ λαβεῖν τῶν τῆς Ἀφροδίτης ἔργων. ſed locum Victoris menda carere non puto.neque enim à muliere inſtituebatur,verum in mulieres aliqua ſuas,vt diximus,vires periclitabatur. Suſpicor ſcribendum, *in muliere Dalmatica*:atq; hãc cauſſam eſſe exiſtimo, cur ex ea prouincia originem eum habuiſſe ſcribat Pollio,neque tamen rem explicet. nec mouet me Paulus Diaconus, qui vulgatam lectionem agnoſcit. ſæpe enim diximus ante multa ſecula turpiſſimas mendas bonis auctoribus inoleuiſſe: quod in noſtro de Critica commentario luce claro reddemus certius cum numine propitio.

35. *Fuerunt per ea tempora & apud Cretam Scythæ, & Cyprum vaſtare tentarunt.*] Zoſimus, qui eoſdem auctores ſequitur, Cretæ non Cyprum,ſed Rhodum adiicit.

Pag.304.verſ.2.*Tunc cum etiã Claudius affectus morbo mortales reliquit.*] Peſtilentia igitur extinctus Claudius. pæne eadem verba Zoſimus. ἀψαμένου δὲ τοῦ λοιμοῦ καὶ Ῥωμαίων, ἀπέθανον μὲν πολλοὶ τοῦ στρατεύματος· τελευτᾷ δὲ καὶ Κλαύδιος. Fabula igitur eſt,quod ſcribunt multi,vetus Deciorum exemplum, qui pro ſalute Reip. ſe deuouerunt, à Claudio eſſe renouatum, eumque ſic periiſſe.

4. QVINTILLVS *frater eiuſdem.*] De hoc varia eſt hiſtoria. vide Vopiſcum in Aureliano,& Zonaram.

6. *Non hæreditarium,ſed merito virtutum.*] purgat Quintillum ab obiecto illi crimine:quod ſic imperio fratri voluiſſet ſuccedere,quaſi hereditatem cerneret. quod & de Floriano Taciti fratre cuius eſt hiſtoria huic ſimillima,ſcribit Vopiſcus.

9. *Anchialos vaſtata conati ſunt Nicopolin etiam obtinere.*] Ammianus libro XXXI. *Anchialos capta, & tempore eodem Nicopolis,quam indicium victoriæ contra Dacos Traianus condidit imperator.* Zoſimus Valeriano principe vaſtatam ſcribit Anchialum.

12. *Nam ſeptima decima die.*] Sic & Zonaras: ἑπτὰ καὶ δέκα μόνας ἡμέρας ἐνδρώξας ὥσπερ τὴν αὐταρχίαν. Victor, *Quintillus paucis diebus imperium tenens interemtus eſt.* at Zoſimus ait,paucos menſes. ὀλίγους βιώσαντος μῆνας: ſed ſcripſerat,vt probabile eſt, ὀλίγας βιώσαντος ἡμέρας.

14. *Eo genere quo Galba & Pertinax.*] Et hoc in Conſtantij gratiam.

24. *De auis parum cognitum.*] ita loquitur quaſi patrem Claudij nobis indicaſſet: de quo ne γρῦ quidem, in iis ſaltem quæ hodie extant Trebellij.

Pag.305.verſ.7. *Tribunum Martiæ quintæ legioni.*] Hæc legio vt & ſexta Gallicana atque aliæ quarum in ſequentibus libris mentio, poſt tempora Dionis fuerunt conſcriptæ: nam earum nomen inter antiquas non recenſentur, quas ipſe deſcripſit.

11. *Vini veteris ſextarios tria millia quingentos.*] quod per ſextarios potius quàm per congios aut culeos numerus hic indicatur, ea fortaſſe cauſſa eſt: quod dietim vinum exhiberetur non vna largitione plures congij ſimul: ſic enim plerunque ſolitæ diſtribui annonæ. in Aureliano vocatur hoc *vinum menſale.*

14. *Pellium tentoriarum decurias triginta.*] ſolent non ſingulæ pelles vendi, ſed plures ſimul in vnum faſcem colligatæ, puta denæ aut duodenæ ſimul. Videtur autem decuria vna ad tentorium vnum ſuffeciſſe: ideoque per decurias fuiſſe emi vendique ſolitas.

17. *Philippeos noſtri vultus.*] Philippei nummi Philippi primum iuſſu formati fuerant: ſed cum illa forma recepta ſemel placuiſſet, ea retenta eſt ſimul cum appellatione: hoc ſolum immutato, vt vultum & nomen nummus referret non Philippi: ſed eius principis qui cudi iuſſiſſet. Idem ſentimus de aureis Antoninianis, & Valerianeis, ſiue Valerianinis, & trientibus Saloninianis de quibus paullo poſt fit mentio.

19. *Item in caueos & ſcyphos pondo vndecim.*] Hæc ſunt inducenda. ſequuntur enim eadem verba.

ib. *Item in caueos & ſcyphos & zuma pondo vndecim.*] caueum poculi genus eſſe paret ex Peſcennij vita. Hieronymus cauum ligneum appellat libro II. aduerſus Iouinianum vas quod ad potandum habuit Diogenes Cynicus priuſquam vidiſſet puerum manu concaua bibere. ſed antiquæ Hieronymi editiones ſcribunt *caucum ligneum*, non vt hodie editur, *cauum*. quod firmat Scaligeri ſententiam *caucum* vbique legentis pro *caueum*, vt antè diximus. Pro *zuma* lego *zemas*. cacabos ita vocarunt vulgò, παρὰ τὸ ζέειν. Seruius in III. Aeneidos: LEBETAS, *ollas æreas: Græce dixit: zemas enim vulgare eſt non Latinum.*

20. *Tunicas ruſſas militares annuas.*] Numerus deeſt. Scribo, *annuas duas*. vt in ſequentibus. ruſſas tunicas appellat quas Græci φοινικίδας, vt explicat rectè doctiſſimus Turnebus. ſed de ruſſo colore lege quæ diſputat Iulius Scaliger in acutiſſimis illis ſuis, & ſine admiratione nunquam legendis Exercitationibus. Tunicas ducales ruſſas, leges in Aureliani vita.

ib. *Sagochlamides annuas duas.*] Interdum ex duplici genere veſtiũ vnum conficiebant, quod vtriuſque figuram participaret. ſic *chlamydem mantuelem* mox nominat auctor: & ita etiam *tunicas palliolatas* leges in Vopiſci Bonoſo. Etiam in Gallienis *trabeata ſaga* licet interpretari in hunc modum. neque temere ea lectio mutanda. ita ergo ſagochlamys, veſtis nouum genus fuit compoſitum ex ſago Romano, ſiue Gal-

Gallico & chlamyde Græcanica. vtrumque indumentum fuit militare.

21. *Fibulam auream cumacum Cypream vnam.*] Scribe: *cum acu Cypria, vnam.* non enim ſequor libros ſcriptos qui duo illa verba, *cumacum Cypriam* non habent. Veſtium fibulæ à parte ſui ita ſunt dictæ: cum enim annulo conſtent & acu, proprie non vtrumque, ſed ſola acus fibula dicitur. ea pars eſt toto antiquior: nam primos homines neceſſitas compulit vt veſtem fluentem ſpina vel haſtula adſtringerent, vt obſeruant Rabbini, & legimus apud Tacitum de veteribus Germanis. id igitur quod infigebatur, è re fibulam, quaſi figulam Latini dixerunt. niſi malis à findendo deducere cum Iulio Scaligero. Græci à πείρειν quod eſt transfigere, περόνην & πόρπην. & ab ἀνιέναι, quod immittere ſignificat, ἐνετήν. Callimachus, Ἄλλικα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνετῇσι. vulgo nobis, *ardille*, vel *ardillon.* quæ vox & ſono & ſignificatione affinis eſt Græcæ ἄρδις. ars deinde acceſſit, quæ annulo adiecto & commodiorem & honeſtiorem fibulæ vſum præbuit. Sed totum illud inuentum Latini fibulam vocant: etſi proprie id eſt quod diximus. Græci quoque πόρπην, περόνην, φίβλαν. *Acus cypria,* ſitne ab ære Cyprio ita dicta, an ab artificio peculiari artificum Cypriorum neſcio. Egnatius heic male coniicit.

23. *Brachialem vnum vnciarum ſeptem:*] Scribe, *bracchiale.* & dextrocherium intellige, de quo ſatis ad Maximinos.

24. *ſcuta chryſographata duo.*] & picta, ſiue cælata, & inaurata. vel aureis literis inſcripta. de hac arte notamus aliquid ad Suetonij Octauium, capite VII. aliud eſt cum in argentum ſolidi auri cælatura deſcendit, vt loquitur Seneca.

25. *Lanceas Herculeanas duas.*] Melius, *Herculaneas.* ſic in Pertinace, *machæræ Herculaneæ.* tamen & alibi legas Herculeanus.

26. *Aclides duas.*] Aclides ſunt plumbatæ funiculo ex baculo aptæ. Lege Seruium ibi,

—— *teretes ſunt aclides illis*
Tela: ſed hæc lento mos eſt aptare flagello.

28. *Albam ſubſericam vnam, cum purpura Succubitana.*] de alba ſubſerica inferius ſub libri huius finem. *Succubitana purpura,* à Succubone Baſtetaniæ oppido nomen habet: ſolet enim à loco vbi tingebatur denominari purpura, vt Tyria, Laconica, Hermionica. Succubitani municipij mētio facta ſuperius initio vitæ Marci Antonini. Videtur Plinius Succubonem collocare in vergente quidem ad mare Baſtetania, ſed tamen in mediterraneo. purpurę autem baphia non alibi inſtituta, quàm in locis ad mare ſitis. propterea ſuſpicabar ſyllaba adiecta ſcribendum eſſe, *Succubaritana.* vt eadem ſit cum illa quæ ſtatim Maura nominatur. nam Succubar ſiue Succabar oppidum Mauritaniæ Cæſarienſis ex Plinio aliiſque notum eſt. At regius aliter, vbi offendi, *Grabitana.* etiam Puteaneus vnus, *Girbitana.* de quibus lectionibus cogitent eruditi. Scribit quidem Aurelius Victor vulgaris, Meningem ſua

iam ætate insulam fuisse dictam Girbam:sed de purpura Girbitana nihil legi.

29. *Subarmale vnum cum purpura Maura.*] Iam exposuimus ad Aelij Spartiani Seuerum.

ib. *Notarium quem refundat vnum.*] vnum è scribis,aut seruis publicis, qui magistratibus apparebant & scribendo merebant, quæ illi dictarent notis excipientes.

30. *Structorem quem refundat vnum.*] δαιτρὸν, & τραπεζοποιὸν, vt interpretatur Athenæus libro quarto.

ib. *Accubitalium Cypriorum paria duo.*] Exposuimus ad Lampridij Heliogabalum. vbi & de mantelibus Cypriis diximus, quorum in vita Aureliani habetur mentio. apparet fuisse illa ætate insignes in insula Cypro peristromatum, tapetum, aliarumque rerum artifices quarum est vsus in vita quotidiana.

31. *Interulas puras duas.*] numerum ex scripta lectione restituimus. puræ opponuntur prætextis purpura.

32. *Latum clauum q.*] tunicam cum lato clauo, siue laticlauiam.

33. *Venatores qui obsequantur duo.*] qui assidue eum comitentur. obsequium est comitatus principis aut alicuius megistanis, vt ante docuimus ad Pertinacis vitam. Cassiodorus libro VII. in formula curæ palatij: *vt aurea virga decoratus inter obsequia numerosa, ante pedes regios primus videaris incedere.* & Anastasius in Pontificum vitis, in Zacharia: *impensáque charitate ab eadem egressus ecclesia in eius obsequium rex dimidiũ fere milliarium perrexit.* mox: *qui eidem sancto viro vsque ad prædictas ciuitates obsequium facerent.* ibidem: *Rex ei valefaciens cum digna ordinatione, eum repedandum absoluit: dans in obsequium eius duces & primates suos*: & ita sæpe etiam in Codice.

ib. *Curam prætorij vnum.*] Quemadmodum in aulis imperatorum & militia Palatina fuit, qui è re dicebatur Cura palatij, quod omnium fabricarum principis curam gereret, sicut docet formula apud Cassiodorum libro septimo: sic in maiorum magistratuum comitatu fuit, qui dicebatur Cura prætorij: quod illa omnia curaret quæ ad prætorium eius magistratus cui fuerat attributus pertinerent. vt operas pro operariis, sic curam dixerunt pro eo qui curam sustinet. Ouidius:

Tertius immundæ cura fidelis aræ. Sic igitur & in Codice semper & apud alios Latinos scriptores, Cura palatij, non curator palatij, vocatur, qui hanc curam administrat. inde vox Græcorum κουροπαλάτης, frequens apud scriptores imperij Constantinopolitani. Placebat doctissimis viris scribi heic, *Curionem prætorij v.* qui dicti sint curiones ex his ipsis libris, Martiali, aliisque auctoribus notum est. Sed impense probatur nobis vulgata lectio.

35. *Ligni quotidiani pondo mille.*] Etiam hodie in quibus locis lignũ appenditur: vt apud Volcas Arecomicos in inclyta Mompelio, siue vt

priores

priores vocabant Montepessulano.

36. *Coctilium quotidiana batilla quatuor.*] de coctilibus ad Pertinacem dictum. Vlpianus lege CLXVII. De verborum significatione appellat *ligna cocta ne fumum faciant.* vulgo vocabant *acapna.* Græci poetæ, δανὰ & κάγκανα. differunt coctilia à titionibus, & item à carbonibus, vt etiam Vlpianus docet ea lege. heic tamen pro carbonibus videtur accipi ea vox: aut non multum acapna differebant à carbonibus. nam breuia admodum fuisse, nec manu vt ligna, sed batillis tractari solita vt carbones, hic locus declarat. *batillus* siue *batillum* est hama quæ igni admouetur. vulgo dicimus *vne pale à feu.* Glossarij auctor per v scribit, explicatque sic. *Vatillum* πυεάγμη. scribe πυεάγρη. Græci πυεάγρας appellarunt id quod diximus instrumentum: non vt falso viri eruditissimi putarunt falces messorias. neque enim est à πυρὸς, sed à πῦρ. Scribit Suidas non vno loco, πυεάγρην vulgo sua ætate dictam, quæ antiquitus diceretur ἄμη. quid autem sit hama melius discas ex Latinis iurisconsultis quam Græcis grammaticis. nam in lege tertia De officio præfecti vigilum, & alibi in Pandectis. hamæ ponuntur inter instrumenta quibus vtebantur in restingẽdis incendiis: quod etiam docet Iuuenalis satyra XIV. Sed istæ sparteolorum hamæ magnitudine, & fortasse etiam forma nonnihil differebant à batillis focorum. Meminit batillorum Plinius libro XXXIII. cap. VIII. *Argenti duæ differentiæ: batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permaneat probatur.* & libri XXXIV. capite vndecimo. *Aeruginis experimentum in batillo ferreo.* Marcellus empiricus capite XXVII. *Spongiam,* inquit, *supra batillum torrebis, & diligenter teres.* & mox: *deinde super batillum candentem defundes & coques.* Apitius libro VII. cap. IX. *Petaso cum elixatus fuerit, decarnabis, & armillam illius candenti batillo vres.* & libro VIII. *ius concoloratum super batillum.* Appellarunt etiam *batillum* foculi gestatilis & ansati genus, quod pruna plenum principibus viris prę̨ferebant ad odores incendendos. multa alibi de hoc more notauimus. sic autem accipiendus Horatij locus de Fundano scriba, qui immeritos honores sibi arrogabat.

Fundos Aufidio Lusco prætore libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam & latum clauum, prunæque batillum.

ad quem locum quæ notat Acro, vnius assis non sunt. Abdias historiæ apostolicæ libro nono: *Erant autem virgines cum lyris cantantes, aliæ cum tibiis, alij cum tympanis, alij cum batillis & thuribulis.* Atque hi omnes batilli ferrei erant: è ligno illi quorum in Rei rusticæ libris meminit Varro.

Pag. 306. vers. 2. *Sed ita vt nihil adderetur.*] Oratio vt vides, σολοικίζει. Lego, *ita vt nihil adæretur.* præcipit imperator dari superiores species ipsas, non earum pretium in ære: quod illa ætas vocauit *adærare.* Græci vertunt ἀπαργυρίζειν, vt eruditissimus Cuiacius obseruat. Frequẽs vox in vtroque Codice. hinc *annonæ ærariæ* dictæ, quæ adæratæ in pre-

tiis exhibebantur: vt docet lex xv. Cod. De erogatione militaris annonæ.

3. *Non præstetur, nec in minimo exigatur.*] Neque hæc possunt exponi saltem non inepte: sed scribendum: *non præstetur, nec in nummo exigatur. præstetur* scripsimus ex libris, non *pretium*.

4. *Specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci.*] id est vltra ordinis sui gradum. quem honorem habitum virtuti ab imperatoribus Ro. plures horum scriptorum loci testantur.

7. *Nec exercitus ducem loco accipit.*] Corruptus locus melius scribas: *nec exercitus ducendos accipit.*

30. *Nihil me grauius accepit.*] noua locutio, pro affecit. nam dicimus: *Cicero hoc grauiter accepit.* non autem, *hoc grauiter accepit Ciceronem.*

notoria

ib. *Quod notoria intimasti.*] epistola qua aliquid principi aut magistratui notum fit, notoria dicitur in Digestis & Codice, ac scriptoribus mediæ Latinitatis.

Discus corymbiatus

Pag. 307. vers. 1. *Discum corymbiatū argenteum l.*] ab argumento quod artifex cælatura expresserat cognomē accipiūt, & discus hic corymbiatus, & lanx pampinata, & patina hederata, & illa apud M. Tulliū patera filicata. corymbiata opera hederarum racemos, qui corymbi vocantur, exprimebant. Poculi pampinati, hederati & corymbiati meminit Virgilius in tertia ecloga.

4. *Voleta halieuticum argenteum, librarum* xx.] Hæc omnia desunt in regio. Ex veteribus editionibus scribo cum Scaligero, *boletera halieuticum.* & instrumentum aliquod piscationi aptum intelligo. *boleter,* βολητήρ. noua dictio, & Græcis, opinor, incognita: vt aliæ nonnullę quæ apud Latinos solum scriptores leguntur. boletaria Martialis & Apitij nihil huc pertinent.

6. *Calyces Aegyptios, operisque diuersi decem.*] calyces Aegyptij erant vitrei, sed singularis & stupendi artificij. Vide Saturninum Vopisci.

7. *Chlamydes veri luminis limbatas duas.*] Recte hunc locum explicat magni ingenij & iudicij vir Hadrianus Turnebus in libris Aduersariorū. lumen non est coloris nomen, sed affectus qui sequitur colores intensiores & κατακορεῖς. purpuram veri luminis appellat claram Lampridius in Diadumeno, in Alexandro Seuero clarissimam: vbi habes de probatione purpuræ priusquam inferretur vestiario principis. Vopiscus in Carino lumen purpuræ verbo eleganti expressit, cum *lineas micantes purpura,* dixit. Græci qui purius locuti sunt, veri luminis colores dicunt ὀξεῖς: posterior ætas ἀληθινούς. vnde obtinuit, vt ἀληθινὰ appellarentur omnia purpurea: propter præstantiam sacri muricis, vt loquuntur imperatores. Theodorus Balsamon in explicatione Conciliorum: σημείωσαι ὅτι ἀπὸ τοῦ παρόντος ἰδίκτου ἤτοι βασιλικοῦ προστάγματος τοῦ ἁγίου μεγάλου Κωνσταντίνου δικαιοῦται ὁ πάπας Ῥώμης διὰ πάντων τοῖς βασιλικοῖς προνομίοις μεγαλύνεσθαι

probatio purpuræ priusquam inferretur vestiario principis

κωλύεται ἄλλον μόνου τοῦ στέμματος. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ἐν ταῖς ὁπηνίκαποτε γινομέναις προελεύσεσιν αὐτοῦ, καὶ ἐν ταῖς θείαις τούτων ἱεροτελεστίαις, διὰ βασιλικοῦ λώρου τὴν κεφαλὴν καλύπτεται· ἀμφιέννυται δὲ καὶ ἀληθινὰ ὑποδήματα. καὶ καβαλλικεύει μετὰ ἀληθινοῦ σελλοχαλίνου κατὰ τοὺς βασιλεῖς. quid appellet heic Balſamon ἀληθινὰ ὑποδήματα eruditi interpretes aſſecuti non ſunt. intelligit autem calceamenta purpurea & veri luminis. nam tales fuerunt imperatorum calcei. Corippus Africanus in laudem Iuſtini libro ſecundo:

Purpureo ſuræ reſonant fulgente cothurno:
Cruraque puniceis induxit regia vinclis.

Iacobus Cuiacius cum legiſſet hoc loco apud interpretem *vera veſtimenta*, in magnum errorem inductus, putauit de ſerico locutum Balſamonem. ſed vir ſummus ſi Græcum textum qui necdum eſt editus, habuiſſet, vidiſſet non dicere Balſamonem ἐκ βήρων ὑποδήματα, ſed ἀληθινά. Sericeas veſtes appellarunt βήρους auctore Zonara: vnde *holouera* in Codice, quæ non ſubſerica, ſed tota ex ſerico eſſent texta. vox eſt barbara eius gentis ex qua primum id panni genus eſt allatum. apud Ezechielem prophetam capite XXVII. vocem ne Iudæis quidem magiſtris ſatis intellectam ברומים interpretamur βήρους. ſed hæc alibi. At dictionem ἀληθινὸν ea quam diximus notione etiam Latini ſcriptores vſurparunt. Sic accipiendum apud Anaſtaſium in libris de vitis pontificum: vt in Zacharia: *ſimulque fecit vela ſerica alithina quatuor, quæ ornauit cum rotis & ornamentis variis auro textis* in Leone III. *ſuper altare maius fecit tetrauela holoſerica alithina quatuor cum aſtillis & roſis chryſoclabis.* & ſæpius in eadem vita.

8. *Albam ſubſericam, paragaudem, triuncem vnam.*] Familiare eſt in re veſtium, vt ſolis adiectiuis ſiue ſubſtantiuis nominentur: ſic dicimus πορφυρᾶ, ὑδάτινα, μαλακά, & ſimilia apud Latinos. ita *albam* heic Gallienus & paullo ante Valerianus, *Albam ſubſericam vnam, cum purpura Succubitana*. intelligendum autem non togam, vt cum prætexta dicitur, ſed tunicam. declarat Vopiſcus in Aureliano: *cum darentur tunicæ ſubſericæ, lineæ paragaudiæ.* & vetus chronologus qui Faſtos Siculos congeſſit, cuius ſunt hæc verba: φορέσας σιχάριν, ἄσπρον παραγαύδιν, καὶ αὐτὸ ἔχον χρυσᾶ πλουμμία βασιλικά. nam σιχάριον tunicam dixerunt, vt eſt in Gloſſis. ἄσπρον album ſignificat. σιχάριν autem & παραγαύδιν pro σιχάριον & παραγαύδιον corruptus eſt helleniſmus, cuius exempla paſſim obuia in recentiorum libris. *Subſerica* fuit hæc tunica, id eſt cuius ſtamen ſolum eſſet ſericum. nam holoſericæ veſtes in priuatorum vſu non erant, vt conſtat ex Vopiſco in Aureliano, & titulo Codicis. Erat autem moris ornare iſtas tunicas albas ſubſericas, vel purpura, vt illa fuit cuius facta mentio à Valeriano: vel paragaude vt hoc loco. Inter ea quæ veſtibus accedunt ornatus ſolùm cauſſa, vt clauus, limbus, inſtita, ſegmenta, patagium, & alia hoc genus, cenſeri & paragauda debet: ſicut manifeſtò arguunt verba legis ſecundæ Cod. De veſtibus holoueris. *Nemo vir*, ait, *auratas*

habeat aut in tunicis aut in lineis paragaudas. vides ſeparari paragaudas à veſtibus quibus adſuebãtur, veſtes autẽ hac acceſſione nobilitatæ non paragaudæ, ſed paragaudiæ dicebantur vel paragaudes. Valerianus in epiſt. ad præf. prę. *dabis Probo interulas paragaudias duas.* propterea ſcribi velim hoc loco: *Albam ſubſericã, & paragaudem triuncem v.* Exiſtimabat Turnebus vocẽ hanc à Latina *gaudium*, cum Græca præpoſitione eſſe conflatam. ſed virum doctiſſimum fugit heic ratio: vox eſt enim pura puta Syrorum, vel aliorum Orientalium à quibus Syri acceperunt. פַּרְגוֹדָה ſiue פַּרְגוֹדָה *paragoda*, Ionathani paraphraſtæ vetuſtiſſimo librorum ſacrorum dicitur veſtis colorum varietate & arte inſignis. nam Geneſeos capite XXXVII. nobilis illa Ioſephi tunica quam Moſes appellat כְּתֹנֶת פַּסִּים χιτῶνα ἐκ ποικίλων ἐρραμμένον, *veſtem fruſtorum.* id eſt conſutã ex diuerſis pannis, in paraphraſi Ionathanis nominatur פַּרְגוֹד in Exodo autem illud aulæum quod moſes vocat פָּרֹכֶת eidem interpreti פַּרְגוֹדָא nominatur. nam & tapetes & aulæa varietate colorum ſolent eſſe diſtincta. ſic etiam paragaudæ illæ de quibus in Græcis Latiniſque literis agitur, ex auro & ſerico intextæ & materiæ & artis varietate pollebant, vt conſtat ex lege prima eius tituli quem antè laudauimus. Aſſuebantur autem veſtibus modo ſingulæ paragaudæ, modo binæ, modo ternæ, vel quaternæ, atque interdum etiam quinæ. Flauius libro ſequente: *Paragaudias veſtes ipſe primus militibus*, (vel *militaribus,*) *dedit:* (*cum ante nonniſi rectas purpureas accepiſſent:*) *& quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & vſque ad pentelores, quales hodie lineæ ſunt.* Quibus ſimplex paragauda adnexa, monolores nuncupatæ ſunt: & ita cæteræ pro diuerſo numero diuerſũ nomẽ acceperunt. voces iſtę ſunt tranſlatæ ab architectura & fabricis, vnde & *trabeata ſaga*, & *tabulata veſtium* apud Tertullianum. λώροις vocem Latinam & Græci architecti vſurparunt, vt conſtat è Περὶ κτισμάτων Procopij. non multo aliter *virgas & virgulas purpureas* dixerunt, vt vetus Iuuenalis interpres ad ſatyram octauam. Ait autem Gallienus *paragaudem triuncem*: auri pondus indicans, quod paragaudiæ huic tunicæ inerat. ſic enim veteres pretia veſtium indicabant. Lampridius in Alexandro Seuero: *contenta cyclade, quæ ſex vnciis auri plus non haberet.* Vopiſcus in Bonoſo: *tunicam auroclauatam ſubſericam bilibrem vnam.* vbi fortaſſe auri & ſerici pariter ratio inita. nam vt ſcribit idem auctor alibi, libra ſerici tunc libra auri erat.

8. *Zanchas de noſtris Parthicis, paria tria.*] Barbarici calceamenti genus tzangas vocarunt. ſed varie ſcribitur hoc verbum. in Codice Theodoſiano De habitu intra vrbem, lege ſecunda *tzangæ.* in tertia *tzancæ.* Græcis τζάγγαι aut τζαγγία. & τζαγγάριος harum artifex apud Tzetzem in Chiliadibus. Acroni *zangæ.* nam Horatij verba è ſatyra ſexta libri primi, *Vt quiſque inſanus nigris medium impediit crus Pellibus.* de hoc genere calceo-

calceorum interpretatur. Persarum vel Parthorum fuisse gestamen magni pretij ex hoc loco & similibus apparet. In Fastis Græcis leguntur hæc de rege Lazorum: τὰ τζαγγία αὐτοῦ ἦν ἀπὸ τῆς χώρας αὐτοῦ ῥουσσᾶ Περσικῷ σχήματι, ἔχοντα μαργαρίτας.

9. *Singiliones Dalmatenses* x.] Lego, *cingiliones*, & cingula parua interpretor, quibus vterentur equites Dalmatæ.

ib. *Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam.*] Dardani Dalmatis vicini. chlamys mantuelis composita vestis ex chlamyde & mandya. μανδύην illa ætas vocabat Græcè pænulas. de his superius.

11. *Cucutia villosa duo.*] cucullorum species videtur esse. nisi malis cucurnia intelligere de quibus imperatores in Codice, Nulli licere in frenis equestribus sel.

ib. *Oraria Sarabadena quatuor.*] de orariis ad sequentem vitam. Sarabadena vnde potuerint nomen inuenire nescio: & verius sit fortasse *Sarabrena*. vt Hispaniensia fuisse intelligamus, ex ea vrbe Tarraconensis prouinciæ, quæ Sarabris dicitur Ptolemæo. Sic apud Catullum, *sudaria Setaba*, ex eadem Hispania.

12. *Aureos Valerianos* CL.] à Valeriano imperatore nuncupatos nemo dubitat. quare scribendum, *Valerianeos*, aut *Valerianinos*.

14. *Cum Macriano f.*] Legendum esse *Martiano* antea probauimus, ad librum de Gallienis.

16. *Claudi dux fortißime habeas.*] χαίροις σὺ, id est χαῖρε. *habe* pro aue scribebant, vt docuit pridem Cuiacius.

ib. *Virtutibus tuis, deuotioni tuæ.*] supple, bene sit. vide ad Auidium Cassium. *deuotio* est καθοσίωσις erga rempubl. & deuotus multis locis horum librorum, pro eo quod apud Dionem atq; Herodianũ, καθωσιωμένος.

18. *Qui amat Remp. sic agit.*] in Maximo & Balbino: *sapienter electi principes sic agunt.*

19. *Felicem te Claudi iudicio principum: felicem te virtutibus tuis.*] in Valeriano: *Felicem te Valeriane senatus sententia: imò animis atque pectoribus.*

20. *Viuas Valerie, ameris à principe.*] Latinitas postulat, *Valeri, & am. Valerius* si mendo careret hæc lectio, fausta precantium vox est, vt Κωνσταντῖνε in solenni acclamatione Græcorum, Τιβέριε Κωνσταντῖνε χαῖρε. sed puto legendum aliter. scribo, *Viuas, valeas, & ameris à pr.* vel *Aureli* pro *Valeri*. nam Claudio nomen fuit Aurelio non Valerio.

ISAACI CASAVBONI

IN FLAVII VOPISCI DIVVM AVRELIANVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

FLAVII VOPISCI.] Tandem è ſalebroſis & præruptis locis emerſimus: ſic iure appellauerim pleroſq; præcedentium auctorum libros, ſi cum ſequentibus Vopiſci comparentur. in illorum pleriſque omnia perturbata, indigeſta, confuſa, mera denique mapalia: hic temporum rerumque ſeries diligentius & conſtantius ſeruata. nihil admodũ alieno loco poſitum, omnia fere εὔτακτα, καὶ εὐοικονόμητα: ſiue ea fuit auctoris maior diligẽtia, ſiue ſcriptorũ eius felicitas: quæ correctorũ manus minus iniquas ſint experti. nã alienâ culpâ non auctorum, multa in ſuperioribus legi hodie perperam digeſta ſatis antè probauimus. Magna igitur gratia iſtis librorum tortoribus: qui ab hoc ſaltem auctore ſibi temperarunt. Porro VOPISCVS olim prænomen erat, quo vſi multi in Iulia præſertim gente: heic eſt cognomen: & ita in antiquiſſimis Reipublicæ Faſtis ſæpe, mox à pulſis regibus. patriam Vopiſci vox adiecta indicat, *Syracuſius*. Fuit hic quoque ſcriptor cæteris huius corporis σύγχρονος: vixit enim imperantibus Diocletiano & Maximiano. Cepit hanc hiſtoriam ſcribere poſt annum imperij illorum Auguſtorum octauum, qui habuit Coss. Tiberianum II. & Dionem Caſſium. nam in horum conſulatum incidere vrbis præfecturam Tiberiani de quo meminit Vopiſcus in præfatione operis, conſtat è Faſtorum fragmento, quod Cuſpinianus publicauit. Sed non ſtatim operi ſe accinxit: nam cum hanc vitam ſcribebat iam factus erat Cæſar Conſtantius, quem Vopiſcus etiam imperatorem appellat. Ex fine Probi apparet ſingulos libros ſeparatim & ſcriptos & editos. Librum de Caro, Numeriano & Carino compoſuit quo tempore Maximianus Cæſar in Oriente bellum contra Perſas gerebat. Auum habuit Diocletiano magna familiaritate iunctum, & in militia diu verſatum, vt ex variis locis horum librorum apparet. religione fuit paganus

nus Vopiſcus, vt omnes cæteri. Videtur autem cum ſeparatim ſuos libros ederet, variis amicis eos nuncupaſſe. Probi vita ad Celſum miſſa: liber qui quadrigam tyrannorum continet, ad Baſſum. cæteri ad alios quos ſæpe auctor affatur, ſed hodie deſiderantur eorum nomina, quæ auctor ſine dubio in ſingulorum librorum fronte prænotauerat. Errant qui Iulio Capitolino hunc librum tribuunt, vt Robertus Bononienſis.

31. HILARIBVS.] Matris deûm. plura de his ad Lampridij Alexandrum Seuerum.

33. *Vehiculo me & iudiciali carpento p.*] ἐν δίφρῳ δυοῖν. nam carpentum non aliud eſt quàm vehiculum. iudices, id eſt magiſtratus honoratioribus vehiculis vſos ex his ſcriptoribus, aliiſque, & maxime ex libris iuris notum eſt.

Pag. 308. verſ. 12. *Ephemeridas illius viri ſcriptas habemus.*] Variorum principum ephemerides laudãtur antiquis ſcriptoribus, vt ad librum ſecundum Suetonij aliàs notauimus: quorundam in his libris, vt Aureliani heic: Gallieni ſupra à Trebellio Pollone, quæ à Palfurio Sura fuerant ſcriptæ. Probi Ephemeridem compoſuerat Turdulus Gallicanus.

16. *Curabo autem vt tibi ex Vlpia bibliotheca & libri lintei proferantur.*] Vide initio Probi, vbi libros recenſet Vopiſcus quibus in ſcribendis hiſce vitis fuit adiutus. De libris linteis habes multa apud Liuium: ſed lege imprimis epiſtolam XXXIV. libri quarti epiſtolarum Symmachi. librorum æris & linteorum meminit Hygenus de limitibus agrorum.

35. *Ac manum porrigens iucundam præterea.*] Suſpicabar hæc eſſe deprauata. quid eſt enim *manus iucunda*? regius habet, *ad manum*: & pro *iucundam* legitur *iudicandam*. nihil inde boni elicio. malebam autem diſtinctione mutata ſcribere, *Propterea ſcribe, inquit, vt libet* ſed vulgatam lectionem ita poſſumus interpretari: adeo mihi aſſenſus eſt, vt non ſolum pedibus in meam ſententiam iret: ſed etiam manus porrigeret cum hilariore & renidente vultu. tranſlatum è curia: vbi variis modis aſſenſus præbebatur. infra hoc libro: *deinde aliis manus porrigentibus aliis pedibus in ſententias euntibus, pleriſque verbo conſentientibus, conditum eſt.* S. C. quia igitur duos diuerſos aſſentiendi modos iungit, ideo ait *præterea*.

Pag. 309. verſ. 6. *Plerique ſolum genitale confingunt.*] Scribe, *plerumque*, vt in veteribus.

7. *Nec tamen magnorum virorum virtutibus ſumma ſciendi eſt.*] Scribendum, *de magnorum virorum virtutibus*. elegans locutio, *ſumma ſciendi de virtutibus magnorum virorum*. id eſt, τὸ κεφάλαιον τῶν ἱστορουμένων ἀρετῆς περὶ τῶν ἐνδόξων ἀνδρῶν.

26. *Pueri eius peluem ſerpentem plerumque cinxiſſe.*] ſimile omen imperij initio vitæ Seueri. peluis eſt πύελος ſiue alueus in quo recens natus

infans lauabatur: cuius moris Plautus meminit & Galenus.

30. *Quod Soli sui temporis tulerat, s.*] Antea monebamus *ferre* passim in his scriptoribus esse idem atque auferre. si ita hic accipimus *tulerat*, erit sensus: imperatorem illorum temporum ademisse simulacro Solis palliolũ illud purpureum, quod postea casu aliquo in potestatẽ matris Aureliani venerit. sed potest etiam accipi *tulerat* pro obtulerat. *sui temporis*, est ὁ κατ' καιρούς. nam aliter scribendum non est, auctoribus libris nostris. Eruditus ille ciuis Romanus, qui emendat, *quod Solis sui templo imperator obtulerat*, ne refutationis quidem eget. nam auctor de iis loquitur quæ infante Aureliano & recens in lucem edito acciderunt: at templum Soli consecratum ab eodem est iam imperatore, nec multo ante obitum.

32. *Aurelianum aquila innoxiè de cunis leuauerit.*] Magnum onus pro corpore aquilæ: sed exempla obuia non solum in fabulis, sed etiam in historia verum professa, apud Aelianum historiæ animalium, libro XII. cap. XXI. Accepi à grauissimis viris, & fidei integerrimæ, Marchionem Pisanium, qui iussu Christianissimorũ regum variis legationibus cum summo honore suo functus est, solitum narrare: quendam Hispaniarum regis nanum, qui à Madridano palatio apud Carpetanos in Tarraconensi prouincia, longius paullo aberrauerat, ab aquila raptum, atque in proximæ syluæ arborem fuisse translatum.

Pag. 310. vers. 8. *Quia inuidiosum tunc erat vehiculis in ciuitate vti.*] Vide ad Spartiani Hadrianum. Ibidem etiam diximus nefas fuisse priuato sedere in regia sella, aut regis equum insidere.

22. *Huic signum exercitus apposuerat, Manu ad ferrum.*] *signum*, id est cognomen. ita soliti milites per lasciuiam cognomenta imponere: vt illi centurioni, cui vt scribit Tacitus, militaribus facetiis vocabulum CEDO ALTERAM indiderant.

27. *Refert Theoclius Cæsarianorum temporum scriptor.*] Melius *Theocles*, vt Diocles, sed fortasse scripserat, *Theoclytus*, vel *Theo Chius*.

31. *Adeo vt etiam balistea pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent.*] Scribendum *ballistea*. βαλλίζειν in octauo Athenæi vsurpatur ceu vox Romæ vsitata pro saltare, & tripudiare. βαλλισμὸς saltationis genus: & βαλλιστεῖα, vel βαλλίστεια carmina ludicra inter ballissandum saltari solita. etsi vox est origine Græca: formatio tamen insolens Græcis & barbara. in Photij Nomocanone titulo XIII. caput extat, περὶ τοῦ μὴ βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι ἐν γάμοις. Habes exempla similium ballisteorum etiam in sacris literis: vt primo Regum, capite XVIII. vbi ita scriptum: *Porro cum reuerteretur percusso Philisteo Dauid, & ferret caput eius in Ierusalem, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ & in sistris. & præcinebant mulieres ludentes atque dicentes*, PERCVSSIT SAVL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA.

Pag.

Pag.311.verſ.11. *Vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, eaſd.*] *quas* id eſt, quæ arborum capita. Perſicæ crudelitatis ſupplicium: Græci vocant διασφενδόνησιν. confer cum deſcriptione quæ apud Plutarchum in Alexandro, vbi de Beſſi pœna loquitur.

14. *Huius epiſtola militaris eſt.*] infra, *Aurelianus ſurrexit, atque ad manus acceßit, agens gratias militaribus verbis.*

17. *Oleum, ſal, lignum, nemo exigat.*] Extat lex Conſtantini & Conſtantij A. A. huiuſmodi, *Ne quis comitum, vel tribunorum, aut præpoſitorum, aut militum nomine, ſalgami gratia, culcitas, lignum, oleum à ſuis extorqueat hoſpitibus: ſed nec volentibus hoſpitibus in prædictis ſpeciebus aliquid auferant.* vide in Peſcennio Nigro.

20. *Ferramenta ſamiata.*] Nonius Marcellus: *Samium eſt acutum: vnde ſamiare eſt acuere.* Auſonius: *ſamium Lucumonis acumen.* Gloſſæ, *ſamiator*, ἀκονητής. & in Græcorum Tacticis libris, σαμιάτωρ, pro eodem.

21. *Veſtis noua veſtem veterem excludat.*] Præceptum eſt τῆς οἰκονομικῆς: non expectandum matrifamilias vt de veſte noua ſuis proſpiciat cum priorem vſu triuerint: ſed dum adhuc ciſtæ plenæ, maturè prouidendum.

22. *Stipendium in baltheo.*] in Alexandro: *miles non timet niſi habens aliquid in zonula.* mos pueris notus.

24. *Mulum centuriatum comiter curet.*] ſoluta veteris militiæ diſciplina, ceperant ſingulis centuriis muli deputari ad ſarcinas vehendas. is eſt mulus centuriatus, vt explicat rectè Hadrianus Turnebus.

25. *Aruſpicibus nihil dent.*] Præceptum Catonis cenſorij: *Villicus haruſpicem, augurem, hariolum, Chaldæum ne quem conſuluiſſe velit.* vnde Columella libro primo capite VIII. *Aruſpices ſagaſque, quæ vtraque genera vana ſuperſtitione rudeis animos ad impenſas, ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiſerit.* quod & repetit libro XI. capite primo. De aruſpicum collegio iam temporibus Claudij paullatim deficiente, eorumque diſciplina exoleſcente, lege Tacitum Annali XI.

35. *Et ad noſtra iam non facit tempora.*] id eſt, ſeculo maior eſt.

Pag.312.verſ.6. *Multo maiora deferre ſalaria quàm eorum dignitas poſtulat.*] vt cum exempli gratia tribuno ſalaria ducis deferuntur, vt in vita Claudij. his opponuntur quæ modo auctor vocabat, *ſalaria ſui ordinis.* ſic mox, *oblationes vltra ordinis ſui gradum.*

16. *Ille dux magni totius exempli.*] Latina locutio eſt, *vir exempli*, vel, *vir magni exempli.* Quintilianus declamatione ſexta: *Illa exempli mulier, illa ſeculi decus, viuum redimi noluit.* vetus lapis Tiburtinus: PATRONO MVNICIPI. CVRATORI MAXIMI. EXEMPLI. Latina etiam locutio eſt, *vir totius exempli.* nam ita locuta eſt poſterior ætas. Lucifer Caralitanus libro II. pro Athanaſio, *feciſti damnari à conſacerdotibus ſuis totius virum innocentiæ.* lapis ad Veronam. PETRONIO. PROBO. V. F. TOTIVS. ADMIRATIONIS. V. item in alio. VIRGO. TOTIVS.

BONITATIS. minus Latina locutio est, *vir magni totius exempli.* & fortasse absit melius vox *magni.*

18. *Bene gerenda resp.*] ἡ καλῶς διοικουμένη πολιτεία. non autem διοικησομένη. id est, ratio sobriè & bene administrandæ reip.

26. *Pabula extra ordinem decernes.*] ad iumenta. in Codice & alibi capita vocantur.

27. *Argenteos Philippeos minutulos, q.*] iterum paullo post, argenteos Philippeos minutulos tria millia.

36. *Qui se de Traiani genere referebat.*] Melius, *ferebat.*

33. *Vicem sumeret.*] vicarius illius esset.

Pag.313. vers.7. *Quod eodem vicarium Aurelianũ dedisset.*] *eidem,* pro sibi.

12. *Nunc tecum requirere potuissem.*] Locus est mutilus. & defectus notis insigniendus.

13. *A patre Nicop.*] *parte.*

15. *Habes sagittarios Ityreos.*] *Ityræos.* Ἰτυραίους. nota vulgò gens Syriæ ex Geographis, Virgilio & omnibus historicis.

22. *Vbi carrago sit hostium.*] heic pro castris accipit. nam carri in orbem dispositi barbarorum fuere castra, sicut antea diximus.

25. *Neque enim minor est, in cuius locum fidemque te legi.*] Malim, *minor es eo,* nam hoc vult: non esse Aurelianum Vlpio Crinito minorem, cui destinabatur vicarius Aurelianus. pro *fidemque* scribo, *vicemque.* ex charissimi Lectij coniectura.

30. *Et nullorum magis.*] Scribe, *vt nullorum magis.*

31. *Quantus fuerit Aurelianus, & re vera.*] Pone πλείαν σιγμῶν post *Aurelianus.* deinde erit sententia planior, si scribas, *& erat re vera.*

37. *Argenteos Philippeos minutulos tria millia.*] Non dubito quin ad missilia Consulum hæc summa pertineat. Solebant enim Consules pecuniam in populum spargere, auream quidem imperatores: argẽteam verò priuati. propterea tot isti dantur Aureliano minutuli Philippei argentei. Ex Iustiniani constitutione cv. permissum fuit Coss. argentum spargere in minoribus nummis, puta miliarensibus, μήλοις, καυκίοις ἢ τετραγωνίοις, & similibus.

Pag.314. vers.1. *Tunicas multicias viriles decem, lineas Aegyptias viginti.*] Erant illa ætate in frequenti vsu tunicæ quædam multiciæ siue πολύμιτοι, & subsericæ, cum lineis permagni item pretij. quare hæc duo genera vestium iungi solent, vt hoc loco & aliis quos ad librum superiorem attulimus, cum de paragaudis tractaremus. lineas autem vestes Aegypto peti solitas sæpe diximus. vide Gallieni vitam. Vopiscus in Carino: *Iam quid lineas petitas Aegypto loquar?* sed petebantur & ex aliis prouinciis: nam subiicit Vopiscus, *quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?* Linearum Afrarum in hac vita meminit Vopiscus.

2. *Mantelia Cypria paria duo.*] quæ alij mantilia. pertinent hæc ad men-

mensalem supellectilem, vt accubitalia Cypria, quorum superiore libro facta est mentio.

4. *Senatoribus & equitibus Rom.*] Scrib. *& equit. R.*

15. *Auulnio Saturnino.*] Regius, *Amilio.* melius *Amulio.* vulgata lectio vestigia seruat, vocis *Anulino.*

7. *Subarmalem profundum.*] Iam ad Seuerum diximus, videri scribendum, *subarmale prof.*

28. *Vt tibi deputet Scipionem.*] consulum enim ab ipsa institutione prima gestamen fuit scipio eburneus: cuius meminit Dionysius Halicarn. Liuius, Valerius Maximus, aliique his posteriores scriptores.

29. *Hæc enim imperator non solet dare, sed à senatu, quando fit consul accipere.*] Possunt hæc verba auctoris Vopisci esse, non Valeriani. quod nos probamus magis.

Pag. 315. vers. 10. *Iube igitur vt lege agatur, s.*] Exemplum est heic eius adoptionis, quæ fiebat apud principem, & postea magistratui intimabatur, ut docet lex secunda Cod. De adopt. hæc adoptio in illius locum successit, quæ apud populum olim lege curiata fiebat.

12. *Ipse actu Crinite iudex consularis.*] Sensus horum verborum nullus. veram scripturam docuit nos alter codex Puteani, quæ est hæc: *ipse actutum te iudice consularis.* orat Crinitus Valerianum, vt Aurelianus in domum viri consularis, id est, suam transiens, fiat ipse quoque consularis.

20. *Vidimus proxime consulatum Furij Placidi tanto ambitu in Circo editum.*] confer cum simili querimonia inferius in Carino. quid sit *consulatum edere*, & ὑπατείαν δοῦναι, exposuimus ad Alagabalum.

25. *Lineæ paragaudæ.*] Melius scribas *paragaudiæ*, vt ad superiorem librum ostendimus.

Pag. 316. vers. 4. *Omne contra Mæotidas bellum.*] Mæotidas appellat quos Zosimus libro secundo Σαυρομάτας τῇ Μαιώτιδι προσοικοῦντας λίμνῃ. vide inferius in Tacito.

12. *Hæmi montem Europamque vexant.*] Scripti etiam hic, *Hæmimontum*, vt in Claudio.

15. *Solitam nobis ede virtutem.*] Eleganter in veteribus, *Solitam en nobis ede virtutem.*

34. *Ne eadem quæ sub Gallieno fuerant prouenirent.*] Scribebam, *porrò venirent.* sed retinet idem verbum infra: *cum videret posse fieri vt tale aliquid iterum quale sub Gallieno euenerat proueniret.*

35. *Libri Sibyllini noti beneficiis publicis.*] in necessariis Reip. temporibus, ad libros Sibyllinos adibatur, & placandi numinis ratio inde poscebatur.

30. *Vt in certis locis sacrificia fierent, quæ Barbari transire non possent.*] Simile exemplum supra in Spartiani Iuliano.

Pag. 317. vers. 4. *Clarißimorum iußit auctoritas.*] id est, facto super ea

re S.C. libri Sibyllini ſunt inſpecti. *clariſsimi* ſunt ſenatores, vt in Alagabali vita *clariſsimæ* vxores ſenatorum.

14. *Proinde quaſi peritioribus viris maior facienda ſit cura.*] deeſt, tantum, ad lucem ſententiæ, quæ hæc eſt: ὡς δέον τοὺς ἐμπειροτέρους τῶν ἰατρῶν τὰ δυσιατώτερα μόνον θεραπεύειν.

26. *Subſellia laureata conſtituite.*] Scripti, *conſtruite.*

27. *Veteranis manibus libros euoluite,*] Per hoc ſignificat non omnes quindecim pontifices, (tot numero fuere in eorum collegio,) manibus ſuis Sibyllinos libros contrectaſſe: verum eos ſolùm qui ætate & meritis cæteris præſtarent: atq; vt arbitror, ex ordine maiorũ potius quàm minorum pontificum. *Veteranæ manus* eorum dicuntur, qui in ſacerdotio pontificali conſenuerunt. Acutiſſimo tamen eruditorum Ioſepho Scaligero aliter videbatur ſcribendum. ita enim emẽdabat: *veteris anus Cumanæ libros euoluite.* non auſim affirmare ſic ſcripſiſſe auctorem: ingenioſiſſima certè eſt correctio. Ouidius:

Cumæam veteres conſuluiſtis anum.

& pro Sibyllinis dixerunt libros Cumanos. Symmachus libro IV. ep. XXXIIII. *Monitus Cumanos lintea texta ſumpſerunt.*

29. *Nos aris ambarualia indicemus.*] Scribendum *agris.* nam *aris* aut *aruis* meræ nugæ. male etiam præit ſcripta lectio. *nos aras tumultuarias indicemus.*

Pag. 318. verſ. 7. *Qualibet animalia regia non abnuo.*] Regia animalia exaudio, quæ Sibyllini libri monuerint neceſſaria eſſe ad ſacrificium pro regis ſalute faciendum, aut Reip.

9. *Si quid eſt ſumtuum, d.*] Placet Scaligeri emendatio, *ſi quid deeſt, ſumtum, datis a. p. æ. l. decerni iuſsi.* ſumtum pro pecunia dicebant, vt ad Hadrianum monebamus.

10. *Eſt præterea veſtræ auctoritatis arca publica.*] ærarium Reip. vocat arcam publicam. ſed non erat tum temporis in poteſtate ſenatus ærarium illud vetus: cuius etiam poſt euerſam Remp. vmbram ſaltem diu ſeruarunt. Omne ταμιεῖον arca dicitur. quare leges arcam fiſcalem, quod verum ærarium fuit: & prætorianam arcam, atque alias diuerſas diuerſarum præfecturarum.

11. *Quam magis refertam eſſe reperio quàm cupio.*] hæc oratio eſt hominis de ſenatu male iudicantis, & male ei cupientis: quæ ſi in Aureliano, fuerunt cum iſta ſcriberet, tamen cur eius ſuæ κακονοίας ſignificationem heic daret, cauſſa nulla fuit. Suſpicor igitur mendam heic latere: & velim cogitent acuti critici de his verbis.

31. *Infamiæ triſtioris ictu contaminauit imperium.*] duriuſcule eſt locutus. nam *ictus infamiæ*, metaphora eſt non vſu trita. ſimilia ſunt tamen apud bonos auctores multa, vt *iacere in aliquem dicta*, & βάλλειν ἔπη vel ἔπεα. Sed neque illud concoquo, *infamiæ triſtioris*: & verius eſt locum egere emendationis.

36. Cum

36. *Cum videret posse fieri vt aliquid tale iterum quale sub Gallieno euenerat proueniret,a.*] Aurelius Victor:*ac ne vnquam quæ per Gallienum euenerant acciderent,muris Vrbem quàm validißimis laxiore ambitu circumsepsit.* quid illud autem quod sub Gallieno euenit,cui προφυλακὴν afferat, murorum Vrbis dilatatio?referendum ad Barbarorum in Italiam irruptionem:vel ad tyrannos quos tum passa est Resp.quam plurimos. aduersus quos tamen nullum in Romanis muris fuisse Gallieno præsidium video.

37. *Muros Vrbis Romæ dilatauit.*] Errat in hac historia, vt sæpe alibi osor ille pietatis Christianæ Zosimus. putauit enim Romam antè habitatã siue muris, Aureliani primum tempore muris ceptam circumdari. ἐτειχίσθη τότε ἡ Ῥώμη, πρότερον ἀτείχιστος οὖσα. quod falsissimum esse omnes historici clamant.

Pag.319.vers.1. *Pomerio autem nemini principum licet addere, nisi ei qui agri B.*] Tacitus Annali XII. *Pomerium auxit Cæsar more prisco:quo iis qui protulere imperium,etiam terminos Vrbis propagare datur.* confer totum locum cum isto, & quæ super istis viri docti scripserunt. Sed quod illi existimant, à Traiano ad Aurelianum neminem principum Vrbem auxisse, aliter Aurelius Victor Schotti, cuius de Caracallo sunt verba: *aucta Vrbs magno accessu viæ Nouæ.* etsi pomerio illum addidisse non dicit Victor.

9. *Nam in Thracia & in Illyrico occurrens Barbaros vicit.*] Malim *occurrentes*, & ita membranæ.

16. *Nec possumus fastidij euitatione, nec volumus.*] Videbatur contrario potius ordine oratio esse concipienda:*nec volumus fastidij euitatione:nec possumus.* & sunt plures caussæ cur ita scribi malimus.

17. *Nam cum Tyanam venisset.*] *Tyana* scribendum, aut certè *Tyanam.* nam in locorum nominibus & genus & numerum pro libidine mutant auctores sæpe. sic Græci τὰ Λούγδουνα pro Lugduno. Tyana autem vi aut proditione cepisse Aurelianum negat Zosimus, sed deditione.

39. *Canem in hoc oppido non relinquam.*] Vetustissimum genus loquendi vsurpat Aurelianus: & fortasse non male hinc colligas historiam sacram illi fuisse aliquando lectitatam. Ibi leges sæpe in comminatione internecionis, Non relinquam in ea vrbe מַשְׁתִּין בְּקִיר *mingentem ad parietem*, id est canẽ. atque haut scio an inde idiomatis nostri sit vocabulum *mastin.* etsi aliter quosdam esse interpretatos, non clam me est. Græci hoc aliter, οὐδ' ἄγγελος λειφθήσεται, vel οὐδὲ πυρφόρος.

36. *Solum denique ex omnibus qui oppugnabantur campus accepit.*] Mira locutio: *solum campus accepit.* id est, solus interiit, solus in orcum descendit. Corruptus, vt puto, locus.

Pag.320.vers.3. *Locum ostendisset aggeris naturali specio tumentem.*] Potest ferri *tumentem.* potest etiam scribi *tumentis.*

10. *Vera dixisse, vera cogitasse.*] Serio locutum esse, cum dixit, se canem in oppido Tyanorum non relicturum: neque de ea interpretatione tum cogitasse, quam subtiliter postea excogitauit.

13. *Ipsum etiam pro numine frequentandum.*] Constat ex patrum scriptis & antiquis historicis insignem istum planum diuinis honoribus vulgo passim affectum: cum haberet hunc vnum stupor gẽtium, cuius magicas imposturas veris veri Dei IESV CHRISTI miraculis opponeret. cum igitur hoc tibicine fulcirent homines pagani ruentes iam superstitiones suas, nemo debet mirari Vopiscum hoc loco in illius laudes ferri πληοίσιον.

25. *Ille mortuis reddidit vitam.*] historiã respicit Philostrato narratam extremo libro quarto. sed non audet Philostratus affirmare puellam quæ pro mortua efferebatur, vere mortuam fuisse. nam ait inter cætera, εἴτε σπινθῆρα τῆς ψυχῆς εὗρεν ἐν αὐτῇ, ὃς ἐλελήθει τοὺς θεραπεύοντας. Elatos multos vitam recuperasse quam videbantur amisisse, ex Plinij septima historia notum est: vt taceamus de similibus memoriæ nostræ exemplis.

36. *Contra Zenobiam & Zabam eius sociam.*] hic est quem in Claudio Sabam vocabat Pollio. Zosimus Zabdan. Ζάβδας ὁ Ζηνοβίας στρατηγός. Insigniter verò errat Vopiscus qui sociam Zenobiæ Zabam nominat. non enim mulier fuit sed vir: neque socius Zenobiæ, sed dux illius, vt auctores sunt Pollio & Zosimus. Quare etiam si legas hic cum regio codice, *socium*, non *sociam*: adhuc tamen satis caussæ erit, cur in Vopisco diligentiam desideres.

Pag. 321. vers. 10. *In conscientia & timore longe deteriore.*] Regius hæc verba miscet turbatque. est autem locus mutilus, nec sine librorum meliorum opere capiendus, nobis quidem.

23. *Non quasi fœmina pugnat, quasi pœnam timens.*] Neque horum verborum vllus est sensus. desideratur enim aliquid. in regio scriptum *timentes*. Sententia erit optima, si scribas, *sed quasi vir pœnam timens.* vel, *viri pœnam timentes.* non solum fœminam viro comparat, aut viris: sed viris quos desperatio reddat αὐτοὺς αὑτῶν κρείττους.

26. *Ac pro malis fessus.*] Scribe, *præ malis fessus.*

Pag. 322. vers. 18. *Victa igitur Zenobia, cum fugeret camelis, quos dromadas voc.*] Zosimus pæne ad verbum ista: ταῦτα βουλευσάμενοι Palmyreni obsessi, καὶ καμήλῳ τὴν Ζηνοβίαν ἀναβιβάσαντες, αἳ δὴ καμήλων εἰσὶ τάχισται, καὶ ἵππους ὑπεραίρουσαι τάχει, τῆς πόλεως ὑπεξάγουσιν.

19. *Atque ad Persas iter tenderet, equitibus missis est capta.*] capta est cum Euphratẽ nauigio transiret, cum iam videretur periculo exempta.

25. *Tum Persici dracones.*] deest verbum cui tota periodus innitatur: nempe, capti sunt ab Aureliano. *Dracones*, inter signa fuerunt ea quidem ætate Persarum, paullo verò ante, Parthorum qui in Oriente rerum erant domini. Apud Parthos cohortes millenariæ fuerunt, & cuique cohorti suus draco attributus. Et erant hi dracones simulacra ve-

verorum draconum, ea arte expreſſa ad terrorem hoſtibus inferendum, vt vulgo apud Romanos aliquando creditum ſit, viua ipſa animalia, non illorum imitamenta ad bellum ferre Perſas: quæ in conflictu hoſtes appeterēt, & miſere vorarent. quam falſam auditionem ridiculè ſecutus erat ille hiſtoricus, cuius ineptias exagitat Lucianus in libello De conſcribenda hiſtoria. οὕτως, inquit, ἀκριβῶς πάντα ἑωράκει, ὥστε τοὺς δράκοντας ἔφη τῶν Παρθυαίων, (σημεῖον δὲ πλήθους τοῦτο αὐτοῖς· χιλίους γὰρ οἶμαι ὁ δράκων ἄγει) ζῶντας δράκοντας παμμεγέθεις εἶναι γεννωμένους ἐν τῇ Περσίδι μικρὸν ὑπὲρ τὴν Ἰβηρίαν. τούτους δὲ τέως μὲν ἐπὶ κοντῶν μεγάλων ἐνδεδεμένους, ὑψηλοὺς αἰωρεῖσθαι, καὶ πόρρωθεν ἐπελαυνόντων, δέος ἐμποιεῖν. ἐν αὐτῷ δὲ τῷ ἔργῳ, ἐπειδὰν ὁμοῦ ἴωσιν λύσαντες αὐτοὺς ἐπαφιᾶσι τοῖς πολεμίοις. lege cætera, atque ibi ſcribe περισπειραθέντων αὐτοῖς: quod verbum de ſerpentibus proprie dicitur. qui ſpirarum ſuarum volumine aliquid cingunt. à Parthis acceperunt ſignum hoc Romanæ cohortes: de quarum draconibus & de draconariis paſſim Ammianus Marcellinus & eius ætatis ſcriptores. multa etiam in libris de militia clariſſimum literarum lumen, Iuſtus Lipſius.

29. *Pallium breue purpuream laneſtre.*] *Laneſtris* vox eius ſæculi: vt *valleſtris*. qua vtitur Ambroſius, & ſimiles.

36. *Diligentiſſimis confectoribus.*] hoc eſt infectoribus. nam *confector* proprie arenæ verbum eſt.

Pag. 323. verſ. 1. *Dicitur enim ſandix Indica talem purpuram facere ſucuretur.*] Sandicinus color ſimilis coccineo, vt auctore Soſibio docet Heſychius. ideo ſcribunt Suidas & Photius in ſuis Lexicis, Σάνδυξ χρῶμα κόκκινον. ſed hi de eo colore intelligunt quem non Indica ſandix conciliat, verum alia quæ in vſu vulgo Græcis & Romanis fuit. de hac lege Plinium libro XXXV. cap. VI. & Hadrianum Turnebum in Aduerſariis. Indicæ vero huius ſandicis alibi factam mentionem non inuenies. poſterior huius vocis varie ſcripta legitur, *ſandix*, & *ſandyx*: variat & modulus ſyllabæ in obliquis. producitur Propertio libro ſecundo:

Illaque plebeio vel ſit ſandicis amictu. corripitur aliis. Gratius de venatione,

Interdum Libyco fucantur ſandice pinnæ.

2. *Ingens tamen ſtrepitus militum fuit, omnium* z.] *Tamen* huic ſcriptori non raro pro autem vſurpatur: quod moneo ne quis mutandam ſcripturam putet.

5. *Occiſis pleriſque quibus auctoribus illa bellum mouerat, p.*] Iudicium Emiſæ habitum de Zenobia & conſiliariis eius ac belli ſociis. vide Zoſimum.

7. *Graue inter eos qui cæſi ſunt de Longino philoſopho fuiſſe perhibetur, q.*] Hic eſt Caſſius Longinus, quem Porphyrius in libro de vita Plotini tantopere laudat, ſui temporis eruditiſſimum nominans, κριτικώτατον, ἐλλογιμώτατον, & φιλολογώτατον. Meminit huius & Euſebius, qui libro XV. Προπαρασκευῆς, quædā illius deſcripſit. Libros multos ediderat quorum

plerosque recenset Suidas. Extat hodieque Longini Περὶ ὕψους libellus vere aureolus: ex quo semichristianum fuisse, non male fortasse colligas, propter illud quod facit de Mosis scriptis iudicium. Eius eruditionem, scripta & constantiam in subeundo supplicio laudat hoc loco Zosimus.

13. *Atque illic Carporum copias afflixit.*] Carpos vicit, & ex parte in Romanum solum transtulit: cuius exemplum postea secutus est Diocletianus: de quo Aurelius Victor: *Interea cæsi Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in nostrum solum: cuius fere pars iam tum ab Aureliano erat.* deest hic verbum. nam scribi postulat sententia, *c. f. pars altera i.* aut simili modo.

16. *Carpisculum enim genus calceamenti esse satis notum est: quod cognomen deforme videbatur.*] Peruerso ordine ita hæc leguntur: nam scribendum hoc modo: *Superest P. C. vt me etiam* CARPISCVLVM *vocetis? quod cognomen deforme videbatur: carpisculum enim genus calceamenti esse, satis notum est.* Erat autem carpisculus barbarici calcei genus, à Græco καρπὸς sic dicti: vel ex eo potius, quod cum carpisculis siue carpusculis architectorum similitudinem aliquam haberent. mentio illorũ in antiquo lapide Viennæ Allobrogum, vbi leguntur hæc:

D. D. FLAMINICA. VIENNAE
TEGVLAS. AENEAS. AVRATAS
CVM. CARPISCVLIS. ET
VESTITVRIS. BASIVM. ET. SIGNA
CASTORIS. ET. POLLVCIS. CVM. EQVIS
ET. SIGNA. HERCVLIS. ET. MERCVRI
D. S. D

20. *Nam Palmyreni qui iam v.*] Narrat Zosimus, tendenti in Europam Aureliano allatum esse nuntium de Palmyrænorum defectione: qui ducem nacti Apsæum quendam, initio imperium deferre conati sunt Marcellino duci Orientis: deinde eo fidem Aureliano seruante, Antiochum quendam hominem abiectissimum imperij infulis donauerunt. rediisse igitur Aurelianum, & Palmyram funditus euertisse: Antiocho dimisso, cum ob summam vilitatem ira sua illum putaret indignum. hæc ita Zosimus.

24. *Achilleo cuidam parenti Zenobiæ parantes imperium.*] Antiochum non Achileum vocat Zosimus. Παλμυρηνῶν Ἀντιόχῳ προελθόντες δημιουργοὺς ἱμάτιον καὶ τὴν Παλμυρέων εἶχον. & mox iterum, vbi de eius vilitate: cum tamen hîc dicatur parens id est cognatus Zenobiæ fuisse, cuius origo Cleopatrana ante est exposita.

25. *Verum adeo Aurelianus, vt erat paratus, ex Europa reuertit.*] Nullum hic locum habet vocula *adeo.* sed locus est deprauatus, cum sit scribendum: *Verùm ad eos Aur.* Vertit Vopiscus auctorem Græcum, cuius verba vsurpauit & Zosimus. Αὐρηλιανὸς δὲ ταῦτα ἀκηκοὼς, αὐτόθεν ὡς εἶχεν ἐπὶ

τὴν

τὴν ἑώαν ἐστέλλετο. illa, *αὐτόθεν ὡς εἶχεν*, interpretatur Vopiſcus, *vt erat paratus*. ἐπὶ τὴν ἑῴαν, *ad eoa*. vocem hanc Græcam non poetæ ſolum vſurparunt, verùm & hiſtorici: nam apud Marcellinum legas, *eoos tractus*, & *eoas partes*. ac ſimilia.

36. *Aquilifer legionis tertiæ.*] Scribe, *aquiliferi*, ex omnibus libris, & quia vulgata lectio βλοικίζει.

Pag. 324. verſ. 1. *Habes trecentas auri libras Zenobiæ capſulis.*] Diſtingue ſic: *Habes trecentas auri libras, in Zenobiæ capſulis: habes argenti mille octingenta pondo de Palmyrenorum bonis: habes gemmas regias.*

11. *Sine inſignibus imperij, q.*] Falſus eſt Vopiſcus, vt fatetur ipſe in ſequente libro. vide locum.

12. *Ad quem continuo Aurelianus reuertit.*] non ex Europa quidem eò reuertit, vt poſſit aliquis ex ſuperioribus colligere: ſed cum Europam peteret deleta Palmyra & Carras iam perueniſſet, iter in Aegyptum flexit.

14. *Vt erat ferox animi, cogitatione multus.*] οἷα φύσει ἀγέρωχος ὢν καὶ βαθύνους.

16. *Ipſo Tetrico exercitum ſuum prodente.*] vide Pollionem in XXX. tyrannis.

18. *Pacatis per Occidentem Gallis atque vndique terris.*] Scripta lectio, *pacatis Oriente, Gallis, atque v. t.* rectè.

26. *Camelopardali, alces.*] camelopardalin dicimus, potius quàm camelopardalum. etſi legi ſcio in Gordianis *camelopardali* x. ſed Græci ſemper καμηλοπάρδαλιν. ſcribo igitur hoc loco, *camelopardalis, alces.* nullus appoſitus numerus, quia hæc animalia ſingula ſunt ducta.

Pag. 325. verſ. 1. *Blemyes, Axomitæ, Arabes Eudæmones.*] Hæc nomina in antiquis exemplaribus perperam ſunt exarata, quæ ita rectè in vulgatis: niſi quod Eudæmones male ſeparantur ab Arabibus. Felicis Arabiæ quæ Εὐδαίμων Ἀραβία Græcis, populum ita nominat. de Blemyis lege Probi vitam: ex geographis nota hæc gens. Mamertinus in Genethliaco Maximiani. *Blemij*, ait, *illi, vt audio, leuibus modo aſſueti ſagittis, aduerſus Aethiopas quærunt quæ non habent arma, & pæne nudis odiis prælia internecina committunt.* Procopius primo Perſicorum auctor eſt, pacem feciſſe Blemyos cum Diocletiano hac lege, vt auri certum modum quotannis acciperent à Romanis. Axomitæ eidem Procopio dicuntur Αὐξωμῖται & Αὔξωμις vrbs illorum. ſic & Theodoretus nominat Quæſtionibus in vetus Teſtamentum. eius locum adſcribam, quia in editis libris deſideratur vt alia multa, quæ in membranis inuenimus. ibi igitur de regina Sabæ hæc ſcribuntur: ΣΑΒΑ ποῖόν ἐστιν ἔθνος; Αἰθιοπικὸν, ἐντεῦθεν γὰρ αὐτοὺς κεῖσθαί φασι τῆς θαλάσσης τῆς Ἰνδικῆς. ὀνομάζουσι γὰρ αὐτοὺς ΟΜΗΡΙΤΑΣ. καταντικρὺ δὲ εἰσι τῶν ΑΥΞΩΜΙΤΩΝ. μέση δὲ τούτων κἀκείνων ἡ θάλασσα. τούτων ἐβασίλευσεν ἡ θαυμασία ἐκείνη γυνή. tamen alij oppidum Axuma & populum Axumitas nominant. Legant verò ſtudioſi veteris & nouæ

historiæ quæ de hac gente, & eius appellatione hac docet Iosephus Scaliger in Notis ad Computum Aethiopicum.

10. *Prælati sunt tituli gentium nomina continentes.*] Melius, *prælati enim sunt t.* adduntur enim hæc, vt præcedentium verborum interpretamentum: *quas de Amazonum genere titulus indicabat*: vel vt in regio: *quas de Amazonibus ortas titulus ind.* Satis constat & res & personas quæ in triumphi pompa transueherentur, titulis eminentibus fuisse proditas, vt statim auctor loquitur.

12. *Tunica Galbina.*] an vt ignauiæ symbolum præ se ferret, iussus est Tetricus galbinam tunicam dum triumpharetur gestare? Notum est qui dicantur *galbini mores* apud Martialem.

22. *Quod & memoria tenet publica, & fides historica frequentauit.*] *frequentare* etiam pro narrare posuerunt. initio libri, *Ergo Therfiten & nos bene scimus & posteri frequentabunt.* Spartianus in Aelio Vero: *Iam illa frequentantur à nõnullis, quod & accubationes ac mensas de rosis ac liliis fecerit.*

27. *Coronas eum fecisse de panibus, q.*] panes varia figura fingebantur: isti coronæ speciem referebant. similes panes iam olim in quibusdam Romanis sacris. Lactantius libro primo, capite XXI. *Hac de caussa Lampsacenos asellum Priapo quasi in vltionem mactare consueuisse: apud Romanos verò eundem Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conseruatæ panibus coronari.*

ib. *Qui nunc siliginei vocantur.*] inter panes Romæ laudatos siligineus fuit. Vetus Horatij interpres *panem secundum* interpretatur, *non siligineum, non primum, non postremum, sed dispensatorium.* Fuit Romæ pistorum corpus in hoc pane conficiendo occupatorum, qui siliginiarij dicebantur. Lapis Romæ: ANNONAE. SANCTAE. AELIVS. VITALIO. MENSOR. PERPETVVS. CORPORI. PISTORVM. SILIGINARIORVM.

30. *Quotidie toto æuo suo.*] *suo* dixit pro illius nempe Aureliani. hoc etiam in superioribus notare meminimus non semel.

31. *Nam idem Aurelianus & porcinam carnem pop. Ro. distribuit.*] τὸ *nam* locum nullum habet: & vel delendum, vel scribendum, *Iam idem A.* aut superioribus connectendum aliqua alia mutatione. Porcinam autem populo gratis fuisse distributam ab Aureliano significant, & Victores ambo, sed obscure: ait enim vulgaris Victor: *Porcinæ carnis vsum populo instituit.* at ille Schotti sic: *simulque vsus porcinæ carnis quò plebi Romanæ affatim cederet, prudenter munificèque prospectauit.* Fuit tum institutus præfectus diuidundæ porcinæ, cuius meminit Zosimus libro secundo: Λουκιανὸς τοῦ χοιρείου κρέως ὢν χορηγὸς ὃ τῷ δημοσίῳ ἐπεδίδου τῷ Ῥωμαίων δήμῳ.

35. *Decreuit etiam emolumenta architectis & ministris.*] Architectis emolumẽta auxit decreto suo, nõ primus instituit Aurelianus. semper enim inter artifices quibus aliquam vacationem munerum grauiorum conditio tribuit, habiti sunt architecti, vt constat vel ex lege VI. Dig.

De

De iure immunitatis. In breui autẽ ſubdito legi ſecundæ Cod. Theod. De excuſationibus artificum, primi omnium nominantur architecti. *miniſtros* hic accipio, eos qui in diſcipulatum ſe tradiderunt architectis: nam iſtis decreta inuenio quędam emolumenta, non quibuſuis eorum miniſtris. Conſtantinus imperator lege prima ſuperioris tituli: *Tam ipſos architectos, quàm eorum parentes ab iis quæ perſonis iniungi ſolent, volumus eſſe immunes, ipſiſque qui diſcent ſalarium competens ſtatui.*

36. *Vindelicos obſidione Barbarica liberauit.*] inferius: *ille Vindelicis iugum Barbaricæ ſeruitutis amouit.*

37. *Paratóque magno potius quàm ingenti exercitu.*] *magno* refer ad robur animi & fortitudinem. *ingenti* ad numerum militum.

Pag. 326. verſ. 3. *Apud Cænophrurium manſionem, quæ eſt inter Heracliam & Byzantium.*] Victor vulgaris, *in itineris medio quod inter Conſtantinopolim & Heracliam eſt.* vulgo locum illum vocabant, non Cœnophruriũ, ſed Cœnophlorium, Κενοφλωρεῖον corruptè, vt auctor eſt Cedrenus;

5. *Malitia notarij ſui.*] Aurelius Victor: *miniſtri ſcelere cui ſecretorum officium crediderat.* vt & Vopiſcus mox, *Mneſtheum quendam, quem pro notario ſecretorum habuerat.* Græci non Mneſtheum hunc nominant, ſed Erotem. Zoſimus: ἦν τις ἐν τοῖς βασιλείοις Ἔρως ὄνομα, τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μηνυτὴς τεταγμένος. videtur ex iſtis fuiſſe hic à cura epiſtolarum, aut à libellis ſupplicibus. etſi vox μηνυτὴς ad referendarij appellationem poteſt referri. de eo officij genere habes in Codice & Nouella decima. at Zonaras ſic, Ἔρως τις καλούμενος καὶ τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων ὢν μηνυτής, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσιν, ὑπακουστής, καὶ προσαγγέλλων τῷ βασιλεῖ τὰ παρά τινων περὶ αὐτοῦ λεγόμενα. poſterioribus verbis frumentarium deſcribit.

10. *Vt & filiam ſororis occideret.*] Victor alter, ſiue vulgaris: *Fuit ſæuus & ſanguinarius, & trux omni tempore, etiam filij ſororis interfector.* ſed vide quæ ſuper hoc ſcribit mox Vopiſcus. Suidas verò non ſororis filiam aut filium ab Aureliano ſcribit interemtum: ſed filij vxorem: de quo filio altum apud hiſtoricos ſilentium, & fabulam cenſeo.

17. *Breue nominum conſcripſit.*] Scripti *breuem.* vtrumque dicitur *breuis* & *breue.* Iulianus in epiſtola ad Iudæos Βρέβιον.

23. *Hi cum exarſiſſent timore qui merebantur offenſam, d.*] quare dicit meritos eſſe offenſam? neque enim offenderãt ij ſaltem aduerſus quos nihil aſperum cogitauerat Aurelianus, ſicut modò dictum. Lego, *Hi cum ira exarſiſſent, timore qui merebantur offenſam, d.* duo hominum genera in Aurelianum conſpirarunt: boni per errorem, qui nihil in eum peccauerant: mali qui peccauerant & pœnam metuebant. præcedunt hæc verba: *breue nominum conſcripſit, mixtis iis quibus Aurelianus verè iraſcebatur, cum iis de quibus aſperum nihil cogitabat.* infra in epiſtola exercitus ad ſenatum. *Aurelianus imperator noſter per fraudem vnius hominis. & per errorem bonorum ac malorum interemtus eſt.* vbi videatur ſcribendum, *per errorem bonorum, ac malitiam malorum.* nam ſequitur ibidem, *Nos de iis*

qui vel errauerunt, vel male fecerunt imperare nobis neminem patimur. quibus verbis separari videtur error bonorum à malitia malorum.

27. *Hic finis Aureliano fuit principi necessario magis quàm bono.*] Incertus scriptor apud Suidam, de Aureliano: χαλεπός τις καὶ φονικὸς ὑπάρχων, καὶ μᾶλλον ἀναγκαῖος στρατηγὸς, ἤπερ αἱρετὸς βασιλεύς. sunt autem hæc ad verbum ex Eutropio versa, vt alia multa quæ passim apud Suidam leguntur: ex quibus constat nobis ante Pæaniũ alium fuisse qui Eutropium Græcũ faceret: & quidem haud paullo elegantius & melius quam factum sit à Pæanio. sic igitur Eutropius: *sæuus & sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quàm in vllo amabilis imperator.* sed legit Græcus interpres qui apud Suidam: *necessarius magis dux*, q. Vopiscus infra scribit: *Diocletianum frequenter dixisse, cum Maximiani asperitatem reprehenderet, Aurelianum magis ducem esse debuisse, quàm principem.*

princeps necessarius magis quam bonus

30. *Surrectus ad stipitem.*] optimè. nec audiendi scripti qui præferunt *surreptus ad pœnam.* mutarunt imperiti & morum veterum, & linguæ Latinæ.

32. *Vbi & in columnis diuo Aureliano statuæ constitutæ sunt.*] Suspecta nobis illa, *& in columnis.* libri tamen non variant.

35. *Imperauit annis sex, minus paucis diebus.*] vel vt alij, paucis mensibus. Zonaras, καὶ ἀναιροῦσιν αὐτὸν ἓξ ἐνιαυτοὺς ἠνυκότα περὶ τῇ βασιλείᾳ, μηνῶν ὀλίγων ἐνδέοντας. nisi tamen scripserat vel Zonaras, vel is vnde ipse habet, ὀλίγων ἡμερῶν. in Fastis Græcis sunt anni sex, & ita. Methodius, ac plerique veterum. cæterùm quàm variè hæc tempora à doctis viris hodie in Fastis & Annalibus describantur non ignoramus.

Pag. 327. vers. 10. *Balbati filij nomines Zenobiam non Timolai & Hereniani imperium tenuisse.*] Hoc addit alter Vopiscus, quia sciebat Trebellium Pollionem qui historiam XXX. tyrannorum non multo antè ediderat, nihil de hoc Balato dixisse. Vbi autẽ istum inuenerit, & ex quo auctore indictum aliis omnibus Zenobiæ filium Vopiscus eruerit, ipse viderit. equidem cum Trebellio sentio: qui sciam Græcos ac Latinos fere omnes non aliter olim prodidisse. Vellem sane extaret ille auctor vnde hæc historia est desumta. Sciremus de isto Balato aliquid certius. Nos vero suspicamur, & corruptum hoc nomen, & ex ignoratione Syriacæ linguæ, qua Palmyreni vtebantur, regem qui in natura rerum nullus erat, fuisse confictum. nam cum multa Syros audirent Græci de sua *bahala* vel *bahalat*, id est regina prædicantes, putarunt principis ipsorum hoc esse nomen: atque ex eo regem hunc aliis incognitum procuderunt, quem *Bahalatum*, vel contracto, vt fit nomine *Balatum*, indigetarunt: postea lõgius progressa deprauatio, & *Balbatus* scriptum pro Balatus. בעלה & בעלת Hebræis domina est & δέσποινα: nec multo aliter Syri extulerunt. Onufrio hic constanter dicitur non Balatus, sed *Vhabalatus*. quod vnde illi in mentem venerit, non possum coniectura assequi. nam aliter heic omnes codices. VABALATHVS autem qui

in

in aliquot Aureliani nummis reperitur effigiatus, cum hoc nomine, is verò alius fuit, quod alij eiuſdem imperatoris nummi Græci docent, in quibus, ſicut teſtantur viri docti, ab vna parte ſunt hæc verba: ....ΔΟΜ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟC. CEB. ab altera iſta: ....ΟΥΑ-ΒΑΛΛΑΘΟC. ΑΡΜΕΝΙΑC.

13. *Septem tamen millibus ſuorum militum interemtis.*] Aurelius Victor: *Neque ſecus intra Vrbem monetæ opifices deleti: qui cum auctore Feliciſsimo rationale, nummariam notam corroſiſſent, pœnæ metu bellum fecerant: vſque eo graue, vti per Cælium montem congreßi, ſeptem fere milia bellatorum confecerint.* Eutropius paullo aliter.

19. *Hiberorum, Riparienſium, & Caſtrianorum & Daciſcorum.*] Male hunc locum accipiunt eruditi viri, qui putant hæc nomina eſſe populorum quos Aurelianus bello monetariorum attriuerit. falluntur: nam contra, hi ſunt qui in Vrbe pro imperatore ſuo pugnantes, à rebellibus monetariis ſunt interemti. Hiberos igitur intellige, qui in prætorianis legionibus, vel aliis, aut inter auxiliares merebant, ſic & cætera nomina accipe. Legionum Riparienſium ampla mentio eſt in Notitia imperij. vnde eorum claret error, qui ſine diſtinctione legunt hoc loco, *Hiberorum Riparienſium.* qui ripam inhabitant, riparij dicuntur: & legiones quæ prætendebant apud riparios dictæ riparienſes. aliud enim ripenſis eſt, vt cum Dacia Ripenſis dicitur: aliud riparienſis. ſic legiones in Germania collocatas, Germanicianas appellarunt, & quæ in Illyrico, Illyricianas, quæ in Dacia, Daciſianas, vt Trebellius in Claudio. Daciſcos auxiliares lego in Notitia, ſub diſpoſitione ducum Mœſiæ ſecundæ, & Daciæ ripenſis. Caſtriani iſti, vnde potiſſimum fuerint appellati, cum eſſent tot caſtra nondum inueni.

29. *Templum Solis magnificentiſsimum poſuit.*] de huius templi donariis mox Vopiſcus aliquid, & plura alij ſcriptores. narrat Zoſimus Aurelianum in ea æde Solis & Beli ſimulacra dedicaſſe. ex quo apparet tranſlatum eius numinis cultum è Syria.

25. *Vt quinquaginta prope millia murorum eius ambitus teneant.*] Ita & antiqua omnia exemplaria. accedit quod in Martini Poloni Chronico legimus: *In circuitu Romæ ſunt milliaria* XXII. *præter Tranſtiberim, & Leoninam ciuitatem: cum quibus dicitur habere* XLII. *milliaria.* Sed iſta viri docti accuratius expenderunt.

26. *Item quadruplatores ac delatores ingenti ſeueritate perſecutus eſt.*] Aurelius Victor: *deletæ fiſcales & quadruplatorum, quæ Vrbem miſerabiliter affecerant, calumniæ: conſumtis igni tabulis, monumentiſque huiuſcemodi negotiorum.*

29. *Amneſtia etiam ſub eo del.*] addit Victor: *atque ad Græciæ morem decreta abolitione.* Athenienſium ἀμνηστία, & Ciceronis locus de illa ne tironibus quidem ignorantur.

31. *Fures prouinciales, repetundarum ac peculatus reos vltra militarem mo-*

dum est persecutus.] Simillime sequitur apud Victorem: *Inter quæ auaritiæ peculatum, prouinciarum prædatores, contra morem militarium (quorum e numero erat,) immane quantum sectabatur*: siue *insectabatur*. vt rectè emendat eruditissimus Schottus.

36. *Prouinciam trans Danubium Daciam à Traiano constitutam, sublato exerc.*] Sextus Rufus: *Traianus Dacos sub rege Decibalo vicit: & Daciam trans Danubium, in solo barbarico prouinciam fecit: quæ in circuitu decies centena millia passuum habuit: sed sub Gallieno imperatore amissa est: & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ ac Dardaniæ factæ sunt.*

Pag.328.vers.2. *In Mœsiam collocauit, appellauitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias diuidit.*] atqui Daciam Aureliani nusquam inuenimus nominatam: cum tamen aliter hunc locum interpretari non possimus. Iornandes non Aureliani Daciam, sed Ripensem quà Istrum tangeret, & Mediterraneam fuisse dictam ostendit. nam in libro De regnorum successione hæc scribit, loquens de Dacia prouincia trans Istrum à Traiano facto: *Sed Gallienus eos dum regnaret amisit: Aurelianusque imperator, euocatis exinde legionibus in Mœsia collocauit, ibique aliquam partem Daciam Mediterraneam, Daciamque Ripensem constituit, & Dardaniā iunxit.* Eutropius nihil de nomine: *abductos Romanos ex vrbibus & agris Daciæ, in media Mœsia collocauit: & est in dextra Danubio in mare fluenti, cum antea fuerit in læua.*

11. *De imperatore deligendo exercitus retulit ad senatum.*] Aurelius Victor: *Interea milites amisso principe, legatos statim Romam destinant, vti suopte arbitratu patres imperatorem deligerent. quibus hoc ipsorum potißimum munus respondentibus, rursum legiones ad eos reiiciunt. Ita vtrimque pudore ac modestia decertabatur: rara in hominibus virtute, rebus præsertim huiusmodi, ac prope ignota militibus.*

1æ. *In locum Aurelij Fusci delegit.*] nempe senatus. pro *Aurelij* alij libri *Arellij*. scripta lectio, *Aselli.*

23. *Per errorem bonorum ac malorum.*] Videtur posse ferri, quia præcedit, *fraude vnius hominis.* sed propter sequentia verba & locum superiorem, non displicet emendatio quam ibi proposuimus.

31. *Aurelianus Tacitus.*] Membranæ *Aurelius T.* sed neque Aurelianus, neque Aurelius dictus est Tacitus, verùm Claudius.

33. *Recto ordine consuluissent dij imm.*] Veteres, *Recta atque ordine.* scribe, *Rectè atque ordine d.* sic in Probo: *Recte atque ordine P.C. proximo superiore anno factum est.* & in rescriptis imperatorum persæpe.

37. *Quo neque vtilior quisquam.*] Scio *nec* pro non solitum poni. sed hic locum non habet hæc obseruatio. deest igitur aliquid, cum hoc similiue modo scripsisset auctor: *neque fortior, neque vtilior quisquam.*

Pag.329.vers.19. *Cum iterum atque iterum mitterent.*] pro *misissent*. nam tempora licenter confundebant, vt sæpe notauimus. sic paullo post

per-

peruenire, pro peruenturos esse.

22. *Aurelianus namque proconsul Ciliciæ.*] id est, qui aliquando fuit proconsul Ciliciæ: iam enim non erat, sed in Sicilia otio, vt videtur, redditus, vitam degebat.

24. *Quid hoc esse dicam, tam paucos bonos extitisse principes.*] Confer digressionem hanc pulcherrimam de raritate bonorum principum, cum alia similis argumenti apud Aelium Lampridium in Alexandro Seuero.

28. *Iudex publicus tenet.*] Fasti, qui publicis Actis continebantur.

32. *Ab omnibus infelix apparuit.*] *ab omnibus*, pro ab omni parte: quomodo dixit Horatius,

—*nihil est ab omni parte beatum.*

33. *Vides quæso, q.*] Scribe, *Vide quæso*, vel *Viden' q.*

Pag. 330. vers. 8. *Diocletianum principem iam priuatum.*] post depositam purpuram, cum Salonis viueret. Tum enim rogatus ab Herculio atque Galerio, vt imperium reciperet, tanquam pestem detestatus est, inquit Victor. multa tum de felicitate sua & infelicitate principum dixit Diocletianus: quæ referuntur ex parte ab historicis. eo videtur hoc referendum.

10. *Atque vnum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt.*] Malim, *vnà.*

12. *Imperator qui domi clausus est, vera non nouit.*] Lampridius in simili disputatione, de malis principum consiliariis loquens: *claudentes principem suum, & agentes ante omnia, nequid sciat.*

23. *Cum Maximiani asperitatem reprehenderet.*] hic est Maximianus Herculius, de cuius sæuitia in Actis sanctorum martyrum leguntur multa. Eutropius: *Herculius propalam ferus & inciuilis ingenij, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic naturæ suæ indulgens Diocletiano in omnibus est seuerioribus consiliis obsecutus.* ad verbum ista interpretatus est eruditus quidā scriptor cuius fragmēta hodieque apud Suidam supersunt. Locū ascribā animi gratia: iuuat enim Latina bona cum bonis Græcis componere: simul vt cognoscant studiosi quanto huius versio melior ac fidelior fuerit Pæaniana. sic ille: Ἑρκούλιος δίχα παντὸς προκαλύμματος, ἄγριός τε ὢν καὶ τυραννικός. τὸ τῆς οἰκείας γνώμης τραχὺ τῷ καταπληκτικῷ τοῦ προσώπου παραδηλῶν. τῇ γοῦν ἑαυτοῦ φύσει παντάπασιν ἐνδιδοὺς, τῷ Διοκλητιανῷ πρὸς ἅπαν ἄτοπόν τε καὶ σκληρὸν βούλευμα ἑκούσιος ὑπουργὸς καθίστατο.

29. *Gallicanas consuluisse Druidas f.*] Erant in Galliis fatidicæ quædam mulieres, quarum non rarò in his scriptoribus mentio: has vocabant Druidas, communi cum viris illis nomine, de quibus tam multa veteres. Sed in Alexandro Seuero, & infra in Numeriano, *Druias* scriptum, non Druis. Scripti & veteres editi exhibent hic, *Dryas*, & statim *Dryadibus*. vt videatur scribendum, *Druias* & *Druiadibus*. in Numeriano tamen est, *Druidibus*: sed & eo loco aliter veteres.

37. *Vectigal ex Aegypto Vrbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ, atque anabolicas species æternas constituit.*] Solebant imperatores ciuitatibus vectigalia deputare ad proprias fabricas aut alios vsus: vt de Alexandro Seuero narrat Lampridius. Roma autem tempestate illa, postquam principes, non vt Augustus partem prouinciarum, sed omnes sibi vindicarunt, & simul ærarium populo ademerunt, non multo meliore loco erat quam reliquæ ciuitates. Tunc illi à principibus vectigal assignatum, & illa atca publica instituta, quam supra dicebamus in ærarij locum successisse. porrò inter Alexandrinas merces solita deferri quæ hic nominantur vitrum, chartas, linum, stupas, testatur & M. Tullius in oratione pro Rabirio Posthumo, atque alij è veteribus. propterea grammatici Αἰγυπτίαν ἐμπολὴν apud Euripidem recte interpretati sunt, τὸν ῥῶπον. sic Græci vocant minutas merces, & vt ipsi dicunt, τὸν λεπτὸν φόρτον. Scribendum autem vt pridem monuit Hadrianus Turnebus, *embolicas species*, non *anabolicas*. quam ridiculam vocem sunt commenti qui inuenerant scriptum *ambolicas*. sed aliter emendare debuerant. nam qui tuentur vulgatam lectionem tum hoc loco, tum in Codice, totius Hellenismi se esse rudes atq; imperitos produnt. Legant isti quantum est Græcarũ legum aut constitutionũ: si locum vnicum reperiant, vbi sacra embola quæ dicitur in Codice, aliter quã ἐμβολὴ nuncupetur, sunto per nos quamuis magni Aristarchi. Embolam autẽ sacram appellarunt certum frumenti modũ, quem necessario Romæ subministrabat Aegyptus. non hoc primus instituit Aurelianus, sed ipse, vt videtur, Augustus. ab eius enim temporibus frequens apud veteres scriptores Alexandrinæ classis mentio. sed post Augustum multi principes circa hanc classem aliquid innouarunt. Et videtur Aurelianus frumentis Aegyptiacis alias species adiecisse, quæ pars embolæ sacræ censerentur: sed hoc postea puto mutatum. nam sacram embolam Græci iurisconsulti nominant, τὸν τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σῖτον.

Alexandrinae species

Embolicas species

sacra embola

Pag. 331. vers. 2. *Quod aquæ frigidioris copia illic deesset.*] Non frigidioris, sed *frigidi aëris* scriptum in omnibus libris & antiquitus editis, & manu exaratis. Iosephus Scaliger ex eo emendat, *quod aquæ frigidiarijs copia illic esset.* Frigidiarium, inquit, vt tepidiarium.

8. *Et cum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur.*] Alexandri Seueri dictum commemorat Lampridius: matronas regias contentas esse debere vnico pallio auro sparso, & cyclade quæ sex vnciis auri plus non haberet. Videtur Aurelianus ad hanc normam exegisse Seurinę vxoris suæ cultum, cum ei non permittit, vt vel vnicum habeat pallium holosericum, & blattea purpura infectum pallium.

10. *Libra enim auri libra serici fuit.*] ἰσοστάσιον γὰρ τὸ σηρικὸν νῆμα πρὸς χρυσόν. vel vt est in lege Rhodia, ὁλοσηρικὰ ὅμοια τῷ χρυσίῳ.

11. *Habuit in animo vt aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur.*] suasor legis Tacitus: de quo in vita

Vo-

Vopiſcus: *Auroclauatis veſtibus idem interdixit: nam & ipſe auctor Aureliano fuiſſe perhibetur, vt aurum à veſtibus & cameris & pellibus ſubmoueret.* Per cameras intelligo priuatarum ædium ac balnearum laquearia & parietes qui iam ætate Plinij tanquam vaſa inaurabantur.

16. *Idem dederat facultatem, vt aureis qui vellent & vaſis vterentur & poculis.*] Ratio legis manifeſta: vt tanto facilius obtineret ne diuites & opum ſuarum oſtentatores, inaurationibus & liquationibus variis aurum perderent.

17. *Vt argentatas priuati carrucas haberent.*] Reſpectu principis omnes ſunt priuati, etiam ſummis magiſtratibus præditi: reſpectu eorum qui omni dignitate carent, magiſtratus non ſunt priuati. ita hic accipiendum eſſe ex Lampridij Alexandro apparet. nam ibi ſenatoribus eadem fit poteſtas: hîc priuatis, & τοῖς οὐκ ἐν τέλει.

19. *Idem conceßit vt blatteas matronæ tunicas haberent, & cæteras veſtes.*] quam varij colores in matronarum veſtibus eſſent Romæ vſitati, diſci poteſt ex Ouidij tertio De arte. multos enim eo loco recenſet. ibi nominatur inter cæteros colores Tyria purpura dibapha. Quare videtur multo ante purpureas veſtes geſtaſſe matronæ Romanæ: vt lege hac Aureliani opus illis non fuerit. Sed docemus vbertim alibi iam inde à Iulio Cæſare & Auguſto vſum eius coloris ademiſſe priuatis imperatores. Non igitur integras è purpura veſtes conficere fas fuit, ſed ſegmenta, aut clauos purpureos, vel id genus alia, ad ornatum veſtimentis adſuere. Adde quod blatta exquiſitiſſimæ purpuræ genus fuit. quo minus mirum, ius matronis non fuiſſe, vt blatteas ſiue tunicas ſiue cæteras veſtes induerent. de forenſibus præſertim loquor: nam tricliniares balneares, & aliæ domeſticæ veſtes maioris luxus & licētiæ fuere quàm forenſia. Vetitum ergo prius colorem permiſit Aurelianus: ſed in veſtibus, vt arbitror, è lana. nam blatteas ſericas veſtes adeo non fecit promiſcui iuris, vt ne vxori quidem conceſſerit.

20. *Cum antea coloreas habuiſſent, & vt multum oxypæderotinas.*] *Coloreas* id eſt vario colore tinctas, modo hoc, modo illo: quod præclare docet locus Ouidij quem iam indicauimus. colorea veſtis Latine, quæ in idiomate noſtro, *de couleur.* ſed nos coloream opponimus nigræ: hîc vero opponitur blatteæ ſiue purpureæ. ita locuti ſunt Romani: Auguſtus in teſtamento ſuo: *gauſapes, lodices purpureas, & coloreas meas.* Caue pro eodem accipias coloreum veſtimentum & verſicolor: quod Græcis eſt ποικιλόχροον. talia veſtimenta lege veteri Romanis matronis interdicta, quam T. Liuius commemorat initio libri XXXIV. *Oxypæderotinas* interpretamur coloris pæderotini, ſed ſaturi & non diluti. ſic dicitur *oxyblatta* in Codice, blatta exquiſitioris luminis. Color autem pæderotinus non à cæreſolio herba, quæ dicitur quibuſdam pæderos: ſed vel ab acantho herba alia, quam Græci Latinique alio nomine pæderotem nominant: vel à gemma opalio, quæ vt Plinius auctor eſt, etiam pæde-

ros propter eximiam gratiam à plerisque appellata est. Orpheus nominis ratione indicat, quòd colore habeat delicati & teneri pusionis.

> Φημὶ δέ τοι τέρπειν καὶ ὀπάλλιον ἡγεμόνας
> Ἀγλαὸν, ἱμερτοῦ τέρενα χρόα παιδὸς ἔχοντα.

siue autem ab acanthi foliis nomen inuenerit hic color, siue ab opalio gemma, amœnissimus profectò est, atque aspectu gratissimus. sed de his plura alibi nobis dicenda.

26. *Et vt fibulas aureas gregarij milites haberent, idem primus concessit.*] Apud veteres fibulæ aureæ inter præmia militaria donari solitæ, & simul ius iis vtendi: nam neque apud Græcos neq; apud Latinos publici iuris eas fuisse multi auctores sunt qui testantur.

23. *Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit.*] Malim, *paragaudias.* exposuimus ad librum superiorem.

24. *Cum antè nonnisi rectas purpureas accepissent.*] Rectas purpureas dicit, quæ segmenta purpurea recta haberent. segmenta vestibus appingebant, alia recta, alia transuersa, alia etiam aliter. tenuiorum vestimentis recta solum inerant, & quidem singula. Longe aliter hæc scimus accepisse magnum virum Hadrianum Turnebum: sed alibi caussas afferimus, cur expositionem ipsius probare non possimus.

Pag. 332. vers. 10. *Facta erat ratio dochæ, cuparum, nauium, & operum.*] Volui editum *dogæ.* ea enim vera lectio, non *dochæ*, vt rectè docuit Turnebus in Aduersariis. Glossæ, *Doga, βούτης. Dogarius, βουτοποιός.* quid esset βούτης siue βοῦτις exposuimus ad Capitolinum in Maximinis. Glossarum auctor duo nomina ingentium vasorum buttis & cupa confundit. nam alibi ita scribit, *βοῦτις, cupa: βούτιον cupella.* sed nos supra ex Herone mathematico hæc vasa distinguebamus. vtrumque nomen seruat hodie idiotismus Francorum. nam *bouteille*, est butticula: vt à cornicula dicimus *corneille.* Putabat Iacobus Cuiacius, dogam à Græco δοχὴ esse ductum vocabulum. & fortasse ita est. dubito tamen: quia memini legere in libris Hebræorũ דוגה quod plane est doga. est autem illis דוגה nauis genus: vnde apparet dogæ vasis amplitudo. sic cupa Hesychio nauis genus esse dicitur: & alia quædam vocabula modo nauigium, modo vasis grandis aliquam speciem significant. Pro *operum* malim *operarum*: etsi & alterum potest ferri.

15 *Quod in porticibus templi Solis.*] templi eius quod Soli & Belo posuerat Aurelianus.

16. *Non gratuita populo eroganda sed pretio.*] Videbatur sententia huius loci, contrarium eius quod his verbis dicitur, postulare: vt nimirum vina fiscalia, quæ dixit poni solita in porticibus templi ab Aureliano ædificati, non pretio, sed gratuita populo erogarentur. ita melius probauerit quod docere instituit. Sed in edita lectione consentiunt & membranæ. aliter igitur exponendum: vt intelligamus, Aurelianum dum ea parat quæ ad genus hoc largitionis erant necessaria, interiisse

prius

quàm noua liberalitate hac vti cepiſſet.

20. *Ipſumque primum donaſſe oraria pop.Ro.quibus vteretur populus ad fauorem.*] Erant veteribus, vt hodieque nobis, linteamina quædam parua, ad munditiem corporis vſus magni & multiplicis. Eius generis ſunt ſudaria, ſemicinctia, oraria, & quorum vnus meminit Arnobius libro ſecundo, *muccinia*: nos & rem & nomen ſeruauimus μικρὸν παρεſ-κλίναντες: *munctoria* enim vocamus in idiotiſmo Gallico. *ſemicinctia* vt nomen indicat, & teſtatur Martialis epigramma, inuenta ſunt, vt iis ſe præcingerent vel cum lauarent in balneis, aut gymnaſtæ operam darent, vel cum miniſtrarent: miniſtrabant enim præcincti, vt ex Suenio atque aliis ſcimus. ſed poſtea etiam ad alia ſemicinctiis vſi ſunt: quod conſtat etiam ex ſacra hiſtoria Actorum apoſtolicorum, vbi hæc vox Latina vſurpatur Græco ſcriptori, vt & *ſudarium*, altera Latinorum vox. ſic enim vocarunt lintea minuta quibus manantem capite ſudorem tergebant. *Oraria* quid appellauerint, & ad quem vſum vulgo haberentur, adeo parum vulgo notum eſt, vt videam viros doctiſſimos & veterum & noſtrorum, in expoſitione huius vocabuli grauiter eſſe lapſos. Scimus etiam homines eruditiſſimos cum mentem iſtius loci non caperent, eius emendationem varie tentaſſe. Vtuntur voce ORARIVM ſcriptores Latini, Græci ac Syri: ſed origo eſt Romana. Auctor Etymologici poſtquam docuit φώστων & φωστώνιον dici linteum quoddam vel ſindonem paruam, addit, ἢ προσώπου τὸ ἐκμαγεῖον· λέγεται δὲ οὕτω καὶ ὃ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται ὠράριον. ſimiliter & Balſamon Conciliorum interpres, ὠράριον τὸ τοῦ προσώπου ἐκμαγεῖον. eſt igitur proprie orarium linteum ori tergendo paratum. ideo Prudentius *pignus oris* vocat Περὶ στεφάνων hymno primo. *Hic ſui dat pignus oris vt ferunt orarium.* Meminit orariorum Lucilius. nam apud Nonium De genere veſtimentorum, ita ſcribitur. *Ricinum. Lucil.Satyr.lib.ſecundo.*

Ricini aurati, ricæ & oraria mitræ.

ſed non putamus nos adeo antiquam eſſe hanc vocem, vt eius potuerit Lucilius meminiſſe. nam multis demum poſt eius ætatem ſeculis eam cepiſſe vſurpari obſeruauimus. Suſpicabamur gloſſam in verſu Lucilij poſitam fuiſſe veræ vocis loco: poetam autem ſcripſiſſe, *atque anademata mitræ.* Lucretius libro IIII.

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

verùm poſtea deprehendimus aliud hic latere. perperā enim in libris vulgatis cum poetæ verbis Nonij interpretatio confunditur, cuius ibi nullum prorſus veſtigium apparet. quare non dubitamus locum illum ſic eſſe concipiendum. *Ricini aurati. ricæ, & oraria aut mitræ.* Lucilij ſunt prima ſolùm verba: reliqua Nonij, quibus vocem *ricini* interpretatur. Rectè autem ille oraria & mitras ceu voces eiuſdem notionis aut non multum diuerſæ vſurpat. Eymologicum magnum: Μίτραι, κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν ἢ ὠραρίων γινόμενοι στέφανοι. ſcribendum ὠραρίων. Euſtathius in

Ἰλιάδ. Δ. φασὶ δέ τινες καὶ αὐτὸ τοὺς στεφάνους εἶναι ποτὲ τὰς μίτρας. φάμενοι ὅτι μίτραι κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν καὶ ὠραρίων στέφανοι. Quod autem oraria ad modum faſciarum longiuſculæ fuerint, probamus Auguſtini teſtimonio De ciuitate Dei libro XXII. cap. VIII. vbi de eo loquens cui oculus in maxillā fuſus erat: *Tunc*, ait, *ſicut potuit oculum lapſum atque pendentem, loco ſuo reuocatum, ligauit orario.* Euagrius in ſimili hiſtoria libro quarto cap. VII. τὸ διαρρυὲν πλαμῶσιν ἀναδῆσαι. eſt igitur orarium ſimile quid πλαμῶσι: quam vocem Græci interpretantur λῶρον ἢ φασκίαν. Ambroſius oratione funebri de obitu Symmachi fratris: *Diuinum illud fidelium ſacramentum ligari fecit in orario, & orarium inuoluit collo, atque ita ſe deiecit in mare.* Sed erant oraria, non ſolum longa, verùm etiam lata. nam antiquus Iuuenalis interpres quem habemus, flameum illud quo nubentes amiciebantur, orarium interpretatur. Optime verò quid ſit orarium declarant eccleſiaſtici ſcriptores, qui in habitu ſacerdotali orarium appellarunt pannum oblōgum, brachio ſacerdotis ſolitum imponi. In Græcis liturgiis ſæpe fit huius mentio: & vocant Græci iſtam manualem laciniam, modo ὠράριον modo λῶρον. quanquam alij orarium & ὠμοφώριον pro eodem accipiunt, quod non ſacerdotum ſed diaconorum geſtamen fuiſſe inuenio. Matthæus Blaſtares in Synopſi Conciliorum: Ὁ τῆς ἐν Λαοδικείᾳ κβ΄, καὶ ὁ κγ΄. οὐ δεῖ, φασὶ, τὸν ὑπηρέτην ἤτοι ὑποδιάκονον ὠράριον περιβεβλῆσθαι, ἀλλὰ τῶν τῆς ἐκκλησίας θυρῶν ἔχεσθαι. & poſt pauca: τοῖς διακόνοις δέδοται καὶ μόνοις, τῷ λαιῷ τῶν ὤμων τοῦτο περιτιθέναι. ἐκλήθη δὲ ὠράριον ἐκ τοῦ ὡρῶ τὸ φυλάσσω καὶ ἐπιτηρῶ. οἱ γὰρ ἐξαρτῶντες τοῦτο διάκονοι, τοῖς ἱερουργοῦσι παριστάμενοι, καὶ τὰς τῆς ἱερᾶς τελετῆς ἐπιτηροῦντες εὐχὰς, τῷ ὠραρίῳ τοῖς ἐν τῷ ἄμβωνι σημαίνουσι διακόνοις τὸν καιρὸν τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως τῶν τε κατηχουμένων καὶ τῶν πιστῶν. Vult diaconorum proprium eſſe orarium: quod illi læuo humero impoſitum geſtent: ex eo autē dictum, quia teneantur qui orarium habent diaconi, ſtantes ad pulpitum tempus obſeruare quando oporteat eum qui ſacram paginam legit, vel fideles, vel catechumenos compellare. ὡρεῖν enim eſſe obſeruare. hoc quidem verum eſt: ſed verbi notatio inepta & falſa: quæ tamen non huius eſt recentioris ſcriptoris: ſed etiam apud eruditiſſimum Balſamonem legitur. Sic accipe apud Codinum curam palatij, in libro De officiis: ὁ ἀρχιδιάκονος φορῶν τὸ συνήθες αὐτῷ στιχάριον, φορῶν δὲ ἐπ' αὐτοῦ καὶ φελόνιον, οὐ μὴν καὶ ἐπιτραχήλιον, ἀλλ' ὠράριον. Separat ἐπιτραχήλιον quod iniicitur collo, ab orario: at in libro Seueri Alexandrini patriarchæ de ritibus Syrorum, amictus ſacerdotalis pars nominatur אוררא quod noſtrum eſt ſine dubio orarium: id autem ait imponi collo. quare idem videtur eſſe cum eo quod Græci ἐπιτραχήλιον dicunt. Habuerunt & epiſcopi orarium ſuum, velut quoddam ſanctiſſimæ dignitatis inſigne. Vita Fulgentij: *Vna tantum viliſſima tunica, ſiue per æſtatem, ſiue per hiemem patienter indutus: orario quidem ſicut omnes epiſcopi nunquam vtebatur.* Orarium appellaueris apte ſericeam inſtitam, quam collo appendunt in Galliis magiſtratus, & alij qui doctores fuerunt renunciati. Olim ad

vſum

vſum tantum munditiei geſtabatur : ſed Aurelianus vt docet heic Vopiſcus, nouum & prius incognitum orariorum vſum inſtituit. dedit enim populo oraria, quibus ille vteretur ad fauorem. Theatrorum ac Circi verba ſunt *fauere* & *fauor*, quæ non ſignificant tacitam beneuolentiam, ſed quæ voce geſtuque exprimeretur. ita accipiendum aliquot horum ſcriptorum locis, & non rarò apud alios. Hieronymus epiſtola ad Pammachium : *Hæc dico, non quod de ardore mentis tuæ quicquam dubitem, ſed quò currentem impellam, & acriter dimicanti feruorem fauore augeam.* fauor hic eſt εὐφημία, ἐπιβόησις, & adclamatio incitantis ac bene cupientis. auctor libri De vera circumciſione, quem ſine cauſſa quidam Tertulliano aſcribunt : *Mira ratio : nam vult* CHRISTVS *prædicari quod gaudet intelligi : nam mauult ſe inuentum eſſe quàm proditum, vt virtus ſua illum non fauor manifeſtaret alienus.* Cælius Aurelianus Tardarum paſſ. libro primo, capite v. *Adhibendi auditores ſunt ægrotanti conſueti, qui fauore quodam atque laude dicta proſequentes, dicentis animum laxent.* Septimius Romanus: *Interea reliquis ducibus fauorem attollentibus, gaudio lætitiaque completa omnia ſunt.* πάντων μετ' βοῆς αὐτὸν εὐφημούντων. Corippus libro IIII. de ludis Iuſtini Cæſaris :

Omnia roboribus ſternunt loca plana politis,
Coniungunt tabulas, & ferri nexibus arctant :
Quæ pondus ſtrepituſque virûm motuſque fauentis
Ferre queant populi. & ſtatim,
Diſpoſuère gradus quìs ſtaret in ordine longo
Diuiſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus,
Poſſet & exertas ad munera tendere palmas,
Liberius ſpectare oculis, manibuſque fauere.

manifeſtiſſime declarant hi verſus quid ſit fauere in re ludorum, & quid hoc loco fauor. quam vocis huius notionem cum ante nos viri doctiſſimi obſeruaſſent : iidem tamen quis eſſet orariorum vſus in fauendo, ſiue vt loquitur Vopiſcus, ad fauorem, non ſunt aſſecuti. Nam quod referunt ad modulatas adclamationes, & orarium interpretantur tegmen aliquod aut velamentum reſonans, haut dubiè fugit eos ratio. Enimuerò fauere orario, vel vti ad fauorem orario nihil aliud eſt niſi iactato orario dare ſignum fauoris. ante Aurelianum toga hoc fiebat. Ouidius libro tertio Amorum vniuerſum fauendi morem pulcherrimè expreſſit his verſibus.

Maxima iam vacuo Prætor ſpectacula circo
Quadriiuges æquo carcere miſit equos :
Cui faveas video : vincet cuicunque fauebis :
Quid cupias ipſi ſcire videntur equi.
Me miſerum metam ſpatioſo circuit orbe :
Quid facis ? admoto proximus axe ſubi.
Quid facis infelix ? perdis bona vota puellæ :

Tende precor valida lora sinistra manu.
Fauimus ignauo: sed eum reuocate Quirites:
Et date iactatis vndique signa togis.
En reuocant: at ne turbet toga mota capillos:
In nostros abdas te licet vsque sinus.

habes hic adclamandi morem, & ipsarum adclamationum exempla: habes & quam diximus togæ iactationem: quò spectabat illa Varronis & Columellæ querela de suorum temporum patribus familias, *qui in circis potius ac theatris, quàm in segetibus ac vinetis manus mouerent.* Græci hoc dicunt ἀνασείειν τὴν χεῖρα ἢ τὴν ἐσθῆτα. Philostratus in imagine Arrichionis Olympionicæ. ἔοικε μὴ τοῦ ἀντιπάλου μόνον ἀλλὰ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ κεκρατηκέναι. βοῶσι γοῦν ἀναπηδήσαντες τῶν θάκων. καὶ οἱ μὲν τὼ χεῖρε ἀνασείουσιν· οἱ δὲ τὴν ἐσθῆτα. in vita autem Heliodori sophistæ Hadrianus imperator admiratus eius viri eloquentiam, etsi non erat in theatro, more tamen theatrorum exilit, exclamatque ἄνδρα οὔπω ἔγνωκα, τῶν ἐμαυτοῦ καιρῶν εὕρημα (sic scribendum:) καὶ τὰ τοιαῦτα ἐκάλει τὸν Ἡλιόδωρον, ἀνασείων τὴν χεῖρα, καὶ τὸν κόλπον τῆς χλαμύδος. idem significat κατασείειν ταῖς ὀθόναις apud Eusebium in septima historia ecclesiastica, de Paulo Samosateno hæretico: qui grauiter offensus dicitur quoties publicè verba faceret, τοῖς μὴ ἐπαινοῦσι μηδὲ ὡς ἐν τοῖς θεάτροις κατασείουσι ταῖς ὀθόναις μηδ' ἐκβοῶσί τε καὶ ἀναπηδῶσι. Eunapius in Iuliano sophista: ἀνά τε ἐπήδησεν ὁ ἀνθύπατος ἐκ τοῦ θρόνου, καὶ τὴν περιπόρφυρον ἀνασείων ἐσθῆτα, ἐκρότει τὸν Προαιρέσιον. sic ἀνασοβεῖν τὴν ἐσθῆτα apud Aristænetum. Quod igitur iactatione togæ ante Aurelianum non sine aliquo incommodo, vt & superior Ouidij locus declarat, fieri solitum, eo auctore mutatum est, ceperuntque loco togæ oraria iactari. Inde qui fauebant *orariarij* dicti, & contracta voce euphoniæ gratia, atque o in *au* diphtongum mutato, *aurarij*. Seruius in illum versum,

Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

AVRIS, ait, *fauoribus: vnde & aurarij dicuntur fautores*. deducit hanc vocem ab aura. idem alio loco deriuat non ab aura sed auro: transcripsitque eum Seruij locum in suos libros Isidorus. nobis tamen videtur aliter. nec moramur scribendi consuetudinem contra analogiam: cuius exempla multa in Latina lingua. Quemadmodum autem isti in ludis fauoris signum orariis dederunt: sic alios iactatione sudarij dare signum solitos obseruauimus. Nam vt in ecclesiis Christianorum diaconus qui orarium gestabat, eum qui in ambone sacram scripturam legebat, admonebat quando vel ad fideles vel ad catechumenos deberet orationem flectere: sic in Iudæorum synagogis legem è pulpito recitanti aderat aliquis manu sudarium tenens, qui populo signum daret vt AMEN diceret: dabat autem signum, מֵנִיף בְּסוּדָרִין vt loquuntur Rabbini, id est *motitans sudarium*. Sic etiam in iudiciis capitis cum reus pro post latam sententiã ad locum supplicij ducebatur, cõstituebatur aliquis in pretorij foribus, qui si de eius innocentia inter hæc

con-

conſtitiſſet,dato ſigno, executionem ſupplicij impediret, & condemnatum ad iudices reuocaret.id autem ſignum dabatur ſimiliter iactato ſudario,vt diſerte iidem magiſtri teſtantur.

23. *Miliarenſem denique porticum in hortis Salluſtij ornauit.*] Miliarenſem vocat, quam Suetonius Nerone capite XXXI. millenariam. hortorum Salluſtij qui erant Auguſtorum meminerunt præter Victorem, Tacitus & Vlpianus lege XXXIX. De legatis libro primo. Aberant hi horti à Palatio longiuſcule: vt colligas ex incerti auctoris panegyrico ad Conſtantinum.

30. *Senatum ſiue ſenatulum matronis reddi voluerat.*] Vide ad Lampridium in Heliogabalo.

31. *Ita vt primæ illic quæ ſaccerdotia ſenatu auctore meruiſſent.*] Excidit vocula. Scrib. *ita vt p.illic,quæ ſ.ſ.a.meruiſſent,eſſent.Calc.*

32. *Calceos mulleos, & cereos alb.*] Qui fuerint mullei calcei expoſitum eſt à Feſto.nos de his & cæteris qui hic nominantur multa alibi ſcripſimus.

34. *Curſores eo habitu,q.*] de his aliquid ad Aelium Verum. etiam in horum amictu ſuorum morum dabatur ſpecimen à principe. ſimile hodie in veſte puerorum à pedibus, qui veterum fuere curſores.

35. *Concubinas ingenuas haberi vetuit.*] at libertinas videlicet conceſſit: quod primus vetuit Conſtantinus,cuius legem refert Iuſtinianus in quinto libro ſui Codicis.

36. *Eunuchorum modum pro ſenat.*] Vide Lampridium in Alexandro Seuero.

Pag.333.verſ.4. *Vxori & filiæ annulum ſigillaricium quaſi priuatus inſtituit.*] Fero *priuatus*: ſed non penitus damno quod placuit aliquando, *quaſi priuatis*. De annulo ſigillaricio omnia iam pueris nota. eius cura proprie ad matres familias pertinuit:quod igitur ait de filia,poteſt intelligi de grandiore natu & in matrimonio collocata.

5. *Seruis ſuis veſtes eaſdem imperator, quas & priuatus dedit.*] Lampridius idem in Alexandro Seuero.

8. *Erat quidem rarus in voluptatibus.*] ſpectaculis ludorum raro intererat.

ISAACI CASAVBONI
IN FLAVII VOPISCI TACITVM,
EMENDATIONES ET NOTÆ.

TACITVS.] Melius hic liber inſcribatur, Tacitus & Florianus. nam vno libro vtrumque ſe complexum indicat illis verbis: *Ne quid deeſſet cognitioni pleraſque huiuſmodi epiſtolas in fine libri poſui.*

22. *Quod poſt exceſſum Romuli nou.*] Aurelius Victor: *Tantum ille vir ſeueritate atque incorruptis artibus potuit, vt eius . . . . necis auctoribus exitio: prauis metui: ſimulata dubiis: optimo cuique deſiderio: nemini inſolentiæ aut oſtentationi eſſet: atque etiam ſoli, quaſi Romulo, interregni ſpecies obuenit, longè verò glorioſior.* vbi codicis hiatum notauimus, deſideratur vocabulum *mors.* aut ſimile aliud, ſine quo ruit periodus tota.

23. *Pontifices penes quos ſcribendæ hiſtoriæ poteſtas fuit.*] M. Tullius De oratore libro II. *Erat initio hiſtoria nihil aliud, niſi Annalium confectio: cuius rei memoriæq; publicæ retinendæ cauſſa, ab initio rerum Romanarũ vſque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorũm mandabat literis pontifex maximus: referebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi: iique etiam nunc Annales maximi nominantur.*

29. *Sex totis menſibus factum eſt.*] Aurelius Victor, ſex circiter menſes ait. at alter Victor, ſeptem. Vopiſcus libro ſuperiore, vt hoc loco, & iterum infra hoc libro.

30. *Multis tamen modis hæc ab illo negotio cauſſa ſeparata eſt.*] Hoc addit in honorem Aureliani: ſimillime Victor paullo antè, *longe verò glorioſior.*

33. *Totuſque ille annus per quinos & quaternos dies ſiue ternos, centum ſenatoribus deputatus eſt.*] In hac de interregno poſt Romulum hiſtoria partim conſentit Vopiſcus iis auctoribus quos hodie habemus, partim alios ſequitur, quorum hodie nihil ſupereſt. quod ait centum ſenatores fuiſſe, à Liuio habet, qui eum numerum ponit. nam alij alium: vt

Plu-

Plutarchus qui CL. Dionysius Halicar. qui CC. de quinis diebus imperij interregum consentiunt Dionysius, T. Liuius, & Plutarchus. sed cum addit, *& quaternos dies siue ternos*, discedit ab iisdem, nec quos sequatur scio.

34. *Vt qui valerent interreges essent, singuli duntaxat.*] Videtur dicere, quosdam è patrum numero, quod parum valerent, imperij participes non fuisse. de quo nihil veteres.

35. *Quare factum est vt & plures annos interregnum iniretur.*] Heic verò prorsus contraria scribit Vopiscus Liuianæ historiæ: nam ille annuum interuallum fuisse regni auctor est. idem & alij. Dionysius & Plutarchus tempus non definiunt. Zonaras varie proditam fuisse hanc historiam adnotat. Nullum hic mendum esse, neque aliter Vopiscum scripsisse, arguunt sequentia verba, *ne aliquis* (nempe centum illorum senatorum,) *sub æquali dignitate, Romani expers remaneret imperij.* Quare non probo quod aliquando placitum, scribi debere: *factum est vt & plures eo anno interregnum inirent.*

Pag. 334. vers. 4. *Vt nullus interrex biduo saltem triduóve crearetur.*] dixisset magis perspicuè: vt non aliquis interrex ad biduum saltem triduúmve crearetur.

5. *Curules magistratus apud maiores nostros quadriennium in Rep. non fuisse.*] imò per quinquennium ἀναρχία fuit Romæ, vt notatum est in Annalibus: sed & alij multi quadriennium dicunt. Adi ad Fastos Caroli Sigonij, & Onufrij in anno V. C. CCCLXXVIII.

7. *Sed erant tribuni plebis cum tribunitia potestate, quæ pars maxima regalis imperij est.*] Verùm erat Vopisci temporibus, & sub imperatoribus semper, tribunitiam potestatem partem maximam regalis imperij esse: ea enim fuit vis eius potestatis, vt meritò inter præcipua censeri possit, quibus astruebatur principibus noua maiestas illa imperatoria, ex multis antiquis dignitatibus collecta. sed hoc in illis solis verum: & quidem ex Augusti inuentione, qui, vt ait Tacitus, id summi fastigij vocabulum reperit. in antiquis tribunis plebis, quorũ omnis in intercedendo potestas, dignitas prope nulla, falsum est quod heic Vopiscus scribit. Ita non dubitat Diodorus Siculus quadriennium illud siue quinquennium, quo tribuni pl. rem publicam obtinuerunt, ἀναρχίαν Titus Liuius solitudinem magistratuum, nominare. & Sextus Rufus: *Sine magistratibus*, inquit, *Roma fuit annis quatuor.* Quare falsus est hoc loco Vopiscus.

8. *Tamen non est proditum, interreges eo tempore non fuisse.*] atqui satis apertè nullos fuisse eo spatio interreges affirmant historici, cum nullos commemorant: sero enim & fere post exactum quinquennium, vt est apud Liuium, *remittentibus tribunis plebis, comitia per interregem sunt habita.*

9. *Quinetiam verioribus historiis referentibus declaratum est, consules ab*

interregibus prius creatos, q.] Durante Rep. hoc sæpius accidisse ex historia T. Liuij & omnibus aliis potest intelligi. sed erat heic sermo de illo quinquennio quo Resp. curulibus caruit magistratibus: quo quidem tempore consules ab interregibus fuisse creatos, qui haberent reliquorum comitia magistratuum, nemo sanus ausit dicere. Quid igitur sibi hoc loco velit Vopiscus, & quos appellet veriores historicos viderint alij. Ego non dubito, quin heic eum ratio fugerit.

12. *Ergo quod rarum & difficile fuit.*] & vulgo fieri posse iactabatur: itáque imperatores credi voluerunt. vide ad Spartiani Hadrianum.

19. *Quod est in vita optimum.*] Terentius: *id arbitror Adprime in vita esse vtile.*

20. *Se timebant.*] Ambrosius epistola ad Constantium: *Nemo vel solus vel cum altero aliquid turpe aut improbum faxit: & si quis solus est, se ipsum præ cæteris erubescat, quem maxime debet vereri.*

22. *Vt discant qui regna capiunt.*] omnino scribendum vt in antiquis, *cupiunt.*

25. *Vt apud quoslibet commenta plurimum valent.*] *apud quoslibet*, inquit: nedum apud militares viros, quorum simplicitas facilius in errorem induci potest. non displiceat scribi, *vt apud quos quorumlibet commenta plurimum valent.*

28. *Eisdemque ab exercitu grauiter confutatis.*] id est, pœna affectis: nam Mnestheus doli machinator surrectus ad stipitem bestiis obiectus fuerat.

Pag. 335. vers. 12. *Sententiam incertum quam vellet dicere.*] Distingue ad sententiæ lucem, *sententiam (incertum quam) vellet dicere.*

23. *Miror P. C. in locum Aureliani f.*] Scribe, *miror vos P. C. in l.*

27. *Vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus.*] id est, satis plene dicere, & perfectè valemus. aliud *dicere*, aliud *edicere*. sed noue heic accepit. nam ita & scripti.

30. *Et mihi hoc solum obesse incipiat, quod me vnanimiter delegistis.*] Non sine probabili ratione aliquis malit, *dilexistis.* nihil tamen muto, sine libris.

32. *Traianus ad imperium senex venit.*] non senex, sed specie senili erat Traianus, cum factus est imperator. Plinius in eius Laudatione: *Iam honor capitis & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deûm festinatis senectutis insignibus, ad augendam maiestatem ornata cæsaries, nonne longe latéque Principem ostentant?* erat annorum quadraginta quatuor Dione auctore. tamen iterum Tacitus infra senem ait fuisse in oratione ad milites.

33. *Et Hadrianus ad imperium senex venit.*] imò adhuc quam Traianus biennio circiter iunior. accommodate igitur ad id quod agebatur ista dicuntur à senatoribus: non conuenienter historiæ.

34. *Et Antoninus ad imperium senex venit.*] Pius nempe: qui quin-

quagenario

quagenario maior ad imperium acceſſit: nam Marcus annorum erat fere XL.

Pag.336.verſ.4. *Deinde omnes interrogati.*] Membranæ Puteani ſic: *Deinde omnibus interrogatis, is præterea qui poſt* T. ſed in regio optimè, *deinde* OMNES. *Interr.* recta igitur eſt Iuſti Lipſij emendatio: qui pridem ſcribendum monuit: *deinde* OMNES. *interrogatus præterea qui poſt* T. *ſ.* vide ad Trebellij Pollionis Valerianos. Similis & alius loco paullo poſt.

18. *Dij auertant principes pueros.*] Sapientiſſimi Salomonis antiqua vox eſt: *Væ tibi ô terra, cuius rex puer eſt.*

21. *Dulcia & circuli.*] etiam apud Græcos inter dulciariorum opera κύκλος.

Pag.337.verſ.18. *Nam diu hæc S.C. quæ ad principes pertinebant in libris elephantinis ſcribebantur.*] Deſierat nempe vetus conſuetudo, vt omnia S.C. in æs inciſa referrentur in ærarium. Exarabant verò in tabulis eboreis, non autem ligneis honorificentię cauſſa. meminit eboreorum codicum Vlpianus lege LII. De legatis tertio.

24. *Manuum magiſtralium ictibus terrorique ſubiaceat.*] Alia lectio: *magnorum magiſtr.* ex quo emendabat Ioſephus Scaliger, *flagrorum magiſtr.*

31. *Si te citius facta præuenerint.*] Legebatur *peruenerint.* emendabat igitur Ioſephus Scaliger, *perneuerint.* & Fata maiuſcula F. ſic apud Martialem:

Sic mihi cum ſeros Lacheſis perneuerit annos.

ſcripti habent *præuenerint*, aut *præueniunt.* quod verbum eleganter heic poſitum pro φθάσοιεν ἁρπάσαντα, ſiue καταλάβοι. *Morte præueniri* pro mori tranſlatitium eſt.

32. *Ne ſic Remp. P.Q.C.P.Q.R. vt villulam tuam, vt colonos tuos, vt ſeruos tuos relinquas.*] Plinius in Panegyrico: *An Senatum populumque Ro. exercitus, prouincias, ſocios, tranſmiſſurus vni ſucceſſorem è ſinu accipias? ſummæque poteſtatis heredem intra domum tuam quæras?* deinde. *Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus: non enim ſeruulis tuis dominum, vt poßis eſſe contentus quaſi neceſſario herede, ſed principem ciuibus daturus imperator.*

Pag.338.verſ.7. *Cauit vt ſerui in dominorum capita non interrogarentur, ne in cauſſa maieſtatis quidem.*] Regula iuris eſt, ſeruum in caput domini non poſſe interrogari. ſed excepta ſunt conſtitutione Seueri aliquot crimina: adulterij, fraudati cenſus, & maieſtatis. hanc igitur conſtitutionem antiquauit lege ſua Tacitus. ſed non obtinuiſſe ius ab eo intrroductum, teſtis eſt titulus Codicis De quæſtionibus.

9. *Tacitum abſentem & in Campania poſitum principem nuncupatum.*] Zonaras de electione Taciti, τὸ στρατιωτικὸν αὐτὸν ἀνηγόρευσε καὶ ἀπόντα. ἐν Καμπανίᾳ γὰρ τότε διέτριβεν· ἔνθα δεδεγμένος τὸ ψήφισμα, εἰς Ῥώμην εἰσῆλθε μετ'

σχήματος ἰδιωτικοῦ. vbi vides magnum errorem & manifeſtarium, ſiue auꝺtoris Zonaræ, ſiue librarij, qui τὸ στρατιωτικὸν perperam poſuit, cum debuiſſet τὸ βουλευτικόν.

14. *Senatus omnia nundina ſuffectorum conſulum clauſerat.*] expoſuimus ad Alexandrum Lampridij.

18. *Patrimonium ſuum publicauit, quod habuit in redditibus* H-S. *bis millies octingenties.*] Nullam in numero heic poſito varietatem ſcripti libri exhibent. Itaque licet per illos credamus, quod haut ſcio an ipſa Pitho multis hodie ſit perſuaſura: hominem priuatum in imperio Romano tantum poſſediſſe, vt haberet in redditibus aureorum noſtratiũ octo circiter milliones. opes etiam regum nonnullis hodie inuidendę. Adde nunc præſentem pecuniam, cuius vim maximam habuiſſe Tacitum domi collectam ſequentibus verbis docet Vopiſcus.

meritoria

20. *Meritoria intra vrbem ſtare vetuit: quod quidem diu tenere non potuit.*] Lupas quæ corpore quæſtum faciunt *meritoria ſcorta* vocant Latini, vt in Claudio Suetonius, cap. xv. poteſt ita exponi vox iſta. poteſt & de loco accipi, ac meretriciis cellis. Seuerus in epiſtola ad Rogonium Celſum: *Tui milites pro tricliniis popinas habent: pro cubiculis meritoria.* In libris iuris frequens hæc vox, ſed notione paullulum diuerſa: neque enim ſedem proſtitutarum illis ſignificat: verùm idem fere ac πανδοχεῖον, & caupona, vel ſtabulum. quo ſenſu in Gloſſis exponitur ξενοδοχεῖον, *meritorium.*

23. *Thermas omnes ante lucernam caudi iuſsit.*] Vide Lampridium in Alexandro Seuero.

37. *Librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in * euicis archiis iuſsit.*] Minima mutatione poteſt emendari hic locus, vt ſcribatur *in cunctis archiis.* vel vt placebat præſtantiſſimo Scaligero, *in æuicis arch.* aut *ciuicis.* ſed ne penitus iſtis emendationibus aſſentiamur facit ſcripta lectio, quæ aliud neſcio quid in ſe continere deprauatum videtur. Eam apponam, vt doctis exercendi ingenij ſit locus. habent igitur omnes membranæ vel *in enconſarchis*, vt regiæ: vel vt Puteani, *enicoſarchis.*

33. *De proprio poſſeſsiones q.*] prima verba ad ſuperiorem periodum pertinent. ſcribe igitur: *Columnas centum* N. *p.* v. *t.* H. *donauit de proprio. Poſſeſsiones q.*

37. *Ne Caniniam tranſire videretur.*] legem Fuſiam Caniniam, quæ ab Auguſto ad Iuſtinianum vſque obtinuit. ille primus ſuſtulit, vt libertates impedientem, & quodammodo inuidam.

Pag. 339. verſ. 5. *Somnum enim ſe mercari illa ſumptus effuſione dicebat.*] In membranis hæc mirę perturbata. Lactucam ſatiuam frigidam eſſe atque ὑπνωτικὴν ſcribit Dioſcorides. ſed fortaſſe ſylueſtrem intelligit auctor, quia addit ſtatim: *amariores cibos appetiit.* lactuca autem ſylueſtris, & ſomnum conciliat, & πικρά ἐστι πρὸς τὴν γεῦσιν, inquit idem. ſed quæro,

quæro, in lactucarum paratu quam appellet auctor sumptus effusionem.

6. *Balneis rarò vsus est, atque validior fuit in senectute.*] Melius scripti, *atque ideo validior. fuit.* sic Suetonius in Augusto laudat lauandi raritatem.

7. *Vitreorum diuersitate atque operositate vehementer est delectatus.*] in fingendis vitreis magna & arte & industria vsi veteres, præsertim Aegyptij. de quorum vitris: hæc capio.

13. *Fasianam auem, nisi suo & suorum natali & diebus festißimis non posuit.*] Vide potius num scribendum *festiuißimis.* nam illa altera vox magis sit poetarum. de fasianæ auis raritate in conuiuiis veterum imperatorum, supra ad Pertinacis vitam.

15. *Hostias suas semper domum reuocauit.*] non sine aliqua, vt videtur, ἀνελευθερίας aut sordium nota hæc dicuntur. nam moris erat vt post rem diuinam factam, in templo cum sacerdotibus epularentur. sed qui ad rem erant attentiores victimæ portiunculam aliquam sacerdotibus relinquebant, ac reliquas carnes domum reuocabant, vt inter suos illis ibi vescerentur, vel etiam diuenderent. inde illa εἰδωλόθυτα quorum meminit Apostolus. Tangit hoc μικρολογίας genus Theophrastus in eius charactere. ἐκδιδοὺς τὴν αὑτοῦ θυγατέρα, τοῦ ἱερείου, πλὴν τῶν ἱερῶν, τὰ κρέα ἀποδίδοσθαι. *Solet,* inquit, *filiam suam nuptum collocans, victimæ carnes, iis exceptis quæ adolentur, vendere.* ita capimus nunc illum locum, paullo aliter quàm olim.

20. *Legat Suetonium Optatianum.*] Regius codex hunc obscurum hodie scriptorem nominat, *Suetonium Actacianum.* alij libri cum vulgatis.

21. *Legit sane senex minutulas literas ad stuporem.*] Regius, *minusculas literas.*

23. *Præter posterum Calendarum diem.*] de hac veterum religione notatum aliquid ad Suetonij librum secundum, cap. XCII.

24. *Nec tacendum est, & frequenter imitandum.*] Emendabam, *sed freq. intimandum.* verùm aliter omnes membranæ, in quibus est, *mirandum.* quod tamen minus probo.

27. *Et hecatombe promitteretur à singulis.*] Legendum ex regio & Puteani codicibus: *& hecatombæ promitterentur. singuli denique senatores ad suos scr.*

36. *Et prima quidem illi cura imperatoris facti hæc fuit, v.*] Scribe, *illius.* nisi malis, *illi cura imperatori facto.*

Pag. 340. vers. 1. *Cum ille iam vindicatus esset.*] occiso Mnestheo, qui statim ab ipsis auctoribus cædis errore cognito feris obiectus sed Tacitus pœnitentia Mucaporis siue Mucaperis, qui manu sua cædem patrauerat, non contentus, & ipsum & alios necis auctores excruciauit. Aurelius Victor.

2. *Et quoniam à Mæotide multi Barbari eruperant h.*] eadem Zosimus. qui ea tempestate Barbaros à Mæotide profectos in Ciliciam vsque penetrasse scribit.

6. *Cum Tullius dicat m.*] Pendet sententia imperfecta : quam fulcit regia lectio: *M. Tullius dicit, magn.* sic & Puteani.

7. *Magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum.*] Non est plena sententia, quæ huiusmodi videtur fuisse : *magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum : quàm quod factus sit consul.*

10. *Interemptus est insidiis militaribus.*] Occasionem cædis narrant Zosimus & Zonaras.

11. *Vt alij morbo interiit.*] Victor vulgaris, *Tacitus ducentesimo imperij die apud Tarsum febri moritur.* in numero dierum consentit Eutropius, qui in imperio ait fuisse menses duos & dies xx.

19. FLAVII VOPISCI SYRACVSII FLORIANVS.] Inducendus hic titulus, & sequentia superioribus connectenda: est enim vnicus liber, vt initio diximus.

23. *Hic frater Taciti germanus fuit, q.*] Scribendum, *non germanus.* nisi alios heic sequitur auctores, alios infra, vbi, *diuersis patribus*, ait, *nati ferebantur.* apparet ex ipsis nomininibus, nam Tacitus dicitur in nummis, CLAVDIVS TACITVS. at Florianus nominatur, M. ANNIVS FLORIANVS.

24. *Non senatus auctoritate.*] adde, neque militum suffragiis. Aurelius Victor: *nullo senatus seu militum consulto imperium inuaserat.*

24. *Adiuratum esse in senatu Tacitum.*] Superiora illa verba respicit ex oratione Metij Falconij, *te Tacite Auguste conuenio petens, obsecrans &c.* nam *te conuenio* eo loco idem ac te adiuro. vt sæpe apud mediæ Latinitatis scriptores.

30. *Occisus est Tarsi à militibus, q.*] Vnus est Zosimus qui memoriam rerum inter Probum & Florianum gestarũ conseruarit: eum lege. De Floriani morte eadem Aurelius Victor Schotti ac Vopiscus: sed alter Victor sic tradit: *Florianus dierum sexaginta quasi per ludum imperio vsus, incisis à semetipso venis, effuso sanguine cõsumtus est.* tribuit Floriano quod alij Quintillo Claudij fratri, cuius in simili caussa simile exitiũ: nam de eo Zosimus : fertur, ait, Quintillum simulac intellexit factum imperatorem Aurelianum, consilium à suis accepisse, vt se ipse interimeret, ac longe potiori cederet imperio : ὃ δὴ καὶ πεποιηκέναι λέγεται, τῶν ἰατρῶν πρὸς φλέβα τεμόντος αὐτοῦ, καὶ ἐνδόντος ῥεῦσαι τὸ αἷμα, μέχρις αὐτὸς ἐξῴχετο. eadem & Zonaras.

Pag. 341. vers. 3. *Post interregnum principes nuncupati.*] Suspecta hæc mihi. caussam & tacente me lector acutus facile coniiciet.

4. Ho-

4. *Horum statuæ fuerunt Interamnæ d.*] Non dissimulabo inuentam in regio lectionem, etsi parum mihi probam: H. *st. fuerunt in via Romana d.*

13. *Qui ad Romanam insulam proconsulem mittat.*] Lego, *ad Britanniam ins.* nam de ea hæc debere intelligi ne ambigendum quidem censeo. quare siue emendationem admittas, quam putamus necessariam, siue vulgatam probes, Britannia omnino intelligitur: quam insulam Procopius nominat τὴν ἐκτὸς στηλῶν τῶν Ἡρακλέων νήσων ἁπασῶν μεγίστην παρὰ πολὺ οὖσαν. Græci auctores sæpe non alio nomine Britanniam nuncupant, quam magnæ insulæ. Aristides in Aegyptia oratione: τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀκοῦσαι τῶν εἰς τὴν μεγάλην νῆσον περαιουμένων, τὴν ἀντιπέρας Ἰβήρων. & panegyrica in Romam: ἴσον Αἰθιοπίας τὸ ἐποικούμενον, καὶ Φᾶσις ἔνθενδε, καὶ Εὐφράτης ἄνω, καὶ πρὸς ἑσπέραν ἡ μεγάλη καὶ τελευταία νῆσος αὐτοῖς ἀποκλείουσι.

14. *Qui omnem quam Oceanus ambit.*] Membranæ, *quà Oceano ambitur.*

18. *A die fulmine præcipitatis statuisq.*] *fulminis præcipitati, statuisque conf.*

30. *Non chlamydatum inter cætera.*] Aliter volui editum: nam illa *inter cætera* non sunt poetæ epigrammatarij, vt præcedentia & sequentia verba: sed ipsius Vopisci. ponit autem principium epigrammatis, & finem. Totius carminis facile ex istis sensus paret. Passim in Vopisci libellis leges illa verba, *inter cætera*, cum alicuius scripti partem solum ponit. sic alij quoque.

33. *In quos multa epigrammata scripta, quo iocati sunt arusp.*] Scribendum, *queis*, siue *quibus*. verbum *iocari* passiue accepit.

Pag. 342. vers. 1. *Nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuere.*] Vix fero illud *tunc.* quod tamen retinent membranæ sed alio loco: *in hoc omnia tunc præcipua fuêre.*

6. *De quo dictum est, vt Probus diceretur, c.*] Clarum est omissum aliquid. Lege, *de quo dictum est, dignum esse, vt Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset.* hæc certe sententia est: sed adscripseritne auctor verba necessaria, an supplenda lectori omiserit, non possum affirmare. alludit autem ad Valeriani verba de Probo, *vere probo*, inquit: *quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomen.*

7. *Sibyllinis libris fore promissum.*] *fore* dixit pro fuisse. similes temporum ἐναλλαγὰς ante notabamus.

9. *Hæc ego in aliorum vita de Probo indidi. n.*] Vnde illa, *idcirco indidi?* nam omnes membranæ, *credidi prælibanda.*

10. *Ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicant, n.*] Lego, *ne si dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret in me, fatali necessitate absumptus, Probo indicto perirem.*

15. *Tacita purpura, tacita purpura: idque septimò.*] Scripti, *Taciti purpuram: Taciti purpuram: idque septies.*

24. *Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ex s.*] Rectè, *ab his*: & ita scripti: id est, à Tacito & Floriano: qui priuata religione Apollinis hanc imaginem venerabantur. Referendum autem istud ad cubiculares imagines, de quibus notabamus ad secundum Suetonij, cap. VII. cum igitur in cubiculo posita esset hæc imago loco aliquo sublimi ac celso: reperta est postea in lecto collocata, sine cuiusquam manu.

Cubiculares Imagines

Pag. 343. vers. 7. *Autronio, iusto patri, A.*] Scribendum, *Autronio Iusto patri, A.*

8. *Nunc te pater sancte int.*] Sic iterum mox, etiam in compellatione patrui: neque aliter membranæ. etsi videtur mirum. nam *sanctus pater* apud Virgilium manifestam caussam habet.

15. *Claudius Capellianus Cereio Metiano p.*] Capellianus iste filius fortasse illius fuit, de quo in Gordianis. Cereiam gentem Romanam hic solùm legi: Cerelliam sæpe. at regius eam vocem hic non agnoscit.

18. *Reddidit nobis quam semper habuimus potestatem.*] Probus imperator in oratione prima ad senatum: *vos estis mundi principes & semper fuistis & in vestris posteris eritis.*

26. *Conuiuia sumptuosiora præuenirent.*] sic lectio vetus: cum tamen postulare sententia videatur, vel *instruerent*, vel *præberent*, vel tale quid. Sed magis est, vt nihil mutemus, & aliis exemplis nouæ dictionis, quæ in his auctoribus multa, istud adiiciamus: nam *conuiuia præuenire* dixit, pro ἀπαντᾶν πρὸ ὥρας, solito maturius adire. hæc sunt quæ vocabant tempestiua conuiuia, quod temporius adirentur, passim à scriptoribus reprehensa: sed cum voluptatis solum gratia celebrarentur: non cum in festi diei honorem, aut ex occasione tanti gaudij quantum hoc fuit.

tempestiva convivia

ISAACI

ISAACI CASAVBONI
IN FLAVII VOPISCI PROBVM, EMENDATIONES ET NOTÆ.

PROBVS.] infra nominatur, Aurelius Valerius Probus. in nummis, AVRELIVS PROBVS. apud Lampridium in Alexandro Seuero mentio fit de Aurelio Probo baphiis præposito: qui ex eadem gente, vt puto, erat ortus.

33. *M. Cato & Gellius historicæ sententiæ modo in literas retulerunt.*] Noli quærere *historica sententia* quid sit: nam scribendum, *historici.* ὅπερ N. οἱ ἱστορικοὶ γνωμικῶς ἀπεφθέγξαντο. Liber regius hoc principiũ ita exhibet: *Certum est quod Sallustius Crispus, M. Cato, Agellius quoque sententiæ modo in literas retulerunt.* extatque etiam in vno Puteani nomen *Agellius*: quod vix probo tamen. nam Cneum Gellium arbitror intelligi à Vopisco, veterem historicum, cuius Annales laudant passim veteres.

Pag. 344. vers. 5. *Quorsum hæc pertineant mi Celse, ne fortaßis requiras, Prob.*] Ante ista verba collocandæ sunt aliquot periodi, quæ paullo post alieno loco habentur. sunt autem hæ:

CN. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum maiestate sublimem, quis tandem nosset, nisi eum M. Tullius, & T. Liuius in literas retulissent? P. Scipionem Africanum imo Scipiones omnes, seu Lucios seu Nasicas, nonne tenebræ poßiderent, ac tegerent, nisi commendatores eorum historici nobiles atque ignobiles extitissent? Longum est omnia persequi, quæ ad exemplum huiuscemodi etiam nobis tacentibus vsurpanda sunt. hæc verba omnino subiicienda erant iis quæ de Alexandro M. dicit auctor. quare necessariò retrahenda sunt in hunc locum: nam ineptissime & nullo prorsus iudico eò translata sunt vbi hodie habentur. quod quia per se confidimus esse clarissimum, pluribus demonstrare supersedebimus: neque enim verbis opus, cum res clamet ipsa. Porrò quos heic Scipiones Lucios appellet nescio: ac mihi hæc vox de menda vehementer suspecta. Scipiones enim multos scimus

prænomine sic dictos: at pro cognomine heic videtur ab auctore poni. qui error absurdior est, quam vt videatur potuisse in tam elegantem scriptorem cadere. sic tamen omnes scripti. itaque de hoc loco ad doctorum senatum referimus.

7. *Omnesque orbis partes in totam securitatem redactæ sunt.*] *Tota securitas*, vt *tota libertas*, apud Hieronymum sæpe. vt in Ezechielem libro quarto: *qui tota frontis libertate delinquit.* & in procemio libri XII. *illud in explanatione templi tota libertate denuntio.* sic, *tota libertate blasphemare* in inuectiua aduersus Vigilantium. vbi perperam editum *liberalitate.* nam ita passim doctissimus ille pater.

19. *Libris ex bibliotheca Vlpia ætate mea thermis Diocletianis.*] Melius, *Diocletiani.* ita regius. eò fuerant libri bibliothecæ Vlpiæ siue Traiani translati ab ambitioso principe, vt thermarum suarum operi nouo celebritatem conciliaret. vbi prius fuerit non docent veteres: sed erat sine dubio annexa alicui nobiliorum Traiani operum.

20. *Item ex domo Tiberiana.*] Scripti, *Numeriana.* vitiose. nam eo nomine bibliotheca fuit nulla, cuius quidem extet hodie memoria. de Tiberianæ verò domus bibliotheca mentionem facit A. Gellius libro XIII. capite XVIII. Scimus tamen plurium & nomina & memoriam intercidisse, cum XXIX. fuisse scribat Victor.

21. *Vsus etiam ex regestis scribarum porticus porphyreticæ.*] Scripti, *ex registris.* sed τὸ *ex* inducendum. deinde non ferenda vox barbara *registrum.* nam & analogia & vsus *regestum* dici postulant. ita rectè scriptũ hoc nomen aliquot locis vtriusque Codicis Theodosij ac Iustiniani. Anastasius de vitis pontificum in Nicolao primo: *sicut in epistolis regesto ipsius præsulis continetur insertis.*

34. *Illud tantum contestatum volo, me & rem scripsisse, q.*] Regius non *tantum* sed *tamen*: quod sæpissimè παρέλκειν in hoc auctore constat. Dele *&* ante *rem*: ac distingue: *me rem scripsisse, quam, si quis voluerit, honestius eloquio celsiore demonstret.* Pollio in extremo libro de triginta tyrannis: *neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem.* vide extremo Carino.

Pag. 345. vers. 5. *Sum enim vnus ex curiosis, quod infinita scire non possum, inc.*] Absurda lectio. scribendum enim *nescire.* caussam affert cur ad has vitas scribendas accesserit, cum fateatur se parum à dicendi facultate instructum: ait verò se vt hoc opus susciperet, & proprio studio historiæ noscendæ fuisse impulsum: & hortatu amicorum, eius maxime cui hunc librum mittit: nam illi cum essent viri doctissimi, cupiditate plura sciendi, auctores videntur fuisse Vopisco, vt Aureliani vitæ, quam solam initio susceperat, reliquas adiiceret. Vox *curiosus* non semper in malam partem accipitur. infra in extremo Carino: *habe mi amice meum munus: quod ego, vt sæpe dixi, non eloquentiæ caussa, sed curiositatis in lumen edidi.* nihil aliud heic *curiosus* nisi φιλομαθής, & *curiositas*, φιλομάθεια, ac sitis addiscendi semper aliquid. sic initio elegãtissimi libri

Ter-

Tertulliani De teſtimonio animæ: *Magna curioſitate & maiore longe memoria opus eſt ad ſtudendum.* Iterum Vopiſcus in Aureliano: *Friuola hæc fortaßis cuipiam & nimis leuia eſſe videantur: ſed curioſitas nihil recuſat.* Sic accipiunt & Græci interdum vocem περιεργίαν. vt Ariſteas ſcriptor antiquiſſimus, extremo libello compellans ſuum Philocratem. τέρπειν οἴομαί σε ταῦτα, ἢ τὰ τῶν μυθολόγων βιβλία. νένευκας γὰρ πρὸς περιεργίαν, καὶ ἐν τούτοις τὸν πλείονα χρόνον διατελεῖς. Martianus Capella Philologiæ pediſſequam facit Periergiam. Si quis vulgatam lectionem velit tueri, ſic erit exponenda, vt ideo ſe dicat curioſum ac φιλομαθῆ, quia infinita neſciat. priorem ſententiam malo.

8. *Magnum & præclarum principem arripiam.*] infra in Firmo: *Liuius & Salluſtius tacent res leues de iis quorum vitas ſcribendas arripuerint.* ſic alij.

34. *Eum iuuenem quem imitari pueris omnibus volo.*] *imitari* παθητικῶς, pro ad imitandum propoſitum eſſe omnibus.

35. *Quantum virtutes eius & merita pro debito mentis ſplendore deſiderát.*] quid appellat *mentis ſplendorem*? viderint alij quomodo iſta ſint interpretaturi. ego *mentis* pro *meritis* ſuſpicor eſſe ſcriptũ: ac totum illud *pro debito meritis ſplendore.* interpretamentum eſſe eorum verborum quibus ſunt inſerta.

Pag. 346. verſ. 6. *Tunicas rufulas duas.*] Scripti, *ruſſulas*, vt alibi.

7. *Patinam argenteam librarum decem ſpecillatam.*] hæc valde ſunt deprauata in regio: nam pro *ſpecillatam* certa ſunt veſtigia vocis *teſſellatam.* ſciunt omnes quid ſit teſſellatio: ſed in celatura teſſellationem nullam apud veteres inuenio. nihil igitur muto. quemadmodum filicata opera quæ ad filicis herbæ ſpeciem eſſent celata, dixerunt: ſic ab eadem mente corymbiata, ſpecillata, & alia id genus.

8. *Argenteos Aurelianos mille.*] Malim, *Aurelianeos.* vt Philippeos.

10. *Bubulæ pondo.*] deeſt numerus.

17. *Haſtis puris q.*] ſine ferro: Lege Seruium ad illa *pura iuuenis qui nititur haſta.*

18. *Vexillis puris q.*] ſine purpura. purpuræ vexillorum mentio apud Capitolinum in Gordianis. Supra Aureliano donabat Valerianus, vexilla bicolora quatuor, non autem pura.

21. *Parentem Valeriani.*] non γονέα: apage. adoleſcens enim erat. ſed συγγενῆ, vt ſæpe diximus.

Pag. 347. verſ. 19. *Vt ſi quid ſibi ſcienti prudentique eueniret, P.*] hoc eſt, ſi ſibi morte ſua mori contingeret, ita vt certus de obitu, ſuprema ſua poſſet ordinare. non vulgare genus loquendi.

24. *Sed ego S. C. ipſum inueni.*] omnino deeſt negatio: quam in regio libro inuenimus & addi voluimus. Scribe, *S. C. ipſum non inu.* extat & in veteribus Italicis vt Cl. Puteanus adnotauerat.

29. *Adeſto igitur noſtris neceßitatibus, tuæ familiæ aſſere vt ſoles Remp.*] Non nego modeſtiſſimum principem Tacitum fuiſſe, & qui fortaſſe

cum factus eſt imperator ἄρχεσθαι quàm ἄρχειν præoptaſſet : ſed iſtud tamen non concoquo, quod ita expreſſis verbis Probum hortatur, vt ſuæ familiæ Remp. aſſerat. tolerabilius eſſet, ſi de communicando cum Probo imperio, aut de eo deſignando ad ſucceſſionem, aliquid diceret: at vt auctor cuiquam Tacitus fuerit non ſibi ſolum verum & familiæ ſuæ aſſerendi Remp. id verò nunquam factum. Nam qui à ſenatu imperium accepiſſet, ius faciendi principem ſenatui, pro ac debuit, conſeruatum voluit. Sed de menda huius loci ne dubitandum quidem eſt. in regio offendimus, *tuæ famæ adeſto*. ab eodem abeſt verbum *aſſere.* quo tamen retento, locum ita concipio: *meæ famæ adeſto : aſſere, vt ſoles, Remp.* ſic paullo poſt acclamatur Probo à ſenatoribus : *Aſſertor ſenatus felix imperes.*

35. *Sed in hanc ſententiam omnibus ſemper Coss. ſcribebatur.*] à regio abſunt illa, *ſemper Coss.* Non poteſt ſanè verum eſſe quod heic dicitur, niſi exponas commode, & Coss. intelligas deſignatos. nam hos conſules manebat toga palmata, de Capitolio petenda, vt ſcribit Capitolinus in Gordianis. quare de conſulibus qui inierant non vere dixeris Capitolinam eos manere.

37. *Neque enim vnquam ille paſſus eſt peccare militem.*] Beatum Probum! ſi militum peccata dum coercet, eorum in ſe amorem accendit. hoc ſane ſignificat τὸ *enim* iſto loco. ſed aliter Vopiſcũ ſcripſiſſe cenſeo, Lego, *peccari in militem.* ſic alibi ſæpe magni duces in hac hiſtoria laudantur, quod milites à tribunorum ſuorum vexatione redemerint. hanc auctoris eſſe mentem probant ſequentia: *ille quinetiam Aurelianum ſæpe à grauicrudelitate deduxit.* quaſi dicat : non ſolum tribunos & ductores ordinum molliores erga milites reddidit : ſed ipſum etiam imperatorem Aurelianum ab ingenita ſibi crudelitate deduxit.

Pag. 348. verſ. 27. *Tumulo vſque ad ducentos pedes terræ lato p.*] Legebam *alto*: ſed propter vocem *terræ* nihil cenſeo mutandum. nam omnino verum eſt *lato*. quo latior agri modus ſepulcro aſſignabatur, eo magis creſcebat honos. conſtat hoc ex antiquis inſcriptionibus, & Horatij interpretibus ad illum verſum in octaua libri primi Satyrarum.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Heic dabat.

29. *Extent apud Aegyptum eius opera quæ per milites ſtruxit in plurimis ciuitatibus.*] non in Aegypto ſolum, ſed etiam in aliis pleriſque prouinciis, vt Africa, Gallia, Pannonia, Mœſia, vide Aurelium Victorem. Erat hic mox ducum & Imp. Rom. cuius multa in hiſtoria exempla.

Pag. 349. verſ. 15. *Deinde concurſus & ceſpititium tribunal.*] Erectio tribunalis certiſſimum creati imperatoris erat argumentum. & ratio eſt, quia adloquendi principem vni ac ſoli imperatori ius fuit, ſicut obſeruabamus ad Capitolini diuum Verum.

23. *Te quæſo Capito, ita mecum ſalua Rep. perfruaris. Ann.*] Diſtingue melius: *Te quæſo Capito, ita mecum ſalua Rep. perfruaris, ann.* Egregia verò

obte-

obteſtatio illa Probi, *ita mecum ſalua Rep. perfruaris*, iis ſimilis de quibus notamus ad librum ſecundum Suetonij, capite XXVIII.

35. *Proximo ſuperiore anno f.*] Ex his verbis intelligi poteſt Tacitum, qui ſex tantum menſes imperium tenuit, ſub anni finem creatum fuiſſe imperatorem, & ſequentis anni principio interemtum.

Pag. 359. verſ. 4. *Quæſo vt de meis meritis f.*], pone ante iſta minorem diſtinctionem loco maioris, & ſuperioribus connecte.

Pag. 351. verſ. 6. *Accepto igitur hoc S.C. ſecundum orationem permiſit patribus, v.*] Regius, *ſecundam orationem promiſit patribus.* ex parte vulgatam emendans, ex parte corrumpens. nam ſcribendum, *per ſecundam orationem*. dixit ſupra: *Oratio Probi prima ad ſenatum*.

ib. *Permiſit patribus vt ex magnorum iudicum appellationibus ipſi cognoſcerent.*] magni iudices ſunt maiores magiſtratus quà vrbani, quà prouinciales, vt ſæpe expoſuimus. poſt Aureliani mortem, quo tempore ſummam Reip. & vim ipſam imperij ſibi patres vindicarunt, inſtitutum fuerat, vt non ad patres, verùm ad Vrbis præfectum prouocaretur à proconſulibus, & omnibus iudicibus ordinariis: à præfecto Vrbis poſtea ad ſenatum appellatio reſtabat, velut anchora quędam ſacra. ſed hos circuitus ſuſtulit hac oratione Probus, ſanciens, vt à proconſulibus & aliis iudicibus maioribus, rectà ſenatus appellaretur. Pro *magnorum iudicum* cenſebat Petrus Faber melius ſcriptum iri *maiorum iud.* ſane in libris iuris *maiores iudices* legere eſt: *magnos*, quod meminerim nunquam.

8. *Proconſules crearent, legatos conſulibus darent.*] Scribendum, *proconſulibus*. de his enim heic ſermo eſt, non de conſulibus. Nihil autem in hoc noui iuris, ſed veteris tantum iuris ac conſuetudinis inſtauratio.

9. *Ius prætorium præſidibus darent.*] vt præſides prouinciarum ex adminiſtratione ſua reuerſi ſederent in ſenatu inter prætorios. hoc vocat *ius prætorium*, ſiue *prætorum*. in regio deeſt *ius*.

ib. *Leges quas Probus ederet ſenatuſconſultis propriis conſecrarent.*] Ne hoc quidem nouum videtur: nam & veteres imperatores ſoliti de rebus quas lege vellent comprehendi diſſerere in ſenatu, aut ſententiam ſuam ſcripto cõplexi orationẽ ad ſenatum mittere. Sed fortaſſe inſtitutum à Probo, vt quicquid edicto principis ſancitum fuiſſet patrum decreto confirmaretur.

10. *Statim deinde ſi qui de interfectoribus Aureliani ſuperfuerant, vario genere vindicauit.*] Cur dicat *ſtatim* declarat Zoſimus, qui Probũ firmato imperio ſuam Reip. adminiſtrationem ab iſtorum ſupplicio ſcribit exorſum. eum lege de tota hàc hiſtoria.

19. *Quæ omnes occiſo Poſthumio turbatæ fuerant.*] Poſthumiũ intelligo, qui inter XXX. tyrannos dictus Pollioni. hic dum vixit Barbaros omnes è Galliis ſua virtute ſummouit: eo extincto irrupêre vndiq; in Gallias limite fracto variæ gentes: quas neq; Claudius neque Aurelianus loco pellere potuerunt.

20. *Vt à Barbaris sexaginta per Gallias nobilißimas reciperet ciuitates.*] Probus ipse mox in epistolis ad senatum. *septuaginta vrbes nobilißimæ captiuitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ.* aut igitur *septuaginta* hic scribi debuit, aut ibi *sexaginta.*

22. *Prædam deinde omnem, qua illi præter diuitias etiam efferebantur ad gloriam.*] Non assentior viris doctis qui sollicitant huius loci scripturam: est enim plana sententia, non solum ciuitates, inquit, verùm & prædam omnem recepit, coactis Barbaris, vt eam ipsi redderent: cum quidem, vt statim sequitur, in eos vindicatum est, qui prædam fideliter non reddidissent. mouerat autem Romanis animos, quod Barbari non solum ditati abacta præda: verùm & insolentia fuerant inflati. ideo auctor ait, præter diuitias.

25. *Reliquias vltra Nicrum fluuium & Albam remouit.*] Scripti, *Album.* melius *Albim*, notissimum flumen: etiam Nicer, qui hodieque Neccarus. ad hunc fluuium sæpius pugnarunt Romani cum gentibus, quæ se agentibus è septentrione in orbem Romanum effuderunt.

28. *Contrà vrbes Romanas & castra in solo Barbarico posuit.*] Malim, *contra hos vrbes R.*

30. *Agros & horrea & domos & annonam Transrhenanis omnibus fecit.*] Cogitemus de hoc loco: nam *agros & annonam facere alicui*, duriuscule dictum, & fortasse οὐκ ἀκίβδηλον.

Pag. 352. vers. 2. *Si essent ab aliquibus vindicandi.*] si qui hostes existerent, qui ipsos bello premerent, dum suas iniurias vlciscuntur. ita videtur exponendus hic locus.

9. *Dicens sentiendum esse, non videndum, cum auxiliaribus Barbaris Romanus iuuatur.*] Veteri instituto res sacra fuit militia Romana: ad quam satis patuit aditus ciuibus, & quidem iis qui essent pleno iure ciues. postea, vt mutant res cunctæ hominum, & libertini, & serui etiam sunt admissi: tandem etiam Barbari: quam inter amissi imperij caussas vnam & Zosimus & alij statuunt verè: ideo Probus quantum potuit dissimulare dedecus hoc est conatus. sed post Constantinum pudor hic perierat. Marcellinus lib. XXXI. de legatis loquens arctoarum gentium, qui ad Valentem venerant, petentes vt cis Istrum reciperentur daturi auxilia, quoties opus esset: *negotium hoc*, ait, *lætitiæ potius fuit quàm timori: eruditis adulatoribus in maius fortunam principis extollentibus, quod ex vltimis terris tot tirocinia Thracenses nec opinanti offerrent: vt collatis in vnum suis & alienigenis viribus, inuictum haberet exercitum, & pro militari supplemento quod prouinciatim annuum pendebatur, thesauris accederet auri cumulus magnus.* multa Synesius in oratione ad Arcadium de magnitudine & periculo huius mali, prudenter differit,

militia olim res sacra in quam non nisi ciues Romani admittebantur

Pag. 353. vers. 1. *Omnem Isauriam liberauit: populis atque vrbibus Romanis legibus restitutis.*] sed non diu obtinuerunt Romani. vide librum de XXX. tyrannis in Trebelliano.

8. *Omnia illa quæ anguste adeuntur loca.*] id est, omnes Isauriæ aditus angustiores, & loca vbi fauces sunt montium. Græci πύλας, posterior ætas clusuras vel clusas dixit, etiam Græci κλεισούρας.

14. *Qui mirabilem sui visum stupente populo* Ro. *præbuerunt.*] non dicit auctor, quid mirati sint Romani in Blemmyis cum eos præsentes spectarent: de iisdem fama solum notis, quid crediderint, habes apud Plinium libro quinto, capite octauo. tales nempe vulgo fingebantur, sine capite, ore, & oculis pectori affixis.

15. *Copton præterea & Ptolemaidem vrbes.*] Copton vrbem & nomum Coptiten in superiore Aegypto Ptolemæus recenset. Ammianus Thebaidi, quæ vna fuit è quinque prouinciis Aegypti, adtribuit. erat Thebais duplex, prima & secunda. Copton atque Ptolemaidem in secunda collocāt Excerpta geographica bibliothecæ regiæ, ex quibus didici vrbem Copton postea Iustinianopolim esse appellatam. verba apponam quæ ibi leguntur. ἐπαρχία Θηβαΐδος β. Πτολεμαΐς μητρόπολις, Κοντὼ ἤτοι Ἰουστινιανόπολις. non dubitamus quin Conto secutus sui seculi vsum appellet Coptum. iam ante diximus multarum Aegypti vrbium nomina sic extulisse recentiores, secus quàm priores. sic Ἀντινῶ Λυκῶ & aliæ. De hoc autem bello sic Zosimus scribit: τῆς κατὰ Θηβαΐδα Πτολεμαΐδος ἀποστάσης βασιλέως, πόλεμον δὲ προκόψαντα ἐπὶ χρόνον βραχὺ ἀραμένης, αὐτήν τε καὶ τοὺς συμμαχήσαντας αὐτῇ Βλεμμύας παρεστήσατο Πρόβος διὰ τῶν τότε στρατηγησάντων. Ptolemaïdos solius meminit, non etiam Copti. præterea quid appellat πόλεμον προκόψαντα ἐπὶ χρόνον βραχύ? nam interpretis non placet sententia. Suspicor menda inquinatum esse locum: neque inuitus legam, πόλεμον πρὸς Κοπτίτας ἀραμένης. videntur enim Ptolemaenses cum à Romanis defecerunt, bellum contra finitimos Coptitas gessisse, eorumque vrbem in potestatem suam redegisse: vt postea duplex Probo fuerit labor, recipiendæ Copti, & subiugandæ Ptolemaïdis: quod minus distinctè & paullo aliter à Vopisco expositum est. sed impeditum me verba illa tenent, ἐπὶ χρόνον βραχύ: quæ esse inducenda affirmare non ausim.

20. *Fertur etiam epistola illius ad* Narseum *talis fuisse.*] Hic Narseus regulus Armenus fuit, iussus à rege Persarum, (nam ij sunt quos auctor Parthos nominat) hæc ad Rom. principem deferre munera. mētionem de hoc facit Aurelius Victor in Diocletiano.

28. *Centum millia Bastarnarum in solo* Rom. *constituit.*] Zosimus: Βαστέρνας Σκυθικὸν ἔθνος ὑποπεσόντας αὐτῷ προσδεξάμενος, κατῴκισε Θρᾳκίοις χωρίοις.

29. *Qui omnes fidem seruauerunt.*] hoc vult & Zosimus cum subiicit hæc verba superioribus: καὶ διετέλεσαν τοῖς Ῥωμαίων βιοτεύοντες νόμοις. propterea autem adeo studiose notatum Græcis & Latinis historicis fidem à Basternis seruatam: quod cæteræ geutes Barbaræ quas vel hic imperator, vel alij, variis partibus Romani orbis collocarant, pro hostibus mox se gesserunt, & bellis intestinis remp. Rom. dilacerarunt. Eunapius elegantissime, in iis quæ publicauit Hæschelius: οἱ μὲν παλαιοὶ μῦθοι

λέγουσι περὶ τὴν Βοιωτίαν καὶ τὴν Κολχίδα δρακοντίων ὀδόντων κατασπαρέντων, ἐν ὅπλοις ἅμα τῷ σπόρῳ τοὺς ἄνδρας ἀναπάλλεσθαι· ὁ δὲ καθ' ἡμᾶς χρόνος τὸν μῦθον τοῦτον εἰς φῶς καὶ ἔργον συνήγαγε, καὶ ὀφθῆναι κατεσκεύασεν· οὐ γὰρ ἔφθασαν τοῦ Σκυθικοῦ γένους εἰς τὴν ἐπικράτειαν τὴν Ῥωμαϊκὴν οἱ παῖδες, ὥσπερ ὀδόντες διεσπαρέντες, καὶ πάντα ἦν μεστὰ θυμοῦ, καὶ μανίας καὶ φόνων.

31. *Ex Gepidis, Gautunnis & Vandalis.*] hæc nomina in membranis putidiſſime erant corrupta. *Gautunni* vel ſunt qui Trutungi, vel qui Virtingui in Claudio nominabantur. Ego putē Iuthungos intelligi, de quibus oppidò ſuauem hiſtoriam narrat Dexippus in rebus Aureliani, vbi etiam de Vandalis loquitur, gentē alioquin ſatis nota.

Pag. 354. verſ. 14. *Gallis omnibus & Hiſpanis ac Britannis hinc permiſit vt vites haberent, v.*] *hinc* id eſt, poſt iſta, & vt loquitur Aurelius Victor in huius rei narratione, *poſtea ſane quàm Barbarorũ attritæ gentes ſunt.* aut ſcribe *hic.* vt fere in manu exaratis. Vites inſtituendi aut colendi quantum quis vellet, neque in Italia, neque in prouinciis ius fuit. coercebatur enim eius rei libertas lege Domitiani quam refert Suetonius cap. VII. meminerunt & Græci ſcriptores eius legis, vt ibi notabamus. Britanni quare hoc loco nominentur à Vopiſco non video. nam eorum terram ad vineta non eſſe aptam omnes ſciunt: neque alia olim atque nunc eſt vel ſoli vel cœli fuit conditio. itaque cæteri hiſtorici qui legem hanc Probi commemorant, non Britannos in hoc albo ſed Pannonios ponunt. neque aliter heic cenſeam legendum, niſi eſt auctoris ex incogitantia peccatum: quod non exiſtimo. Aurelius Victor: *eodem modo hic Galliam Pannoniaſque & Mœſorum colles vinetis repleuit.* ſic & alter Victor & Eutropius.

16. *Ipſe Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu foſſum, lecta vite conſeuit.*] Victor vulgaris: *Opere militari Almam montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperiorem vineis conſeuit.* eadem & Eutropius.

19. *Omnium gentium drungos vſque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.*] quem vocat Pollio in triumphis Gallieni gregem & globum, Vopiſcus heic voce Barbara drungum. ſed ibi triumphatorum populorum ſinguli globi erant ducenorum hominum: hic tantum L. in Tacticis Græcorum libris omnis adunatio militũ appellatur δροῦγγος ſiue plurium, ſiue etiam pauciſſimorum: nam & tres aut quatuor drungum faciunt. inde eſt δρουγγιστὶ τάττεσθαι, quod Mauricius imperator libro IV. opponit τῇ μακρᾷ τάξει, & continuæ atque in longum porrectæ aciei: cum per globos ternorum aut quaternorum militum diuiſa eſt acies, ſiue agmen potius: nam τῷ κατ' εὐθείας πορεύεσθαι opponit Mauricius τὸ κατὰ δρούγγους, τουτέστι τρεῖς ἢ τέσσαρας ψιλοὺς ἀκοντιστάς, ἐπιφερομένους καὶ τὰ σκουτάρια αὐτῶν.

21. *Venationem in Circo ampliſsimam dedit.*] Pancarpum & direptionis venationem, de quibus ad Gallienos. Vocarunt & ſyluam hoc ſpectaculum

ctaculum, in quinto Athenæi, arbores ad pompam transuehuntur.

27. *Et cætera herbatica animalia, q.*] In animalium genere quod auctore Varrone pecoris appellatione Latini complectuntur: Græcis βοτὰ dicuntur: sunt & καρποφάγα, & ποηφάγα, & ῥιζοφάγα, vt docet Aristoteles. Vopiscus *herbatica* appellat quæ philosophus ποηφάγα. errat nimis eorum sententia, qui *erratica animalia* scribendum hoc loco censuerant.

29. *Addidit alia die in amphith.*] Lege ex scriptis manu *Edidit a.*

31. *Qui omnes contificiis interemti sunt.*] Arenæ vox *contificium*, siue *contifigium*. Lampridius in Commodo: *virium ad conficiendas feras tantarum fuit, vt elephantum conto transfigeret.* Alibi docemus pugnatum in arena cum feris multifariam, venabulis, excipiis, cultris venatoriis, pilis, contis, hastis, copidibus, sybinis, sagittis.

33. *Neque enim erat bestiarum impetus, qui esse ab eis egredientibus solet.*] Regius ita exhibet, *qui esse & ab eis egr. s.* non magna mutatione opus vt veram lectionem restituas, *qui esse è caueis eg. s.* quomodo olim è coniectura emendabat, Petrus Faber vir omni eruditione instructissimus.

Pag. 355. vers. 10. *His addidit dictum eius graue, si vnq.*] Scribendum *eis.* sed totus locus perperam conceptus, ita reformandus: *His addidit dictum eis graue, si vnquam eueniat salutare Reip.* BREVI MILITES NECESSARIOS NON FVTVROS. Aurelius Victor: *receptis omnibus, pacatisque dixisse proditur, Breui milites frustra fore.*

16. *Vbique regnabit.*] Scribe, *regnabimus*, emendante Iacobo Lectio.

27. *Deiectis in altum nauibus, l.*] naues istæ videntur pro molibus obiectæ aquæ restagnanti.

28. *Permoti milites c.*] Scripti, *Hoc permoti milites c.* Turris ferratæ in eadem historia meminerunt Aurelius Victor, Eutropius, alij.

Pag. 356. vers. 5. *Duces præclarissimos instituit.*] Aurelius Victor de Diocletiani Cæsaribus loquens: *Horum concordia maxime edocuit virtuti ingenium, vsumque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probique institutio fuit, pæne sat esse.*

6. *Asclepiodorus.*] Scrib. *Asclepiodotus.* nam ita Aurelius Victor & Eutropius. etiam Græci ἀσκληπιόδοτος. is est qui sub Diocletiano & Maximiano præfecturam præt. administrans Allectum vicit.

19. *Annonam prouincialibus daret nullus, st.*] Reg. *prouincialis.* quod rectum est. paullo antè: *orbis terrarum non arma fabricabit: non annonam præbebit.* tamen quin possit ferri & altera lectio non eo inficias. & fauent lectioni vulgatæ sequentia verba: *æternos thesauros haberet Romana Resp.* sed regio assentiuntur codices Puteani.

28. *In Germanorum necem arment dextras f.*] *in germanorum necem arment dextras fratrum.*

29. *Et dignitatem Probo derogent, quam imperatores nostri prudenter & consecrandam vultibus, & or.*] Scribendum, *quem imperatores nostri*

prudenter, & consecrandum vultibus, & ornandum templis, & celebrandum ludis circensibus iudicarunt. Significat Vopiscus Diocletianum & Maximianum omnes Probo honores decreuisse, qui consecratis principibus haberi solerent. *Vultibus consecrare*, est pictum exhibere. & fortasse edicto principum iussi omnes fuerant, vt Probum pictum haberent. quem honorem defuncto Aureliano fuisse habitum in Taciti vita dictum Vopisco. & de Marco scribit Capitolinus, sacrilegum iudicatum esse, qui eius imaginem in sua domo non habuit. *vultus* sunt imagines, & προτομαὶ, id est, εἰκόνες βασιλέων vt exponitur in Glossis. in Maximo & Balbino: *legiones ipsæ, & auxilia vbique terrarum iam vultus vestros adorant.* Zeno Veronẽsis sermone de spe, fide & charitate: *Si inclyti cuiusquã regis, hominis tamen vultus quiuis vlla violauerit ratione, nonne continuò velut sacrilegij commissi capitales pœnas luit?* ædis honor, & imaginis quæ in circum per ludos inferretur, res sunt translatitiæ in principibus cœlo donatis. Ita hunc locum interpretamur: sed quia manu exarati non *dignitatem* habent verùm *diuinitatem*, possumus retinere fœmineum genus in sequentibus. hinc autem intelligimus non defuisse qui dicerent nihil à Probo consecratione dignum esse gestum. eos igitur his verbis suggillat auctor.

32. *Posteri Probi vel odio inuidiæ, vel timore, Romanam rem fugerunt.*] Melius videatur, *vel odio, vel inuidiæ timore.*

36. *Cum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset, v.*] *in Veronensi*, nempe agro vel solo: quas voces sæpe omittit cõsuetudo Latine loquutium: vt cum dicimus in hostico, vel in Barbarico. minus placet igitur scriptura quorundam veterum: *in Veronensi territorio sita.*

Pag. 357. vers. 3. *Posteri autem videntur æternitatem habere.*] eadem est iurisconsultorum super significatione vocis *posteri* sententia. Modestinus lege quarta De iure immunitatis: *Immunitates generaliter tributæ eo iure vt ad posteros transmitterentur, in perpetuum succedentibus durant.* Caligulæ olim aliter placitum: qui vt scribit Suetonius negabat intelligi debere posteros vltra filiorum gradum.

12. *Vt quadrigæ tyrannorum bonis principibus miscerentur.*] τετράδα appellat quadrigam: vt alij τὴν δυάδα dixerunt bigam: qua de re non afferam allata exempla veterum duobus semonibus Iacobo Cuiacio sexto ad Africanum tractatu, & Iosepho Scaligero ad Propertium. Tertullianus aduersus Valentinianos cap. VI. *Ergo Bythos & Sige, Nus & Veritas prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis.* sic Chrysostomus fidem & charitatem vocat θαυμαστήν τινα ξυνωρίδα, tertia in eam ad Ephesios homilia. & ita sæpe voces ξυνωρὶς & τετρωρὶς accipiuntur. neque hæ solum, sed & ἅρμα. nam medici collyriũ quoddam è quatuor rebus cõstans ἅρμα appellarunt. Scribonius Largus capite IV. *hoc collyrium quia ex quatuor rebus vt quadriga equis, constat, & celeres effectus habet, ἅρμα dicitur.* quæ verba etiam apud Marcellum empiricum legas, cap. VIII.

ISAACI

ISAACI CASAVBONI
IN FLAVII VOPISCI
QVADRIGAM TYRANNORVM,
EMENDATIONES
ET
NOTÆ.

FIRMVS, SATVRNINVS, PROCVLVS ET BONOSVS.] Scripta lectio: *De Firmo, Saturnino, Bonoso & Proculo.* sed diuerso ordine duo posteriores infra explicãtur. FIRMVS in veteri nummo dicitur ΦΙΡΜΙΟC: omnes tamen libri veteres *Firmus* non *Firmius.*

23. *Minusculos tyrannos scio plerosque tacuisse, aut breuiter præteriisse.*] sic *minusculos imperatores* dixit Lampridius in Alexandro. *præterire* in hoc loquendi genere idem significat ac si diceret, perstringere.

26. *Antonium & Vindicem tacuit.*] Lege Spartianum in Pescennio Nigro.

33. *Qui & mythistoricis se voluminibus implicauit.*] Spartianus in Opelio Macrino de Iunio Cordo: *quæ ille omnia exequendo, libros mythistoriis repleuit talia scribendo.*

34. *Non ad istam descriptionem curamque descendit?*] Tollenda interrogationis nota: quæ sensum menti auctoris efficit contrarium. vel scribe, *num ad ist.* aut *cur non ad ist.*

Pag.358.vers.12. *Et percussa moneta* AVGVSTVM *esse vocitatum.*] Testis nummus quem profert Hubertus Goltzius de studiis antiquitatis optime meritus: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΦΙΡΜΙΟC. ΕΥC. ΕΥΤ. CΕΒ. ΕΤΟΥC. ΠΡΩΤΟΥ. vbi vides & AVGVSTI & ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC appellationes.

17. *Aurelianum in edicto suo n.*] illud ipsum intelligit, quod paullo post recitatur. etsi *latronem* ibi vocat Aurelianus, non latrunculum.

20. *Aut non semper latrones vocitauerint magni principes eos q.*] Non solum principes, sed quicunque fere de iis sunt locuti, qui imperium per vim occuparunt, latrones eos dixerunt: vt M. Tullius Antonium in Philippicis, & in epistola ad Plancum, historici passim: vt cum Au-

relius Victor ſcribit Calocerum qui Cyprum inſulam ſpecie regni capeſſiuerat, à Conſtantino excruciatum *ſeruili aut latronum more.* apud Capitolinum ſæpiſſime Maximinos ſic legas nuncupatos. ſic & alij.

23. *Ipſe ego in Aureliani vita prius quàm de Firmo cuncta cognoſcerem, Firmum non inter purpuratos habui.*] ſcripſit enim eo loci: *Firmus quidã extitit, qui ſibi Aegyptum ſine inſignibus imperij, quaſi vt eſſet ciuitas libera, vindicauit.*

34. *Nam & vitreis quadraturis bitumine aliiſque medicamentis inſertis, domum induxiſſe perhibetur.*] Præter vitreamina quorum notus eſt vſus omnibus, & vitreas feneſtras, quarum Hieronymus & alij mentionem faciunt, habuerunt veteres & alia vitra ad ædificiorum ſuorum ornamenta. nam & ſolum vitro ſternebant, vt in thermis Agrippinis factum: & pro pariete vitrum adhibebant, vt in Scauri theatro: & tandem vitreas cameras facere inſtituerunt, ſicut Plinius docet libro XXXVI. cap. XXV. Seneca epiſtola LXXXVI. *At nunc quis eſt, qui ſic lauari ſuſtineat? pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerunt: niſi vitro abſconditur camera.* Eò pertinuerunt vitreæ hæ quadraturæ, quibus Firmi domus inducta. *quadraturas* appellat πλάκας non ῥομβοειδεῖς qualibus hodie fere vti mos eſt, ſed quadratas. Fuere antiquiſſimi architecti, qui nõ vitri quadraturis, ſed operibus tectoriis parietes ita expolirent, vt Vitruuio teſte in ſecundo, vitri pelluciditatem viderentur habere. In ea verò quæ Apoſtolica dicitur hiſtoria, etiam columnas vitreas miræ magnitudinis in æde quadam fuiſſe, ad quas contuendas multi venirent, legere memini. Porrò autem cum parietes vitreo inducebãt, quadraturas bitumine & aliis medicamentis committebant, quaſi vnum eſſet ac continuum vitrum: quod heic φιλομαθίας & curioſitatis gratia auctor nos docet. Legi apud veterem Iuuenalis interpretem, ſolere vitrum ſulfure ſolidari. aliud in eam rem medicamentum Iſidorus habet in duodecima origine: *Ouum*, ait, *admixta calce glutinare fertur vitri fragmenta.*

36. *Tantum habuiſſe de chartis, vt publice ſæpe diceret exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino.*] Et papyri aliquis ad veſcendum fuit vſus: & glutini chartarum materia alimoniæ apta. fiebat enim è farina vel pane multifariam, auctore Plinio libro XIII. Medici eos qui ſanguinem excreant glutinum quo charta glutinatur in modum ſorbitionis præcipiunt haurire, vt Marcellus empiricus, cap. XVI. Quare poteſt ſic accipi hic locus, vt dicat Firmus tantam habere ſe papyri & glutini, ſiue materiæ ad glutinum, aggeſtam copiam, vt illis ipſis exercitum poſſet alere. Sed malo de pretiis accipere iſtarum rerum. Hic Firmus in Aegypto negotiationem chartariam exercebat. cum autem non fere alibi quam in ea prouincia charta cõficeretur, cuius vſu maxime humanitas vitæ conſtat minus mirandum eſt, quod heic dicitur. Narrat Olympiodorus vetus hiſtoricus excitatam Athenis ſua ætate quæſtionem de libris qui glutinantur, cum vellent ſcire eius glutini modum: quod problema

blema cum Phillatius Olympiodori frater, homo in disciplinis probe exercitatus soluisset, tanti ciues illũ fecerunt, vt ipsius imaginem publice cõsecrarẽt. Photius: Ζητήματος ἐν ταῖς Ἀθήναις ἀνακύψαντος περὶ τῶν κεκολλημένων βιβλίων μαθεῖν τοῖς ἐπιζητοῦσι τὸ μέτρον τοῦ κόλλου· Φιλλάτιος (siue Φιλτάτιος) εὐφυῶς περὶ γραμματικὴν ἔχων, τοῦτο ἀπέδειξε· καὶ εὐδοκιμήσας τυγχάνει παρὰ τῶν πολιτῶν εἰκόνος.

Pag. 395. vers. 1. *Naues quoque ad Indos negotiatorias sæpe misit.*] Libro superiore inter præcipua commoda pacis ponebat auctor, quod multi nauigarent: Indicam sine dubio nauigationem hanc intelligens, cuius ea ætate videtur Romani fuisse studiosiores. Fiebat hæc omnis nauigatio Indica in Oceano meridionali: quam Atlantici partem veteres & Indicum & Erythræum siue Rubrum mare appellarunt. Indorum enim nomen ita hoc loco accipitur, vt cum scribunt historici Traianum in sinu Rubro classem instituisse, vt per eam Indiæ fines vastaret: id est oras regionum & infra & supra sinum Arabicum sitarum. quam Indiam Iosephus secundo Ἁλώσεως ait ab Aegypto contingi. ita sæpe apud geographos Græcos, Latinos, Arabas. Negotiatoriæ ergo naues istæ Firmi & aliorum Aegyptiorum, è Myoshormo Aegypti vetustissimo emporio soluentes, per Arabicum sinum, pars orientem, pars occidentem versus tendebant. Orientalis nauigationis terminum statuit Arrianus eundem quem & oræ vniuersæ meridionalis: totam enim Romani habuerunt notam iam inde ab illius & Ptolemæi temporibus: neq; illam solùm oram, verùm etiam continuam plagam quæ orienti obuersa, ita iam tum Romani norant, vt ad cognitionem illius non magna videatur facta accessio per nostrorum hominũ nauigationes: quæ ab altera parte tantum terrarum veteribus ignotarum nobis aperuerunt. Nam Græcorum & Romanorum nauigationes occidentẽ versus, cum Arabicum & Aualitem sinum superauerant, vltra Prassum non progrediebantur: quod promontoriũ est inferioris Aethiopiæ, in ea, vt videtur regione, quæ hodie Monambica dicitur. Nulla fuit alia temporibus illis in Indiam nauigatio præter hanc: de qua etiam Græcorum scriptorum loci accipiẽdi, qui ἰνδικοπλευστῶν, (sic vocant negotiatores in Indiam cõmeare solitos) meminerũt. Qui existimãt cognitam antiquitus fuisse nauigationem in eam Indiã quam Orientalem vulgo vocãt, grauissimè falluntur: nulla enim penitus ratio est, qua possit hoc probari: plurimę quibus possit refelli, sicut pridẽ ab eruditissimis viris demonstratũ est. Poteramus multa super his ex veterũ lectione adferre: sed alius erit, spero, commodior ista tractandi locus.

7. *Appenninis sortibus additis.*] Etiam heic *Aponinis* lego. similem mendam è Pollionis Claudio sustulimus. quæ sint sortes Aponinæ ex his auctoribus sciri potest, quos ibi testes laudauimus.

ib. *Quem appellari voluerat* IOVEM CONSVLEM, *vel* CONSVLENTEM.] exprimere Latine voluit quẽ Gręci vocãt Δία βουλαῖον. & poetæ βουληφόρον.

10. *Et quia nunc scitur, &c.*] Scrib. *Ea quia nunc &c.*

10. *Oculis foris eminentibus.*] ἐξόφθαλμος.

19. *Neruis robustissimus, ita vt triarium vinceret cuius Varro Aelius meminit.*] Legendum *Tritanum*. Plinius libro VII. cap. XX. *Corpore vesco, sed eximiis viribus Tritanum, in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem, filiumque eius militem Magni Pompeij, & rectos & transuersos cancellatim toto corpore habuisse neruos, in brachiis etiam manibusque, auctor est Varro in prodigiosa virium relatione.* eadem & Solinus. falso verò appellatur heic Varro *Aelius*. cui sciunt omnes fuisse nomen M. Terentio Varroni. liber regius eam vocem non agnoscit, & omnino dele aut muta.

20. *Nam & incudem superpositam pectori constanter, aliis tundentibus pertulit.*] Non ignotum hodiernis hominibus genus θαυματοποιΐας. Erat non ita pridem in Vrbe prodigiosarum virium homo, qui non incudẽ sed saxum septingẽtorum pondo & eo grauius, pectori superpositum, aliis tundentibus perferret, ipse reclinus, & resupinus prorsusque vt ait Vopiscus, curuatus atque in manus pendens potius quàm iacens.

22. *Cum ipse recliuus ac resup.*] Scribendum, *reclinus*. vt imbecillus dicitur & imbecillis: sic reclinus & reclinis, ὁ εἰς τὰ ὄπισθεν ἐπικεκλιμένος. *adclinis* ὁ πρός τι κεκλιμένος. Marcellinus libro XXXI. *parte alia prope Amazonum sedes Alani sunt, orienti accliues.* scribe, *acclines*. vel ὁ ἐπί τινι κεκλιμένος, qui alicui incumbit: vt apud Plinium, *elephas non cubans sed adclinis arbori.* Marcellinus libro XXIX. *venit ad municipium Sagabarritanum, Transcellensi monti adcliue.* scribendum, *adcline*.

24. *Si quando eum tentare voluisset.*] infra ad Bonosum. *tamen* initio huius periodi & paullo ante est παραπληρωματικὸν μόριον, vt sæpissime in hoc auctore.

25. *Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum notissimus potator.*] Non est verum nomen Burburus: sed strenuo potatori nomen inditum per ὀνοματοποιΐαν, ceu alicui amphoræ aut vtri: ad imitationem soni illius quem liquor edit dum funditur. *bilbere* hoc Latini veteres dixerunt. & Græci βομβύλιον, vnde bombylium. sed non inconcinne loco liquidæ in hac fictitia voce posuerunt alij literam caninam. Hebræi paullo aliter formarunt: dixerunt enim בַּקְבַּק vnde est בקבוק quasi dicas bombylium, poculi genus aut lagenæ.

35. *Tale dictum Romæ proponi iussit.*] *tale edictum*. huius edicti supra fecit auctor mentionem.

Pag 360. vers. 16. *Cum & Liuius & Sallustius taceant res leues de iis quorum vitas scribendas arripuerint.*] Sine caussa Vopiscus duo genera scriptorum non leuiter dissidentia inter se cõfundit, pro vno & eodem accipiens. nam Liuius & Sallustius vitas illustrium virorum nunquam susceperunt scribendas, verum populi Romani historiam, & Annales.

20. *An purpura.*] Melius, *aut purpura*.

28. *Et auida semper, vel faciendi principis, vel imperij.*] *facere imperium*, est rebellare, & alienæ dominationis iugum excutere. quod aliud est,

quàm

quàm facere principem.

35. *Sunt enim Aegyptij vt ſatis noſti viri ventoſi.*] Plinius Laudatione Optimi principis : *Percrebuerat antiquitus vrbem noſtram niſi opibus Aegypti ali ſuſtentarique non poſſe. Superbiebat ventoſa & inſolens natio.*

36. *Iniurioſi.*] vt omnes ſuperbi. tales autem Aegyptij. Philo Iudæus De agricultura : τὸ Αἰγυπτιακὸν ἐκ φύσεως καὶ διαφερόντως ἐστὶν ὑπέραυχον εἴ ποτε μικρά τις αὐτὸ μόνον καταπνεύσειεν αὔρα εὐπραγίας. ideo addit Vopiſcus, *atque adeo vani.* erant & inuidi Aegyptij & qui aliorum proſpera ferre non poſſent: ac propter hanc etiam cauſſam iniurioſi. Philo idem aduerſus Flaccum : βάσκανον φύσει τὸ Αἰγυπτιακὸν, καὶ τὰς ἑτέρων εὐπραγίας ἰδίας ὑπολαμβάνον εἶναι κακοπραγίας.

ib. *Liberi.*] ἐν ἐλευθερίᾳ καὶ ἀδείᾳ διάγοντες. vel vno verbo ἐλευθεριάσαι. quod de ſeruis dicitur libertatem ſibi vindicantibus, iugo excuſſo ſeruitutis: at iſti legum & magiſtratuum.

37. *Nouarum rerum vſque ad cantilenas publicas cupientes.*] adeo rerum nouarum cupidi, vt non vereantur Aegyptij etiam publice cantilenas ſeditioni excitandæ aptas cantillare. Longum ſit veterum teſtimonia adferre, de prono ad ſeditionem Aegyptiorum ingenio: qua de re multa Trebellius Pollio in Aemiliano tyranno, & paſſim omnes hiſtorici, etiam rerum eccleſiaſticarum conditores perſæpe. Philo Iudæus de populis loquens, qui ex leuiſſimis cauſſis ſoleant tumultuari, & res nouas moliri : ἐν οἷς, ait, τὸ Αἰγυπτιακὸν τὰ πρωτεῖα φέρεται, διὰ βραχυτάτου σπινθῆρος εἰωθὸς ἐκφυσᾶν στάσεις μεγάλας.

ib. *Verſificatores epigrammatarij.*] qui verſibus & epigrammatis enormi libertate in principes ſuos & magiſtratus ludant. non enim heic notantur vt mali poetæ.

Pag. 361. verſ. 1. *Medici.*] qui medicinæ artem in carmina, periapta, & id genus magica remedia vertãt. in ſequenti epiſtola Hadriani idem ſignificat *aliptes.*

5. *Hadriani epiſtolam ex libris Phlegontis liberti eius proditam.*] Scripti, *epiſtolam Romanam.* quod ideo ab auctore additum, quia Phlegon Græce ſcripſerat: ſed Græco operi Latinam inſeruerat. quod à paucis Græcis factitatum: quibuſdam tamen, vt teſtis Vopiſcus in Aureliano.

9. *Illi qui Serapini colunt, Chriſtiani ſunt: & deuoti ſunt Serapi qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt.*] Malim, *Illic q.* vt ſtatim, *nemo illic arch.* quo ex verbo apparet Hadrianum hanc epiſtolam ſcripſiſſe cum iam ex Aegypto diſceſſiſſet. Videntur autem multi Chriſtianorum Aegyptiorum, ad Hadriani aduentum aut mutaſſe religionem, aut intermiſſa eius profeſſione, ad tempus diſsimulaſſe. quæ res occaſionem illi præbuit ea ſcribendi de Aegyptiorum etiam in religione leuitate, quæ hic legimus. Satis conſtat ex hiſtoria eccleſiaſtica accidiſſe hoc non rarò in ea prouincia. Exemplo ſit, quod ſcriptum eſt in veteri Martyrologio in hiſtoria de Epimacho martyre Aegyptio : καταλαμβάνει τὴν Ἀλεξάνδρειαν

δικαστὴς ἀπηνέστατός τε καὶ ἀγριώτατος. ὅθεν καὶ Χριστιανοὶ πάντες, οἱ μὲν τῷ δέει τῶν ἀπειλῶν εἰς ἐρημίας ἐφυγαδεύοντο· οἱ δὲ τὸν Χριστιανισμὸν κρύπτοντες, τὴν ἀσέβειαν ὑπεκρίνοντο. Si propter sæui iudicis aduentum diffugiunt Alexandria omnes Christiani, aut dissimulata vera pietate paganos simulant: non mirum est si veniente Hadriano quem omnes sciebant gentilium superstitionum acerrimum propugnatorem, idem fuerit factitatum. Sarapis autem hoc loco potius quàm alius quiuis gentilium deorum nominatur, quia id erat Alexandrinorum & inferioris Aegypti præcipuum numen: atque vt scribit Iulianus in epistola ad Alexandrinos regem Sarapim vt πολιοῦχον θεὸν colebant. ideo mox Hadrianus, CHRISTVM & Sarapim ceu duo summa Aegyptiorum numina ponit.]

11. *Nemo illic archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbiter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes.*] omnes, inquit, & Iudæorum, & Samaritarum, & Christianorum sacerdotes, non solum religiones nostras per leuitatē animi amplectuntur, quando opus est ἐμπαίζοντες: sed etiam vitia nostra probant ac sectantur: estque inuenire ex illorum numero, qui sint mathematici, aruspices, aliptæ, siue medici: nam Vopiscus hunc Hadriani locum imitans, pro *aliptes* dixit medicus, vt modò obseruabamus. notum qui aliptæ dicerentur in arte gymnastica: sed apparet ex hoc loco male audisse id genus hominum, quod artes veritas tractarent: nam ea ratio est, cur mathematicis & & aruspicibus coniungantur. caussam arbitror esse: quod athletas ad victoriā præparantes, non solum artis suæ præceptis eos instruerēt, sed & veneficia adhiberēt. habuit & circus suos aliptas: nā Glossis exponitur *Conditor*, ἀλείπτης ἵππων. vnde cōstat aliptas etiam dictos esse, quos vocāt Latini *conditores factionū*. Veteres autem & athletas & aurigas veneficiis vsos esse ad parandam in certaminibus suis victoriam, testatissimum est. apud Philostratum lib. VII. de vita Apollonij, disputat Damis, versari late hunc errorem in vita: vt quæ virtute Dei eueniant, ea mali dæmones sibi vindicent, ac vulgo homines credant accidisse magicis & similium impostorum artibus: nominatim autem proferuntur in exemplum athletæ. οἱ εὐηθέστεροι, ait, τῶν ἀνθρώπων εἰς τοὺς γόητας ἀναφέρουσι ταῦτα· πεπόνθασι δὲ αὐτὸ ἐς πολλὰ τῶν ἀνθρωπείων· δέονται μὲν γὰρ αὐτῆς (scribo εὐχῆς: nisi ex præcedentium verborum mente suppleas, τῆς παρὰ γοήτων βοηθείας.) δέονται δὲ ἀγωνισταὶ πάντες, διὰ τὸ νικᾶν γλίχεσθαι· καὶ ξυλλαμβάνειν μὲν αὐτοῖς ἐς τὴν νίκην οὐδέν. ἃ δὲ ἀπὸ τύχης νικῶσι, ταῦτ' οἱ κακοδαίμονες αὐτοὺς ἀφῃρούμενοι λογίζονται τῇ τέχνῃ ταύτῃ. omitto de veneficiis aurigarum plurimos veterum locos. Eandem etiam ob caussam & aruspices, quorum hic mentio, apud bonos male audiebant. Augustinus Confessionum libro IV. cap. II. *Recolo cum mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem, vt vincerem: me autem fœda illa sacramenta detestatum & abominatum respondisse: Nec si corona illa esset immortalis & aurea, muscam pro victoria mea necari sinerem.*

13. Ille

13. *Ille ipse patriarcha cum Aegyptum venerit.*] inaudiuerat aliquid Hadrianus de patriarcha Alexandrino cum in Aegypto esset, déque summa eius dignitate: sed falsa pleraque ei persuaserant homines Aegyptij, immortales & Iudæorum & Christianorum hostes. iis auctoribus credidit Hadrianus, non fixam in Aegypto sedem habuisse patriarcham, sed certis solùm temporibus eò venire solitum: quod scimus esse falsissimum. Est autem verisimile quandiu Alexandriæ fuit Hadrianus, latuisse episcopum Alexandrinum siue is Iustus fuit, siue eius successor Eumenes: quò facilius illi persuasum est id quod diximus. Fuere olim patriarchæ non solum apud Iudæos & Christianos, verùm & gentiliũ religionum cultores: nam Gamalielus patriarcha quem laudat Marcellus empiricus cap. XXIII. quin paganus fuerit nullũ est dubiũ. inuenies & alibi factam eius nominis mentionẽ etiam in scriptis τῶν ἔξωθεν.

ib. *Ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.*] de Serapi verum est: nam id assidue agebant hostes Christiani nominis, vt quacunque via, à vera pietate ad gentium errores & populum Christo deuotum, & populi duces traducerent. quare istud quidem verè Hadrianus: de CHRISTO autem, falsissimè simul ac vanissimè. sed hoc illi persuaserant Aegyptij.

17. *Omnes certè lymphiones cuiuscunque artis & videntur & habentur.*] Legendum, *linifiones*, siue *linifeones*. artificum nomina Latini efferunt vel in *arius*, vt calceolarius, solearius, molochinarius, & alia sexcenta: vel in *eo* aut *io*: vt pellio, linteo, phrygio. in quibusdam vtrumque typum vsurpabant: vt *linteo* & *lintearius*: *linifio* & *linifarius*. in hoc nomine vtrumque typum obseruo vsurpatum: Hadrianus hîc *linifionem* dixit: alij *linifarium*. Impp. Theodosius & Valentinianus lege secunda Cod. Theodos. de murilegulis & gyn. *Si quis ex corpore gynæciariorum vel lineariorum, siue linifariorum.* Linifiones siue linifarios Græci λινύφους dixerunt. Glossæ, λίνυφος, *linteo*. in iisdem separantur linteones & lintearij. Ex hoc autem loco intelligi potest Aegyptiaci lini copia: nam significat Hadrianus, in lini paratura, aut operum linteorum cõfectione bonã Aegypti partem fuisse occupatã: etiam eos qui alias artes exercerẽt.

18. *Cæci quod agant habent, cæci quod faciant.*] alterutro loco scribendum *clodi*, id est, *claudi*.

20. *Vnus illis deus est: hunc Christiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes.*] quomodo vnus illis deus, si alij Christum, alij coluerunt Serapim? vt omittam cæteram deorum turbam, quos Aegyptij cum reliquis paganis ea tempestate vel superstiosissime venerabantur. Omnino ab aliena manu hæc verba sunt non Hadriani. nempe hæc notauerat Christianus aliquis lector ad superiora Hadriani verba, quibus videtur diuersissimas quæ in Aegypto vigebant θρησκείας, Christianorum, Iudæorum, Samaritarum, Græcorum miscere ac confundere: deinde aliquis sciolus è codicis sui mundo in textum, vt fit, ea transtulit. hæc

ita esse argumento est vox *gentes*: quæ Christianis & Iudæis hic opposita, auctoris sui conditionem palam facit.

21. *Digna profectò sui profunditate quæ pro sui magnitudine totius Aegypti teneat principatum.*] Reg. *dig. prof. pro sui fœcunditate, quæ p.* sed alia medicina indiget hic locus: nam & hic aliena verba in locum non suum irrepserunt: Scribe: *digna profectò quæ pro sui profunditate, totius Aeg. t. pr.* quis dubitat vocem *magnitudine* interpretamentum esse alterius vocis? appellat autem *profunditatem* Alexandriæ, (nam de ea loquitur, etsi nominat nunquam, vt qui eius ciuibus esset iratus:) amplitudinem eius vrbis, ciuiũ multitudinem, & altas opes: non enim possumus ad laudem ingenij aut prudentiæ referre: præcedit enim: *totam didici leuem, pendulam &c.* Sic accipio verba Iosephi cum profundam Aegyptum appellat Ἁλώσεως libro secundo, capite XXVIII. δύο ἐγκαθήμενα τῇ πόλει τάγματα τὴν βαθεῖαν Αἴγυπτον ἅμα τῇ Μακεδόνων δυσγενεία χαλινοῖ· alio sensu ἔθνος βαθὺ apud Philostratum in primo Vitæ.

24. *Denique vt primum inde discessi e.*] Melius, *deinde*.

25. *Et de Antonino quæ dix.*] Constans veterum librorum scriptura: erant nempe obliti librarij quæ de Antinoo dicta sunt in Hadriano. nam scribendum, *Antinoo*.

26. *Nihil illis opto nisi vt suis pullis alantur: quos quemadmodum fœcundant pudet dicere.*] fœcundabant in sterquilinio. Aristoteles Historiarum libro VI. capite secundo, de generatione pullorum ex ouis disserens: ἐκπέττεται μὲν οὖν τὰ ὠὰ ἐπωαζόντων τῶν ὀρνίθων· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ αὐτόματα ἐν τῇ γῇ, ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ, κατορυττόντων εἰς τὴν γῆν ἐν τῇ κόπρῳ.

27. *Calices tibi allassontes versicolores transmisi, q.*] *calyces allassontes* dicuntur, qui subinde colorem mutant, alium atque alium exhibentes sicut palumborum colla. de hoc genere vitrorum sentit author in Tacito, *vitreorum diuersitate atque operositate vehementer est delectatus*. de vitris Aegyptiis non semel alibi dictum. affinis est cum re tum nomine color ille quem non in vitris, sed in vestibus appellamus hodie *changeant*, id est, ἀλλάσσοντα. Latinam vocem *versicolores*, etsi Græcæ interpretatio potest videri: γνησίαν tamẽ censeo. Fortean scripserat *tres misi* non *transmisi*.

30. *Caueas tamen, ne his Africanus noster indulgenter vtatur.*] Vide num melius sit *indiligenter*. Africanus hic, Seruiani filius, puto, fuit, ætate adhuc tener.

35. *Et ille quidem, quod negari non potest, vir sapiens.*] mox in Proculo: *homo, quod negari non potest, optimus, idemque fortissimus.*

Pag. 362. vers. 1. *Deposita purpura ex simulacro Veneris, c.*] Scripti, *de sim.* *deponere* dixit pro detrahere, auferre. in Probo: *appellatus est imperator, ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi oblatum est.* & ita alibi.

2. *Cyclade vxoria m.*] Reg. *cum chlamyde vx.* melius, *cyclade* quæ vestis erat muliebris auro texta & pretiosissima.

5. Ne-

5. *Necessarium, si non arroganter dicam, Resp. virum perdidit.*] Similis vox alterius Saturnini tyranni. apud Trebellium Pollionem: *Commilitones bonum ducem perdidistis.*

15. *Nam quod imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis.*] Longe aliter ista exhibent veteres: in quibus loco istorum hæc inuenimus: *Iam quod amabile omnibus Probum me æmulum esse cupitis, cui libens cedo, & cuius esse dux cupio: in necessitatem mortis me trahitis. Habeo s.* non est in his integra sententia: erit si coniuncta vulgata lectione cum edita scribas: *Nam quod imperatorem me cupitis potius quàm illum amabilem om.* vel, *imp. me cup. reiicitis illum am.* aut *fastiditis.*

17. *Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.*] Vox inhumana: sed quæ tamen & in ore hominum, & in scriptis veterum frequens. Plinius epistola xx. libri VI. *Possem gloriari non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse: nisi me cum omnibus, omnia mecum perire, misero magno tamen mortalitatis solatio, credidissem.* auctor panegyrici ad Constantinum: *Nisi forte iam sentiens diem sibi venisse fatalem, ad solatium suæ mortis, voluit secum trahere quamplurimos.*

20. *Romæ frequentauerat pergulas magistrales.*] non celebres doctores, sed è triuio magistros qui in pergulis docebant, more cæterorum artificum multorum.

29. *Longum est friuola quæque connectere, & odiosum d.*] ait tamen in sequenti vita Vopiscus: *minima quæque iucunda sunt, atque habent aliquid gratiæ cum leguntur.*

23. *In imperium vocitatus est ludo pene & ioco.*] vt & Regillianus alter tyrannus, de quo Pollio.

26. *Atque ipse decies imperator exisset.*] In calculorum ludo quem Græci recentiores ζατρίκιον dixerunt, vnus fuit qui dicebatur Rex, vt scribit Theocriti scholiastes: sed in latrunculorum ludo, ipse qui ludebat, si faueret alea Rex exibat. in epigrammate Agathiæ scholastici quo Zenonis imperatoris tabula describitur, Regis quoque mentio fit, siue imperatoris. Sed illius ludi modum, nemo veterum describit.

Pag. 363. vers. 28. *Humeris eius iunxit.*] Melius scripta lectio, *ingessit.*

30. *Nam Alemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit, n.*] Errat Vopiscus: iam enim multo ante & Alemannorum nomen Romanis cognitum fuerat, & Caracallo de ea gente victa partum Alemannici cognomen. auctor Spartianus in vita & Aurelius Victor: cuius verba sunt: *Alamannos gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Mœnum amnem deuicit.* quo tempore autem Vopiscus hæc scribebat, notissimi erant. Arnobius æqualis scriptor, aut natu non multo grandior: *Si Alamannos, Persas, Scythas, idcirco voluerunt deuinci, quod habitarent & degerent in eorum gentibus Christiani.* nihil enim mutandum in hoc Arnobij loco: secus quàm eruditi viri putarunt.

36. *Quibus familiare est ridendo fidem frangere.*] Procopius Gotthico-

rum ſecundo, idem de eadem gente: *ἐστι γὰρ ἔθνος τοῦτο τὰ ἐς πίστιν σφαλερώτατον ἀνθρώπων ἁπάντων*: & aliquanto poſt in eam ſententiam plura. Saluianus De prouidentia Dei libro VII. *Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt: Alanorum impudica, ſed minus perfida: Franci mendaces, ſed hoſpitales: Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate venerandi.* meminit & libro IV.

Pag. 364. verſ. 3. *De quo multo minora condidi.*] Non male Iacobus Lectius, *condidici.*

6. *Bonoſus homo Hiſp.*] Scribe, *B. domo Hiſp.* è membranis. pro *Hiſpanienſis.* quidam veteres, *Carthaginienſis.* non infrequens eo ſeculo nomen Bonoſus: quod Barbarum non eſt, ſed Latinum. nam vt à *canus* fecerunt *canoſus*, quo vſus Valerianus Auguſtus in epiſtola ad Probum: ſic à *bonus*, nouum nomen ea ætas fecit bonoſus. Bonoſi cuiuſdam mẽtio habetur in epiſtola Hieronymi ad Chromatium: Bonoſi epiſcopi in LXXIX. Ambroſij. in antiquis inſcriptionibus & BONOSVS inuenies & BONOSA.

7. *Galla tamen matre, vt ipſe dicebat, rh.*] Corrupta diſtinctio: tu interpunge: *origine Britannus, Galla tamen matre: vt ipſe dicebat, rhetoris filius: vt ab aliis didici, pædagogi literarij.*

10. *Literarum nihil didicit.*] Suſpicabatur non abs re eruditiſſimus Lectius, ſcribendum potius, *nonnihil.*

17. *Ipſis propinabat, vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognoſceret.*] ita fuit moris Aureliano per hoc lene tormentum, vt appellat lyricus, & legatis & aliis verum elicere. Supra de Firmo: *Fuit ei contentio cum Aureliani ducibus ad bibendum, ſi quando eum tentare voluiſſet.* alludit ad principum hunc morem Ambroſius De ieiunio, cap. XVII. *Plerique, ait, vino vtuntur pro equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem proditions, eos tentant bibendo, vt patriæ ſtatum, ſalutem ciuium, defenſionis ſuæ prodant conſilia.* Exemplum elicitæ in vino veritatis habes in Excerptis Legationum ex hiſtoria Eunapij.

33. *Cum quodã tempore in Rheno Romanas luxurias Germani incendiſſent.*] Vetuſto errore deprauatus hic locus: nam omnes ſcripti agnoſcunt ridiculam vocem *luxurias.* ſcribendum verò *cluſurias.* præcipiente Iacobo Cuiacio, cuius Obſeruationes adeant tirones libro tertio, capite XXIV.

37. *Vt optimates Gothicas apud Perinthum collocares.*] poteſt accipi vox *optimates* communi notione de iis quæ in ſua gente eminerent. ſic ſæpe apud Marcellinum & alios. ſed melius referas ad peculiarem vocis huius vſum in Gotthica gente. pars enim Gotthorum *ὀπτιμάτοι ἐκαλοῦντο*, inquit Olympiodorus in Excerptis à Photio. multa de his leguntur in Græcorum recentioribus ſcriptis: quæ ab eruditis viris collecta, prætermittimus.

Pag. 365. verſ. 2. *Sed vt ſeptem ſimul vnum conuiuium haberent.*] *conuiuium συμβίωσις, κοινόβιον, συσσίτιον.* non enim eſt heic *συμπόσιον*

6. Tu-

6. *Tunicas palliolatas.*] mixtum genus veſtis & formam quodammodo referens,& vſum præſtans duarum:tunicæ & pallij.vtraque veſtis tam muliebris fuit quàm virilis. non male, opinor, tunicas palliolatas dixeris, pallas manicatas quibus domi vtuntur hodie matronæ, & *mantelia cubicularia* vocant. de iſtis veſtibus compoſitæ figuræ ad Trebellij Claudium: vbi etiam expoſitæ ſunt reliquæ veſtes hic nominatæ:nam *interulæ dilores* paragaudes ſunt intelligendæ.

ISAACI CASAVBONI

IN FLAVII VOPISCI CARVM, CARINVM ET Numerianum, EMENDATIONES ET NOTÆ.

CARVS.] In regio codice libri huius inſcriptio eſt, CARVS & NVMERIANVS. nam Carini vita in eo exemplari deſideratur. Dubito an horum trium vitæ, liber vnus & ſcriptio eadem cenſeri debeant.nam vt Probum ac Florianũ vno,& item altero quatuor tyrannos: ita videtur patrem & duos filios vnico libro complexus. cenſeas tamen aliter,cum in Cari vita legas iſta de Carino: *Sed hæc alias.*& poſt pauca: *Sed hæc, vt diximus, aliàs in vita Carini dicenda ſunt.* nam videtur ex his Carini vita ſeparatim & ſcripta & edita: quare non vnus liber : ſed plures erant libelli. Melius tamen ſentias,vitas quidem eſſe diuerſas: at librum vnicum. Quare titulum hunc ita reſcribe,CARVS NVMERIANVS & CARINVS.ſequentes verò duos induce.

22. *Eamque nunc ad summum euehi, nunc ad minima retrahi.*] Veteres *vehi & reuehi.* quorum vtrumque minus probo. sed pro *ad minima*, scribendum *ad ima*, vel *ad imum*. nam summis opponuntur ima: non autem minima.

24. *Nam cum ducta per tempora v.*] non translatitia locutio, *duci per tempora*. quæ si cui minus placet, sublata voce *ducta* eadem remanebit sententia. sed nolim mutare: repugnant enim libri, *duci per tempora* nihil aliud quàm durare, & ætatem ferre. istas autem fortunæ varietates passa Resp. Rom. tractu longi temporis.

27. *Omnia prope passa esset quæ patitur in homine vno mortalitas.*] Vt singuli hominum nascuntur, variosque ætatis gradus varie decurrunt modo valentes, modo infirmi, tandemque intereunt: sic & Respublica. ideo Florus Romani populi res descripturus, quasi hominem illum considerat: quod & Augustinus facit in digerendis populi Iudaici temporibus: idem sed aliter Vopiscus hoc loco.

26. *Videbatur post diuersitatem malorum iam secura, continuata felicitatis mensura.*] quis ista intelligit? illa verò ita scripta intelligi non queunt. Legendũ est, *continuata felicitate vsura.* quam coniecturam nostram non mediocriter regius adiuuat, qui præfert *felicitate.* sic & Italicus vnus: vbi etiam pro *mensura.* exaratum *mansura.* placet nihilominus quod posuimus.

35. *Plus enim timetur de incertis moribus principis, maxime i.*] Exple sententia ex libris: *P. e. timetur de i. m. principis, quàm speratur: max.*

Pag. 366. vers. 1. X X X. *etiam prope tyrannorum cæsa ciuilium membra sibimet vindicantium, perpessa mœruerit.*] Hæc quoque sunt corruptissima. Puteani liber sic: X X X *etiam prope tyrannorum collisionibus cæsa bellorum membra sibimet eam vindicantium.* Lego, *Tr. et. p. tyrannorum collisionibus cæsa membra, bello ciuili sibimet eam vindicantium, perpessa mœruerit.* elegans verbum *collisio*, σύγκρουσις. Horatius,

> *Græcia Barbariæ lento collisa duello.*

9. *Grauidam triumphis ciuitatem religione muniuit.*] πόλιν πρὸς τὰ πολεμικὰ ὀργῶσαν, & quandoque multos triumphos sibi parituram. imitatur illud vatis Latini:

> *Sed fore qui grauidam imperiis, belloque frementem*
> *Italiam regeret.*

10, *Venit igitur vsque ad T.*] Scripti, *viguit ig.*

15. *Plus pene mali sensit, quàm tunc boni habuerat.*] Scrib. *quàm adhuc boni habuerat.*

25. *Nec omni Titi felicitate lætata, D.*] propter breuem principatum Titi: cuius bonitate simul propemodum cepit frui ac desiit. nihil mutandum.

36. *Vt ea quæ sunt in publicis actibus euentuum varietate mutentur.*] Scripti, *vtentur.* perperam. nec *mutentur* satis mihi probum. puto verum,

rum, *notentur*. aut *mutari* cape pro ποικίλλεσθαι.

37. *Et temporum casibus destinemur?*] Scrib. *distinemur?*

Pag. 367. vers. 3. *Et longe meliorem, si Carinum non reliquisset heredem.*] Dixisset melius feliciorem. sic Spartianus in Seuero: *Quid Marco felicius, si Commodum heredem non reliquisset?*

4. *Cari patria sic ambigue à plerisque proditur, vt p.*] Omittit auctor super Cari patria sententiam plerisque veterum probatam: N rbone enim genitum scribunt & Sextus Aurelius Victor Schotti, & ille alter vulgaris: ac plures ita crediderunt, vt ex Sidonij carmine de Narbone apparet. hoc voluit & Zonaras cum scripsit ex antiquioribus Græcis: Κάρος τὸ γένος Γαλάτης ὤν· id est Gallus.

5. *Præsumptè veritatem dicere.*] præcise, & ἀφωρισμένως, vel πεποιθότως, & cum certitudine. Mirum verò genus loquendi: *vt præsumpte veritatē dicere nequeam quæ illa vera sit.* sed censeo alterutram vocem delendam, aut *veritatem*, aut *vera*.

14. *Sed auo iuri Aquileiensis ciuitatis insertum.*] Fortean scripserat, *ab auo.*

15. *Quam proconsul ad legatum scripsit.*] Vetus liber, *quam proconsule ad legatum suum scripsit.*

17. *Carus Manlius Aurelianus p.*] Abest à regio vox *Carus*. quæ cæteris nominibus in huius epistolæ inscriptione contra Romanam consuetudinem anteposita, mendæ suspicionem mouet. vox vero *Manlius* palàm corrupta. nusquam enim illi locus inter huius imperatoris nomina. postremò cur *Aurelianum* se heic appellat Carus, alibi semper Aurelium? propter has rationes emendandum censeo hunc locum, ac scribendum: *M. Aurelius Carus.* sic enim veteres nummi. paullo aliter Puteani codex: *Manlius Valerius Carus proconsule.* perspicuo errore.

19. *Si ita non esset, a.*] id est, etiam si traditum à maioribus nostris hunc morem non accepissem.

ib. *Feci aliter, si te iuuante non fallar.*] Nullus hinc sensus. scribendum, *non feci aliter.*

20. *Id est Romanis.*] Videri possunt inserta hæc à Vopisco inter describendum.

26. *Scripsit inter cætera.*] Præstat antiquorum interpunctio: *sic ad senatorium ordinem scripsit. inter cætera.* idem supra obseruabamus.

27. *Quare adnitemini ne meliores peregrini quàm vestri esse videantur.*] Scribe, *adnitemur*: è libris. peregrini imperatores boni non pauci: imprimis Alexander Seuerus, princeps bonitate nemini secundus.

31. *Tantum sibi apud milites amoris locauit.*] id est collocauit, velut depositum aliquod. nam id vult quod Græci dicerent, τοσοῦτον ἔρωτα εἰς τὰς τῶν στρατιωτῶν γνώμας κατέθετο. ita passim, χάριν καταθέσθαι τινί. benefactis aliquem sibi conciliare.

35. *Et eos in Fastos retulisse, Cari factione interemtum Probum.*] Fastos

impropriè appellat Annales, vel Historias.

Pag. 368. vers. 7. *Vt publico sumptu vel eidem exædificetur domus.*] Dele τὸ *vel.* quam voculam regius non habet. alioquin defuerit aliquid integrandæ sententiæ. Erat honoris genus apud Romanos cum de publico domus alicui exstruebatur, vt olim Claudio adhuc priuato. Suetonius. sic aliis.

12. *Liberis Cæsaribus nuncupatis.*] vel vt scripserunt alij, in participatum imperij vocatis. Zonaras, *τοὺς οἰκείους υἱοὺς Κάρινον καὶ Νουμεριανὸν ἐταινίωσε βασιλικῷ διαδήματι.* non temere autem scripsisse hoc Zonaram, verùm ex vetustorum auctorum fide, argumento sunt leges Codicis, quarum hæc inscriptio est: IMPPP. CARVS, CARINVS, & NVMERIANVS AAA. Solent verò inter Cæsares & Augustos parum accuratè distinguere: nam etiã Vopiscus Constantiũ qui fuit Diocletiani Cæsar, imperatorem nostrum nuncupat. in lapidibus dicuntur & Carinus & Numerianus PRINCIPES IVVENTVTIS. Notat verò disertè in Carino Vopiscus ea lege fuisse eius imperium Cæsarianum, vt omnia faceret quæ Augusti faciunt.

20. *Nam extant iam literæ Cari, q.*] Scrib. *etiam l.* mirum verò de his literis tacere Vopiscum in ipsius Carini vita.

23. *Sed hæc, vt diximus, aliàs in vita Carini dicenda sunt.*] Sapiunt alienam manum illa, *in vita Carini.* extant tamen in manuscriptis sic: *in ipsius Carini vita.*

25. *Ingenti apparatu & totis viribus Probi profl.*] adiectum hoc ad Probi honorem, quem vnicè miratus est auctor. Sic Lampridius in Alexandro: *Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam à Maximino, Alexandri fuit.*

29. *Imperatoris Persici nomen meruit.*] Extat apud Adolphum Occonem virum eruditissimum veteris nummi inscriptio hæc: DIVO CARO PARTHICO. id est Persico. sic Ctesiphontem vrbem Parthiæ dixit in eadem historia Aurelius Victor.

30. *Verum cum auidus gloriæ pr.*] Aurelius Victor: *fusis hostibus cum gloriæ inconsultè auidior Ctesiphonta vrbem Parthiæ inclytam transgreditur, fulminis tactu conflagrauit.*

Pag. 369. vers. 1. *Iunius Calphurnius, qui ad memoriam dictabat, t.*] Nihil muto neque audio eruditissimum virum qui emendat: non enim multo aliter Græcis hic dictus est *ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης.* Flauiana verò periphrasis eleganter exprimit officium magistri memoriæ. eius enim erãt partes curare, vt quæ quotidie accidebant, quorũ memoriã conseruare principis intererat, in cõmentarios referrentur: cui ministerio ipse iugeniũ potius quàm manũ ministrabat. *ἀντιγραφεία* verò Greci dixerũt, quod vicem principis cui erat à memoria ipse scriberet aut dictaret. Petrus patricius aut magister, in Excerptis legationum: *Γαλέριος καὶ Διοκλητιανὸς εἰς Νίσιβιν συνῆλθον. ἔνθα κοινῇ βουλευσάμενοι, στέλλουσιν εἰς Περσίδα πρεσβευτὴν*

σβυτέρῳ Σικόελον Πρόβον ἀντιγραφέα τῆς μνήμης.

2. *Dedit inter cætera.*] *epiſtolam dedit.inter cætera,*

12. *Hanc ego epiſtolam idcirco indidi,quod plerique dicunt,vim fati quandam eſſe, vt R.*] Aurelius Victor de ea re. *Id quidam iure ei accidiſſe referunt:nam cum oracula docuiſſent aduſque oppidum memoratum,*(Cteſiphonta)*perueniri victoria licere, longius delatus,pœnas luit.* Atqui conſtat Romanos vltra Cteſiphontem & Tigrim prouincias habuiſſe Tranſtigritanas,quas à Galerio partas,reſtituit Perſis Iouianus.

17. *Licet plane ac licebit per ſacratiſſimum principem Maximianum Perſas vincere.*] Hæc eo tempore ſcribebat Vopiſcus, quo Maximianus contra Perſas & Narſeum Armeniæ regem, bellum in Oriente gerebat. rerum ab eo geſtarum meminerunt Aurelius Victor & hiſtorici in Diocletiano. Eumenius Pro reſtaurandis ſcholis, *ſibi ad hæc ſingula intuentium animus affingit aut ſub tua Diocletiane clementia Aegyptum furore poſito quieſcentem:aut te Maximiane Cæſar Perſicos arcus pharetraſque calcantem.*

19. *Et futurum reor,ſi à noſtris non deſeratur promiſſus numinum fauor.*] Galerium auctor innuit, qui ex inuidia vt creditum eſt, Maximianum impediit,ne finem bello Perſico quem ſperabat,imponeret.conſtituerat enim non prius ab armis recedere quam Perſidem vel Armeniam in prouinciæ formam redegiſſet. Aurelius Victor de Maximiano contra Perſas & Armenos belligerantes: *adeo victor, vt ni Valerius, cuius nutu omnia gerebantur, incertum qua cauſſa abnuiſſet, Romani faſces in prouinciam nouam ferrentur.*

24. *Ita inter bella patiendo contudit,v.*] Male alij libri *partiendo.* ſignificat victos Sarmatas à Caro patientia & ſtratagematis potius quàm ferro.

Pag.370.verſ.1. FLAVII VOPISCI SYRACVSII NVMERIANVS.] Tria verba prima delenda,vltimo ſolùm relicto:vel vt in regio: DE NVMERIANO.

7. *Adeo vt publice declamauerit, f.*] & quidem in tenerrima ætate, adhuc pæne puer. T. Calpurnius ecloga prima.

Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas:
Et redit ad terras tandem ſquallore ſituque
Alma themis poſito,iuuenemque beata ſequuntur
Secula,maternis cauſſam qui luſit in vlnis.

neceſſario iſta vel de Carino capienda vel de Numeriano: ſed omnino de hoc potius, quàm de illo. nam & Aurelio Victori Numerianus dicitur, *adoleſcens bonus facunduſque.* Fuiſſe tamen & Carinum iis artibus in adoleſcentia prima educatum teſtatur verba ſcriptoris incerti apud Suidam: quibus dicitur cædis nonnullorum à Carino occiſorum, hanc cauſſam extitiſſe, quod ſibi adoleſcentulo declamanti non fauiſſent pro ſua voluntate.

12. *Qui* Ἁλιευτικὰ, Κυνηγετικὰ & Ναυτικὰ *scripsit.*] Latinè hi indices ſcribuntur in veteribus non Græcè. pro Ναυτικὰ aliquando ſuſpicabar ſcribendum Ἰξευτικά. ſic enim Oppianus cum venationum materiam tractandam arripuiſſet, iiſdem tribus titulis libros fecerat.

13. *Quique omnibus coloniis illuſtratus emicuit.*] Ridicule omnes codices *coloniis*, pro *coronis*. nam ita ſcribendum nemo non videt.

14. *Aurelium Apollinarem amborum ſcriptorum.*] Et hic error vetus ac conſtans in exemplaribus: *amborum* pro *iamborum*. de quo dubitari non poteſt.

16. *Veluti radio ſolis obtexit.*] atqui ſolis radiis res non obteguntur: ſed illuſtrantur. verùm eo reſpicit, quod lumen ſolis minora lumina, vt lucernæ, obſcurat extinguitque: quod Græci dicunt καταυγάζει.

36. *Domeſticos tunc regentem.*] ita Victor: alij comitem domeſticorū vocant: cuius muneris ſæpe Marcellinus meminit. libro XII. Codicis, titulus extat de domeſticis & protectoribus. Zonaras hic: δοὺξ Μυσίας ἐτύγχανεν· ἄλλοι δὲ κόμητα δομεστίκων αὐτὸν γενέσθαι φασί. δομεστίκους δέ τινες τοὺς ἱππέας νομίζουσι. ſed errat Zonaras qui domeſticos equites ſolum putat fuiſſe: nam erant & pedites: qua de re adhibe in conſilium æui noſtri Papinianum.

Comes domesticorum

Pag. 371. verſ. 1. *Conſilij ſemper alti, nonnunquam tamen effrontis, ſed prudentis.*] quid appellat *conſilium effrons*? Latinis frons pudoris & modeſtiæ ſedes. & *frons tenera* ſiue *imbecillis* apud optimos ſcriptores, de homine verecundo dicitur, & eo qui alium offendere quoquo modo non ſuſtineat. igitur *conſilium effrons* eſt audax immodeſtum & eius qui omnes præ ſe deſpiciat. & verè quidem hoc Vopiſcus de Diocletiano: cuius arrogantiam ſummam in ſummis virtutibus omnes hiſtorici loquuntur. Aurelius Victor: *Valerius Diocletianus domeſticos regens ob ſapientiam deligitur, magnus vir: his moribus tamen: quippe qui primus ex auro veſte quæſita, ſerici ac purpuræ gemmarumque vim plantis concupiuerit: quæ quanquam plus quam ciuilia, tumidique & affluentis animi, leuia tamen præ cæteris: namque ſe primus omnium Caligulam poſt Domitianumque, Dominum palàm dici paſſus, & adorari ſe, appellarique vti Deum.* mox: *Verum hæc in Valerio obducta cæteris bonis: eoque ipſo quod Dominum dici paſſus, parentem egit.* vides mirum virtutum ac vitiorum temperamentum: quale his verbis ſignificare voluit: qui cum imperante Diocletiano hæc ſcriberet, libertatem dicti huius ſubit mirari. cum dicit Victor, *verùm hæc in Valerio obducta cæteris bonis*, verſum παροιμιώδη Græcorum exprimit, Ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθεῖται ψόγον. quem & Cicero vſurpauit.

12. *Quid ego miror de homine militari, q.*] Scribe, *quod ego miror d.*

17. *Lepus tute es & pulpamentum quæris.*] accepit Terentius ſiue Liuius Andronicus à Græcis: Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖς.

18. *Curioſum non puto, neque ſatis vulgare, f.*] Ego non dubito auctorem ſcripſiſſe, *Curioſum puto neque ſatis vulgare, f.* nam Vopiſco ſemper, vt in

vt in ſuperioribus monebamus, *curioſus*, eſt ὁ πολυμαθίας ἐραστής: & *curioſitas*, auiditas aliquid noſcendi quod non ſit vulgare. quare *curioſum puto*, interpretari debes hoc loco, δοκεῖ πρὸς πολυμάθειαν ζωπυρεῖν.

20. *Hoc conuenientem loco.*] *huic.*

23. *Apud Tungros in Gallia.*] Belgica, vbi Germania inferior. nam Tungri, populus Germanicus.

27. *Tunc ero largus cum imperator fuero.*] Similem hiſtoriam vel fabellam narrat Spartianus in Seuero.

32. *Cuius hoc dictum à Druide ipſe retulerat.*] Scrib. *cui ſibi hoc dictum à Druide i.r.*

Pag. 372. verſ. 12. FLAVII VOPISCI SYRACVSII.] Tollenda hæc iſto loco vt ante monuimus.

16. CARINVS *homo omnium contaminatiſſimus, adulter, &c.*] Idem eſt iudicium de Carini moribus apud omnes hiſtoricos: fuiſſe omni genere luxus perditum, crudelem etiam, & ſuperbum. Quare diſertiſſimus ſcriptor Syneſius, qui in elegantiſſima & grauiſſima oratione de regno Carinum laudat vt principem ſobrium, moderatum, & magni exempli, ſine controuerſia falſus eſt: Carinum enim nominat quem debuerat Carum. quod manifeſtiſſimum eſt è principio eius narrationis. Ait enim accidiſſe illa cum imperator in expeditione Perſica verſaretur: quam obiiſſe conſtat Carum patrem cum Numeriano filio, non Carinum qui ſtatim à patre deſtinatus fuit in Gallias.

17. *Frequens corruptor iuuentutis.*] Vetus ſcriptor apud Suidam de Carino: παίδων δὲ γεγονότων ὕβρεις, διὰ τὸ σύνηθες, οὐδὲ ὕβρεις ἐνομίσθησαν, ἀλλ' ἦν ἐγκύκλιον αὐτῷ καὶ πρόχειρον τοιαῦτα ἁμαρτάνειν.

19. *Ipſe quoque male vſus genio ſexus ſui.*] id eſt ſexu ſuo. amat Vopiſcus ſimiles periphraſes.

26. *Præfectum Vrbi vnum ex cancellariis ſuis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando nec dici.*] Scribendum, *quò fœdius nil nec cog.* deeſt enim aliquid implendæ ſententiæ. poſſis etiam ſcribere, *quo fœdius nec cogitari potuit aliquid aliquando, nec d.* omiſſiones hoc genus frequentiſſimæ ſunt. Duplex autem ex his verbis fœditas intelligenda: in perſona: quia non dubium eſt ſpurciſſimis moribus fuiſſe hunc Carini cancellarium, quem tantopere ipſe amaret. altera fœditas in re ipſa & cõditione perſonæ. nam præfectura Vrbis dignitas fuit ſumma. in lege prima Cod. De præf. præt. vel vrb. aiunt imperatores præfectum Vrbi & præfectum præt. ac magiſtros equitum ac peditum, pares atque indiſcretas eſſe dignitates: conſtat verò præfecturæ prætorianæ poteſtatem regiæ proximam fuiſſe: vt iure dixerit Eunapius eam eſſe βασιλείαν ἀπόρφυρον. atqui præfectus Vrbi in nonnullis etiam ſupra præfectum ipſum prætorij fuit. princeps enim quodammodo ſenatus erat, ſedebatque in curia ante patricios, conſules, conſulares, præfectum præt.

magiſtros militum & cæteros illuſtres, vt eſt in Nouella LXII. itaque lege tertia Cod.de præf.Vr.*præfectura Vrbis*,inquiunt Impp.*cunctis quæ intra Vrbem ſunt antecellat dignitatibus.* At cancellariorum ea ætate non dicam mediocris, ſed omnino nulla erat dignitas. neque enim publici muneris adhuc id fuit nomen,verùm miniſterij in aulis principum & aliorum procerum.Erat moris vt principum & magiſtratuum ſecreta, (ita vocarunt loca vbi de negotiis pro ratione muneris quiſque ſui tractaturi conueniebant) in aditu primo vela, & deinde cancellos haberent:Græci hos vocant,κιγκλίδας, δρυφάκτους, Polybius hiſtoria XV. θύρας δικτυωτὰς διαφανεῖς,vt & Caſſiodorus,*feneſtratas ianuas*. qui vela ſeruabant *velarij* dicti:vt in veteri lapide VELARII. DE. DOMV. AVG. qui cancellos ,*cancellarij*. vox non admodum antiqua,nec multo ante Vopiſci tempora cepta vſurpari: nam in Digeſtis nullam cancellariorum mentionem factam inuenio : niſi fallit me tamen memoria:in Codicis verò tituloDe aſſeſſoribus,& alibi,*miniſterium cancellariorum* ſæpius leges.id verò cuiuſmodi fuerit luculenter deſcribit Agathias. narrat ille libro primo , Narſem ducem Iuſtiniani , qui in Italia contra Gotthos bellum gerebat,Rauennam aliquando veniſſe,ſolis famulis ſuis comitatum ac ſatellitibus, & iis, inquit, ὅσοι τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ὑπηρέται ἐτύγχανον ὄντες. οἷς δὴ τὰ ἀρχεῖα ἐπεφρόντιστο , τῆς ἄλλης εὐκοσμίας πέρι , καὶ ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις ὡς αὐτὸν εἰσιτητέα εἴη· τούτοις ᾗ ἔθος Ῥωμαίοις ἐκ τῶν κιγκλίδων ἐπονομάζειν καὶ τῆς ἐν τούτοις ἐπιμελείας. vides appellari ὑπηρέτας & miniſtros τῆς ἀρχῆς: præcipuumque fuiſſe eorum munus, vt ad cancellos hærerent,admiſſiones curarent , & ne quid tumultus , vt fieri amat in turba,audiretur,proſpicerent.Simillimum munus hodie in curia eorũ qui *huißiers*, ſiue oſtiarij dicuntur. quare etiam vt re, ſic & nomine conueniunt,quod acceperunt hi ab oſtio,illi à cancellis,quæ pro oſtio erant.Hæc prima inſtitutio & munus antiquiſſimum cancellariorum: vt non ſine graui cauſſa pronuntiet hîc Vopiſcus rem indignam &fœdam fuiſſe,quod Carinus vnum è ſuis cancellariis in illuſtriſſimo loco Reip.collocaſſet: quod quid aliud erat quàm veteris comœdię prouerbium tollere ? ὁ νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας. Acceſſit poſtea aliquid dignitatis huic generi hominum, ſed multo poſt Carini & Vopiſci tempora. nam Caſſiodorus in formula cancellariatus libro XI. ſic munus hoc deſcribit,vt appareat ipſius ætate cancellarium,non vt olim oſtiarij ſolum munus ſuſtinuiſſe,verum ex parte etiam eorum qui hodie in aulis principum à ſecretis nominantur,& à libellis ſupplicibus:adhuc tamen,vt ibi dicitur,*fores tenebat & clauſtra patentia*:adhuc,*iudicum iuſſionibus obſecundabat.* Sic paſſim apud ſcriptores citimæ vetuſtatis leges fuiſſe in obſequiis imperatorum,regum, & maiorum vtriuſque imperii magiſtratuum cancellarios , quorum miniſterio variè vtebantur. Sed de his plura diſcere eſt è lucubrationibus præſtantiſſimorum virorum Iacobi Cuiacij & Petri Pithœi. Cum in his eſſem , commodum affer-

affertur mihi musteus adhuc liber, pantosophomastigis illius magistelli, de quo iam antè mentionem fecimus. promittebat libri index emendationes & interpretationes scilicet nouas vitæ Titi Suetonianæ. etsi genus scriptorum hominis suo iudicio doctissimi satis noram: inspicio tamen & auidus emendationes istas aut explicationes nouas quæro, quarum caussa præcipitanda eius libri editio fuerit, μή τις κῦδος ἄροιτο βαλών, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι. quid quæris? non omnino frustra fui: nam etsi quod ad rem faceret inueni plane nihil boni, quod non aliis prius esset dictum: quædam tamen noua prorsus mihi esse inuenta, non nego, atque vltro etiam profiteor. Nouum mihi Strabonis locum emendari, qui emendationis non eget: nam falsissimum est inserēdam esse vocem ποταμόν, quam nec scripta manu exemplaria, quæ iste nulla vnquam, ne per somnium quidem vidit, agnoscunt, neq. sententia desiderat. atqui hæc falso credita emendatio tanti visa auctori suo, vt extra ordinem, in ipso vestibulo eam collocarit. hæc laurus illius postes ornat: hoc illi ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον τηλαυγές. Sed quæ ratio huius consilij fuerit, non ignorant, qui norunt cumq; hominis mores. nam aliorum iuueniles in nobilissimum illum scriptorem curæ huic sunt ἀγηδὼν ὀφθαλμῶν, & quod Themistocli Miltiadis tropæa. nunc istam subtilissimam emendationem leget nemo, quin aliorum omnium vigilias fastidiat, & de locuplete penu omniscij magistri mira omnia sibi promittat. Euge vir subtilissime! hoc nempe est, πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα. Nouum mihi, potuisse huic probari partitionem librorum Suetonij in libros octo, quam in editione nostra Suidæ auctoritate freti instituimus. hoc quia scimus docti & recti iudicij viris probatum, placere isti potuisse miramur atq. adeo indignamur. Sed quod ait, ex Suida & Lampridio factam esse hanc partitionem, vigilans hoc scripsit an somnians? nam de Lampridio somnium merum est. somnium item est, & quidem ægrotantis non corpore, sed animo, quæ ibidem subiicitur de consilio Suetonij ex Suidæ verbis diuinatio. Nouum mihi, patrem Vespasianum fuisse dictum, *amorem ac delicias generis humani.* quam hariolationem omnes antiqui historici ridiculam esse dum tacent clamant. quæ autem ad illum locum adnotantur, partim ex Animaduersionibus sunt descripta ad verbum, vt fere quicquid boni in illa farragine: partim verè sunt illius: falsa enim sunt & κακοηθείας γέμει: atque vno verbo, τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον. Suidam laudat qui illa, *delitiæ humani generis* vertit τρυφὴν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους. audiamus magistrum. *ad Latini verbi*, inquit, *significatum proxime accessit.* rem magnam nos docet: nam ante illū nesciebamus τρυφὴν esse delicias. simile est quod Plutarchi locū emendat, cuius verba descripsit ex Animaduersionum libro secundo, vbi totidem literis habetur. in loco Sophronij stupendam Græcarum literarum imperitiam suam pari malignitate iunctam prodit manifestissimè. Scripseramus videri Sophronium deprauatis codicibus vsum, qui

hæc verba Hieronymi, *Antinoum autem in deliciis habuiſſe Cæſar Hadrianus ſcribitur*, ſic verterit, τὸν δὲ Ἀντίνοον ἐν τοῖς μεταξὺ τῶν αἰδηλικίων ἐσχηκέναι Ἀδριανόν τινες συγγεγράφονται. huius obſeruatiunculæ ſi iſti veniſſet in mentem, vera haut dubiè eſſet: nunc quia ab alio proficiſcitur, vera non eſt. quid igitur noui affert? ſcilicet ſcripſiſſe Sophronium τῶν δηλικίων: adeoque infeliciter in Græcis literis oſtendit ſe inſtitutum, vt putet Græcam orationem futuram, ſi illa *in deliciis habuiſſe*, vertantur, ἐν τοῖς μεταξὺ τῶν δηλικίων ἐσχηκέναι. Nouum mihi eſt, defendi apud Suetonium libri primi capite LV. hanc lectionem, *Eloquentia militari. Qua re.* quæ inepta ſcriptura niſi κορυβαντιῶσιν aut φαρμακῶσιν probari non poteſt. ſed omnia iſti improba, quæ exquiſitioris iudicij viri aut inuenerint aut approbauerint. quod enim ait, non ibi agi de militari virtute Cæſaris: ei obiectioni abunde ſatisfactum in Animaduerſionibus. eloquentiam verò Cæſaris militarem appellare, μωροῦ φωτὸς ἅδε βουλά. ſcilicet neſciuit M. Tullius de ſtilo & dictione Cæſaris recte iudicare. ſed nouus hic eloquentiæ profeſſor Ciceronem facit non tanti: quem alibi *ſcurram & mimum*, quæ eius modeſtia eſt, appellat: neque oratorem, ſed *ſcurrilem dicentarium.* Oro te hæc ſunt ſani hominis verba, an furentis Orbilij μεμεθυσμένα ῥήματα? Sed pergamus: imò verò ne vlterius pergamus: nam ſi caſtigare velim omnes eius libelli errores, Πάρεργον ἔργου μεῖζον ἂν γένοιτό μοι. cætera igitur miſſa faciam: vnum modò addam, cuius occaſione natus nobis, cum minime quæreremus, omnis hic ſermo eſt. nam & Vopiſci hunc locum ibi corrumpit, & de cancellariis veteribus atque hodiernis, ea tradit quæ omnes fateantur noua. Adnotatum eſt à principe iuriſconſultorum noſtri ſeculi Iacobo Cuiacio, Quæſtorem ſacri palatij eum eſſe, quem in aula cancellarium vocamus. hæc cum ille ſcriberet non dignitates inter ſe comparabat: verùm vtriuſque muneris officia ac partes ſpectabat. quare veriſſimam eius ſententiam eſſe, nemo negabit, qui rationes conſiderarit, quas ille affert cur ita ſentiret. neque obſtat, quod hodie Cancellarij ſuprema dignitas eſt: Quæſtoris palatij olim modica. ſunt enim res diuerſæ munus ipſum & dignitas muneri attributa. Neque nouum eſt, vt idem munus pro temporũ aut locorum diuerſitate, plus minuſue honoris ſecum trahat. Exemplo ſint ſcribæ quos vocamus hodie ſecretarios: horum miniſterium apud Romanos vile habitum & mercenarium: apud Græcos verò magna olim fuit ſcribarum dignatio, vt in Eumene obſeruat vetus auctor, ſiue is eſt Cornelius Nepos, ſiue Aemilius Probus. Idem obſeruabis in multis magiſtratibus, ſi mores noſtros vel cum antiqua hiſtoria componas, vel cum aliarum gentium inſtitutis. Non vidit hoc aut ſi vidit, malo animo diſſimulauit Margites rediuiuus: qui vt ille Homericus ἠπίστατο μὲν πάντα, κακῶς δ' ἠπίστατο πάντα. hic igitur ad caput VI.

vitæ

vitæ Titi Cuiacium eo nomine ſuggillat. iſtud quidem non nouum: ſolens enim facit. Nouum illud & incredibilis cuiuſdam ſtuporis argumentum: quod affirmare non erubeſcit, Cancellarium hodie re & nomine eundem eſſe cum veteris Romæ cancellario. Muſas, veſtram fidem! tantumne inſcitiæ in eum potuiſſe cadere, qui de omnium eruditorum ſcriptis cenſurā vni ſibi vindicat? Sed eſto: liceat illi in literis quicquid voluerit: ſolus ſit qui aliquid videat: vnus ſit τὰ πάντα: modò ne celſiſſimam hanc militiæ togatę dignitatem impune in ordinem cogat: modo ne illuſtriſſimo Franciæ cancellario hanc inſignitam eat factum iniuriam, vt de ſummo loco vbi regiæ maieſtati proximus ſedet ad cancellos ſecreti regij vel curiæ eum retrahat: vt fores ei tenendas committat: vt denique collegas ei, rem hactenus inauditam, dare audeat: & quidem non vnum aut alterum, ſed numero prope infinitos: nam ita fuit olim: cum & principes & omnes poteſtate aliqua præditi in obſequiis ſuis plures haberent cancellarios. Tantum hunc errorem hauſit acutus criticus ex verbis Caſſiodori perperam acceptis: quorum mentem aperiunt ſatis quæ antè diximus. Nicetam verò Choniatam ſcriptorem adeo recentem, ab eo laudari qui de veteris Romæ ritu diſerte promiſerit ſe dicturum, ſtuporem neſcio dicam an amentiam. Equidem lapſus ex ignoratione, nedum ἐξ ἀπροσεξίας, facile aliis condonamus, qui in nobis quotidie experiamur, quam ſit humanum falli decipique: at veniam meretur nullam infinita iſta alios reprehendendi libido: qua ſcabie vix aliquis vnquam mortalium æque infectus fuit, atque hic è triuio ludimagiſter eſt. De Vopiſci emendatione, cuius hunc locum obtorto collo in ſuam ſententiam trahit, quid iudicij faciendum ſit, nemo expectat iam vt dicam.

28. *In eius locum Matronianum veterem conciliatorem fecit.*] lenonem & productorem. notum enim obſcena verba eſſe *conciliare* & *conciliatura*. ſic *conciliatrix* pro lena etiam apud Iuriſconſultos, lege prima Cod. Theod. De repudiis. etſi Feſtus aliter interpretatur. Gloſſæ: *Conciliator*, *συμβιβαστής, συναγωγεύς*.

32. *Vulgo vrbis Romæ, q.*] id eſt plebi infimæ, & peſſimis quibuſque.

Pag. 373. verſ. 1. *Quem obiurgabat plerumque quod bene ſuam imitaretur manum.*] Suprema vitioſitatis linea eſt, cum neque probamus quod rectum eſt, neque vitium diſſimulamus: ſed eo gloriamur: quod notat hic Vopiſcus in Carino. ſolent principes qui ſubſcribendi faſtidium habent, aliquem ad ſubſcribendum ponere, qui manum ipſorum probe imitetur. ita diſſimulatur vtcumque principis incuria. iſte ſubſcriptori ſuo iraſcebatur, quod bene ſuam imitaretur manum. gaudebat nempe infamia, & bonæ menti in totum renuntiauerat.

2. *Habuit gemmas in calceis.*] non igitur primus Diocletianus, vt ſcri-

bit Aurelius Victor. habuit & Heliogabalus: sed tulit Alexander, inquit Lampr.

4. *Regem denique illum Illyrici plerique vocitarant.*] Faciunt heic quæ notamus ad vitæ Hadriani illa verba: *Ergo conuersis regio more militibus.*

5. *Præfectos nunquam Coss. obuiam processit.*] Lego, *Præfectis aut consulibus.* sic enim ad Hadrianum Spartiani emendabamus. vbi caussa est exposita. Non leue hoc genus honoris habitum. excipi ab occurrente principe: proximus huic honoris gradus erat, si stans exciperet, non sedens. Spartianus de Hadriano: *Ad conuiuium venientes senatores, stans excepit.* & Sueto. in Tiberio cap. LXXII.

11. *Balneis ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ suppositoriæ.*] Cellæ suppositoriæ medij temperamenti erant inter vulgares balneas & frigidaria, siue cellas frigidarias. hoc tuto satis pronuntiare possumus ex isto loco. cæterum cellas istas alibi non legi, aut legere non memini.

16. *Atque hoc eius clarissimum dictum effertur.*] id est, laudatur ab omnibus: vel lege, *fertur.* Caussa autem cur hoc Carini dictum laudaretur, id fuit, quod vt sæpe dictum est, excaldationes pro magno luxuriæ argumento habuerunt.

20. *Quod nemo tunc vir melior videbatur.*] Scribas melius, *quo n.*

22. *Quicumque ostiatim cupit noscere, l.*] Scrib. *Quæ quic.* vox Marci Tullij elegans, *ostiatim* pro singillatim.

27. *Quasi iam liber à frenis domesticæ pietatis, suorum moribus absolutus.*] Et hoc quoq; ineptissime. quid enim est *suorum moribus absolutus.* Scribendum est, *suorum mortibus.* ne zoili quidem negauerint ita corrigendum. similis sententia veteris scriptoris in iis quæ de Carino Suidas: θνόμβρος ὢν ἐξουσίᾳ βουλήσεως κύριος.

30. *Sed vltima pugna apud Murtium commissa, victus occubuit.*] Scimus legi varie loci huius nomen: sed verum est Margus. quod seruant Eutropius cum Pæanio, & vetus exemplar Petauianum Chronici Eusebiani. declarat propius loci situm Eutropius, narrans prælium habitum ad Margum, cum esset desertus à suis inter Viminatiũ atq; Aureũ montem. Margũ & Viminatium duo Mœsiæ oppida vicina erant; vt indicio est historia, quam narrat Priscus rhetor initio Excerptorum de legationibus. Idem Priscus in Gotthica historia scribit, Margum ad Istrum fuisse sitam, è regione Constantiæ, ἡ Μάργος, inquit, πόλις ἐστὶ τῆς Ἰλλυρίας Μυσῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ κειμένη ποταμῷ, ἀντικρὺ Κωνσταντίας φρουρίου κατὰ τὴν ἐπέκεινα ὄχθην κειμένου.

34. *Quorum alter natus est, q.*] Constantius qui bello Persas vicit supra.

Pag. 374. vers. 1. *Præterea senatus Rom. moderati, p.*] Videtur scribendum *senatui.* de imperatoribus enim loquitur. *moderati senatui* nouè dictum pro moderati erga senatum.

6. Cnm

6. *Cum vel viuorum principum vita non sine reprehensione dicatur.*] τὸ *vel* nisi vacat & subditium est, defectus est certum argumentum.

9. *Quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus.*] De more pingendi ludos ad tradendam posteris magnifici apparatus memoriam ad vitam Pescennij dictum est. Refer ad morem hunc Basilij locum ex homilia in psalmum LXI. vbi sic scribit vir sanctus: ὁ δεῖνα τὸν πλοῦτον ἑαυτοῦ θηριομάχοις προσαναλίσκων καὶ ταῖς ματαίαις τῶν δήμων φωναῖς ἐπαγαλλόμενος, φυσᾶται τοῖς ἐπαίνοις καὶ μέγα φρονεῖ, τὴν δόξαν ἔχων ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτοῦ. ὅς γε καὶ ἔγγραφον ἐν τοῖς περιφανέσι τόποις τῆς πόλεως τὴν ἑαυτοῦ ἀνδρείαν ἐπὶ τῶν πινάκων δείκνυσιν. interpretabar heic aliquando πίνακα ἔγγραφον de indice ludorum proponi publice solito: qui satis notus mos est. Trebellius in Claudio vocat libellum munerarium. sed præstat accipere de pictis ludis in illustri vrbis loco, ad conseruandam magnificentiæ memoriam. *porticus stabuli* retinent veteres: non vt suspicabantur viri eruditissimi, *Statilij*. non putem alienum à verisimilitudine, quia horum ludorum pars magna spectaculum Circense fuerat, propterea in ea potissimum porticu ludos fuisse depictos, quæ propter vicinitatē porticus stabuli dicebatur. quanquam vox *stabulum* varie à Latinis accipitur.

10. *Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit.*] Neurobatæ etiam apud Firmicum leguntur & in Hesychij Glossis. τὸ β cum υ sæpe confundunt Græcorum librarij. itaque dubitabam essetne istorum verum nomen νευροβάτης, an νεβροβάτης: hinnulorum enim nota agilitas. ita autem antiqua exemplaria, *neurobaten*: non vt aliquando nobis vox *ventis* pæne persuaserat, *anemobaten*. de istis autem & neurobatis & tichobatis & omni hoc θαυματοποιῶν genere multa alibi dicturi sumus, studiose collecta ex antiquis.

14. *Centum camptaulas.*] Hesychius: κάμπτειν, τὸ ἐν τῇ ᾠδῇ καμπὰς ποιεῖν. appellant rhetores καμπὴν in dictionis ornatu flexionem quandam & συστροφὴν circa periodi finem. Tale quid videtur denotare Hesychius in cantu seruari solitum: quod si & in tibiarum inflatu locum habuit, non male καμπταύλην tibicinem eius modulationis artificem appellaueris. sed non displicet eorum sententia, qui à tibiarum figura dictas camptaulas existimant.

19. *Exhibuit Cyclopem adornatum.*] Optime liber Puteani: *Exhibuit Cyclopem. Donatum est & Græcis artificibus, & gymnicis, & histrionibus, & musicis, aurum & argentum: donata & vestis serica.* ita concipiendus locus: nam *Cyclops adornatus*, nugæ. de saltatione qua fabulam Cyclopis exprimebant, multa apud veteres mentio.

22. *Nullius certe sunt momenti apud principes bonos.*] imò verò optimus quisque princeps corollaria scenica & histrionicas donationes coercuit: vt habes supra tum in aliis principibus, tum maximè in Pio, Marco, & Alexandro.

28. *Cum omnibus gentibus aduocatis Diocletianus daret ludos, p.*] An

omnibus generibus? nempe histrionum, & τῶν Διονύσου τεχνιτῶν, quorum plerosque modo enumerauit. non damno quidem *gentibus*. sed tamen scimus morem eum tempestate illa non fuisse: nisi eo ipso gentes vocabantur, cum tabula ludos promittens multo ante proponebatur.

30. *Legat hunc locum Iunius Messala, quem ego libere culpare audeo.*] similis reprehensio Furij Placidi in vita Aureliani. Ambrosius Officiorum libro II. capite XXI. *Prodigum est popularis fauoris gratia exinanire proprias opes: quod faciunt qui ludis circensibus vel etiam theatralibus & muneribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonia dilapidant suum, vt vincant superiorum celebritates.*

32. *Matris tunicam dedit mimæ, l.*] Lampridius in Alexandro: *pretiosas vestes, quas Heliogabalus scenicis dederat, sustulit.*

35. *Inscriptum est adhuc in choraule pallio Tyrianthino, q.*] Scribe, *choraulæ*. hic choraules histrio acceperat à Messala tricliniare pallium Tyrianthinum pictum, cui nomen ipsum Messalæ & vxoris literis aureis erat intextum. pallium & virilis & muliebris vestis est, & præterea vsus multiplicis, vt & Vlpianus adnotat.

37. *Iam quid lineas petitas Aegypto loquar.*] de his ad Aurelianum.

Pag. 375. vers. 1. *Plumandi difficultate pernobiles.*] refero ad paragaudias tunicas plumariorum arte pictas, vt testatur diserte locus ex Fastis Græcis quem antè attulimus. de plumaria arte fusissimè alibi.

2. *Donati sunt vel atrebaticis biri.*] Melius, *ab Atrebatis birri.* vel *Atrebatici birri*, Atrebaticarum vestium etiam ante habita mentio. Canusinæ lanæ & vestes ex antiquis Plinio, Martiali, aliis notæ sunt. *Africanas opes* intellige tunicas ex Africa petitas, vel propter materiam, vel propter artem, vel denique ob colorem in pretio & fama.

6. *Mimis & balatronibus deputarent.*] Egnatius legit, *ballionibus*. de qua voce satis ad Athenæum. sed aliter veteres libri, in quibus vel *histrionibus* exaratum, vel vt in editis. vox *balatrones* extat apud Festum.

8. *Non eloquentiæ caussa, sed curiositatis.*] πολυμαθίας & eruditionis vt non semel exposuimus.

11. *Te quæso sis contentus: nosque sic voluisse scribere, meliusque potuisse contendas.*] Nos quoque, Lector candide, te quæsumus, quicquid hoc est operæ, quod ad istorum auctorum lucem contulimus, æquus ac πρόφρονι θυμῷ accipias: credasque de nobis, non quod Vopiscus de se credi postulat, sic voluisse scribere, potuisse melius: sed persuadeas tibi, cum sit oppidò exiguum illud omne quod in literis possumus: augendæ tamen rei literariæ, & iuuentutis φιλομαθοῦς studiis commodandi, infinitam quandam inesse nobis cupiditatem. hæc sola scribendi caussa nobis & fuit hactenus, & porrò semper erit. Nunc igitur hac cura defuncti, ad aliam transibimus cum benigno & propitio numine.

Ἰδὼν τὸ τέρμα πόνων ΘΕΩι χάριν δίδου.

INSERENDA SVPERIORIBVS NOTIS.

PAgina 9. versu 22. *scribe sic.* 19. *Venandi vsque ad reprehensionem studiosus.*] Plinius epistola VII. libri tertij : *erat* φιλόκαλος *vsque ad emacitatis reprehensionem.* Libri m. *&c.*

Pag. 13. vers. 23. tmemate XLIX. *adde.* & Nicephorum Gregoram libro octauo: vbi similis Andronici senioris consultatio aperto Psalmorum volumine. Al.

Vers. 26. *scribe*, de B. Cypriano loquens (is alius est ab eo cuius extant hodie scripta,) trans.

Pag. 22. vers. 38. quibus adeo veteres delectati. *subiice* : Plinius epistola secunda libri VI. de Marco Regulo oratore: *oculum modò dextrum, modò sinistrum circumlinebat* : *dextrum, si à petitore : alterum, si à possessore esset acturus.* vel ad g.

Pag. 36. vers. 27. siue vltimus vitæ. *subiice* : alius dixisset vsque ad mortem : sic Vopiscus in simili sententia de Probo & Bonosi tyranni vxore loquens : *vxore quoque eius in honore habita, & vsque ad mortem salario præstito.* hoc est, vt heic loquitur Spartianus, in diem vitæ ipsius. Saxum v.

Pag. 46. vers. 21. *scribe*, includere *non* intercludere. & vers. seq. post ista, λιθοκολλήτοις operibus conueniunt. *adde* : Lucretius lib. IV.

Scilicet & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur. Gl.

Pag. 71. vers. 7. ne solis æstu offendātur. *adde.* auctor tamen est Iohannes Chrysostomus homilia aduersus Iudæos altera, adhuc sua ætate morem illum obtinuisse, vt qui ludos spectarent, capite nudo solis æstum perferrent. Ἄτοπον, inquit, ἐν Ὀλυμπιακοῖς μὲν καθημένους θεάτροις, ἐκ μέσων νυκτῶν εἰς μεσημβρίαν μέσην καρτερεῖν, ἀναμένοντας ἰδεῖν εἰς τίνα ὁ στέφανος περιστήσεται. καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ θερμὴν δέχεσθαι τὴν ἀκτῖνα. vide Luciani librum Περὶ γυμνασίων. Narrat S.

Pag. 83. vers. 39. aut specularibus. *adde.* Plinius *prospectum* appellat, libro XIX. cap. IV. *in fenestris suis plebs vrbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant : antequam præfigi prospectus omnes coegit multitudinis innumeræ sæua latrocinatio.*

Pag. 88. vers. 17. in his libris extat. *adde.* initio vitæ Seueri. Sic eq. *& in fine huius adnotationis adiice.* Vtrumque autem horum non in Romanis solùm imperatoribus olim seruatum : sed & in aliis regibus ac principibus. apud auctorem Aruch lego inter XXX. regis Iudæorum מעלות id est prærogatiuas, quibus regia maiestas illi asserebatur, duas istas : אין רוכבין על סוסו ואין יושבין על כסאות *nemo regis equo vehitur : nemo eius sella sedet.*

Pag.97.verſ.32. *inſere hæc:* 27. *Statimque prætor eſt factus,&c Pr.*] Vide quæ de hoc loco tractamus inferius, ad vitam diui Veri: habet enim non bene.

Pag.111.*vltimæ annotationi ſubiice hanc.* ib.*Staturam auream delatam à ſenatu poſitam ſuſcepit.*] Poteſt abeſſe τὸ *poſitam.* imo fortaſſe debet: exhibent tamen omnes libri: an quia prius ſic fuit? *delatam ſibi ſenatusconſulto ſuſc.*

Pag.117.verſ.20.nam in Marci educatoribus f. *ſcribe.*Marci & Veri educat.

Pag.118.verſ.4. *ἐσκώφθησαν. adde.* retenta dictione *vocaretur,* placeat eruditiſſimi Lectij coniectura,ſcribentis:*vocareturque ab aulicis miniſtris . . . . . . ab oſtentatione pietatis*: vt in vacuo ſpatio vox Græca deſideretur quas fere librarij in libris Latinis ſoliti omittere. varie autẽ expleri lacuna poteſt, ſi quis ingenio velit indulgere. puta πενθεὺς: qui futurus eſt iſtorum hominum non inuenuſtus iocus: vel ἀειδάκρυες: vt ſit alluſum ab iſtis, ad prouerbium Græcorum vulgatiſſimum: ἀγαθοὶ ἀριδάκρυες ἄνδρες. diſerte enim ait auctor iocatos eſſe in Marci fletum. Talia multa poſſunt fingi, quæ optime huic loco conueniant.

Pag.129.verſ.18. *Adde.* Aliquando placebat ſcribi *redditu* pro *aditu.* nam ſæpe qui defuncti memoriam honoratam volebant, redditus in eam rem aſſignabant. Procopius quarto Perſicorum: πολλοῖς τε ἄλλοις καὶ χρημάτων προσόδῳ τὸν Ἰωάννου τάφον ἐτίμησε. ſed minus conuenit huic loco ea ſententia: neque dubitandum quin auctor ſcripſerit *aditu.*

Pag.131.verſ.6.*inſere hanc notulam.* 14.*Nec multo poſt præfectus feriarum Latinarum fuit.*] Legendum,*præf. Vrb. feriarum Latinarum cauſſa fuit.* cum eſſet compendio ſcriptum *præf. Vrb.* imperiti homines ſcripſerant *præfectus* omiſſa voce *Vrbi.* deinde altera vox ſublata tanquam ſuperflua. Hæc ita eſſe & res ipſa & vſus Latine loquentium euincit. nam puer ille patricius, qui proficiſcentibus conſulibus ad Latinas ferias in montem Albanum Vrbi præficiebatur, neque fuit, neque aut dictus eſt aut dici potuit, præfectus feriarum Latinarum: ſed contra, Præf. Vrb. Latinarum cauſſa. vel, ſacro Latinarum, vt loquitur Suetonius. & ſic Græci non ἄρχειν vel ἐπιμελητὴς τῶν ἀνοχῶν: ſed πολιαρχεῖν ἐν ταῖς ἀνοχαῖς. ita ſemper Dio aliique.

Pag.137.verſ.26. *Adde.* vel hoc modo:*cum antea nemo ſibi relictum cum alio participaſſet.*

Pag.178.verſ.5. *Adde.* Id ipſum magis etiam oſtendit locus Vopiſci ſimilis ſententiæ in vita Cari: *quamuis,* ait, *Carinus maior ætate fuerit, prior etiam Cæſar ſit nuncupatus: tamen neceſſe eſt vt prius de Numeriano loquamur, qui patris ſecutus eſt mortem: poſtea de Carino.*

Pag.181.verſ.1. quod imperio ſuo conſenſiſſent, gratias agerent. *adde.* Omnino enim illa *pro conſenſus imperio*, aliter quàm vt diximus emendanda non ſunt. ſic *conſentire imperio* dixit Gallicanus in Auidio

Cccc Caſſio.

Cassio. Quod s.

Pag.185.vers.29. *Adde.* Hic autem est ille ipse Apolaustus cuius meminit antiqua inscriptio Romani lapidis, hæc:

L. AVRELIO.
APOLAVSTO . MEMPHIO
AVGG. LIB. HIERONICAE
CORONATO.ET.TON.DIAPAN
DON.APOLLINIS.SACERDOTI
SOLI.VITTATO.ARCHIERI
SYNHODI.ET.AVGG
L . AVRELIVS
PANNICVLVS . QVI . ET.
SABANAS . PATRONO.
OPTIMO.

Pag.205.vers.23. multa aliquando legimus. *subiice hæc:* 33. *Vt probris natum magis q.*] In quibusdam libris τὸ *vt* non reperitur ante *probris.* Quare Hadrianus Turnebus locum integrum ita concipiebat. *gladiatoribus conuixit, aquam gessit: vt lenonum ministeriis probrosis natum magis, quàm eo loco eum crederes,* &c.

Pag.209.vers.25. sed vereor ne aliud lateat hîc quod non assequor. *dele ista & scribe.* Sed placet nobis Hadriani Turnebi elegans coniectura, scribentis, *vultusque forma disceptatrice coegerat.* sic vir ille præstantissimus hunc locum emendauerat in ora codicis sui: quem seruat adhuc in bibliotheca sua patris magni filius magnus, Stephanus Turnebus, senator amplissimus, atque omnibus virtutibus instructissimus.

Pag.218. vers. 38. μονομάχων καταγώγιον. *adde.* Pro *semper* malim *sæpe,* cum Iacobo Lectio.

Pag.225. vers.34. pro φρόνιμος. *adde.* infra hoc libro: *Damnabantur alij cur pleraque figurata dixissent: vt, quod esset imperator verè nominis sui vere pertinax, vere seuerus.* Gal.

Pag.227. vers.23. in libro ad Scapulam. *adde:* & ita etiam Spartianus nominat inferius vbi cædem eius exponit.

Pag.230. vers. 21. *Theophrasti loco subiice hæc:* erant & aliæ rationes acapna ligna parandi: nam vt Cato docet, cocta sole, & consperfa amurca fumum non faciunt. Isti s.

Pag.240. vers.10. *Adde:* vel accipe vt apud Spartianum in Pescennio: *capillo in verticem ad gratiam reflexo.*

Pag.248. vers.35. *insere:* 29. *Sed dum hæc egit Iulianus.*] Scribe, *agit,* ita & codd.

Pag.264. vers.35. *insere.* ib. *dixissetque ille.*] Melius *illi.* nempe captiuus Seuero.

Pag.274. vers.37. *Ambrosii verbis subde ista:* iterũ idem in libro de Helia & ieiunio cap. XIII. loquens de furore præliari conuiuantium: *ca-*

dunt, ait, qui mensuras ipsas bonas supereffluentes diligenti librant examine ne quid effundant, non cædunt bibentes. Nesc.

Pag.281.vers.13.complexi sunt. *adde.* sic & Græci loquuntur. Eusebius historiarum libro VIII. εἶχε τὸ καλούμενον ἐν Θηβαΐδι φερωνύμως τοῦ γινομένου πορφυρίτου λίθου μέταλλον πλείστην ὅσην πληθὺν τῶν τῆς θεοσεβείας ὁμολογητῶν. Sir.

Pag.292.vers.10.hic morbus..*adde*:eandem sententiam pluribus tractat idem Chrysostomus in sexta earum quas scripsit aduersus Iudæos. Ett. versu30. 24.Cum Parth. *præpone adnotationem istam.*
19, *Eos autem quos legerat,occidit,exemplo Ptolemæi Euergetis,q.*]Ptolemæus hic vsitatiore cognomine Physcon est appellatus: cuius appellationis caussã explicat Iustinus lib.XXXVIII.sed & Euergetes alter homo maleficẽtissimus est dictus,vt obseruat Strabo libro vltimo.prudenter vero Spartianus vt eum nobis certius designaret adiicit, *qui octauus hoc nomine appellatus est*: nam in laterculo Ptolemæorum Aegypti, multi Physconem octauo loco recensent.de huius tyranni immanitate multa passim veteres:historiam verò quæ heic tangitur, pluribus explicat Valerius Maximus libro IX.capite II. *Ptolemæus Physcon cum animaduerteret quanto sui odio patria teneretur,timori remedium scelere petiuit: quoque tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuuentute gymnasium armis & igni circumdedit, omnesque qui in eo erant, partim ferro, partim flamma, necauit.*

Pag.314.v.24. *insere.* 149.12. *cuius vitam iunxissem patris gestis,n.*] Falluntur qui negationem autumant inserendam. hoc enim vult: quod speciali hoc libello Diadumenum dixerit, neque obiter & velut ὁδοῦ πάρεργον, rebus patris eum inseruerit, habuisse hunc honorem appellationi Antonini qua fuit decoratus: quo vel solo nomine dignum censuit speciali expositione. claret mens ex sequentibus.

Pag.320.vers.32. succurrit imprælentiarum mihi nullum. *adde*: Sed non dissimile ius est,quod in honorem matronarum quæ consularibus aliquando nuptæ fuerant,aliquando fuisse vsurpatum discimus ex Vlpiani verbis,in lege XII.Dig.De senatoribus. *Nuptæ prius*,inquit,*consulari viro impetrare solent à principe, quamuis perrarò, vt nuptæ iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in consulari maneant dignitate: vt scio Antoninum Augustum Iuliæ Mammææ consobrinæ suæ indulsisse.* Est quidem simile, non tamen idem ius cum eo cuius hîc obiter meminit Lampridius.& cuius exemplum, vt dixi,adhuc quæro.de iis a. deinde *insere.* 11.*quæ quo vestitu incederent.*] Scribas rectius, *incederet.*

Nuptæ quondam illustribus si denuo nubant minoris dignitatis viro retinent eius dignitatem priori marito ex rescripto

Pag.330.vers.15. huius libri. *adde*: sed non displiceat coniectura viri optimi atque eruditissimi Antonij Loiseli, cui pro *multa*, videbatur scribendum *mulier.*

Pag.343. *insere ante vltimam lineam hæc:* 35. *ad corrigendos mores adolescentis, i.*] Scribendum *adolescentiæ*: vel, *adolescentum.* de duobus enim loquitur.

Pag.351.vers.14. *Adde*: omisit has voces *nisi quod*, in gemina locutione

tione Capitolinus, cum ſcriberet in Gordianis: *Atque parum fuit quod ſenatus iudicauerat: illud populi iudicium fuit, quòd occiſi, tracti ſunt & in cloacam miſsi.*

Pag.352.verſ.23. ſcimus quàm variè doctiſſimi viri hodie prodant. *adde.* Iohannes verò Chryſoſtomus non obſcure affirmat, diem quo Alexander Magnus exceſſit, certo indicari non poſſe. ſic enim ſcribit homilia XXVI. in poſteriorem ad Corinthios: *ποῦ, εἰπέ μοι, τὸ σῆμα Ἀλεξάνδρου; δεῖξόν μοι, καὶ εἰπὲ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐτελεύτησεν.* verſ.25.*ſcribe*, natum eſſe Alexandrum Mammææ IIII. K.

Pag.336.verſ.9.Marcum. *inſere.* 16.*Si vnquam alicui præſentium ſucceſſorem dedit.*] Regius codex, *præſidentium.* atque ita legendum: niſi malis *præſidum.*

Pag.374.vide ad Claudium.*inſere.* 35. *Et pictores & pincernæ.*] Aſſentior Antonio Loiſelo, & ſcribo, *piſtores.*

Pag.375. verſ.31. cæteræ in vſum familiæ. *adde.* in epiſtola Valeriani Aug. de præmiis Aureliani quam refert Vopiſcus, panes mundi opponuntur panibus caſtrenſibus, & parcius illi quam hi exhibentur. vide locum. Erat v.

Pag.381.verſ.8. *inſere*: 30. *Prouinciales vt deum ſuſcipiebant.*] Operarum error, pro *ſuſpiciebant.*

Pag.40.verſ.15. iungerentur. *adde.* Dextrocherium autem geſtaſſe imperatores teſtatur etiam Chryſoſtomi locus in laudatione Babylæ martyris. vbi pompam imperialem & *φαντασίαν* deſcribens ait inter cætera: *ὑπόχρυσον αὐτὸν σεμνότερον ἀπὸ τῶν ἱματίων φαινόμενον, καὶ τῆς ἁλουργίδος, ἐκ τῶν λίθων τῶν πανταχοῦ διεσπαρμένων κατὰ τὴν δεξιὰν, κατὰ τὴν συμβολὴν τῆς χλανίδος, τῶν ἀπὸ τοῦ διαδήματος.* nam per gemmas quas ait fulſiſſe in dextra Cari imperatoris, (de eo enim loquitur: etſi nominat nunquam:) dextrocherium illius intelligit: per chlanidis commiſſuram, fibulam.

Pag.402.verſ.20. *inſere*: 30. *Placuerat vt contrarij cum eo tranſirent.*] *contrarij* dixit pro coniurati. at Turnebus emendabat *contarij. οἱ κοντοφόροι.* ex Herodiano quid ſtatuendum ſit non cognoſcas: etſi in pleriſque eum auctor ſequitur.

Pag.426.verſ.32.*adde. conſalaneus* legas in Gloſſario: *diœceſaneus* apud antiquiſſimos patres Latinos.

Pag.434.verſ.21.*inſere.* 29. *Qui militem gubernaret, qui remp. ſciret.*] Scribe, *gubernare.*

Pag.435.verſ.1.pro Synadicæ: *adde*: in quibuſdam editionibus ſcriptum, *Syennitides*: quod in veteri libro inueniſſe ait Vrſinus: marmor Syenites, *πυῤῥοποίκιλον* habes apud Plinium lib. XXXVI. cap.VIII.

Pag.457.verſ.41. *adde.* paullo aliter refert hanc hiſtoriam Zonaras: quem, Lector, vide, & ſi lubet, ex eo potius de hoc loco ſtatue.

Pag.483.verſ.21 eruditiſſimus. *adde*: pro *maior*, offendi in membranis exaratum *memor*, quod etſi ferri poteſt, minus tamen probo.

Pag.491. verſ.33. *διεφαίνετο χῶρος. ſubiice hanc notam.* Pag.302. verſ.3. *Siquidem nunc verba publici naufragij colligit noſtra diligentia ad* Rom.*reip. decus.*] quid eſt *verba naufragij colligere?* hæc ſunt obelo non expoſitione digna. ſcripti omnes hac parte corrupti: ita tamen vt per illorum veſtigia ad veram lectionem non dubia pateat via. nam & regius & Puteani *colligat* exhibent non *colligit.* regius verò hoc amplius, *veſtra,* non *noſtra.* optimè. vnum ſuperat mendum, coniectura tollendum, quando ſilent codices. Lege periculo *τῆς ἡμετέρας κριτικῆς*: *Siquidem nunc reliqua* (vel *tabulas*, aut tale quid.) *naufragij colligit veſtra diligentia: ad* R.*r.d.* plana & certa ſententia. in gratiam principis cui hanc vitam miſit adiecit iſta Pollio. Imitatur autem Vopiſcus Athenienſium oratorem, qui fractis Athenienſium opibus, Reip. naufragia ſe adminiſtrare dixit.

Pag.497. verſ.42. *ſcribe ſic*: Græci iuriſconſulti vertunt *ἀπαργυρίζεσθαι*, vt erudítiſſimus Cuiacius obſeruat. paullo aliter Gloſſarij auctor: *Aderat, ἐξαργυρίζεται, ἀποχαλκίζει.* Fr.

Pag.524. *inſere poſt locum* Fulgentij. ſed hoc epiſcoporum orarium peculiaris formæ fuit, nec vt cætera oraria, ſimplex tantum faſcia: quare etiam pallium eſt appellatum. in elegantiſſimo libello quo hiſtoria ſynodi Remenſis continetur, ita ſcriptum. *Arnulphus in ſui promotione* (is fuerat Durocortori Remorum epiſcopus) *annulum & baculum acceperat, quoddamque genus orarij, quod per differentiam pallium dicitur.* Orar.

Orarium Episcoporum quod et pallium dictum.

Pag.550. verſ.34. fecit auctor mentionem. *inſere.* Pag.360. verſ.14. *& hippopotamos ediſſe.*] Perplacet quod olim Turnebo viſum, ſcribendum eſſe, *hippopotamo ſediſſe.* & præcedentia & ſequentia firmant ſatis hanc acutiſſimi viri emendationem.

FINIS.

INDEX AVCTORVM QVI IN SVPERIORIBVS NOTIS LAVDANTVR, ILLVSTRANTVR, EMENDANTVR.

A

Dddd ij

FINIS.

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM INDEX.

B

D

Enorme.

I

N

Οὐδεὶς

Q

R

Gggg ij

S

T

V

FINIS.

ERRATA OPERARVM, QVÆ QVIDEM obiter obſeruata ſunt, ita corrige.

In ipſis auctoribus.

PAgina 9. verſu 13. conſtituit : mot. 29. & aram ſibi : ē. 10. 33. Tatianum. 13. 4. accepit ſi f. 16. 2. dilectus eſt. 25. Commodum Verum. 19. 1. eum à m. 20. 10. ſit vtero. 21. 7. voluptati. 25. 34. ſtatuam eius. 28. 4. floruerunt. 31. 34. laudarent. dec. 39. 3. annuos. 46. 21. carpebantur. 35. vrbi. 47. 21. cauſas. 48. 19. cum iis. 37. Caſſium. 50. 19. diceret ter *Tullus*. 51. 36. Duxit. 53. 2. poteſtate. 25. toro. 55. 3. per quadriennium. 57. 7. correptus. 10. Fauſtinæ. 20. Agaclytum. 59. 18. *dele & ante* eorum. 34. paræneſeon. 60. 5. pedum. 65. 9. pro parte d. 67. 33. probris. 69. 25. ſuis. 71. 8. Fuſcum. 72. 12. muliebri. 74. 1. de profectione. 18. exorta. 36. partem v. 77. 11. Speratum. 78. 35. grammaticen. 82. 17. vt leg. 84. 14. ſeruis qui rat. 85. 32. eſſe. 89. 31. exitium. 90. 37. Conſtitit. 91. 29. Marciam. 32. contra S. 92. 3. ad obſ. 100. 20. plumbeæ. 27. ſcripſit. 106. 3. quem. 107. 9. ingenti. 108. 1. quæ v. 117. 11. Clodius. *ſic ſemper.* 32. N. Murcum. 118. 12. illud. 22. vtique. 122. 24. ſuo iura. 123. 13. agricolandi. 124. 2. inſignia. 130. 7. nunc q. 135. 26. parcis. 30. ſubbalbe. 137. imperatoris. 140. 8. *hæc & ſimilia* γνωμικὰ *iniuſſu editoris diſtincta charactere.* 14. Inſulſit. 36. digniorem. 156. 15. extra. 17. bellaria. 158. 21. hereditatium. 25. ante eum. 166. 16. textili. 168. 1. ſeplaſiarium. 16. repererunt. 171. 6. ferrei. 172. 6. L. Antonium. 33. Scaurinum. 176. 3. Video. 180. 14. ſententiam. 16. O πολλὰ κ. 181. 21. præfectos. 184. 11. Iſium. 26. dicentibus. 186. 14. voluit, intellectus t. 20. quem pr. 27. prope. 187. 36. deputabat. 194. 1. vectarentur. 197. 30. ſuſpiciebant. 198. 24. facis. C. 34. Αναίματον. 199. 5. accepiſſent. 26. feram. 200. 36. Ex his. 37. mille. Et ad. 202. 36. ſeuerum. 209. 15. eum d. 31. *Maximine.* 214. 24. Pacata G. 215. 33. hoſti publico. 217. 6. Alia die admiſſis amicis q. 22. nuncuparent. 220. 30. actis ibi gr. 228. 1. *dele* per quatriduũ. 32. familiã. 230. 12. publicitus. 232. 3. quod. 233. 3. cloacam. 8. mecum pl. 234. 27. domum Pompeianam. 33. Antonini. 248. 1. contudit. 17. credidit. 251. 29. tangerent. 263. 25. aphronitris. 31. clauſtrum Pon. 264. 6. equeſtrem. 30. palmata. 34. legionum. P. 265. 12. Præteundũ. 30. increpantibus. 33. vincente. 266. 3. illuc. 268. 26. voluptatum. 275. 34. Ita G. 289. 2. veterum more p. 292. 15. duce lim. 16. priuatus. 294. 20. inſultare. 298. 23. quereretur. 26. quidem. 304. 1. morbus. 309. 32. faſciola. 313. 13. à parte N. 314. 34. patienter. 36. ago ergo. 319. 27. negarat. 323. 37. liticinibus. 324. 1. libras è Z. 325. 2. quique. 18. aliquanto tr. 12. addiderunt. 327. 14. millibus. 337. 1. comitiale. 2. præfectus. 341. 24. me legens l. 349. 15. ceſpititium. 23. perfruaris, an. 356. 26. offendit R. 28. in germanorum nec. 29. hortentur. 359. 2. Saracenis : n. 369. 24. contudit. 370. 34. daretur R. 374. 35. choraulæ.

In Emendationibus ac Notis.

PAg. 9. verſ. 32. eſſe iu. 17. 41. Aſſumebantur. 20. 1. quadringenta. 38. 7. εἰς τὴν ὑπ. 44. 14. quæ paſſim. 46. 21. includere. 65. 15. tituli ſcriptum comp. 16. Apollodorus. 72. 44. ſolitæ. 99. vocat non inf. 112. 29. *ſapientiæ ſint.* 120. 12. munerum gl. 125. 24. in altera. 136. 15. τοῦδε β. 153. 35. ſine eq. 168. 39. *carcer vix carcere d.* 203. 34. queratur G. 205. 43. contentum. 249. 31. Ενοπτρομαντείας 257. 4. *dele* Dio : *& ſcribe* Herodianus. 8. annecterentur. 257. 34. audituque t. 295. 4. ſuperius ad Peſcennium. 301. 23. δείλην. 311. 32. milites. 313. 17. περὶ τούτων ἐποιησάμην α. 317. 11. Halalen. 329. 11. Gordus. 345. 31. nihil pl. 363. 32. negabunt q. 381. 5. tranſire dicerentur. 392. 23. ſi

ita ſ. 395.38. Iornandes. 397. (quæ male notata 395.) 20. binos ſext. 401.33. πλευρὰς ß.37. Culex. 405.43. faciamus. 412.16. ſcriptum. 436 13. ἐνταῦθα. 487.13. *quæ extrinſecus ſ.* 488.7. neceſſariam. 491.14. imperatores. 499.26. ſine ſubſ. 509.11. ſine m. 27. cum Tyanam v. 516.28. nomine Z. 30. *dele* alter *ante* Vop. 535.12. Αἰθιοπίας. *ibid.* ἐνθένδε. 42. *neceßitate*. 537.4. iudicio. 542. 7. ſententia : n. 16. agentibns fatis è ſ. 27. ſolis pat. 544.5 μετὰ. 556.28. veritatis. *Hæc obiter in Notis animaduerſa: cætera ſiue grauiora his ſiue leuiora, æquus Lector operis condonabit.*

Extraict du Priuilege.

PAR lettres patentes du Roy donnees à Paris le 21. iour de Ianuier 1598. ſignees Par le Roy, Forget, & ſeellees du grand ſeau de cire iaune ſur ſimple queuë : il eſt permis à maiſtre Iſaac Caſaubon faire imprimer par tels Imprimeurs & en tels characteres & marges que bon luy ſemblera, tous les liures qu'il a compoſez ou compoſera, & leſdits liures & ouurages faire mettre en vente, & diſtribuer par tout noſtre Royaume, pays & terres de noſtre obeiſſance, durant le temps & terme de dix ans parfaicts & accomplis. Sans qu'autres que ceux ayans droict de luy, ou de ceux auſquels il aura baillé permiſſion, les puiſſent imprimer ou faire imprimer ny expoſer en vente durant ledit temps, à peine de confiſcation deſdits liures, deſpens, dommages & intereſts contre les contreuenans enuers ledit ſieur Caſaubon, ou ceux qu'il aura commis à l'impreſſion d'iceux. Et afin que l'on n'en puiſſe pretendre cauſe d'ignorance, ſa Maieſté veut que ladite permiſſion eſtant miſe par abbregé en chacun deſdicts liures, elle ſerue à tous Imprimeurs de ſignification deuë, des defenſes & peines plus à plain contenues eſdites lettres.